# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA

**OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,**

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

*QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS, ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 863) PRO GRÆCIS, FLORUERUNT;*

**RECUSIO CHRONOLOGICA**

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS INDICIBUS LOCUPLETATA; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM AUTEM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

**ACCURANTE J.-P. MIGNE,**

**Bibliothecæ cleri universæ,**

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

---

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXARATA, VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, AC QUINQUE-VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALI AMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEDET NUMERUM. POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM COMPARET NECESSE ERIT; SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT.

---

*PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS LI.*

S. PROSPER AQUITANUS, IDATIUS AQUÆFLAVIENSIS EPISCOPUS, MARCELLINUS COMES.

---

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

Digitized by Google

BR
60
.M4
t.51

Digitized by Google

SÆCULUM V, ANNI 450-460.

# S. PROSPERI

## AQUITANI,

S. AUGUSTINI DISCIPULI, S. LEONIS PAPÆ NOTARII,

# OPERA OMNIA

JUXTA MSS. CODICES, NECNON EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES ACCURATE RECOGNITA, SECUNDUM ORDINEM TEMPORUM DISPOSITA, ET CHRONICO INTEGRO EJUSDEM, AB ORTU RERUM USQUE AD OBITUM VALENTINIANI III ET ROMAM A VANDALIS CAPTAM PERTINENTE, LOCUPLETATA.

ACCEDUNT

## IDATII ET MARCELLINI COMITIS

## CHRONICA

AD EXQUISITAM SIRMONDI EDITIONEM RECENSITA.

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

## TOMUS UNICUS.

VENIT 6 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

Digitized by Google

# ELENCHUS

## AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO LI CONTINENTUR.

### S. PROSPER.


| | |
|---|---|
| Epistolæ. | col. 63 |
| Carmen de Ingratis. | 91 |
| Epigrammata. | 147 |
| Responsiones ad Capitula Gallorum. | 155 |
| Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum. | 177 |
| Liber contra Collatorem. | 213 |
| Expositio Psalmorum a C° usque ad CL$^{m}$. | 277 |
| Liber Sententiarum ex Augustino delibatarum. | 427 |
| Chronicon. | 535 |
| Confessio. | 607 |
| Poema ad uxorem. | 611 |
| Carmen de Providentia. | 617 |
| Libri de Vocatione Gentium. | 647 |
| Liber de Prædictionibus et promissionibus Dei. | 733 |


### IDATIUS.


| | |
|---|---|
| Chronicon. | 873 |
| Descriptio Consulum. | 891 |


### MARCELLINUS COMES.


| | |
|---|---|
| Chronicon. | 917 |


PHILADELPHIA
DIVINITY SCHOOL

Parisiis. — Ex Typis L. MIGNE.

Digitized by Google

# PRÆFATIO
## IN S. PROSPERI AQUITANI OPERA.

Novam editionem Operum omnium sancti Prosperi Aquitani, fidelissimi quondam sancti Augustini discipuli, doctrinæque ab ipso traditæ vindicis strenuissimi, sancti Leonis Magni papæ I notarii, in lucem novis curis emitti oportuit: tum ut illorum, quibus cordi est cœlestis Augustini de gratia Dei servatoris, et de aliis fidei morumque capitibus doctrina commodis aliqua ex parte consuleretur, ampliori et emendatiori codice Prosperi subministrato, cujus operibus tota Augustini ipsius doctrina paucioribus sub conspectum ponitur: tum ut eximiæ illi sancti Augustini Operum editioni a doctissimis religiosissimisque viris ante aliquot annos procuratæ nonnulla, nec forte inutilis, fieret accessio; ejus viri libris multiplicatis, qui susceptum ab Augustino revincendorum instruendorumque Semipelagianorum laborem eatenus ad exitum perduxisse dici potest, quatenus has Pelagianæ hæreseos reliquias armis omnibus, quas e Pelagianorum clade superstites videbantur collegisse spoliaverit: tum denique (quod quidem omnium maxime ad hunc laborem aggrediendum compulit), ut illustrissimi Galliarum cancellarii, quem sagax providentia totius regni utilitatibus semper intentum, de litteris quoque, et ecclesiasticis præsertim promovendis sollicitum facit, expressis in eo quod humanissime concessit privilegio mandatis obtemperaretur.

Cui quidem editioni novæ quia curam nostram laboremque qualemcumque apponere, Deo permittente, suscepimus: ideo incumbere nobis agnoscimus, ut pro more solemni, de Auctoris commendatione, de Operum ipsius instituto, ac de editionis hujus ordine et commodis aliquem ad lectores sermonem habeamus. At de primis duobus sat multa alibi legere est: de sanctissimi et eruditissimi Auctoris meritis et commendatione in Vita ipsius, quæ mox Præfationem hanc excipiet. De ordine vero, seu anno quo unumquodque opus ab eo scriptum fuerit, et de quo argumento ibidem agatur, in admonitione singulis hujus voluminis tractatibus prævia plurima, et, ni fallimur, quæ sufficiant, reperientur. Unde hoc unum modo superest præstandum, ut scilicet quid in hac editione a nobis tentatum aut effectum sit paucis exponamus: postquam tamen nonnulla de veteribus editionibus, quæ ex variis locis ab annis fere ducentis prodierunt præmiserimus.

Igitur, quantum ex libris quos manibus terere datum est, dum huic operi incumberemus, innotuit, inter cætera sancti Prosperi opera illud primo omnium typis subjici cœpit, volumine quod vocant *in octavo*, cui titulus *Liber sancti Prosperi de Gratia Dei et Libero Arbitrio, pro defensione divi Aurelii Augustini Hipponensis episcopi, contra Cassiani presbyteri librum qui titulo de Protectione Dei prænotatur. Item: Capitula tredecim Decretorum Cœlestini papæ pro Prospero et Hilario, de Gratia Dei, adversus quosdam Galliarum presbyteros Pelagii sectatores:* quibus prætigitur *Epistola Cœlestini ad episcopos Galliarum*, quæ est Cœlestini epistola 21. Moguntiæ Nonis septembris 1524, industria Nicolai Carbacchii: qui quidem in admonitione ad lectorem scribit hunc se libellum, cujus Prospero scribendi occasionem a Joanne Cassiano libros Augustini jam mortui adversus Pelagianos pro Gratia Dei perscriptos impugnante datam observat, in bibliotheca religiosorum fratrum Benedictinorum Montis S. Jacobi repertum publicare constituisse, cum propter vetustatem operis ante annos plusquam mille et septuaginta a Prospero pro tanti viri defensione scripti, tum quia quæ continet summorum pontificum Innocentii I, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, et Xisti III auctoritate, et sacrorum conciliorum consensu approbata leguntur. Subditque, ob eam causam se huic rei impensius operam dedisse, quo ora obstruerentur eorum qui sua ætate palam se Pelagianæ hæreseos assertores esse indicabant, viderentque tales quod docebant jam olim a priscis sacrarum litterarum tractatoribus fuisse improbatum. Hæc ille.

Septimo post anno, scilicet 1531, prodiit minori volumine editio *Sententiarum ex Augustino excerptarum* per Prosperum: anno vero 1536, *Libri de Vita contemplativa Juliani Pomerii*, qui Prosperi operibus assui consueverunt, ejusdem molis codice impressi in lucem emissi sunt.

Biennio post Venetiis prodiit aliud huic par volumen cui titulus appositus: *Opuscula de Gratia et Libero Arbitrio S. Prosperi Aquitani episcopi Reginensis viri religiosissimi, divi Augustini discipuli, et in divinis Scripturis eruditissimi. Venetiis, per Bernardinum Stagninum, anno* 1538. Quo libello continentur *Epistola S. Prosperi ad Rufinum; Ad excerpta Januensium* (quod alii dicunt Genuensium); *Liber S. Prosperi contra Cassianum; Epistola Aurelii Carthaginensis episcopi; Cœlestini Epistola ad episcopos Galliæ.* Item *Sedis apostolicæ Auctoritates*, etc., *ac S. Prosperi Epigrammata*, quibus jungitur, *Ad uxorem poema.*

Post annum vero, scilicet anno 1539, vir libris non paucis eleganti charactere excusis celebris, Stephanus Gryphius, Lugdunensis typographus primus omnium, ut videtur, suscepit omnia divi Prosperi Aquitanici episcopi Regiensis Opera accurata vetustorum exemplarium collatione per viros eruditos recognita prælo suo subjicienda. Quem suum laborem senatui populoque Regiensi dicatum voluit. Ad quos scribens narrat, ante annos plus minus qua-



367
Digitized by Google

tuor se recepisse ipsis D. Prosperi episcopi ipsorum lucubrationes typis suis excudere : nec statim id præstare potuisse, propter exemplaria tum parum accurate descripta, tum nonnullis desideratis opusculis imperfecta. « Quapropter (subdit) ut vobis gratificarer, atque studiosorum commodis inservirem, editionem minime præcipitandam putavi : sed primum vehementer conandum, ut opus, si quo pacto fieri posset, prius pristino nitori, germanæque integritati restitueretur. Proinde huc illuc missis litteris, negotium dedi amicis et Gallis et Germanis, præsertim humaniorum litterarum studiosioribus, ut quidquid hujus auctoris apud eos in antiquis bibliothecis lateret, tam lacerum quam integrum ad me transmitterent. A quibus inter alia vetustissima exemplaria allata sunt simul quæ desiderabantur opuscula : nempe duo versu heroico, *de Providentia Dei* unum, alterum περὶ Ἀχαρίστων; præterea *Expositio in postremos unum et quinquaginta psalmos :* omnia, ut opinor, a nostræ tempestatis hominibus non visa. His igitur omnibus simul inter se diligentissime collatis, effeci tandem ut hic vester Prosper, vir tam sanctus quam eruditus, tot retro sæculis in tenebris delitescens, situm cariemque passus, totus nitidus, purus, integerque in lucem exiret. » Hactenus Stephanus Gryphius. Ex cujus verbis colligitur, quæcumque ante se fuerant edita tunc a viris doctis recognita, omissis tamen tam epistola Cœlestini papæ ad episcopos Galliæ pro Prospero et Hilario, quam sedis apostolicæ sententiis de gratia Dei et libero arbitrio : alia vero his addita, quæ ab eo recensentur : quibus annumerandæ *Responsiones ad Capitula Gallorum*, et *ad Capitula objectionum Vincentianarum*. Hisque omnibus præfigi curavit vitam ejusdem Prosperi a Joanne Antonio Flaminio Imolensi contextam : de qua quid sentiendum legi potest infra articulo 10 Vitæ sancti Prosperi.

Verum anno Christi 1565, Joannes Sotellus Montinensis, Lovanii minoris collegii theologorum alumnus, reverendo in Christo Patri D. Carolo Vander Linden sacræ theologiæ baccalaureo, et monasterii Parcensis ordinis Præmonstratensis apud Lovanium abbati nuncupavit novam quam instituit Operum Prosperi nostri emendationem. In qua quidem editione nihil priorum repræsentare omisit, et nonnulla alia proprio labore addidit : scilicet *Libros duos de Vocatione Gentium*, qui alias Ambrosio, et aliis quibusdam affìcti legebantur : ille autem falso quidem S. Mediolanensi Antistiti tribui fatetur, at auctori suo Prospero putat restituendos, « non tantum ob styli et phrasis similitudinem, sed etiam quia in bibliotheca Regularium S. Martini Lovaniensis et in bibliotheca abbatiæ Camberonensis, necnon in Bonneffiensi abbatia apud Namurcum in antiquissimis exemplaribus mss. habentur nomine beati Prosperi. Certe Ambrosii non esse (ait ille) ex stylo clarius apparet, quam ut ulla ostensione egeat : et ex eo maxime, quod post damnatos Pelagianos (ante quorum damnationem e vivis excesserat Ambrosius) sint scripti, ut videre est in cap. 22 libri prioris. » Ejusdem quoque Prosperi censet epistolam quam addidit ad Demetriadem virginem, partim ob stylum, partim ob argumentum. « Dirigitur enim post damnatam Pelagii hæresim contra epistolam ejusdem Pelagii de sancta Virginitate ad eamdem Demetriadem, quæ habetur in initio tomi IV apud Hieronymum : quæ epistola, vivente adhuc Ambrosio, non videtur exstitisse. » Sed de his nos in admonitione utrique præfixa sat multa disseruimus. Addidit quoque *Prosperi epistolam ad Augustinum de reliquiis Pelagianæ hæreseos in Gallia subolescentibus*, inter Prosperi opera nondum editam : omissamque in Lugdunensi editione *Cœlestini papæ Epistolam* cum sententiis subjici solitis vir ille non omisit : primusque inter omnes libris Prosperi nostri adjunxit, nec immerito, ut nos postea dicturi sumus, *Canones alterius concilii Arausicani*. Vitam quoque ex suo ingenio suisque partim conjecturis, judice Labbeo (*Script. Eccl. tom.* II, *pag.* 249), concinnatam præmisit : in qua quid sibi de singulis a se editis operibus videretur aperuit : et inter cætera, *Carmen de providentia Dei* a D. Prosperi operibus removendum duxit, quia Pelagianæ doctrinæ est, cui Prosper infestissimus fuit. De quo in admonitione pag. 779 diximus. *Libros* vero *de Prædictionibus et Promissionibus Dei*, quatenus sibi licuit, puros integrosque edidit, sed ab alio quam a Prospero scriptos ex styli phrasisque dissimilitudine, et Gennadii Trithemiique silentio probari posse arbitratur.

Anno autem 1576, iidem omnes S. Prosperi libri denuo ad examen revocati in editione Duacensi per Joannem Olivarium, qui hanc suam editionem dicat Joanni Sarraceno priori Vedastino Atrebatensi : cui suscepti a se laboris rationem reddens in epistola nuncupatoria, Prosperi opera mittere se gloriatur superioribus quidem editionibus non satis expurgata, tunc vero nitidiora et non modica accessione cum variarum lectionum, tum plurium lacunarum, maximeque unius perquam insignis supplemento locupletiora. Emendationes plurimas, itemque varias lectiones partim suppeditarat liber ab ipsomet reverendissimo priore collatus cum antiquis codicibus, partim vetustissimum volumen bibliothecæ Camberonensis, quod habebat manu descriptos *de Vita contemplativa libros tres, de Vocatione Gentium duos, et unum Epigrammatum*. Ex quo his in libris multa facta meliora, quæ deerant suppleta, annotata plurima, nec acerrimo quidem patroni sui, cui libenter illa submittit, judicio (ut sperat) improbanda.

Ad postremæ hujus editionis Duacensis normam anno 1630 prodiit, quæ Coloniæ Agrippinæ facta notatur sumptibus hæredum Joannis Crithii sub signo Galli ; ac reliquæ omnes quæ deinceps ad nostra usque tempora diversis annis variisque in urbibus excusæ fuerunt. Unde de prioribus S. Prosperi Operum editionibus hæc satis erunt. Ad hanc nostram tandem est descendendum.

In ea adornanda hæc nobis mens hic finis fuit, ut, quantum fieri potuisset, amplissima,

Digitized by Google

castigatissima, et optimo ordine disposita prodiret : ut etiam ex illa aliquid adjumenti lectoribus subministraretur ad erroris Semipelagiani historiam plenius cognoscendam. Ampliorem quidem exhibere nequivimus, quam in eam conferendo quidquid Operum S. Prosperi genuinorum, aut ipsi affictorum hactenus in lucem prodierat. Hinc non neglexiimus illud opusculum quod a Sirmondo primum publicatum est anno 1619, sub hoc titulo, *Confessio Prosperi Tyronis Aquitani*, ex bibliotheca Vaticana post Eugenii et Dracontii carmina : de qua quid sentiendum eruditis videretur, aperuimus in prævia illi operi admonitione pag. 767*. Exhibuimus etiam *Chronicum integrum*, opus a prioribus Prosperi editoribus omissum : cujus omissionis ratio ea a Stephano Gryphio in Lugdunensi anni 1539 editione affertur : quia inter Eusebiana aliorumque Chronica esset excusum, et quod ob nimiam corruptionem lectori fastidio fore videretur. Non enim inde Prospero nostro præjudicium inferri debere credidimus, quod aliquid ipsius aliorum fortunis annexum haberetur, quin eidem data occasione esset restituendum, tam ipsius ornamento, quam lectorum commodis profuturum. Nec certe tam corruptum censeri nunc debebit, quam ante centum et septuaginta annos ; cum a viris peritis ad mss. codices recensitum, emendatum et auctum habeatur, tam ab Andrea Duchesnio tom. I Hist. Francorum, quam a Philippo Labbeo, qui integrum edidit tomo I Bibliothecæ novæ mss. Cujus editionem, quasi ampliorem emendatioremque, nos secuti, non omissis aliarum editionum differentiis, novo etiam labore cum mss. Colbertinis quinque contulimus.

Castigavimus etiam singulos editionis hujus libros ad fidem tot mss. quot per concessi temporis limites licuit reperire et consulere, probatiorum quoque quæ antea prodierant editionum; quorum indicem damus infra statim post Opera, et ante Appendicem Operum Prosperi nostri. Et ne inter varias quæ in libris occurrerunt loci ejusdem lectiones temere se legisse, et doctiorum palato præjudicare voluisse arguamur, visum est in marginem inferiorem cujusque paginæ eas quas neglexiimus rejicere, ut erudito lectori liberum maneat, quam sibi magis sapere judicaverit usurpare. Hinc quoque non immerito videbitur castigatum opus universum, quod spuria a veris et dubiis, dubia quoque a veris et genuinis, et sede, et charactere, et admonitione præambula distingui curavimus, adductis de unoquoque eorum eruditorum virorum sententiis, nec cujusquam judicio censura confidentiori præjudicantes.

Ordinem porro eum inter opera sancti Prosperi statuimus, qui fuisse demonstretur scriptionis eorumdem, sive ex textu ipso librorum, sive ex materia, sive ex doctorum gustu et testimonio. Hinc *Epistolam Prosperi ad Augustinum de reliquiis Pelagianæ hæreseos in Gallia subolescentibus*, etc., tamquam primum Auctoris nostri contra illos gratiæ adversarios conatum, primo loco exhibuimus : cum eas litteras quas ibidem testatur se antea ad eum dedisse, aut quas ab ipso se accepisse gratulatur, ullibi nancisci non sit concessum. Hanc sequitur *Epistola Hilarii de eodem argumento ad Augustinum* quoque tempore eodem scripta, et per eum qui prioris perlator fuit transmissa. Utrique vero cum responsum fuerit S. Antistitis Hipponensis *libris duobus de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ ad Prosperum et Hilarium* directis ; mirati sumus neminem antea animadvertisse, quanto jure hos sibi libros Prosper noster vindicaret, et quam utilem, immo necessariam cum ejus sociique Hilarii epistolis connexionem retinerent. Unde non visum est satis consultum fore a nobis studiosorum affectui et utilitati, nisi hos statim sequi curassemus. *Rufini Epistolam* adhuc in vivis agente Augustino *ad Prosperum* scriptam longius differre non oportuit : nec insigne et numquam satis pro merito prædicandum *Carmen Prosperi* nostri *de Ingratis* inscriptum, quod pariter tunc exaratum probatur cum nondum inter cœlites assumptus fuisset Augustinus, cujus famæ ac doctrinæ contra Semipelagianorum murmura et obtrectationes vindicandæ gratia fuerat susceptum. Huic majoris perspicuitatis ergo utiliter adhibita nemo, ut speramus, inficiabitur tum brevia cujusque loci argumenta, quæ jam antea legebantur in eodem Poemate in vernaculam linguam, tam soluta quam stricta oratione converso ab anno 1646, tum notas grammaticales et criticas a Martino Steyaert Lovaniensi doctore non ita pridem defuncto eidem operi subjunctas in Opusculis Lovanii editis anno 1703, quibus etiam *Epigrammata duo in Augustini Obtrectatorem* et *Epitaphium utriusque hæreseos Pelagianæ et Nestorianæ*, de quibus mox, elucidantur. Duo epigrammata illa pariter à Carmine contra Ingratos edito divelli non debuere, quæ ei non multo posteriora hinc probantur quod in his Augustinus superstes esse insinuetur. Hisque subjicitur *Epitaphium Nestorianæ et Pelagianæ hæreseon* propter rerum cum præcedentibus affinitatem, etsi forte tempore posteriori, post damnatos nempe iterum cum Nestorianis Pelagianos, exaratum.

*Responsiones Prosperi ad Gallorum* et *ad Vincentii Objectiones contra doctrinam Augustini* auctorisque nostri famam disseminatas, atque *ad Excerpta* et dubia *Genuensium presbyterorum*, quia Romano Prosperi et Hilarii itineri priores credimus, statim etiam post præmissa exhibemus : etsi non dissimulandum, aliis quibusdam visum esse illas ipsorum reditui posteriores statuendas : de quo penes lectores esto judicium.

Rediit Roma in Gallias cum Hilario suo Prosper noster, celebri illa *Cœlestini papæ ad Galliæ episcopos Epistola* munitus : cui adjunctæ fuisse creduntur, quæ subjungi solent, *sedis apostolicæ episcoporum Auctoritates de Gratia Dei et Libero voluntatis Arbitrio* e scriniis ecclesiasticis depromptæ, ut infra pag. 263 et sequentibus dicetur. Quibus armatus strenuus

* Hic et ubiubi S. Prosperi operum aliquis citatur locus, revocatur lector ad numeros crassiores textui hujus nostræ editionis continenter insertos.

Digitized by Google

Augustini gratiæque ab eo propugnatæ defensor, majori adhuc confidentia manus conseruit cum Semipelagianis Massiliensibus, et hos inter contra Cassianum Massiliensium presbyterorum Augustinique obtrectatorum primicerium scribere aggressus est. Hujus viri in lucem prodierant Collationes salutaribus documentis quidem refertæ, sed aliquot in locis non extra omnem reprehensionem positæ : quas inter legebatur circumferebaturque *Collatio tertia decima, de Protectione Dei*, in qua novam et a se primo excogitatam distinctionem, omnipotentiæ divinæ juribus, et peccati originalis fidei non parum derogantem, evulgare non dubitarat. Hanc nos collationem sanæ doctrinæ, quam ubique tuetur S. Prosper, non obfuturam, si eo loci legeretur; immo ex oppositione libri Prosperi contra eamdem exarati orthodoxæ sententiæ lucem allaturam arbitrati sumus. Illam enim excipit statim *Liber sancti Prosperi Aquitani de Gratia Dei et Libero Arbitrio contra Collatorem*, id est, contra Cassianum collationis istiusce auctorem, quem tamen honoris causa, et ex pacis studio proprio nomine indigitare noluit.

Sequuntur *Psalmorum a* C *ad* CL *Expositio; Sententiarum ex operibus S. Augustini Hipponensis episcopi delibatarum liber unus*. Item *ex sententiis sancti Augustini Epigrammatum liber unus :* quæ cum Augustini libros aut exscriptos de verbo ad verbum, aut sensuum ipsius perfectam imitationem fere ubique exhibeant, Prosperum arguunt in sanctissimi Doctoris libris diurna nocturnaque manu versandis a puero exercitatissimum : quorum tempus in admonitione cuique præfixa satis probabile efficitur.

De *Chronico integro* non est quod plura narrentur, præter ea quæ superius dicta sunt, et in admonitione ejusdem fusius disserentur. Hoc solum his addendum restat, quod huic emendando præter mss. codices supra notatos, ac editiones Duchesnii, Labbei, et eam quæ inseritur tomo VIII Bibliothecæ Patrum Lugdunensis anni 1677 consuluimus etiam editionem ejusdem Chronici ab Arnoldo Pontaco episcopo Vasatensi ad mss. viginti octo et octo editiones emendatam, ac notis ejusdem illustratam, et anno 1604 Burdigalæ apud Simonem Milangium excusam.

Statim post Chronicum legitur *Concilium II Arausicanum de Gratia et Libero Arbitrio, anno, ut creditur*, 525, *celebratum*. Quod eo jure Prosperi operibus annecti cœpit ab anno 1565, in editione Lovaniensi, et deinceps, quod concilii hujus Patres eam doctrinam definierint, quam S. Prosper contra Massilienses defenderat, et non paucos canones suos ex ipsismet, non Augustini solum, sed etiam Prosperi nostri verbis contexuisse notentur; ac in canone ultimo illam Cassiani duplicis generis prædestinatorum distinctionem, quæ a Prospero tam egregie in libro adversus eum edito confutata fuerat, auctoritate sua, Scripturarum effatis, antiquorumque definitionibus munita, aperte rejecerint ac reprobaverint.

Et ea quidem certa et indubitata sunt sancti Prosperi opera. Hæc sequuntur alia quædam, quæ dubiis accensenda judicavimus : scilicet *Confessio, quæ dicitur Prosperi Aquitani*, de qua nonnihil supra; *Poema conjugis ad uxorem ; de Providentia divina Carmen*, quod a nobis primum in capita divisum, et capitum argumenta operi præfixa, resque de quibus in singulis ejus partibus tractatur in margine collaterali breviter notatæ. Postea autem habentur *libri duo de Vocatione omnium gentium* cum argumentis in capite et in corpore operis, quæ in Leone novissimæ editionis leguntur. Ac demum *Ad sacram Virginem Demetriadem Epistola, seu de Humilitate Christiana Tractatus* operum genuinorum dubiorumque seriem claudit. De singulis non pauca in admonitione unicuique præfixa reperientur.

De Appendice, quam in partes duas distinximus, non est quod plura hic referamus, præter ea quæ in admonitione *librorum de Vita contemplativa* et in ea quæ *librum de promissionibus et Prædictionibus Dei* præcedit, qui duo primam Appendicis partem, cum *Pseudo-Chronico* admonitione sua munito, constituunt, dicta leguntur. Alteram vero Appendicis nostræ partem quæ *scripta et monumenta* impleant, quo consilio, quo fructu ibidem sint collocata fuse satis expositum in admonitione eo loci exhibita. Ibi quoque monuimus his scriptis monumentisque lectionem Operum sancti Prosperi ac ipsam Semipelagianorum historiam lucem (ut speramus) esse accepturas. Indicem denique rerum, verborum, locorum, personarum, sententiarum notatu digniorum quæ occurrent legenti Prosperum, et ea Opera quæ Prospero cum aliquo fundamento, etsi non certo, tribui posse videntur, statim post Opera ipsa et syllabum codicum emendationi adhibitorum edimus. Eorum autem scriptorum et monumentorum, quæ Appendicis partem utramque constituunt, in voluminis totius calcem rejicimus.

Hæc sunt quæ ad publicam utilitatem promovendam, et iis obtemperandum jussis quæ negligere non erat integrum, vel tentata vel effecta sunt. In quibus si quid minus recti contra mentem nostram admissum fuerit, benigne ignoscet lector æquus et eruditus. Si quid vero boni et utilis a nobis præstitum judicetur, totum in illum nobiscum refundet a quo *Omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jacob.* I, 17), *qui docet hominem scientiam* (*Ps.* XCIII, 10) *linguasque infantium*, si ei placuerit, *faciet disertas* (*Sap.* X, 21).

Digitized by Google

# VITA S. PROSPERI AQUITANI,

## EX OPERIBUS IPSIUS ET SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM LIBRIS CONCINNATA.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Veterum et recentiorum de Prospero encomia, et quis ejus stylus.*

Inter eos qui beati Augustini doctrinæ propugnatores exstiterunt, principem locum et eruditionis laude, et auctoritatis pondere, et nominis celebritate sibi vindicat sanctus Prosper (*Labb. de Script. t.* II, *p.* 251). Hunc amicus et collega ejus Hilarius (*Prosp. ep. ad Aug.*), cujus hortatu videtur in id certaminis descendisse, ad Augustinum scribens, *tum moribus, tum eloquio, et studio clarum, adeoque notitia* tanti viri *dignum affirmat* (*Hilar. ep. ad Aug.*). Hunc Victorius, qui anno 457, Prospero forsitan adhuc in vivis agente, scribebat, *virum sanctum ac venerabilem* appellat (*Bucher. Cycl. p.* 6, 7). Hunc concilium Romæ sub Gelasio pontifice anno 494 habitum, dum scripta ejus approbat, *virum* dicit *religiosissimum* (*Concil. t.* IV, *p.* 126). Gennadius ipse, licet illi haud satis æquus, ut qui nimis feliciter cum Cassiano pugnaverat, tamen *eloquio* potentem, et (ut loquitur ille) *sermone scholasticum, assertionibusque nervosum* agnoscit (*Gennad. Eccl. Script. c.* 84). S. Fulgentius (*Lib. ad Mon. c.* 30), cum beatus Augustinus celeri præventus obitu Gallorum presbyterorum objecta refellere non potuisset, dicta ejus recta fide et copioso sermone a Prospero viro erudito et sancto fuisse defensa observat. Nonnulla mox ab eodem Prosperi loca proferuntur: « Ut cuncti noverint, inquit, quid debeant de prædestinatione sanctorum impiorumque sentire. » Eadem repetit Fulgentius alio in loco (*Lib.* II, *c.* 1). « Ita ut plerique, inquit, licet in ea (quæstione nempe de diversitate prædestinationis justorum et iniquorum) soleant non leviter permoveri, facile possint, et divinorum librorum testimoniis instrui, et sancti Augustini libris, et Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari. » Quæcumque vero ad laudem ejus faciunt apud Gennadium, ea omnia, non reliqua, exscribit ad annum 463 Marcellinus. A Cassiodoro *sancti* appellatione cohonestatur (*Instit.* c. 17), a Beda autem (*Hist. Angl. l.* I, *c.* 10) *rhetoris sive oratoris*. Photius denique (*Cod.* 54) eum vere *hominem Dei* fuisse affirmat.

Veteribus astipulantur recentiores; quos inter legi potest Trithemius, qui Prosperum nostrum « in divinis Scripturis eruditissimum, et in sæcularibus nobiliter doctum, carmine excellentem et prosa, eloquio disertum, sensu profundum, ingenio subtilem, assertione nervosum, vita et conversatione sanctissimum apparuisse » testatur (*Trith. de Script Eccl. p.* 32). Sixtus Senensis « vivido quodam ac solerti præditum ingenio, genere orationis conciso, excelso, eleganti, in divinis humanisque litteris versatissimum; ad hæc mirabili vitæ sanctitate commendabilem » asserit (*Biblioth. Sacr. l.* IV, p. 369). Censet Scaliger (*Ad Euseb. Chron. not. pag.* 8) illum omnium ætatis suæ longe doctissimum ac peritissimum fuisse. Scriptas ab eo et ab Hilario ad Augustinum in Semipelagianos epistolas, tantæ apud posteros admirationi fuisse ait Garnerius (*Ad commonit. M. Merc. sup. nom. Cœl.*), ut eas novissimis magni gratiæ doctoris operibus, ut suppares adjunctæ sint. Is præcipue animadvertit in Prospero *oculos admodum curiosos*, quos vix quidquam posset fugere. Addit ad magnam ejus eruditionem accedere *parem judicii sagacitatem*.

Erat Prosper, testibus tum aliis, tum Gennadio (*Script. Eccl. c.* 84), in Aquitania provincia natus, unde fit ut *Aquitanus* dici soleat, ut ab aliis ejusdem nominis viris facilius distinguatur. Qua vero ex parte amplissimæ istiusce regionis, quave ex urbe oriundus fuerit, non constat omnino. Hinc patet quam non magna sit habenda ratio codicis cujusdam manuscripti, neque admodum vetusti, Colbertinæ bibliothecæ, ad cujus solius fidem emendatus legitur liber Sententiarum ex Augustino excerptarum per doctissimos operum S. Augustini editores in appendicis tomi X parte tertia (*Nostræ Patrolog. t.* XLV), in quo habetur: « Prosper iste Equitaneus fuit (forte pro Aquitanus fuit) *Tolonensis* civis, qui relictis sæcularibus rebus ad divina se negotia transtulit. » Sita est enim civitas Tolonensis in Viennensi Galliarum provincia. Patet etiam quam illi parum sint audiendi (*Dupin. t.* IV, *p.* 430), qui, nullo suffulti argumento, Prosperum nostrum vocant *Regiensem* in Aquitania, unde procul abest Regium.

Profert Sirmondus (*Præd. Hist. cap.* 5, *p.* 31) quasi rem indubitatam, illi cognomen fuisse *Tironi*; quod non sat scimus utrum in manuscriptis aliquot deprehenderit, quemadmodum et in suo Chronici Prosperiani manuscripto legi testatur Bucherius (*Cycl. p.* 211); et ex altero ms. citat idem Vossius (*Vossius Poet. Lat. l.* II, *c.* 17): an potius non dubitanter existimaverit adjudicandum nostro Prospero carmen quoddam quod inter ejus opera exstat, et a Beda Tironi Prospero ascribitur (*Vid. S. Paulin.* 1685, *dissert.* 6, *p.* 136; *et Mon. Eccles. tom.* XIV, *not.* 4).

Ex ejus scriptis facile quivis judicare potest, eum in artibus ingenuis, ac præcipue in poetica haud mediocriter esse versatum; quam ipse et Paulinus multo majori cum laude excoluere, quam quilibet alius eorum omnium qui Ecclesiæ mancipati huic se studio dedidere. Sed Prosper eam sanctioribus etiam monumentis consecravit quam Paulinus. In pedestri quoque illius oratione nescio quid eminet quod poe-

Digitized by Google

tam redoleat, sublimitas, vehementia, sermo acer et nervosus, crebræ illi sententiæ, verba ad acumen styli subire videntur; atque etiam multo magis lectorem percellit, sive elocutionis dignitate, sive solidæ et inconcussæ argumentationis viribus. Sed illi sufficit sermonis sui nativus decor, nec ad ornatum accersit aut in eumdem sonum cadentia verba, aut plenos ac numerosos modos, aut æquabiles modulatasque periodos, aut denique affectata illa pigmenta quæ a Leone et aliis ejusdem ævi auctoribus ad satietatem usque ingeruntur. Cum esset eorum dux qui catholicam de Gratia Christi doctrinam tuebantur, semperque in eo totus esset ut adversarios Ecclesiæ impugnaret, aut eam ab illorum incursu defenderet; lacertosum, si sic dici fas est, et militare scribendi genus usurpat, resque accuratius multo quam verba perpendit. Hinc est quod orationis ipsius compositio nonnumquam subobscura sit. Sed res ipsæ, quantumvis intricatæ sint, eas ille tamen facillime illustrat, nec minori perspicuitate quam acrimonia enucleat. Vere itaque illud de Prospero statui potest, illius orationem non esse tanto artificio elaboratam, nec tot eloquentiæ luminibus distinctam, quot in scriptis quorumdam aliorum reperiri queant; sed præ se ferre multo plus sanitatis, ingenii, vehementiæ.

Hæc de S. Prosperi stylo præmisisse operæ pretium fuit, quo certius illi abjudicentur opera quædam ejus nomine hactenus inscripta.

## ARTICULUS II.

### *Prosperi juventus et conversio.*

Exstat opusculum quoddam, cui titulus, *Confessio Prosperi Aquitani* (*Bibl. PP. tom.* VIII, *p.* 193), aut, ut alii legunt, *Tironis Prosperi Aquitani* (*Lab. de Script. Eccl. tom.* II, *p.* 261), a Jacobo Sirmondo ex ms. Vaticano editum anno 1619. Est illud satis eleganter scriptum, ut Magno Prospero tribui possit: etsi Antelmio (*Diss. in Op. Leon. p.* 370) in ea vix aliquid deprehendi videatur Prosperi stylo satis simile, aut ejus famæ valde consentaneum: eamdemque tanto patre indignam indubitanter pronuntiet Ludovicus Ellies Dupin (*Tom.* IV, *p.* 441). Habemus autem ex illa Prosperi confessione (*Infra*, *pag.* 769 *et seq.*), eum inter ipsa vitæ initia renatum in Christo Jesu, et, a misericorde Domino dimisso originis peccato, prius adeptum libertatem quam ferocis domini a quo detinebatur intelligeret servitutem. Incusat sese quod acceptam a Patre munificentissimo substantiam ea qua par erat cura servare neglexerit, quodque vitiis omnibus deditus, in Ægyptiorum, mox etiam in Babyloniorum jura transiverit, nec ullum aliud præterquam letiferæ voluptatis pretium suæ perditionis acceperit. Qua ex loquendi ratione, simul et ex iis quæ pariter de primis vitæ suæ annis refert Paulinus, quid colligi debeat difficile est statuere. Quamquam nota sunt quæ de perditis Aquitanorum imprimis divitum moribus deplorat Salvianus (*De Gubern. Dei l.* VII, *p.* 154, 160), dum illos in omnibus Galliis sicut divitiis primos, sic vitiis criminatur.

Ut ut sit, is de quo agimus, cum per innumeras sævissimarum dominationum vicissitudines, non subjectione corporis, sed animæ sudore serviret, et indignis confusus officiis, pejore status sui conditione turbaretur, quæ sunt ipsius verba (*Infra*, *p.* 769, 770), cœpit erubescere, et subtraxit se, quantum ab instantibus dominis licuit, in occultum spiritus cordisque secretum: et apprehenso sanctarum Scripturarum volumine, quid sibi adhuc spei superesset inspexit: ac ex his certior factus paratissimam semper eis esse Dei misericordiam quos male actæ vitæ ex animo pœniteret, multo perfusus imbre lacrymarum ingemuit, quod se Dei redemptum sanguine peccato venumdedisset, quodque sibi inimicissimis serviret dolens: mox confirmatus et animatus constituit dirumpere graves quibus vinctus detinebatur catenas; et ad eum reverti a quo fuerat ad vitam emptus, petere, quærere, misericordiæ divinæ januam pulsare. Erubescebat quidem quia animo nudus erat, et nihil habens quo membrorum, id est, morum suorum, inhonesta circumtegeret, obscœnæ egestatis dedecore confundebatur, neque tantæ familiæ tantique Patris conspectum subire audebat. *Quasi vero* (inquit) *tolerabilius sit judicium accusatis quam* sponte *confessis, reis contumacibus quam supplicibus*, ad tremendum Dei *tribunal* in morte *exhibitis quam* ante obitum ad Patrem misericordissimum *ex animo reversis*. Hinc tandem hæc apud se statuit: *Habeat quantaslibet cruces et ignominias pœnitentia, levior erit ignis verecundiæ quam gehennæ*. Quibus verbis an significet se publicæ pœnitentiæ labores amplecti decrevisse, non statim asseruerimus. Verisimile tamen est, si id consilii cepisset Prosper, aliquam ea de re in scriptis ipsius superfuturam fuisse mentionem.

Neque vero si illum angebant amissa ejus quam in Baptismo acceperat gratiæ munera, ideo non grato animo adorabat velocem dignationem et properatam clementiam, qua etiamnum infantulus fuerat regeneratus. Longe ab illis dissentiebat qui ad excusationem violatæ regenerationis *rudem ætatem et imprudentes annos causabantur*, tanti sibi immeritis collati beneficii immemores.

Innuere videtur se tum in medio alienæ gentis fuisse, cum ad Deum conversus resipiscere instituit, seque solum fuisse mutaturum, ni *Barbarus regni* sui *limites dispositis servasset excubiis*. Hæcque ab illo proprie vereque dici potuerunt. Etenim nemo nescit quas strages collecti e diversis gentibus Barbari, tum in universa Gallia, tum maxime in Aquitania sæculo quinto ineunte ediderint.

Prosper quoque in Carmine de Providentia divina, si tamen genuinus ille Prosperi fetus credi debeat, queritur urbem suam a Getis incendio deletam, seipsum captum a Barbaris, inter eorum turmas abactum, ac peditem ire coactum. Præsulem suum una cum afflictis et miseris gregis sui reliquiis sedem

Digitized by Google

aliquam, aut potius exsilii locum quæsiisse (*Infra*, A *p.* 787).

## ARTICULUS III.

*Prosperum ævi sui calamitates ad pietatem excitant. Contumaces nonnullorum querelas castigat.*

Quod Carmen Prospero Tironi a Beda tribuitur (*Monum. Eccles. tom.* XIV, *not.* 4), id exstat inter Paulini Nolani Opera, eoque minime indignum a viris doctis judicatur. Ut autem illud cum hujus historia conciliare perquam difficile est, ita nihil in eo reperias quod cum rebus gestis Prosperi non optime cohæreat. Et huic quidem non Bedæ solius, sed et codicum aliquot manuscriptorum auctoritate adjudicatur. Unum est quod morari possit : nempe Carmen illud ornatius est, et liberius fluit quam ut Prosperi Opus esse videatur. At quidni hic alio quidem B scribendi genere usus tum fuerit, cum profanorum scriptorum litteras ac sæcularis eloquentiæ studia non ita pridem dimisisset; alio cum de expugnando errore dumtaxat sollicitus, talia verba adhibuit qualia graves sententiæ firmæque rationes postulabant.

Verum quisquis tandem fuerit Carminis illius scriptor, certe conjugio illigatus erat, et id Operis sui uxori suæ nuncupat (*Infra*, *p.* 773, 779). Commotus tum perpetua rerum humanarum mobilitate, tum asperrimis ætatis suæ ærumnis, sese ad pietatem novo in dies studio colendam adhortatur. Ac multi quidem illius temporis oppressi calamitatibus obduruerant, Deumque ipsum nefariis vocibus incusare non reformidabant (*Salv. de Guber. Dei lib.* VII, *p.* 152, 153). Hic vero profitetur se suam spem C omnem infixisse ac collocasse in solo Deo, cujus benignitate ipse terræ hujus incola, patriæ alterius, cœlestis nimirum, civis fuerat effectus. Pollicetur se non ignarum terrenas opes perbrevi jure obtineri, ita suis usurum, quasi suæ non essent : eas se jam non miraturum, non consectaturum honores, neque fore umquam ut qui divite Christo fruatur, sævientem metuat paupertatem, qua mente prospera suscepturus sit, eadem adversa sustentaturum, ita scilicet ut nec malis vinci se aut dejici, nec bonis capi efferrique permittat, debitas semper Christo grates acturum, ejusque laudes ac honorem ore memori celebraturum (*Infra*, *pag.* 775, *v.* 45 *et seq.*; *pag.* D 785, *v.* 15 *et seq.*).

Postquam paucis ea retulit quæ hominum causa Deus et fecit et pertulit, hæc subjungit (*Infra*, *p.* 777, *v.* 89 *et seq.*) :

Quidnam igitur tanta pro spe tolerare recusem,
 Aut quid erit quod me separet a Domino?
Ignem adhibe, rimare manu mea viscera, tortor :
 Effugient pœnas membra soluta tuas.
Carcere si cæco claudar, nectarque catenis;
 Liber in excessu mentis adibo Deum.
Si mucrone paret cervicem abscindere lictor,
 Impavidum inveniet mors cita, pœna brevis :
Non metuo exsilium, mundus domus omnibus una est.
 Sperno famem, Domini fit mihi sermo cibus.
Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit.
 Tu das, Christe, loqui, tuque pati tribuis.
In nobis nihil audemus, sed fidimus in te.
 Quos pugnare jubes, et superare facis.

Ut autem erat superstes ejus uxor, illam hortatur ut pariter Deo se dedicet, quo uterque mutua ope firmatus, validius ac felicius cum hoste dimicent : hanc ideo sic alloquitur (*Pag.* 779, *v.* 115 *et seq.*) :

Tu modo, fida comes, mecum isti accingere pugnæ,
 Quam Deus infirmo præbuit auxilium.
Sollicita elatum cohibe, solare dolentem,
 Exemplum vitæ simus uterque piæ.
Custos esto tui custodis, mutua redde,
 Erige labentem, surge levantis ope.
Ut caro non eadem tantum, sed mens quoque nobis
 Una sit, atque duos spiritus unus alat.

Quas tunc temporis ex hominum genere vindex Deus reposcebat pœnas, iis scelestissimi quique, quos veniam supplices petere oportebat, ad accusandum non sine blasphemia Deum adducebantur (*Infra*, *pag.* 785, *v.* 15 *et seq.*). Hi manifestissimis divinæ providentiæ argumentis ad ipsam oppugnandam abusi, quod bonos insontesque pariter et noxios iisdem viderent premi malis, negabant res humanas a Deo gubernari, et ad futilem quamdam fatorum vim ac siderum potestatem confugiebant (*Infra*, *pag.* 809, *v.* 624 *et seq.*).

Hujusmodi blasphemiæ quæ beatum Augustinum ad ingens et eximium illud de Civitate Dei Opus scribendum impulerant, scribendo quoque anno 416 Carmini de Providentia divina occasionem dedere (*Pag.* 785, *v.* 1 *et seq.*). Consueverat autem auctor illius Carminis, qui insignem ubique eximiæ adversus Deum pietatis sensum præ se fert, variis tum soluta, tum stricta oratione Operibus stylum exercere. Cum vero Gallia a decennio, hoc est a desinente anno 406, quo in eam irruperant Barbari, innumeris cladibus conficeretur, mœstum hominis ingenium comprimebat dolor, eumque jam per totum anni unius spatium silere coegerat, ut qui non parvam patriæ suæ malorum partem tulisset (*Ibid.*); commotus est tamen aliquando temerariis blasphemorum hominum, quorum aliqui Christianam fidem profiteri se jactabant, conviciis : acriusque impiarum linguarum jaculis quam omni sævientium Gothorum crudelitate stimulatus, ad vindicandam stylo Dei providentiam, ac retundendas ejus inimicorum contumeliosas voces accessit (*Pag.* 789, *v.* 87 *et seq.*).

Hoc imprimis dogmate suo in Opere nititur, quod per hujus vitæ calamitates Deus impios plectat, bonos peccatorum sordibus mundet, tepidos accendat, et erigat, virtutum decoribus augeat atque amplificet (*Pag.* 821, *v.* 902 *et seq.*). Tum Deum precatur ut his se societ quos peccantes bonus arguit, patrioque emendat flagello; potius quam illis quos, summoto jam verbere, cursu voluntatis ire et propria libidine ferri permittit. In hoc opere multa invenias quæ de divina gratia egregie dicta, Prosperoque nostro haud indigna videantur. Contra sunt nonnulla quæ cum assertionibus ab eo postea tam strenue quam feliciter propugnatis cohærere vix judices. Quo fit ut id Operis illi alioquin convenientissimum non facile inter ejus opera referatur. Fieri

Digitized by Google

tamen potest ut hanc lucubrationem ante susceperit, quam doctrinæ de Gratia satis magnam operam impendisset (*Antel. Dissert. Oper. Leo. p.* 405 *et seq., ac alii*).

Hæc de primis Prosperi annis eruimus e tribus scriptis quorum auctoritas, ut nec plane rejicienda, ita nec citra omne dubium admittenda visa est. Quæ posthac a nobis dicenda sunt, ea certis et indubitatis ipsius Operibus nitentur.

### ARTICULUS IV

*Doctrinam de gratia adversus Semipelagianos tuetur.*

Utrum sævitia Barbarorum, an quavis alia re compulsus Prosper ex Aquitania migraverit, id quidem parum liquet. Illud certius, eum anno 428, vel 429, aut forte jam 426, in Provinciam Dei nutu deductum fuisse, ut Christianam de gratia doctrinam a beato Augustino elucidatam defenderet ac tueretur. Hanc quidem in illis locis vellicabant viri nonnulli, tum dignitate, tum virtutis ac pietatis fama conspicui (*Vide S. Aug. Vitam,* § 343, *tom.* XIII *Mon. Eccles.*).

Erat quidem Augustino Prosper *ignotus facie, nec nisi animo ac sermone* unis ad eum *datis vicissimque receptis* ab eo *litteris compertus* (*Infra, pag.* 1). At lectis sancti viri scriptis, Deique misericordia prælucente veritatem edoctus, pro ea viribus totis propugnavit (*Pag.* 6) : adeo ut Hilarius, alter ejusdem veritatis strenuus defensor ad Augustinum, cui erat notior, scripturus, cum Prospero egerit, ut simul et ipse suas ad eumdem daret litteras (*Pag.* 18); ratus illum et sancti præsulis ampliori notitia dignum, et eum esse qui et in quo positus esset adversariorum error enucleate proponeret, et referret quænam essent in istis quæstionibus obscuriora, et ad percipiendum difficiliora, quæ lucidissimis expositionibus a præstantissimo Doctore aperiri oporteret.

Enimvero morem gessit Hilario Prosper, et celebratissimam illam, quæ etiamnum exstat, dedit epistolam anno 428 exeunte, vel 429 ineunte : professus *scribere se fidei qua Ecclesia vivit affectu* (*Pag.* 1 *et seq.*). Motus amborum studio Augustinus, duos ad eosdem libros de Prædestinatione Sanctorum, et de Dono Perseverantiæ scripsit. Aliquas quoque idem fortasse ad eos dedit litteras, quæ quidem exciderunt (*Infra, pag.* 23 *et seq.*).

Constat quidem Hilarium tunc temporis ex ordine laicorum fuisse (*Pag.* 18, a), Prosper diaconus fuisse (*Pag.* 1, a) ex eo forsitan videri potest, quod de Leontio diacono loquens fratrem suum eum appellat, et ab Augustino (*De Præd. SS.*) et ab Cœlestino prior Hilario nominatur. Nec ex ipso tamen Hilario de Prospero ad Augustinum scribente, neque ab ullo alio e veteribus apparet eum fuisse aliquo ecclesiastici ordinis gradu insignitum (*Infra, pag.* 25). Ipse testatur (*Infra, pag.* 6) se non quidem argumentis perverse sentientium de veritate, sed *auctoritati imparem, eo quod multum ipsi eum et vitæ meritis antecellerent, et aliqui eorum adepto nuper* A *summo sacerdotii honore supereminerent.* Hodie fatetur eruditissimus quisque nullum esse antiquitatis monumentum ex quo eum alia ac laicos conditione fuisse effici queat. Habetur ex uno codice ms. eum *relictis rebus sæcularibus ad divina se omnino negotia transtulisse.* Nempe ex eorum numero fuit qui dimisso sæculo vitam in secessu agebant, nulli tamen obstringebant se monasterio : ut Paulinus, Pammachius, Severus Sulpicius, aliique ætatis ejusdem, qui monachorum appellatione continebantur : ac illud quidem S. Prosper secutus est vivendi genus.

Nec illud prætereundum videtur, quod a Garnerio pie juxta et prudenter est observatum, in præfatione (*Pag.* 7) in omnia Marii Mercatoris Opera. « Animadverti aliquando (ait ibi) nec sine magna B admiratione, Deum, qui amat humilium manu resistere superbis, tribus hæresibus, Pelagianæ, Nestorianæ et Massiliensi, quæ præ cæteris superbiæ a Patribus accusantur, opposuisse primum laicos homines : ut, quod ait Apostolus, per contemptibilia mundi confunderet fortia, et tumidam quasi Pharaonum potentiam confunderet ab infirmis. Certe Pelagianis primus obstitit Constantius ex Vicano (sic enim legendum est) Romæ habitans. Primus Nestorii dolum detexit, cleroque ostendit, affixa ad ecclesiæ valvas obtestatione, Eusebius tunc temporis σχόλαστικος τῆς βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως, ut loquitur Theophanes, vel rhetor, ut tradit Nicephorus, vel judex forensis, ut scribit Leontius. Restitere primi Massiliensibus presbyteris laici duo Hilarius C et Prosper, monueruntque Augustinum epistolis, quas consequens ætas ita suspexit, ut supremis magni gratiæ doctoris laboribus conjungeret quasi suppares. »

Qui sanæ de Christi gratia doctrinæ adversabantur, non eos libri utrique a beato Augustino ad Prosperum et Hilarium scripti auctoritas a sententia dimovit, hique posterioribus sæculis Semipelagiani merito sunt appellati. *Non Romana solum Africanaque concilia* (*Infra, pag.* 89), *et per omnes mundi partes universi promissionis filii* qui extra Gallias versabantur, *sed in ipsis etiam Galliis plurimi cum beati Augustini doctrina* (*Ibid.*), *sicut in tota fide, ita in gratiæ confessione congruebant, et ad perceptionem evangelicæ apostolicæque doctrinæ saluberrimis ejus* D *disputationibus imbuebantur.* Verumtamen e Gallis non pauci sancto Antistiti, *præcipua licet tunc esset portio Domini sacerdotum, occultis susurrationibus obloquebantur, et prout opportunas aliquorum aures reperiebant, scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamabant, tantæque pietatis viro paganorum et Manichæorum impietatem ascribebant. Ita in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliebantur, ut dum catholicos affirmabant non veraciter pro gratia locutos, Pelagianos injuste damnatos fuisse persuaderent* (*Infra, pag.* 308).

*Quæ si vera essent* (*Pag.* 89 *et seq.*), et in aliquo erratum fuisset ab Augustino, cur ipsi prædicationibus ejus non resistebant, nec saltem aliquibus scriptis

Digitized by Google

eum a quo talis emanabat doctrina non conveniebant. A Is profecto auscultare non renuisset monentibus, quantum ipsi salva veritate licuisset. Et sane magna gloria sua consuluissent humano generi, si Augustinum ab errore revocassent. Neque erat quod censerent magnorum prius meritorum seni, cujus libros nemo reciperet, honorabiliter atque misericorditer ignoscendum.

At timidi censores adversarios tanti viri palam profiteri se non audebant, gnari perhonorificum esse omnium de eo judicium, nec deesse qui famam ejus fortiter ac strenue tuerentur. Moleste ferebant quod his quæ adversus *excellentissimæ auctoritatis virum inter multas collationes asseruerant* Prosper resisteret. Nec dubitabant, *si quam hinc moverent quæstionem in qualibet frequentia sacerdotum, in qualibet congregatione po-* B *pulorum, centenis sibi beatissimi Augustini voluminibus obviandum fore:* quæ cum tenebris calumniarum dispulsis, cordibus audientium manifestare cœpissent potentissimam Christianæ fidei veritatem, vetarent a piis et fidelibus recipi amaritudinem illam fumosæ vanitatis volentium in sua justitia magis quam in Dei gratia gloriari. Igitur satis habebant occulta eum obtrectatione mordere, quem non audebant constanter arguere (*Pag.* 87). Insuper eosdem rumores in ejus discipulos disseminabant, ne quis jam superesset cujus auctoritate pellerentur errores, quos illi a fidelibus probari cupiebant (*Pag.* 98).

## ARTICULUS V.

### *Suam Augustinique famam defendit S. Prosper, scribitque adversus ingratos.*

Rufinus Prosperi amicus rumoribus iis qui de erroribus familiari suo temere affictis disseminabantur commotus, litteras ad eum dedit (*Infra, pag.* 87). Ac ejus quidem litteras, *ut fraternæ sollicitudinis et sincerissimæ charitatis indices* Prosper accepit, pluribusque ad eum rescripsit, plenissima veritate pandens omnia quæ tum de Augustino ipso, tum de ipsius discipulis ad inanem invidiam ferebantur referebanturque. Multis in locis hujus suæ epistolæ de Augustino loquitur tamquam adhuc superstite : qui cum die 28 Augusti anni 430 vita excesserit, prorsus ante finem hujus anni epistolam scriptam fuisse necesse est (*Infra, pag.* 89, 99). In ea animadvertit plerasque gentes tunc primum Christianæ gratiæ fieri cœpisse participes, quam revera circa hanc ætatem beatus Palladius Hibernis intulit (*Noris. Hist. Pelag. l.* 1 *c.* 3).

Adhuc vixisse videtur Augustinus cum a Prospero in Carmine adversus Ingratos tam magnificis extollebatur laudibus (*Infra, pag.* 126, *v.* 90 *et seq.; Merc. tom.* I *pag.* 101) :

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum vero de lumine : nam cibus illi
Et vita et requies Deus est; omnisque voluptas.
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi?
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, et in sancto regnat Sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes :
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus : istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Fidelium fratrum suorum charitate ductus Opus suscepit tam arduum, quo pias mentes studio veritatis accenderet, gliscentes malignis hostium artibus errores ab iis depelleret, gratiamque meritorum nostrorum artificem non opus esse luculenter ac jucunde edoceret : quod ipse sic exprimit in capite totius poematis (*Infra, pag.* 115, *v.* 1 *et seq.*) :

Congenitæ in Christo gentis mihi castus ab alto
Insinuatus amor proprias excedere vires
Me jubet, atque pias accendere carmine mentes.
Ne post confectum celebris victoria bellum
Securos animos incauta pace resolvat.
Ceu metus eliso jam nullus ab hoste supersit,
Nec caput attriti virosum palpitet anguis.

Carmen illud suum inscripsit *de Ingratis*. Nemo enim gravius ingrati animi vitio laborat quam qui ea in seipso liberique arbitrii viribus posita putat, quæ maxima misericordiæ ac omnipotentiæ Salvatoris dona sunt ac beneficia. « Hoc porro poema omnium splendidius prolixiusque quæ Prosper edidit, nullumque aliud in quo ejus ingenii vis et acumen elu- C ceat magis. Nobile Opus, magnis sententiis, magnis sensibus, magnificis denique verbis et locutionibus coalescens : quamvis ejusmodi materiam tractet, quæ liberos illos ac vehementes, quales poesis postulat, motus vix admittat (*Antel. Diss. Op. Leon. p.* 417). » Carmen illud vernacule reddidit tum stricta, tum soluta oratione vir ævo superiori eximiæ pietatis laude insignis. Ejusdem quoque ab eruditissimo novæ Ecclesiasticorum Scriptorum Bibliothecæ auctore fusa et copiosa confecta est analysis (*Dupin. tom.* IV *p.* 443 *et seq.*).

Accusati a Prospero Semipelagiani, quod detegere sua sensa reformidarent, videntur illam criminationem repellere voluisse. Ex iis unus sub alieno nomine aut scripsit, aut scribere se velle professus est. Hunc Prosper duplici epigrammate prævertit D (*Infra, p.* 191), in quo Augustinum adhuc in vivis fuisse videtur velut rem indubitatam supponere. Hæc Prospero tribuenda in dubium revocare videtur Garnerius (*Merc. tom.* II, *adm. in collect. excerp. Nestor.*) : cujus suæ suspicionis momentum ullum non protulit, nec forte facile reperisset, cum a Beda unum ex his sub nomine Prosperi rhetoris citatum legatur; illud nempe quod ab his verbis incipit : *Contra Augustinum*, etc. Utroque loco Vincentium Lirinensem designari quidam suspicantur, quem ementito nomine Commonitorium suum contra Augustinum edidisse anno 434 criminantur. Non alius erat magis idoneus qui Augustinum scriptis provocaret, quam Cassianus, quem duobus Epigrammatis peti alii au.

Digitized by Google

tumant. At idem nihil videtur in sanctum Doctorem palam edidisse. Quæ vero collatio ejus est numero tertio decima, eam anno 426 et scripsit, et sub proprio nomine edidit, licet prava quæ in eadem habentur dogmata, ex alterius persona proponat (*Infra*, 310). Neminem præter hunc ad annum usque 433 scriptis sensa sua mandare ausum esse apparet. Itaque aut scriptor ille, de quo Prosper, aliquot saltem annos siluit, admonenti Prospero morem gerens; aut si quis promissum et jactatum a Semipelagianis Opus idem atque tertiam decimam collationem esse contenderit, is epigrammata duo de quibus hic sermo est ad annum 426 revocet, ac Prosperum Semipelagianis jam tum indixisse bellum concedat necesse est.

« Gratiæ adversarios non compescuere Prosperi carmina. Hæretici enim, ut hac ipsa de re agens ait Baronius (*Ad an.* 431), confutari possunt, quia leves sunt et infirmi; victos se a veritate fateri non possunt, quia probantur pervicaces. » Qui tamen præsules Augustini doctrina aliquantum commoti ac perturbati fuerant, in quibus Hilarius Arelatensis præsul, ii aut veritatem tandem aliquando agnoverant, aut certe taciti quietique exspectabant dum eam sibi aperire ac detegere dignaretur Deus (*Mauguin. tom.* II, *p.* 475). Pauci quidam presbyteri Ecclesiarum dissensioni studentes, doctrinam beati Augustini carpere non desinebant (*Infra, pag.* 260, 261), objiciebantque quod peccatores non solum ad judicium peccatis debitum, sed etiam ad peccatum ipsum diceret prædestinatos : Prosperum quoque et Hilarium criminabantur prædicare adversantia veritati (*Fulg. ad Mon. l.* 1, *c.* 30). Horum quæ in beati Augustini libris damnabilia se reperisse jactabant indiculum confecerunt, et ea distribuerunt in quindecim capitula, quæ damnationis, seu, ut in aliis codd. rationis titulo prænotarunt : in quibus longe alium sancto doctori sensum affingebant ab eo qui in ejus scriptis inerat (*Infra, pag.* 260, 203). Ac illud quidem anno 431 fieri potuit. Tunc enim e vita vir sanctus migraverat, quem Prosper in præfatione responsionis ad Capitula Gallorum *sanctæ memoriæ* episcopum nuncupat (*Infra, pag.* 203). Illi tamen in defendenda gratiæ doctrina successor surrexerat sanctus Prosper (*Fulg. p.* 25) : unde fit ut una cum eo et beato Hieronymo iis annumeretur quos Deus constituerat a quibus quid de hoc argumento esset credendum alii omnes edocerentur (*Cassiod. in Ps.* L, *pag.* 171, 2). Et sane lubens noster et copiosum sermonem et fidem integerrimam exseruit in defendendis magistri sui vocibus et sententiis. Scriptum ergo in lucem edidit, in quo singulis Gallorum rationibus aut Capitulis respondit (*Infra, pag.* 204), et ex Augustino ipso, quinam verus ac sincerus illius esset sensus ostendit. *Ne*, inquiebat ibi, *hanc persuasionem temere quis recipiat, et talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum qui frustra calumniantur ostentant; singulis capitulis quæ damnationis* (alias rationis) *titulo prænotarunt brevi et absoluta professione respondeo; in nullo recedens a tramite earum definitionum quæ in sancti viri disputationibus continentur.* Et eæ sunt Responsiones ad Capitula Objectionum Gallorum calumniantium. Harum postremæ duæ laudantur a Fulgentio (*Pag.* 25), qui Gallorum objectiones librum Augustini de Prædestinatione Sanctorum potissimum spectare animadvertit. « Non autem ignoras (Monimum affatur) etiam præterito tempore illi luculentissimo sancti Augustini Operi, quod scripsit de Prædestinatione Sanctorum, a quibusdam Gallis objectum, quod beatus Augustinus in assertione prædestinationis divinæ, peccatores, non ad solum prædestinatos diceret judicium, sed etiam ad peccatum : cujus dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, *Prosper vir eruditus et sanctus* recta defendit fide et copioso sermone. » Hæc S. Fulgentius initio capitis 30 libri primi ad Monimum.

## ARTICULUS VI.

*Respondet S. Prosper Vincentio et presbyteris Genuensibus.*

Non æquiores in discipulum adversarii fuere quam in magistrum. *Quidam enim Christianæ ac fraternæ charitatis obliti* (*Infra, pag.* 227, *in Præf.*), *in tantum existimationem ejus quoquomodo studebant lædere, ut suam se evertere nocendi cupiditate non viderent. Contexebant enim, et qualibus poterant sententiis comprehendebant ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda et ingerenda multis publice privatimque circumferebant, asserentes talia in Prosperi sensu esse, qualia diabolico* (ut loquitur) *indiculo continebantur. Quæ* sanctus noster *falso in se ad excitandam invidiam jactitari, facile et sufficienter subscriptione unius anathematis probasset. Sed ne malignitas eorum qui se gravari putabant si de illo bene sentiretur, ipsam subscriptionis brevitatem suspectam esset habitura, necessarium conveniensque credidit, ut sive ad calumniantium animos mitigandos, sive ad eos quorum auribus tale aliquid insonuisset instruendos, quantum adjuvante Domino fieri potuit, plene lucideque panderet quid de perversis definitionibus judicaret. Propositis igitur sigillatim sedecim capitulis, sub unoquoque eorum sensus sui, et fidei, quam contra Pelagianos ex Apostolicæ sedis auctoritate defendebat, verba ponere maluit : ut qui paululum se ad legenda hæc dignarentur occupare, evidenter agnoscerent impiarum profanarumque opinionum nullum cordi suo inhæsisse vestigium, et blasphemias quas sua perspexissent professione damnari, in earumdem repertoribus censerent debere puniri.* Hæc ex ipso ad longum hic descripsisse proderit, ut quo zelo noster prava dogmata respueret et recta tueretur lectoribus fiat manifestum. Quo tempore id Operis confectum fuerit non liquet omnino.

Hujus libri titulus est, *Pro Augustini doctrina Responsiones ad Capitula Objectionum Vincentianarum* (*Infra, p.* 229). Quo ex titulo apparet a Vincentio quodam contextum fuisse perversum hunc et diabolicum, ut ipse Prosper eum vocare non dubitat, indiculum. Erat tunc temporis in Lirinensi monasterio

Digitized by Google

Vincentius ille, edito adversus hæreses omnes Commonitorio perquam celebris. Vossius qui eum Augustinianæ doctrinæ infensum contendit (*De Hist. Pelag. l.* I, *c.* 9), ea fretus ratione qua probari quoque posset eum Cœlestini epistola scientem et volentem abusum fuisse, censet illas calumnias adversus Prosperum ab eodem esse conflictas. Qua in re Vossio astipulantur eminentissimus Henricus Norisius S. R. E. cardinalis (*L.* II *Hist. Pel. c.* 11), aliique qui hunc Vincentium Semipelagianorum dogmata sectatum esse existimant (*Ant. Diss. Op. Leon. p.* 419).

Qui vero de ejus doctrina melius sentiunt, sive ii Augustinum in iis quæ de gratia sunt sequantur ducem, sive ab ejus mente aliqua ex parte recedant; omnes in eo consentiunt, ut alium perquirant Vincentium, cui has objectiones tribuendas velint. Censet Baronius (*An.* 431), quem et alii sequuntur (*Miræus, de Script. pag.* 66; *Maug. Vind. t.* II, *p.* 448; *Labb. de Script. t.* II, *p.* 252), eas esse posse cujusdam Vincentii, quem et sacerdotem et Gallum, ut illum Lirinensem, a se visum fuisse testatur Gennadius (*De Script. Eccl. c.* 80). Nec quidquam vetare credimus eum esse Vincentium presbyterum, qui nomine Constantii seu Constantiani Deensis, ut probabile est, episcopi, anno 439, Regiensi synodo interfuit. Etsi enim Gelasio papæ, qui anno 496 obiit, superstes fuit Gennadius, non idcirco tamen eum, qui anno 430 scribebat, videre non potuit. Ut est non parcus eorum laudator qui, quemadmodum ipse, in Augustinum minus bene erant animati; hunc Vincentium ait in divinis Scripturis exercitatum, linguam habentem usu loquendi et majorum lectione politam : commentatum addit in Psalmos; cujus operis legerit aliqua sancto homini Dei Cannati, ipso audiente, promittens simul, si Dominus vitam et vires daret, se in toto psalterio eodem studio laboraturum; Massiliæ quidem et in aliis provinciæ Ecclesiis die Octobris 15 colitur sanctus Cannatus : at is episcopus Massiliensis dicitur, et a Guesnæo ponitur anno 621; a doctissimis Sammarthanis anno 480 assignatur. Nihil in eum Guesnæus citat, præter vitam rudi stylo conscriptam tempore comitum provinciæ, in qua narratur fuisse filius regis Aquisextiensis, qui Sereno successit, et Iconoclastarum æqualis fuit. Porro constat Serenum fuisse S. Gregorio Magno supparem, ut probant variæ ejusdem S. papæ epistolæ ad Serenum datæ, videlicet lib. v epist. 52, lib. VII epist. 110, lib. IX epist. 9, et ejusd. libri epist. 52.

Quæ Gallos presbyteros conturbabant, iisdem etiam Genuenses movebantur (*Infra, p.* 241). At hi prudentiores moderatioresque se præstiterunt. Ex his enim duo Camillus et Theodorus, cum eos in libris beati Augustini de Prædestinatione Sanctorum et de Dono Perseverantiæ quædam insolita aut minus clara movissent, ea ad beatum Prosperum de contextu disputationis excerpta miserunt, ut quo intellectu, quove judicio illa accepisset noscerent. Precibus illorum, vel, ut ipse præ modestia loquitur,

A mandatis ipsorum obsequium suum non subtraxit : non quasi plus in se quam in illis ad hæc introspicienda esset ingenii, ac non magis in hoc examine facultatis suæ debuissent ipsi exercere mensuram, et si aliqua eos morabatur obscuritas, decurrere ad Patrem luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum, et a quo datur Spiritus sapientiæ et intellectus; sed adjuvante Domino qui sapientiam præstat parvulis, de Capitulis istis quid cum sanctis et eruditis fratribus sentiret, breviter indicare aggreditur : petens tamen ne ubi simplicitas esset obedientiæ, præsumptionem putarent esse doctrinæ. Hæc quæ post Augustini mortem contigere.

## ARTICULUS VII.

B *Sanctus Prosper Romam cum Hilario proficiscitur. Cœlestinus pontifex utrumque scriptis defendit. De Venerio Massiliensi episcopo.*

Non destitere Semipelagiani Prosperum et Hilarium, ipsumque adeo Augustinum erroris insimulare. Ad hæc ea tantummodo sequi et probare se professi sunt, *quæ sacratissima beati apostoli Petri sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxerat et docuerat.* Recurrerunt igitur ad apostolicam sedem Prosper et Hilarius, et Romam profecti querelas suas ad pontificem Cœlestinum detulere. Hic eorum circa Deum sollicitudinem laudavit; et quamvis ipsi sibi felices viderentur quos persecutionem propter justitiam sustinentes beatitudo promissa manebat; harum tamen religiosarum animarum, C quas hæc pati nefas erat, afflictione, quia membra sua erant, pius pontifex macerabatur. Hac mente animatus celebrem ad Galliarum episcopos dedit epistolam, qua et præclarum judicii sui de Prospero ac Hilario testimonium impertiit, et Augustini famam tuitus est his verbis : *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus : nec umquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt; utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori.* Itaque jubet episcopos imponere silentium improbis obtrectatoribus. *Ergo*, ait, *corripiantur hujusmodi : non sit his liberum* D *habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare.* Arguit insuper iisque imputat quod ipsis tacentibus presbyteri illi supra episcopos haberent copiam disputandi. Licet episcopos, non presbyteros notum sit a Deo positos ad docendum, nec in talibus suspicione careat taciturnitas : *quia occurreret veritas, si falsitas displiceret.* Subditque super his multa a se jam dicta eo tempore quo ad fratris, id est, episcopi Tuentii, dederat scripta responsum : quibus verbis et sequentibus suadetur in ea ad Tuentium epistola potius actum fuisse de quæstionibus quæ gratiam Christi spectarent, quam contra illos qui viros laicos in episcopos cito citius

Digitized by Google

sublimarent, qua de re etiam hic conqueritur Cœlestinus. Verum de illa Cœlestini ad Tuentium epistola nihil aliunde nobis innotescit.

Hæc vero qua episcopos hortatur Cœlestinus, ut Augustini doctrinæ ac famæ detrahentibus obsisterent, mortuo demum sancto Doctore scripta patet ex his verbis supra relatis, *Augustinum sanctæ recordationis virum :* et paulo supra, *Nec tamen mirari possumus si hæc erga viventes hi nunc audent tentare, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare* (*Pag.* 262). Ergo anno 431, vel 432 ineunte, quo etiam Cœlestinus e vita migravit. Fuit hæc apud antiquos notissima; jamque ab anno 433 aut 434 non a Prospero solum libro contra Collatorem capite alias 42, nunc 21, citata. *Per hunc virum* (ait hic loci Prosper) *intra Gallias istis ipsis qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt maleloquentiæ est adempta libertas : quando consulentium actione suscepta, et librorum qui errantibus displicebant pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate sentiri sancto manifestavit eloquio, evidenter pronuntians quantum sibi præsumptionis istius novitas displiceret, qua auderent quidam adversus antiquos magistros insolenter insurgere, et indisciplinata calumnia prædicationi veritatis obstrepere : Augustinum inquiens sanctæ recordationis virum* etc., quæ supra jam citata leguntur; nec a Prospero tantum, sed etiam a Vincentio Lirinensi laudata est. Hanc suo Canonum Codici Dionysius cognomento Exiguus inseruit. Commemorat etiam Photius Cœlestinum pro Augustino scripsisse ad episcopos, et adversus eos qui Pelagianorum hæresim instaurabant.

Cœlestini epistolam excipiunt collectæ aliquot Romanorum pontificum, Africanorumque conciliorum a Romanis præsulibus approbatorum sententiæ, sub hoc titulo : *Præteritorum sedis apostolicæ episcoporum auctoritates, de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio.* Quæ collectio ideo contexta fuit, ut Semipelagianis negantibus se alia secuturos quam quæ ab apostolica sede judicata essent contradictionis ansa tolleretur. Ea autem ab epistola Cœlestini tum stylo ipso, tum præeuntis epistolæ clausula disjuncta esse convincitur. Quo fit ut eam Cœlestino abjudicet Sirmondus, et vel Prospero, quod una cum eo alii quoque sentiunt, aut Leoni, ut P. Quesnellius, ascribere malint. Id autem sciri ut non facile potest, ita non multum interest, cujus potissimum manu exarata fuerit, cum eam jussu Cœlestini confectam et in Gallias missam facillime judicari queat. Siquidem laudatur tamquam pars ipsiusmet epistolæ a Petro Diacono et aliis ad beatum Fulgentium et aliquot alios episcopos Christi confessione decoratos tunc in Sardinia exsulantes, *His congrue,* inquiunt illi, *beatissimus Cœlestinus in epistola ad Gallos data : Cum enim, inquit, sanctarum plebium præsules,* etc., quæ totidem verbis habentur cap. 8 Collectionis de qua est sermo, alias cap. 11 epistolæ collectioni junctæ : a Cresconio quoque et variis noni sæculi scriptoribus, ac demum ab universis veteribus. A Dionysio Exiguo inserta est Codici suo inter ejusdem pontificis decreta. Itaque ea ipsa sunt Capitula ad quæ Hormisdas summus pontifex Possessorem episcopum remittit, ut ex iis quid de gratia et libero arbitrio credendum sit ediscat : cujus verba legere est in epistola apud Fulgentium 15 episcoporum Africanorum in Sardinia exsulum ad Joannem et Venerium, num. 18, pag. 275 : *De arbitrio tamen et gratia Dei quid Romana, hoc est, catholica sectetur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde cognosci possit, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa* CAPITULA *continentur.* Postremi horum capituli verba multam disputationis materiam eruditis præbuerunt, in quo agitur de profundioribus difficilioribusque partibus incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, quasque Collectionis auctor, quisquis ille sit, nec audet contemnere, nec necesse habet astruere. Nec forte valde necessarium duci debet magna contentione inquirere quid significare voluerit is qui mentem suam clare aperiendam non censuit, neque ex loco obscuro aliquid adjumenti ad rem difficilem explanandam duci licet. Unde notatu dignum, exortis nono sæculo compluribus de gratia controversiis, nullam tunc opinionem ab aliquo auctoritate hujus capitis fuisse rejectam. Neque ipsi Semipelagiani quidquam inde erroribus suis quod faveret eruere ausi esse dicuntur. Illud vero vel ex hoc ipso capite certum est, nihil hoc ad ea attinere quæ necessaria sunt ut gratiæ divinæ operi ac dignationi nihil penitus subtrahatur. Neque ea intelliguntur verbis istis quæ sive ipsa collectione, sive ipsius epistolæ corpore comprehendantur, aut quæ cum his necessario connectantur : nec etiam suspicari licet has voces aut ad initium fidei, aut ad prædestinationem sanctorum referendas, qua de re Semipelagianos inter et Prosperum certamen erat institutum : cum pontificem Cœlestinum constet huic favere, illos reprobare. De quo si quid dubitationis superesset, id omne prorsus tolleretur a pontifice Hormisda declarante loco ante pauca citato (*Conc. tom.* IV, *p.* 1532), Ecclesiam Romanam ab iis potissimum libris quos de prædestinatione sanctorum ad Prosperum et Hilarium scripsit Augustinus suam de gratia doctrinam petere. Quæ omnia tum fusius, tum accuratius a P. Quesnellio disputata legi possunt in una ejus de S. Leone diatriba; neque indiligenter eadem tractata sunt a Lud. Ellies Dupin, doctore Sorbonico meritis et scriptis notissimo (*Dupin. tom.* IV, *p.* 90, 91).

Cœlestini epistola (*Inter epp. Cœl. nostro tom.* L) universe quidem ad Galliæ episcopos data est, nominatim tamen ad Venerium, Marinum, Leontium, Auxonium, Arcadium, et Philtanium, seu Sillucium : de quibus pauca hic notari non ingratum forte lectori videbitur (*Infra, p.* 271).

Erat vero Venerius ille non quidem, ut quibusdam placuit (*Dupin. t.* IV, *pag.* 78), Mediolanensis episcopus : cum tunc temporis episcopus Mediolanensis Galliarum episcopis non accenseretur, et in cathedra

Digitized by Google

Mediolanensi sederet anno 431 Martinianus, qui Ma- A rolio Venerii alterius decessori successor fuerat subrogatus; sed, ut verisimilius apparet, Massiliensi Ecclesiæ præerat Venerius, de quo Gennadius in Catalogo virorum illustrium capite 79. Etenim Massiliæ potissimum Semipelagiani, duce Cassiano, vigebant. Ex inscriptione quadam habemus illum in monasterio versatum esse una cum Rustico, qui anno 430 ad Narbonensem episcopatum assumptus fuit, ambosque simul presbyteros Massiliæ ministrasse. Proculio illi celebratissimo successisse creditur, qui anno adhuc 418 vivebat. De Paulo enim eo qui medius inter utrumque à Guesnæo mira de eo prædicante recensetur, ne verbum quidem exstat apud Pseudo-Dextrum. Quapropter à Sammarthanis prætermittitur. Cœlestinus certe in epistola sua, VIII B kal. Augusti anno 428 data, Viennensis ac Narbonensis provinciæ præsulibus permittit causam Massiliensis episcopi, qui fratris sui nece usque eo lætatus fuisse arguebatur, ut interfectori ab ejus cæde redeunti obviam prodiisset. Quid id rei sit nobis non liquet. Necatus quidem fuit Patroclus Arelatensis, at anno 426.

Venerius inter Galliarum episcopos qui ad beatum Leonem anno 451 scripserunt ordine tertius appellatur: quibus kalend. Februarii anno 452, Leo rescripsit. Narrat Gennadius in Catalago cap. 79, de Musæo, Massiliensis Ecclesiæ presbytero, viro in divinis Scripturis docto, et in earum sensibus subtilissima exercitatione limato, lingua quoque scholastico, quod hortatu sancti Venerii episcopi exscripsit ex C sanctis Scripturis lectiones totius anni festivis aptas diebus, responsoria, etiam psalmorum capitula tempori et lectionibus congruentia. Quod opus (subdit ille) tam necessarium à lectoribus in Ecclesia probatur, ut expetitum et sollicitudinem tollat et moram, plebique ingerat scientiam, celebritatem, et decorem. Quo opere videtur originem dedisse Ecclesiastico precum cursui, cui postea Breviarii nomen est inditum. Venerium excepit Eustachius.

Marinus qui proxime post Venerium à Cœlestino appellatur, is fortasse est ad quem anno 419 scripserat Bonifacius. Quænam vero fuerit ejus sedes non indicatur. Inde judicare licet Venerium, qui huic præponitur, anno saltem 419 episcopatu fuisse insignitum. D

Leontius ille profecto est celebris Forojuliensium episcopus, qui anno demum 432 obiit.

Commemorant Sammarthani (*Gal. Chr. tom.* III, *p.* 786) Auxentium Niciensem. At illum sancto Valeriano qui anno 455 superstes adhuc erat posteriorem.

Narrant iidem Auxonium Vivariensem, qui sedem episcopalem ex urbe Alba a Croco Vandalo, ut aiunt, devastata Vivariam transtulit. Crocus quidem per Gallias grassabatur imperante Gallieno, ut habet Gregorius Turonensis. At de Vandalis in Gallia ante annum 407 nondum fieri mentio cœperat.

Arcadius quidem Venciensis Episcopus fuisse creditur, Filtanius vero Aptensis: quippe qui sanctum Castorem exceperit ante annum 426.

## ARTICULUS VIII.

*Sanctus Prosper scribit adversus Cassianum.*

Redux in Gallias S. Prosper, epistola Cœlestini pontificis, ut credere promptum est, munitus, magna spe animabatur fore ut turbas omnes pondus auctoritatis tantæ comprimeret. Verum hac in occasione expertus est quam id verum esset quod ipse tanta mentis constantia tuebatur, nisi gratia ipsa intus in animis operetur, vanum et irritum esse quidquid præsidii ac luminis aliunde advenerit. Cum ergo Augustini doctrinam ac fidem verbis generalibus tantum laudasset probassetque Cœlestinus, et *librorum pro quibus in epistola papæ actum est non expressus esset titulus*, nec speciatim libris ab eo novissime scriptis speciale discretumve perhibuisset testimonium; *audebant quidam inferre quod hinc eos appareat non probatos, et istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam.* Sed *præterquam quod talis cavillatio superflua* erat nulloque nixa fundamento; satis babuissent Augustini discipuli si Semipelagiani, qui proxime editos libros Augustini refutabant, anterioribus ejusdem adversus Pelagianos scriptis acquievissent, et iis quæ prius pro gratia Christiana fuerant scripta consensissent. In his enim eorum errores damnari facile agnitum fuisset. Sed non faciebant: *Sciebant enim*, ut recte observat S. Prosper, *omnia Pelagianis esse contraria*, seu, ut habet alia lectio, omnia Pelagiana, id est, contra Pelagianos directa, sibi esse contraria; et *nihil sibi posse competere ad consequentium resolutionem, si confiterentur in præcedentibus consistere veritatem.* Itaque sublato e vivis Cœlestino, anno Domini 432 Augustinum calumniis proscindere, gratiam ab eo male defensam clamitare, *pacemque victricis Ecclesiæ inquietare* non desierunt, resumptis hostium ejus armis, instauratisque damnatorum querelis ac maxime procacissimis Juliani conviciis.

Cum ii qui immoderatis calumniis libros Augustini contra errorem Pelagianum conditos impetere non quiescebant, essent hujusmodi, *ut nec ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda viderentur, siquidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem diffitebantur in sensu, trahebant ad se multos ineruditos et non habentia spirituum discretionem corda conturbabant; malum hoc ab occultis parvisque seminibus augebatur quotidie, et ab ortu suo latius longiusque distendebatur.* His rebus adductus fuit sanctus Prosper ut eorum conatibus iterum obsisteret, quo illatum tum Augustino, tum reliquis omnibus, ac præcipue apostolicæ sedis pontificibus, qui Augustini dogmata sua fecerant, injuriam propulsaret. Quo effectum est ut cautius diligentiusque attenderet quid sentiendum de illis doctrinæ emendatioris patronis, qui censores agebant ejus viri, quo duce viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies pugnare et vincere consueverat.

Unius potissimum definitiones, quem non dubium

Digitized by Google

erat illis omnibus in sanctarum Scripturarum studio præstare, impugnandas suscepit. Quas etiam ob hoc solum in disceptationem assumi oportere credidit, quia utrum ita se haberent non poterat dubitari. Scriptæ enim erant, et auctoris sui editione publicatæ : nec jam, an essent quærendum erat, sed quid docerent ipsi incumbebat demonstrandum. Illius quidem nomen non exprimit ; at dubitat nemo, quin Cassianum fama notissimum, tunc temporis adhuc superstitem significet. Librum ergo edidit, in quo ipsamet Collationis tertiæ decimæ viri hujus, cujus prænotatio est *de Protectione Dei*, verba referens, errores omnes quibus illa scatet refellit, ostenditque quantum ab Ecclesiæ dogmatis discreparet, et quam ipsum sibi non constaret hujusmodi Opusculum.

De hoc Prosperi nostri Opere pro ingenio suo sic loquitur Gennadius in Catalogo, cap. 84, qui est de Prospero: « Legi et librum adversus opuscula, suppresso nomine Cassiani : quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva. Re vera enim Cassiani et Prosperi de gratia Dei et libero arbitrio sententiæ in aliquibus sibi inveniuntur contrariæ. » Sed frustra est quæ priori allati loci parte de Ecclesiæ sensu profert Gennadius, quem hac in parte Ecclesia ipsa non obscure improbavit. Etenim Concilium Romanum, Gelasio pontifice, ut quidem creditur, anno 494 habitum, Prosperi scripta probat, Cassiani vero reprobat (*Conc. t.* IV *p.* 1263, 1265). Cassiodorus quoque (*Inst. c.* 29, *p.* 245), minime parcus licet Cassiani laudator, dum ad ejus lectionem monachos alumnos suos cohortatur, eosdem tamen admonitos vult illum caute admodum legendum in his quæ habet de libero arbitrio, de quo fuerat a beato Prospero merito redargutus. Idem laudibus ornat episcopum quemdam qui Cassiani libros emendaverat, ipse quoque novis curis simili labore perfunctus fuisse narratur (*Ado in Chr. t.* VII, *p.* 356). De hoc vero quod ait Gennadius, suggillans plane Prosperum quod adversus Cassianum scripserit, cujus Opera falso jactat ab Ecclesia catholica esse probata : Quænam ista est, inquit Baronius (*An.* 466) locum Gennadii confutans, Ecclesia Dei, quæ ut catholica probat Cassiani Opuscula ? Certe non dicenda catholica, sed Pelagianorum Ecclesia. Non æquo animo fert Labbeus si quis societatis suæ scholam Cassiano adversus Prosperum favere dixerit (*Scr. Eccl. t.*II,*pag.* 254). In congregationibus de auxiliis hoc inter utrimque contendentes sine ulla controversia convenit, ab Ecclesia rejici ac reprobari Cassiani opiniones. Ad damnandum eum conditi sunt non pauci Arausicanæ synodi canones.

Concludit Prosper his verbis memoratu quam maxime dignis (*Infra, pag.* 369 *et seq.*) : *Sufficienter, ut arbitror, demonstratum est, reprehensores sancti Augustini et vana objicere, et recta impugnare, et prava defendere ; peremptorumque armis intestinum bellum moventes, dictis divinis atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen, dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio quam desperanda correctio, ut donec Dominus per Ecclesiæ principes, et legitimos judiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam et quorumdam imperitiam sunt turbata componat, nobis Deo adjuvante sit studium quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere, et ineptorum vitare conflictus, veritatem non deserere, nec cum falsitate certare ; semperque a Deo petere ut in omnibus cogitationibus, in omnibus voluntatibus, in omnibus sermonibus atque actionibus nostris ipse teneat principatum, qui dixit se esse principium.*

## ARTICULUS IX.

*De aliis S. Prosperi Operibus, deque ejusdem Chronico.*

Quid rerum egerit Prosper ab anno 432, quo in Cassianum scripsit, ad pontificatum usque S. Leonis, qui anno 440 inchoatus est, nusquam occurrit. Hoc fortasse temporis intervallo nonnulla quæ etiamnum exstant scripta composuit. Utraque hæresis Nestorii et Pelagii ab Ephesina synodo anno 431 proscripta fuerat, cum epigramma quoddam scripsit Prosper, quod utriusque hæreseos epitaphium appellavit. Nempe in hoc utraque consentiebat, quod altera affirmaret Christum labore ac operibus suis divinitatem consecutum fuisse, altera de justitia fidelium idem prædicaret. Quare aiebat Prosper Nestorianam hæresim, quæ gratiam in capite destruebat, Pelagianæ genitricem, quæ eamdem gratiam in membris ejus evertebat : etsi alio sensu filia dici deberet, utpote quæ damnatis demum Pelagianis prodiisset. Hoc idem epitaphium a Prospero nostro utriusque hæresis tumulo appensum negarat Jo. Garnerius in cap. 7 dissert. 7 ad Marii Mercatoris Opera ; simile quiddam ænigmati proferri contendens, cum dicitur alteram hæresim alterius fuisse matrem simul et filiam : quæ ingeniose quidem dicta fatetur, sed vere fuisse negat ; hincque probare nititur quod a tertio sæculo per deliria Samosateni Nestoriano errori præludi cœperit : subjicitque dandam eo faciliorem veniam Poetæ nostro, quod ipse quoque Cassianus in eodem peccaverit, et suam in sententiam traxerit Leonem Magnum aliosque postmodum plures eorum auctoritatem secutos. Quibus non obstantibus tale Opusculum Prospero asserit Antelmius dissert. 9 in Opera SS. Leonis et Prosperi ; tum propter auctoritatem Cassiani et Leonis Magni, quibus si hoc licuit serio disserentibus, multo indulgentius Poetæ condonandum, non tam ad historiæ normam loquenti, quam consepultis erroribus laxatis habenis inflatisque, ut aiunt, tibiis illudenti. Maxime cum hæc utriusque hæreseos comparatio non semel ab eo usurpata deprehendatur : sed et in Chronico ipso narret quod apud Ephesum Nestorius cum hæresi nominis sui, et cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo juvabant dogma, fuerit damnatus : et hanc ipsam utriusque erroris contesserationem Cassiano exprobret libri adversus eum scripti cap. 21. *Per hunc virum* (Cœlestinum) *etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antistiti ad exsecrandam Nestorianam impietatem, apo-*

Digitized by Google

*stolico auxiliatus est gladio, quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur.*

Scripsit præter hæc sex supra centum epigrammata, quæ effata et sententias totidem ex Augustino, ut præfert titulus, deprompias exhibent (*Infra, pag.* 615 *et seq.*). Has primum prosa oratione, deinde versibus exprimit. Cum in toto opusculi hujus decursu Prosperi ingenium facile agnoscitur, tum in eo potissimum quod ex Augustini dictis collectum sit (*Antel. Diss. in Op. Leon. p.* 417, 418). Ad illud elaborandum ideo accessit, ut mentem sacris loquelis exerceret, cœlestique animum pane pasceret (*Infra, pag.* 615, *in Præf.*):

> Nec nostræ hoc opis est (*inquit*) sed ab illo sumitur hic ros,
> Qui siccam rupem fundere jussit aquas.
> Ut quod in affectum cordis pietate magistra
> Venerit, hoc promat Carmine læta fides.

Quibus verbis prælndii instar toti Operi appositis, qua mente susceptum a se fuerit Opus indicat, et quidquid recti in eo fuerit, quidquid aliqua laude dignum reperiatur, totum illud ad supernum fontem unde effluxerat refluere velle se protestatur.

Videtur quodam in loco (*Infra, pag.* 651 *et seq.*), id est, epigrammatis 65 et 66, Eutychianos impugnare, negantes Christi carnem ejusdem cum nostra esse substantiæ. Unde hoc Operis sub Chalcedonensis concilii, anno 451 habiti, tempora compositum fuisse non immerito quis colligat, cum Prosperi vitam etiam ulterius produci oporteat, ut postea videbimus.

Aliam insuper edidit Collectionem sententiarum 392, alias 388, ex Augustini Operibus, tum iis quæ etiamnum exstant, tum iis quæ interciderunt. Illius nonnumquam mentem exprimit potius quam voces refert. Liber ille existimatur esse instar compendii cujusdam theologici, quod in proprium usum Prosper contexuerat, ut præcipua Augustinianæ doctrinæ capita sibi notiora et magis familiaria redderet. Aliquot ex hoc libro sententiæ inter Arausicani secundi concilii canones relatæ sunt, et permultæ sub Prosperi nomine citantur a Floro.

Ejus expositio in postremos unum et quinquaginta psalmos pariter ex Augustino tota ferme excerpta est. Videtur Psalterium integrum simili ratione explanasse, siquidem prætermisso psalmo CVII, remittit ad ea quæ de LVI et LIX dixerat. Ad psalmum CXLIV disertis verbis negat duplicem esse in Christo personam: qua de re cum nihil hoc loco dicat Augustinus, manifestum est Nestorii hæresim hic a Prospero refelli: quo fundamento id Operis anno citius 434 assignandum putamus. In hoc libro deprehenditur nervosum illud concisumque dicendi genus, quæ propria est Prosperi nota. Ibidem quoque facile animadvertas sanctum virum non in sola circa Christi gratiam doctrina, sed etiam in aliis omnibus capitibus magni Augustini discipulum.

Aliquantum etiam nomen suum commendavit ex Chronico, quod ab orbe condito ad sua usque tempora jucunda quadam brevitate deduxit. Eusebii quidem ad annum usque 326, Hieronymi vero ad 378, Chronica secutus. In eo consules enumerat ab utroque Gemino annoque Tiberii 15, qui est æræ communis 29. Exstabat solum postrema pars hujus Chronici, ea scilicet quam ab anno 378 deductam Hieronymiano Prosper addiderat; anno vero 1657, integrum et absolutum editum est a Philippo Labbeo in primo novæ suæ Bibliothecæ mss. tomo.

Ad conficiendum Chronicon suum Prosper videtur ter accessisse, illiusque tres, ut ita dicamus, editiones adornasse, annis videlicet 433, 445 et 455. Quod ex eo conjicitur, quia in pluribus libris ibidem legitur chronologiæ totius compendium.

Alterum quidem legitur Chronicon, quod Prospero nonnulli ascribunt. His autem id unum concedi potest, Chronicon illud esse quidem Prosperi nostri, sed ab altero corruptum et depravatum, qui et in historia rudis fuerit et peregrinus, et tam invidus Augustini laudum obtrectator, quam Prosper studiosus illius cultor fuit. Is sub nomine Tironis Prosperi, quo primum appellatus est, licet immerito, a nonnullis interdum citatur.

Refert Gennadius in Catalogo cap. 87 conditum a Prospero fuisse Cyclum Paschalem, post Theophilum quidem, Eusebium, et Hippolytum, sed ante Victorium, hoc est inter annos 380 et 457. Si ille 84 annorum cyclus sit anno 382 conditus, ut Bucherio videtur, nullatenus ab Aquitano Prospero, qui anno 453 adhuc scribebat, editus fuit. Sin minus, satis probabile fuerit Prosperum, quem alia nulla ratione designat Gennadius, illum ipsum esse quem quarto ante capite appellarat: præsertim cum eum hujusmodi computationibus operam dedisse indicio sit ejus Chronicon, in quo non semel cyclum illum 84 annorum commemorat. Neque vero aliunde multum notus est ille cyclus: quo tamen Ecclesia Romana Leonis Magni ætate usa videtur. Bucherius, licet incertus, ita tamen argumenta deducit, quasi cyclum illum Prosperi esse abunde perspectum haberet.

## ARTICULUS X.

*Sanctus Prosper scribit adversus Eutychianos pro S. Leone. Ejus mors. Non fuit episcopus.*

Sanctus Leo dum in Galliis versaretur anno 440, in summum pontificem assumptus, inde fortasse Prosperum nostrum una secum abduxit, cujus consiliis uteretur et calamo, interrogantibus consulentibusque Ecclesiis responsa daturus: quemadmodum Damasus Hieronymum ad idem munus adhibuerat. Ait enim Gennadius, Prospero alioqui non satis æquus, « epistolæ quoque papæ Leonis adversum Eutychen de vera Christi Incarnatione ad diversos datæ ab ipso dictatæ creduntur. » Quod etiam a Marcellino ad annum 469 exscribitur. Id autem potissimum de celebri illa ad Flavianum epistola solet intelligi: estque extra dubium omne positum, refragantibus licet Bellarmino et aliis quibusdam. Potuit autem Prosper illarum litterarum argumenta

Digitized by Google

et quasi materiam suppeditasse, quam recognitam A Leo stylo suo et oratione vestierit, venustiore quidem illa et ornatiore quam Prosperi : quamquam hic in id quoque fortasse incubuerit, ut ad pontificis cui operam suam præstabat stylum ac scribendi genus conformaret suum. Hac de causa ab Adone (*An.* 458) aliisque sequioris ævi scriptoribus dicitur fuisse *Leonis Magni notarius*, seu amanuensis. Fieri enim potest ut illi in scribendis tum epistolis, tum etiam concionibus famulatus sit. Certe in libro ante 900 annos manu exarato Prosperi nomen præ se fert sermo quartus in die anniversario assumptionis Leonis ad pontificatum, et fortasse alii. Inde existimare licet eum magnam partem sustinuisse eorum quæ gessit in Pelagianos Magnus Leo : videturque Ado pariter illi tribuere quæ a Leone fuerant tum B in Eutychianos, tum in Pelagianos scripta; neque huic contradicit cardinalis Norisius (*Hist. Pelag. l.* II, *c.* 13). Illud vero in historia non omissum, quod cum Romæ nonnulli Pelagianam hæresim denuo suscitare conarentur, suamque ea de re mentem ausi essent patefacere: Prosper statim libellos obtulerit tum Leoni adhuc superstiti, tum imperatoris ministris, perfeceritque ut illorum hominum conatus inanes irritique ceciderint.

Ex iis quæ de Prosperi Chronico diximus, liquet eum adhuc vixisse anno 455. Labbeus insequente anno mortuum propterea putat; quod scribens anno 457, Victorius *virum sanctum ac venerabilem* eum appellet, qua ex re profecto illud elici nequit. Accedit quod Marcellinus anno 463 de Prospero tam- C quam adhuc superstite mentionem faciat. Illum in id usque tempus vixisse non inficias eunt Norisius (*Hist. Pelag. l.* II, *c.* 14) et Bucherius (*Cycl. pag.* 144), qui multa scripsit in Victorium.

Hucusque nihil est a nobis observatum, neque ab ullo veterum quidquam accepimus, unde appareat Prosperum fuisse gradu ac ordine laicis aut monachis superiorem. Volunt tamen recentiores propemodum omnes eum fuisse episcopum sive Reiensem in Provincia, sive Regiensem in Longobardia. Quibus si opponas a veterum nullo ei datam episcopi appellationem; reponunt id inde accidisse quod veteribus ille nonnisi ex libris suis ante episcopatum scriptis, adeoque episcopi titulum non præferentibus, fuerit cognitus. At profecto hæc ratio nullius est D roboris, sive Gelasium spectes, sive Gennadium, aut Fulgentium, aut etiam Cassiodorum. Hi omnes viri doctrina insignes, Prosperoque ætate proximi ignorare non potuerunt an vir tanti nominis fuisset necne episcopus. Quod ad Victorium attinet, is quidem ea de re silere fortasse diceretur, quod Prosper nonnisi post annum 457 ad episcopalem dignitatem evectus fuerit.

Illud profecto falsæ isti de Prosperi episcopatu opinioni ortum dedit, quod alter fuerit ejusdem nominis episcopus Regiensis in Longobardia : quod quidem videtur in dubium revocari vix posse. Siquidem eum Regiensis Ecclesia patronum veneratur, sacrumque ejus corpus asservat in percelebri abbatia a comitissa Mathilde instituta : quo tamen ex alia ejusdem urbis basilica ab ipsomet in honorem S. Apollinaris exstructa allatum jam inde a regis Luitprandi temporibus narratur. Hujus epitaphium a Vossio (*Hist. Pelag. l.* I, *c.* 18) refertur, quod ideo compositum fuerat, ut novo inscriberetur tumulo qui propterea constitutus fuerat, quod veterem turris cujusdam ruina comminuisset. At illud epitaphium in æde Carmelitarum conspici idem affirmat. Habetur apud Surium (25 *Jun.*) Vita S. Prosperi Regiensis a Flaminio proprii ingenii libidine merisque conjecturis ducto conscripta, ait Labbeus (*Scr. Eccl. tom.* II, *p.* 249). De ea severius etiam est Norisii judicium (*Hist. Pel. l.* II, *c.* 13). Is censet Prosperum hunc forsitan esse auctorem libri de Promissionibus et Prædictionibus : cujus rei nullum peculiare suppetit argumentum. Flaminius et Ughellus statuunt eum a S. Leone episcopum fuisse creatum, annoque 466 mortuum esse. Cujus anni nota e magno forsitan Prospero desumpta fuit : quemadmodum hujus episcopatum ab altero illo mutuati sunt. Trithemius tamen Prosperum successorem assignat Faventio, qui anno 451 in concilio Mediolanensi sedit, tamquam antistes Regiensis. Medium inter eos locat Ughellus Elpidium. Porro dies festa S. Prosperi agitur 25 Junii, qua die magni Prosperi festum celebrari putatur.

De Prospero pariter festus dies recolitur quotannis die 24 Novembris apud Canonicos regulares Gallicanæ potissimum congregationis, et in regali cœnobio S. Victoris Parisiensis, qui dies translationis esse hujus aut alterius Prosperi a nonnullis reputatur.

Qui vero eum Reiensem episcopum fuisse voluerunt, iis ita sentiendi locum præbuit Prosperi episcopi nomen, qui conciliis Carpentoractensi et Vasionensi subscripsit: quæ quidem concilia circa annum 442 habita illi finxerunt. Cum vero hodie inter eruditos conveniat, illa anno 527 aut 529 celebrata, Prosper ille qui iis subscripsit, altero longe sit posterior necesse est. Accedit quod Maximus Reiensi Ecclesiæ præerat vivente adhuc Hilario Arelatensi, hoc est ante annum 450, immo ante annum 432 aut 433, ut demonstratum a nobis est. Itaque permultum abest quin Prosper, qui anno certe 455 adhuc vivebat, fuerit ejus decessor, ut vult Baronius (*Ann.* 466). Ex S. Sidonio (*Lib.* VIII, *ep.* 25) ostenditur Faustum, qui sancto Prospero superstes fuit, Maximo successisse. Quare fieri nequit ut Prosper fuerit episcopus Reiensis.

## ARTICULUS XI.

*De quibusdam operibus sancto Prospero ascriptis.*

Nihil amplius dicendum videtur, sive de veris indubitatisque Prosperi operibus, sive de aliis quæ illi tribui posse probabilis aliqua ratio suadeat. Superest ut ea commemorentur, quæ quamvis constet ab eo scripta non esse, sub ejus tamen nomine vulgata sunt. Neque ea sunt ignobilia, immo non parvam in Ecclesia auctoritatem consecuta sunt.

Digitized by Google

Hortatur Cassiodorus (*Inst. c.* 1) ut sanctum Prosperum sedula cura legamus, qui tres libros totius auctoritatis divinæ in centum quinquaginta tribus titulis comprehendit, ad instar piscium quos Evangelica retia de hujus sæculi tempestuosa profunditate traxerunt. Dubitari nequit quin respexerit ad *librum de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, hodie in partes quinque distributum : quæ quidem divisio ab ipsomet auctore instituta fuerat, qui dum alludit ad centum quinquaginta tres pisces in Evangelio narratos, titulis totidem voluit universa Christi promissa sacris libris consignata concludere, eorumque fidem exhibitam demonstrare. Quoniam vero hæc promissa et ante legem, et sub lege data, sub gratia demum impleta sunt, ideo nonnullis visum est hoc opus appellare *Librum ante legem, sub lege et sub gratia*. Hujus ex secunda parte locum unum sub beati Prosperi nomine refert Cassiodorus (*In Ps.* XI), cujus auctoritate nescimus an adduci nos oporteat ad opus illud alicui Prospero, quisquis tandem ille sit, ascribendum. Ab hac certe opinione propius abest Ludovicus Dupin (*to.* IV *p.* 449), quam Josephus Antelmius (*Antel. Diss. in Op. Leo. p.* 363). Res minime dubia videtur eminentissimo Norisio (*Hist. Pel. l.* II, *c.* 14), qui Prosperum illum Regiensem episcopum opinatur. Illud certum, opus de quo agitur non esse Magni Prosperi, cujus elegantiam nec stylo nec ingenio ille scriptor assequitur. Hujus oratio humilis, jejuna et simplex; Prosperi loquendi genus abundans, dives viribus, et nervis valens, locuples sententiis. Satis apparet eum fuisse Africanum : unde mirum videri non debet quod inter complures hæreticorum sectas, Donatistas potissimum, immo Maximianistas appellet, quod Tychonii famosi Donatistæ meminerit, quod res quasdam non vulgares in Africa gestas referat. Ipse adhuc adolescens tunc aderat Carthagine, cum Aurelius episcopus celeberrimum Cœlestis Deæ templum in ea urbe Christo dedicavit, anno fortasse 399; et dum una cum sociis et amicis (ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat), dum curiosi singula quæque pro magnitudine inspicerent, mirum quoddam et incredibile suo testatur aspectui ingestum, hunc nempe titulum æneis grandioribusque litteris in frontispicio templi conscriptum : AURELIUS PONTIFEX DEDICAVIT. Idem Carthagine etiam versabatur eodem quo Aspar V. I. consul (*Vide append. p.* 193), hoc est, anno 431 aut 432, et rei cujusdam stupendæ, quam diligenter enarrat, testis fuit. Neque silentio præterit quemdam specie monachum, qui cum Carthaginem advenisset, quædam signa curationum operari se jactabat, adhibito oleo nescio cujus mortui osse infuso. At ubi se proditum fallacesque suas artes sensit detectas, aufugit.

Erat præfatus scriptor in Campania cum sanctus pontifex Leo Manichæos subverteret, et contereret Pelagianos; nempe anno circiter 443 Africa videtur expulsus fuisse a Vandalis, expugnata fortasse Carthagine anno 439, cujus rei quodam loco meminit. Non semel eas deplorat calamitates quas ætate sua in populos peccata devocarant, ita ut sacrificia ab exteris conculcata essent, sacraque vasa in Barbarorum principum potestatem devenissent. Is quidem scribebat Valentiniani III temporibus; sed mortua jam, ut videtur, Placidia, adeoque post annum 450, ante 455. In multis rebus Augustinum sequitur, ejusque testimonia profert nonnumquam. Fatentur Lovanienses, quorum opera Prosper typis excusus prodiit anno 1565 librum istum ab illius phrasi et stylo ac eruditione longe abesse, ejusque textum non paucis in locis corruptum sibi mansisse ac mutilum. Cui vitio nos, quatenus licuit, ope ms. Remigiano-Remensis et editionum veterum mederi conati sumus.

*Libri de Vita Contemplativa* sub nomine sancti Prosperi passim laudabantur nono sæculo, immo jam a medio octavo sæculo, a Chrodogango scilicet Metensi episcopo. Verum quod a nervosa illa pressaque Prosperi eloquentia valde discrepat laxus quidam et copiose fluens stylus quo libri illi conscripti sunt, hos Juliano Pomerio, qui exeunte quinto sæculo vivebat, esse tribuendos, tam validis argumentis demonstravit Jacobus Sirmondus (*Not. ad Aquisgran. concil.*), ut nulla cuiquam hodie ea de re dubitatio supersit.

Contendunt viri sagacitate ingenii et eruditionis laude præstantes, qui libros *de Vocatione omnium Gentium* diligenter evolverunt ac scrutati sunt, in iis reperiri nihil quod non optime cohæreat cum doctrina sancti Prosperi, cui, et Hincmari judicio, et trium vetustissimorum codicum manu exaratorum auctoritate, tribuuntur. Multa etiam in iis habentur illis plane consentanea, quæ a Prospero tum in cæteris operibus, tum in carmine de Ingratis scripta sunt. Nec repugnat temporis ratio. Cum enim nec confecti sint initio turbarum quas Semipelagiani edidere, et tamen a Gelasio laudentur, velut opus cujusdam Ecclesiæ Magistri, superest ut circa annum 440 editi fuerint. Verum artificiosius composita oratio, et placidius leniusque disserendi genus minus congruit cum iis quæ apud Prosperum invenies. Itaque, ut eos omittamus qui hoc opus S. Ambrosio, multo ante illas lites exortas defuncto, gratis perperamque ascripsere, ab aliis tribuitur Hilario Prosperi nostri socio, ab aliis S. Prospero Aurelianensium episcopo, circa annum 470. Sunt qui existiment opus esse alicujus Africani, ex eorum fortasse numero qui a Genserico pulsi anno 440 in Italiam appulerant.

Quesnellus ostendere nititur hos libros esse sancti Leonis, et id quidem styli similitudine ductus asserit. (*Leo. to.* II, *p.* 358 *et seq.*) Ab eo quidem ante pontificatum editos, at non inscripto suo nomine. Quo factum est ut eum illorum auctorem esse Gelasius ipse nescierit. Hanc sententiam prolixa disputatione a Quesnello prolatam, prolixiori lucubratione impugnavit Antelmius, librosque de quibus agimus Prospero restitutos voluit (*Antel. Diss. in Op. Leo. p.* 113 *et seq.*). Momenta utrimque collata paucis collegit Ludovicus Dupin, statuitque nihil esse quod



Digitized by Google

Prospero tribuantur illi libri (*Dupin to.* IV, *pag.* 452 *et seq.*). Eorum si spectetur stylus ac rerum tractandarum ratio, videri quidem inter Leonis opera referendos : nihil afferri posse, quam ob rem ei abjudicentur. Sed nullo quoque argumento certo eidem asseri : quippe quos absque nomine auctoris in lucem prodiisse constet, plerique perfacile potuerit ut multi tunc temporis et Romæ et aliis in locis fuerint, quorum scribendi ratio Leonis stylum referret ac redoleret. Atque hoc quidem in statu et sita est etiamnum et diu remansura videtur percelebris illa et vulgatissima quæstio. Existimavit eminentissimus Norisius (*Hist. Pel. l.* II, *c.* 14) librorum horum scriptorem in explanandis iis quæ ad gratiam pertinent, non aliam solum viam inire ab ea quam Augustinus et Prosper tenuere, sed et de ipsa re ab utroque nonnullis in capitibus dissidere. Reposuit Quesnellus (*Leo. to.* II, *p.* 381 *et seq.*) scriptorem illum nullatenus ab Augustini placitis, ab Ecclesia comprobatis et adoptatis, recessisse. Qua in re ab hoc prorsus stare videtur Ludovicus Dupin, qui quæcumque hoc opere continentur satis uberiore A analysi comprehendit (*Dupin to.* IV, *p.* 451 *et seqq.*). Ita concinit stylus epistolæ ad Demetriadem, stylo librorum de Vocatione Gentium, ut eidem hactenus auctori utrumque opus merito sit ascriptum, sive cum Ambrosio datum, sive cum Prospero. Norisius (*Hist. Pel. l.* II) quidem epistolam ad Demetriadem sancto Prospero adjudicat; verum alios hujus auctoritas a pristina sententia minime depulit, iisque item ut antea visa est hæc epistola oratione eadem ac stylo exarata ac libri de Vocatione Gentium, proindeque eidem scriptori tribuenda.

Scribit Trithemius (*Script. Eccl. p.* 37) Prosperum alia insuper nonnulla scripsisse : librum unum Epistolarum ad diversos; librum unum de Viris Illustribus, ac de Captivitate Romæ librum unum. B Hos vero libros a Trithemio nusquam inspectos eo verisimile est, quod eorum initia non subjiciat, ut cæterorum. Alioquin recentior est ille quam ut ejus testimonio quisquam nitatur. Addit quoque idem : « Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur; sed ad manus nostras non venerunt. » De quibus proinde cum illi nihil suspicari licuerit, nec nobis pariter quidquam augurari est hactenus concessum.

# NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA IN S. PROSPERUM.

(Schœnemanni Biblioth. Hist. Litt. Pat. Lat. tom II.)

## § I. *Vita.*

*Aquitani* nomine distinguitur ab aliis haud incelebribus ejusdem ætatis scriptoribus, inter quos notissimus Prosper *Tiro* poeta, cujus Beda meminit, cujusque cognomen ipsi Aquitano affingere quondam ausus est Sirmondus. Natus est exeunte sæculo quarto aut quinti initio, in Aquitania. Sed qua in urbe aut loco tam amplæ hujus provinciæ, non liquet; sicuti de parentibus, educatione atque prima ætate ejus æque omnia ignorantur. Attamen ex iis quæ reliquit ingenii sui monumentis satis patet eum haud leviter liberalibus studiis et artibus ingenuis, præcipue poeticæ, incubuisse. Aquitania, incertum quibus de causis relicta, in Provincia domicilium posuit, ubi certe jam anno 428 commorabatur, ibique concertationes suas pro doctrina Augustini contra Joannem Cassianum aliosque qui eam respuebant, Galliæ seu Provinciæ magis presbyteros exorsus est. Fovit hoc ejus in Augustinum hac ex parte studium Hilarius quidam, cui, quoniam de rebus domesticis ejus nihil amplius constat, ab hac ipsa cum Prospero consuetudine *Prosperiani* nomen inditum fuit. Dederat quidem Prosper jam antea ad Augustinum litteras per Leontium diaconum, ab eoque responsorias acceperat. Hic autem, qui ipse quondam cum doctore Hipponensi versatus erat, ut eumdem propius amico admoveret et conciliaret, Prosperum impulit ut denuo secum litteras ad eum scriberet, id quod anno 428 seu 429 contigit. In iis igitur Augustino exponunt *quæ in scriptis ejus contra Pelagianos conditis plurimi apud Massiliam constituti monachi et* C *sacerdotes Patrum opinioni et Ecclesiæ sensui adversa putent*, pericula quæ ipsis ex illorum cæcitate aut pravitate imminere videantur, et quemadmodum iis reniti cœperint, declarant; denique *ut suarum disputationum præsidio ipsorum tenuitatem roborare velit*, rogant. Ac Augustinus sane votis eorum obsecuturus ad eos direxit libros de Prædestinatione sanctorum et Dono perseverantiæ. Sed cum uterque tanto ardore flagraret, nec tamen adversarii crebris disputationibus ac scriptis flecti possent, ambo Romam perrexerunt, eosque apud Cœlestinum papam calumniæ in Augustinum et hæreseos accusarunt, ab eoque a. 431 obtinuerunt celebrem illam ad episcopos Galliarum epistolam, in qua eos graviter reprehendit, quod, auctoritatis suæ tam parum memores, presbyteros novas et indisciplinatas quæstiones quoD quomodo proferre sinant, atque monet ut iis silentium imponant, nec memoriam Augustini, quem impense laudat, affligi patiantur. Hac igitur epistola freti in Galliam revertuntur, tantoque alacrius susceptam contra Semipelagianos causam defendere studuerunt, imprimisque Prosper scriptis contendere cœpit, quorum varia intra hoc tempus emissa ad nostram memoriam pervenerunt. Percrebrescente autem de doctrina et pietate ejus fama, evenisse volunt, ut a Leone archidiacono Romano inter Aetium et Albinum in Galliis amicitias redintegrante in familiaritatem reciperetur, et cum is ab eodem negotio ad occupandam sedem apostolicam evocatus esset, Romam una adduceretur et ornaretur munere notarii pontificis. Enimvero qui sic statuunt, conjectura

Digitized by Google

delectantur, cujus ne fundamentum quidem satis A exploratum est. Nam quod Leonis notarius fuerit Prosper, nonnisi seriorum scriptorum (*a*) et unius ms. codicis Corbeiensis Gennadii valde dubio testimonio nititur, quod recentiores quidam styli ac sententiarum, quam inter utriusque scripta deprehenderunt, similitudine roborare conati sunt. Reliqua vitæ Prosperi incerta sunt. Ecclesiastico aliquo munere illum non functum esse, vero simillimum (*b*). Ignoramus etiam quando diem obierit; tametsi ex Chronico ejus constat eum anno 453 adhuc in vivis fuisse, aliique multo diutius eum vixisse et Leoni superstitem fuisse, ex Marcellino, ad a. 463, cognoscere sibi videantur.

§ II. *Scripta.*

*Scripta* Prosperi *genuina* juxta seriem temporis, B quam novissima etiam tenet Parisiensis editio, sunt:

I. *Epistola ad Augustinum de reliquiis Pelagianæ Hæreseos in Gallia*, etc., scr. a. 428 aut 429.

II. *Epistola ad Rufinum de Gratia et Libero Arbitrio*, scr. anno 429, vivo adhuc Augustino.

III. *Carmen de Ingratis* scr. circa annum 429 aut 430.

IV. *Epigrammata duo in obtrectatorem S. Augustini*, scr. forte circa a. 430.

V. *Epitaphium Nestorianæ et Pelagianæ Hæreseos*, scr. post damnatam hæresim Nestorii in concilio Ephesino a. 431, Augustino jam mortuo.

VI. *Pro Augustino Responsiones ad Capitula Objectionum Gallorum calumniantium*, scr. a. circiter 431.

VII. *Pro Augustini doctrina Responsiones ad Capitula Objectionum Vincentianarum*, scr. forte paulo C post superiores Responsiones.

VIII. *Pro Augustino Responsiones ad Excerpta quæ de Genuensi civitate sunt missa*, scr. eodem forte tempore cum superioribus.

IX. *De Gratia Dei et Libero Arbitrio liber contra Collatorem*, i. e. contra Cassiani presbyteri librum qui titulo *de Protectione Dei* prænotatur, scr. circiter a. 432.

X. *Psalmorum a* C *usque ad* CL *expositio*, scr., ut videtur, ante annum 424.

XI. *Sententiarum ex Operibus S. Augustini delibatarum liber unus*, scr. forte circa a. 450 aut 451.

XII. *Epigrammatum liber unus ex sententiis S. Augustini*, scr. non longe ante tempus concilii Chal- D cedonensis, quod anno 451 congregatum esse constat.

XIII. *Chronicum integrum in duas partes distributum*, in annum 455 desinens. Novimus ex Victorii, seu Victorini, Gennadii, Cassiodori et Isidori Hispalensis testimoniis, Prosperum hoc opus ab origine mundi ad Valentiniani III obitum et Romam a Vandalis captam perduxisse, ita ut Eusebium et Hieronymum, quatenus illi porrigerentur, abbreviaret, reliqua autem, i. e. ab anno 379 ad a. 455, de novo contexeret; in qua studii ejus diversitate ipsa operis partitio continetur. Vero autem simile est, eum non uno ductu totum absolvisse, sed variis identidem additamentis perfecisse et quasi iterato edidisse, et sunt sane qui *tres* diversas ab ipso auctore *editiones* paratas esse existiment: quarum *primam* conclusisse putant Theodosio XIV et Maximo coss. anno Christi 433, quandoquidem eo anno omnium priorum annorum epochas summasque collegerit, quod nonnisi in Operum fine fieri solet, nisi forte aliqua peculiaris causa accidat, quæ hic nulla esse videtur; *secundam* censent 12 annis auctam et ad Valentiniani VI ac Nonii consulatum, seu annum Chr. 445 productam fuisse, quo vulgare ejus Chronicon Eusebiano et Hieronymiano subnecti solet; *tertiam* denique editionem fuisse volunt quæ ad captam a Genserico Urbem, seu ad Valentiniani Aug. VIII et Anthemii consulatum seu annum Chr. 455, extensa fuerit. Utriusque posterioris etiamnunc exemplaria supersunt.

*Dubiæ auctoritatis* sunt:

I. *Confessio*, quæ *ipsius* dicitur.

II. *Poema Conjugis ad Uxorem.*

III. *Carmen de Providentia divina*, quod alias *Hilario* tribuitur.

IV. *De Vocatione omnium Gentium libri duo*, in mss. quibusdam Ambrosio ascripti. At viri docti in diversas de auctore abierunt invicem sententias. Alii enim, veluti Erasmus, Euchenio; alii, inter quos Vossius, Hilario Prosperi familiari tribuerunt; Quesnellus autem Leoni M. illos adjudicavit: cui se ex proposito opposuit Josephus Antelmius, Prospero vindicans. Scripti existimantur circa annum 440. Sed multo serius (ante annum tamen 496) conditos esse censent Ballerinii in Observationibus ad 2 Quesnelli dissert. de horum librorum auctore, ubi, collatis utriusque argumentis, neutrius sententiam veram pronuntiant, et singula quæ in disputationem venire poterant momenta accurate et sagaciter examinant. Quos adeat, cui lubet, in tomo II Opp. Leonis, pag. 662 seqq.

V. *Ad sacram virginem Demetriadem epistola, seu de Humilitate Christiana tractatus*, scr. circiter annum 440. Olim inter Ambrosii Opera vulgata fuit, in epistolarum numero 84, a Sotello primum una cum libris *de Vocatione omnium Gentium* Prosperi Operibus adjecta, non aliam ob causam quam ob styli quamdam similitudinem. Enimvero nusquam in mss. codicibus utrumque opusculum simul inveniri, tum Ambrosii editorum exemplo, tum ex iis quos ipsi inspexerunt, testantur Ballerinii. Primus hanc sententiam impugnare cœpit et evertere studuit Quesnellus, Leonique vindicatum ivit in Dissertatione 4 de auctore hujus libelli. Quem contra insurrexit Antelmius in laudato libro pro Prospero pugnans. Ballerinii inter utramque lancem tenentes, neutro inclinare intellexerunt, adeoque incerto auctori relinquendam censuerunt. Cf. eorum Obss. ad 4 Quesn.

(*a*) Vocatur *Leonis notarius* ab Adone sæc. noni scriptore in Chronico aliisque sequioris ætatis auctoribus.

(*b*) Errore satis communi codicum mss. et editionum antiquiorum, cujus origo nondum patet, *episcopus Regiensis* (oppidi *Riez* in Provincia) audire solet.

Digitized by Google

Diss. t. II p. 743 seqq. Antelmio tamen astipulantur editores novissimi Operum Prosperi.

VI. *Præteritorum sedis apostolicæ episcoporum Auctoritates de Gratia Dei et Libero voluntatis Arbitrio*, quæ vulgo subjici solent epistolæ Cœlestini pontificis ad episcopos Gallos. Collectæ putantur circa annum 431. Primus eas Dionysius Exiguus vulgavit et epistolæ Cœlestini subjecit. Illum autem ex scriniis Romanis eas sumpsisse Hormisdæ papæ imprimis testimonio demonstrant Ballerinii. Nec tamen Cœlestini ipsius sunt, quemadmodum nec Leonis, ut iidem evicerunt in Observationibus ad laudatam Quesnelli dissertationem t. II p. 719 seqq. Antelmii, qui Prospero asserit, sententiam secutus et magis etiam confirmare studuit Pagius ad a. 431, num. 49. Idem Coustantius fecit (in admonitione ad laudatam Cœlestini epistolam), insuperque occasionem hujus lucubrationis investigare conatus est. Atque Ballerinii etiam huic sententiæ calculum adjicere non dubitarunt, ita tamen ut in nonnullis a Coustantio dissiderent. Cf. Obss. in Diss. 3 Quesn. t. II Opp. Leonis, pag. 719 seqq.

Omnino non *ad eum pertinent : Libri tres de Vita Contemplativa*, qui verius Juliani Pomerii nomine insigniuntur; *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, incerti auctoris, et *Chronicon alterum*, quod vulgo *Pseudochronicon* vel etiam *Tironis Prosperi Chronicon* dicitur. Orditur a morte Valentis imperatoris, et ad captam a Genserico Urbem procedit. Cum superius indicato non pauca quidem communia habet, sed longe plura ab eodem diversa, et præcipue hoc, quod non per consules, sed juxta imperatorum seriem digestum sit. Pithœus, qui primum illud evulgavit, ipsum verum Prosperi Chronicon esse, ejusque adeo ingenium referre contendit, ut non immerito sibi videatur membrum esse amplioris ejus, quod ipsius nomine ab orbe condito ad captam a Vandalis Urbem Gennadius legisse testatur; et miretur adeo, unde factum sit ut aliud Chronicon per consules digestum in omnibus Hieronymiani Chronici editionibus Prosperi nomine subjungatur. Pithœo assentiri visus est Labbeus. Sed Bucherius et sagaciores cum eo viri docuerunt, confusum et perturbatum hujus Chronici ordinem, innumera menda in rectam chronologiæ rationem, levissimam et tantum nonnullam de Pelagianis mentionem, denique quod id unum de Augustino in eo observetur, quod plurima libris innumeris disseruerit, et Prædestinatorum hæresis, Prospero certo certius ignota, ex Augustino (*Augustini libris* intrudere ausus fuit Pithœus) orta dicatur : hæc singula totidem esse argumenta quæ Prospero indignum et ab ingenio ejus alienum evincant; quemadmodum luculenta narratio, et ordo, præcipue autem diligens rerum S. Augustini et hæreseos Pelagianæ tractatio, et tam Augustini quam Leonis nonnisi cum summa veneratione commemoratio in altero (pro genuino habito) discipulum Augustini et doctrinæ ejus de gratia defensorem omnibus agnoscendum præbeat. Fuerunt itaque qui suppositum hocce Chronicon Prosperiano nomini putarent, ut inde tum ipse, tum Augustinus in contemptum et invidiam adducerentur. Sed probabilior est sententia, quam Antelmius quoque tuetur, absque fraude a Prospero quodam vel etiam alius nominis auctore compositum, et quia in exemplaribus nomine careret, Prosperi, quem ejusdem ætatis Chronicon scripsisse palam constabat, nomen ei inditum fuisse; vel denique genuinum Prosperi Chronicon a Semipelagiano quodam in privatum usum sic interpolatum et diminutum esse, quemadmodum nunc comparet.

Sed quoniam Antelmii toties in his mentio facta est, alia insuper ejus opinio non prætermitti debet, quæ omnes omnino Leonis papæ lucubrationes Prospero tamquam notario Leonis adjudicavit, magnasque ei cum Quesnello lites excitavit. Proposuit eam in eodem quem antea commemoravimus libro, cujus, cum rarissime jam occurrit in bibliothecis, notitiam hoc loco appendamus :

*De veris Operibus SS. Patrum Leonis Magni et Prosperi Aquitani Dissertationes Criticæ, quibus Capitula de gratia Dei, Epistolam ad Demetriadem, nec non duos de Vocatione omnium Gentium libros Leoni nuper ascriptos abjudicat et Prospero postliminio restituit Josephus Antelmius. Accessere cum ipsius judicio de celebri Leonis ad Flavianum, et aliis ad diversos, Prospero dictatis in causa Eutychis cæterisque Epistolis*, etc. *Parisiis apud Dezallier*. 1689, 4°.

Auctor ortu Forojuliensis, natus a. 1648, post confecta studia in urbe patria canonicus, ab anno autem 1684 episcopi Pamiensis J. B. de Verthamou magnus vicarius et officialis († 1697), Quesnelli assertionibus obviam iturus, per tres priores Dissertationes, tria modo laudata Opuscula Prospero vindicare conatus, quarta Leonis Magni duas contra Pelagianos epistolas aggreditur, quarum alteram ad Januarium Quesnellus authenticam declaraverat, alteram ad Septimum supposititiam; Antelmius vero posteriorem veram, priorem ad Januarium fictam esse contendit. Dissertatione quinta Gennadium et alios antiquos, qui epistolam Leonis ad Flavianum in causa Eutychis (apud Ballerin. 28) a Prospero tamquam ejus notario dictatam scribunt, adversus Bellarminum Labbeumque vindicat, et non solum in hac, sed et in aliis Leonis epistolis haud obscura styli Prosperiani vestigia deprehendit. Nec pauciora in Sermonibus hujus similitudinis indicia agnoscere sibi visus, in Dissertatione sexta varia promit exempla, imprimis ex sermone 4 (ed. Quesn.) in Natali Leonis et ex sermonibus de Collectis et Jejunio. In causas autem hujus rei inquirens, potiorem judicat morem ætatis istius, quo sermones ab aliis episcopis recitandos frequenter expeti consueverint, si quidem Gennadius testetur Salvianum presbyterum multas pro episcopis homilias composuisse, indeque *magistri episcoporum* laudem, non, ut vulgo volunt, quia Salonium et Veranum episcopos in adolescentia docuerat, reportasse. Hinc colligit, tanto magis

Digitized by Google

Leonis summi pontificis, sermones expetitos fuisse, cui *interdum aliquos orationis ornatus* contulerit *Prosper, vir sui ævi doctissimus et facundissimus, qui occupatissimo pontifici a consiliis ac epistolis aut præcipuus* fuerit, *aut unicus.* In sequentibus reliqua Opera Prospero ascripta percenset, nempe in septima dissertatione Opus de Promissionibus et Prædictionibus, quod a Cassiodoro falso Prospero tribui, et auctorem ex Africa oriundum habere statuit; libros de Vita Contemplativa, quos Juliano Pomerio assignat, atque de eo accurate agit; Confessionem Tironis Prosperi, a Sirmondo editam, quam vix aliquid exhibere censet Prosperi stylo et famæ satis consentaneum. Octavam dissertationem Prosperi Chronico impendit, idque, prout vulgo exstat, Prospero adversus Garnerium prolixe vindicat, prout vero a Pithœo editum est, interpolatum infartumque probat. Nona dissertatio Prosperi Carmina examinat, ita ut illud de Providentia supposititium judicet; Anacreonticum ad Uxorem dubium relinquat; Epitaphium hæreseos Pelagianæ et Nestorianæ Prospero Aquitano contra Garnerium asserat; Carmen de Ingratis cum Epigrammatibus 97 et aliis duobus in Augustini obtrectatorem genuina maxime arbitretur, illumque obtrectatorem non alium quam Vincentium Lirinensem existimet, qui in Commonitorio suo Augustini etiam doctrinam perstringere affectaverit. Inter hæc autem novum hujus Vincentii Opus Secretorum Lirinensium producit Antelmius, in quo ordinando et illustrando totum se esse significabat, ejusque et omnium Prosperi editionis promissione totum volumen claudit (*a*). Cæterum Antelmio mox responsum est a Quesnello epistola Gallice scripta in Ephemeridibus Parisiensibus die 8 et 15 Augusti 1689. Cui non cunctanter quidem Antelmius duas alias epistolas ad abbatem... duabus epistolæ P. Quesnelli partibus responsorias Parisiis a. 1690, in-4°, reposuit : sed Quesnellus iis non magis quam Dissertationibus ejus se convinci passus, nec transversum unguem a pristina sententia in editione Lugdunensi a. 1700, recessit.

§ III. *Editiones.*

Primum Opus quod inter cætera Prosperi typis mandari cœpit, fuere Epigrammata (*b*), quorum prima editio apparuit Moguntiæ a. 1494, in-4°, et sine anni nota, Taurini, eadem forma, nec non Venetiis apud Aldum a. 1501. Huic proxima fuerunt liber contra Collatorem, Moguntiæ a. 1524, emissus ac repetitus in Antidoto Sichardi Bas. 1528, et editio Sententiarum ex Augustino excerptarum, Coloniæ a.

A 1531, a quibus haud longo spatio diremptæ emerserunt epistola ad Rufinum et Responsiones ad Excerpta Genuensium, Venetiis apud Bernard. Stagninum 1538, in-8°. Mox etiam in Gryphiana Lugduni 1539: Responsiones ad Capitula Gallorum et Objectiones Vincentianas una cum Carminibus de Providentia et de Ingratis (*c*). Scilicet ab hac Sebastiani Gryphii opera altera incipit editionum Prosperi ætas. Is enim primus inscripsit *Opera*, et *collatione vetustorum codicum recognovisse* professus est. Repetita est Coloniæ a. 1540, et addita epistola ad Augustinum nonnullisque ad Prosperum non pertinentibus Opusculis ibidem 1565, per Joannem Sotellum. Eamdem, sed in nonnullis perpurgatam, dedit Joannes Olivarius Duaci 1577, cujus ab hoc tempore recensio,
B nisi forte Theoph. Raynaudus in ed. Paris. a. 1671 aliquid mutaverit, ad annum usque 1711 semper viguit. Hoc autem anno prodiit Parisiis in-folio editio, si non omnibus numeris absoluta, certe codicum mss. apparatu editorisque (Joannis le Brun de Marette e congreg. S. Mauri) studio atque etiam eruditione, longe super anteriores excellens. Procuravit eam D. Mangeant, ejusdem congregationis socius; unde fortassis colligas, Lebrunum nondum omnia perfecisse, dum Opus e manibus illi excuteretur. Facile autem quæ desunt diligens et sagax historiæ temporum illorum lector, vel a Balleriniis per ista loca circumductus, animadvertet. Neque vero post hujusce editionis commemorationem silentio prætermitti debent quæ a. 1732 Joannes Salinasius
C et a. 1758 P. J. Fogginius, Romæ uterque ad ornanda Prosperi Opera contulerunt.

De Chronico separatim monere necessum est, tres diversas genuini exstare editiones, quarum prima, vulgaris dicta, Eusebiano et Hieronymiano Chronico jungi solet et ab anno 379, quo Hieronymus desiit, ad annum 445 protenditur, a Canisio etiam non parum a vulgato textu diversa prodita est ex ms. Augustano; altera priori decem annis auctior a Duchesnio primum inter Historicos Franciæ coætaneos vulgata est; tertiam, Chronicon integrum ab origine mundi ad annum 455 complexam, Labbeus in Bibliotheca nova mss. a. 1657 exhibuit. In omnibus autem pars posterior ab anno 379 ad annum 445 aut 455 mirum in modum variat, in aliis
D auctior quam in aliis, et modo dilutior ac jejuna, modo accurata, cujusmodi depravationes aut negligentiæ librariorum, aut certo studiosorum consilio tribuendas esse patet. Præter hæc Pseudochronicon a Petro Pithœo e mss. codd. editum est a 1588, ite-

(*a*) Repetita est hæc notitia ex M. Bibliotheca Eccl. Colon. t. I p. 487, cujus auctores eam se debere significant Actis Eruditor. Lips. Supplem. t. I p. 431; neque tamen per omnia iis adhæsimus. Nam quæ de Antelmii sententia super epistolis ad Septimium et Januarium referunt, non concordant cum Balleriniorum ejusdem sententiæ expositione, qui tamen, cum utrumque et Quesnellum et Antelmium refellerunt et utramque epistolam genuinam esse demonstrarunt, potiores hac in re auctores habendi sunt. Cf. Balleriniorum Admonitionem in duas priores Leonis epistolas t. I Opp. Leonis pagg. 567-590, ubi prolixa de ambabus et 18 disputatio subjungitur.

(*b*) Editores Parisienses ordiuntur seriem impressorum Prosperi a libro contra Collatorem Moguntiæ a. 1524 excuso.

(*c*) Ipse tamen Gryphius non significat Responsiones ad Capitula Gallorum et Objectiones Vincentianas a se primum proferri, tametsi hoc diserte de aliis duobus Opusculis affirmet. Vide igitur anne aliqua editio præcesserit paucissimis fortassis visa.

Digitized by Google

rumque 1609, itidemque a Labbeo in Bibl. nova mss. a. 1657 recusum. Utrumque denique, tam genuinum, quam Pseudochronicon cum notis et variis lectionibus reddidit editio novissima Operum Prosperi Parisiensis et cum notis Basnagii eruditissimis in nova ed. Lectionum antiquar. Henr. Canisii a. 1725. Plura qui cupit, evolvat Annales editionum, quos jam subnectimus.

SÆCULO XV.

1494. *Moguntiæ, per Pet. Friedbergensem; in-4°.* Epigrammata sancti Prosperi episcopi Regiensis de vitiis et virtutibus ex dictis Augustini.

Incipit volumen in ipso statim tituli folio pagina aversa prævio elogio Prosperi ex Trithemio. In fine (folio 22 pagina aversa): *Expliciunt Epigrammata sancti Prosperi episcopi Regiensis de vitiis et virtutibus ex dictis Augustini. Impressa Moguntiæ per Petrum Friedbergen. Anno virginei partus* 1494. Hæc excipit folio 23: *Carmen Conjugis ad Uxorem* inscriptum: *Prosper de Fide et Moribus christianorum et martyrum, ac de Contemptu et Brevitate præsentis vitæ,* qui titulus tamen inseritur demum post sedecim priores versus metro Anacreontico exaratos. Denique in fine hujus, folio 24, pagina aversa legitur: *Commendatio* (anonymi) *cujusdam in auctorem* septemdecim hexametris constans. Corrigendus ex his Cl. Braun in Not. Hist. Lit. p. II, pag. 260, n. 20.

*Sine anno, Taurini; in-4°.* B. Prosper de Vita Contemplativa et de Septem Virtutibus, adjectis, nescio in eadem an in aversa pagina, sequentibus versiculis:

Hæc Augustini ex sacris Epigrammata dictis
Dulcisono rhetor componens carmine Prosper,
Versibus hexametris depinxit pentametrisque,
Floribus ex variis ceu vulget nexa corona.
Unde ego te, lector, religis qui sub hæc sedulus, oro
Intentas adhibere sonis cœlestibus aures,
Istic nam invenies, animum si cura subintrat,
Maxime quid doceant sanctæ moderamina legis
Observare homines, vel quid vitare sub astra,
Sidereum cœli cupiunt qui scandere regnum.

Nimirum ne Juliani Pomerii libros de Vita Contemplativa, Prospero falso ascriptos, hic exhiberi putes, nihil aliud complectitur hocce volumen quam Epigrammata Prosperi, quibus eosdem versiculos in antiquo ms. ad calcem adjectos vidit et ex eodem recudi curavit Muratorius in Anecd. t. II p. 210, (*a*) testibus auctoribus Historiæ Litterariæ Galliæ, a quibus insuper discimus accessisse commentarium Latinum anonymi cujusdam, de quo cum exploratius aliquid expeteret Hambergerus, deprehendit in Catalogo codd. mss. Biblioth. Taurinen. inter codices Latinos n. 781, e, II, 10, pag. 256, *codicem Epigrammatum Prosperi cum commentario*, qui forte ab hoc non diversus est; sed cujus sit, non magis ex subscriptione ejus quam aliunde elucet (*b*).

(*a*) Hist. Lit. de la France, t. II, p. 384, 85.

(*b*) Hamberger Zuverl. Nachr., t. III. p. 215, subscriptum erat: *Hoc opus scripsit Frater Tibaldus de Guerris de Castro novo Terdonensi ord. fratr. min. tunc Bachalarius conventus Cherii, 1466, die 12 Augusti.*

(*c*) Paulo aliter, sed rectius, puto (nam Regii Catalogi auctores titulos interdum contrahere, interdum ex contentis libris aliquid addere amant), hic titulus profertur in præfatione novissimæ editionis Parisiensis, videlicet: *Liber sancti Prosperi de Gratia Dei et Libero Arbitrio, pro defensione divi Aurelii Augustini episcopi; contra Cassiani presbyteri librum qui titulo de Protectione Dei prænotatur. Item capitula tredecim decretorum Cœlestini papæ pro Prospero et Hilario, de Gratia Dei, adversus quosdam Galliarum presbyteros Pelagii sectatores,* etc.

SÆCULO XVI.

1501. *Venetiis, apud Aldum; in-4°.* Prosperi Aquitanici Epigrammata super D. Aurelii Augustini sententias quasdam; cum Aratonis Carmine Historiæ Apostolicæ, Probæ Falconiæ Centonis excepto, Joan. Damasceni hymnis et Cosmæ Hierosolymitani (opusculis) aliquot. In exemplari hujus libri, quod servat Bibliotheca Bernensis (*Cat. t.* I, *p.* II), Prosperi Epigrammatibus varias lectiones e mss. codd. ascripsit Bongarsius.

1524. *Moguntiæ, apud Joan. Schœffer; in-4°.* S. Prosperi, presbyteri Aquitanici, libellus adversus inimicos gratiæ Dei *contra Collatorem*; et Aurelii, Carthaginiensis episcopi, epistola contra Pelagianos; Cœlestini papæ, et aliorum Romanorum pontificum auctoritas de gratia Dei pro Prospero et Hilario, adversus Pelagianos (industria Nicolai Carbacchii). Cat. Bibl. Paris. (*c*).

Carbacchius libelli hujus exemplum repererat in Bibliotheca religiosorum fratrum Benedictinorum montis sancti Jacobi (Moguntiæ).

1524. *Basileæ; in-8°.* Prosperi, Augustini et Ambrosii Opuscula de Libero Arbitrio, ex editione Joannis Œcolampadii. Cat. Bibl. Baluz. t. II, p. 1001.

Num præter *librum adversus Collatorem* aliud quidpiam Prosperi insit, dicere non ausim. Sub Ambrosii nomine procul dubio nihil aliud hic evulgatur quam libri *de Vocatione omnium Gentium*, Ambrosio a multis tributi.

1528. *Basileæ; apud Henr. Petri; in-fol.* Prosperi Aquitanici libellus de Libero Arbitrio contra Collatorem; in Jo. Sichardi Antidoto contra omn. hær. p. 215 sqq.

1531. *Coloniæ imprimebat Joannes Prœl.; in-8°.* Sententiæ aliquot velut aphorismi, ex S. Augustini et aliorum libris selectæ, studio et labore Prosperi, episcopi Regiensis. Cat. Bibl. Reg. Paris. Cf. præf. ed. Paris.

1533. *Parisiis; in-16°.* D. Prosperi Aquitani libellus Adversus inimicos gratiæ Dei: accedunt epistola Aurelii episcopi Carthaginensis ad episcopos per Byzacenam et Arziguitanam provinciam constitutos; excerpta ex gestis synodalibus contra Pelagium hæreticum; et Cœlestini papæ epistola ad episcopos Galliæ de erroribus Pelagii. Cat. Bibl. Baluz. l. l. Recusa est, ut equidem arbitror, editio Moguntina.

1534. *Parisiis apud Ant. Augerellum; in-16°.* S. Prosperi de Gratia et Libero Arbitrio ad Rufinum et Responsiones ad excerpta Genuensium. Cat. Bibl. Baluz., ibidem et Bibl. Tellerianæ p. 198 b. Auctores Historiæ Litt. Galliæ ejusdem libri exemplar vidisse testantur, cui inscriptus fuerit annus 1533.

1538. *Venetiis, per Bernardinum Stagninum; in-8°.*

Opuscula de Gratia et Libero Arbitrio S. Prosperi Aquitani episcopi Regiensis, viri religiosissimi, divi Augustini discipuli et in divinis Scripturis eruditissimi.

Continentur in hoc volumine, 1° Epistola S. Prosperi ad Rufinum; 2° Ad excerpta Januensium (Genuensium); 3° Liber S. Prosperi contra Cassianum; 4° Epistola Aurelii Carthaginiensis episcopi; 5° Cœlestini epistola ad episcopos Galliæ et auctoritates sedis apostolicæ, etc.; 6° Epigrammata S. Prosperi et Carmen ad Uxorem. Ex quibus num. 1 et 2 nunc primum eduntur. Præf. ed. noviss. Paris.

1539. *Lugduni, apud Sebastianum Gryphium; in-fol.* D. Prosperi, Aquitanici, episcopi Regiensis, opera, ad vetustorum exemplarium collationem emendata et recognita. Cat. Bibl. Reg. Paris.

Sebastianus Gryphius epistolam dedicatoriam ad Senatum populumque Regiensem auspicatur ab excusatione, quod, quem ante annos plus minus quatuor ipsorum rogatu suscepisset laborem omnes Prosperi episcopi quondam ipsorum lucubrationes typis excribendi, haud prius emittere potuerit: id quod exemplaribus, partim non accurate satis descriptis, partim desideratis nonnullis Opusculis imperfectis tribuit. « Quapropter, inquit, ut vobis gratificarer atque studiosorum commodis inservirem, editionem minime præcipitandam putavi: sed primum vehementer conandum, ut opus, si quo pacto fieri posset, prius pristino nitori Germanæque integritati restitueretur. Proinde huc illuc missis litteris, negotium dedi amicis et Gallis et Germanis, præsertim humaniorum litterarum studiosioribus, ut quidquid hujus auctoris apud eos in antiquis Bibliothecis lateret, tam lacerum, quam integrum ad me transmitterent. A quibus inter alia vetustissima exemplaria allata sunt simul quæ desiderabantur Opuscula: nempe duo versu heroico, de Providentia Dei unum, alterum Περὶ Ἀχαριστῶν: præterea Expositio in postremos unum et quinquaginta psalmos; omnia, ut opinor, a nostræ tempestatis hominibus non visa. His igitur omnibus simul inter se diligentissime collatis effeci tandem ut hic vester Prosper, vir tam sanctus quam eruditus, tot retro sæculis in tenebris delitescens, situm cariemque passus, totus nitidus, purus, integerque in lucem exiret. » Hactenus verba Gryphii, quæ ex laudata epistola producuntur in præfatione novissimæ editionis Parisiensis. Addunt tamen ejusdem auctores, qui parum perspicua in his utuntur oratione, accessisse de novo, præter enumerata, Responsiones ad Capitula Gallorum, et ad Capitula Objectionum Vincentianarum. Omisit autem Chronicum integrum, quod inter Eusebiana aliorumque Chronica excusum esset, et quod ob nimiam corruptionem lectori fastidio fore videretur.

1540. *Coloniæ excudebat Hero Alopecius; in-8°*. D. Prosperi, Aquitanici, episcopi Regiensis, Opera, collatione vetustorum exemplarium recognita. Cat. Bibl. Reg. Paris. Gryphianæ repetitio.

1552. *Coloniæ, apud Lamb. Sylvium; in-8°*. Prosperi et Hilarii Arelatensis epistolæ duæ ad B. Augustinum, de reliquiis Pelagianæ hæreseos, ad fidem vetusti exemplaris restitutæ, cum Honorii Augustodunensis dial. de Prædestinatione et Libero Arbitrio. Cat. Bibl. Bunav. t. III, p. 208.

1556. *Basileæ, ex officina Henr. Petri; in-fol.* Prosperi Aquitanici adversus Colluctatorem (*sic*) de Libero Arbitrio in Joan. Heroldi Hæresiologia, p. 664-675. Edidit ex antiquo codice Laurissensi, in quo tamen aliquot in fine libri versus deerant.

1565. *Coloniæ, apud hæredes Arnoldi Birckmanni, in pingui Gallina; in-4° maj.* D. Prosperi Aquitanici, episcopi Regiensis, Opera accurata vetustorum exemplarium collatione per viros eruditos a mendis pene innumeris repurgata. In fine: *Lovanii, typis Joannis Bogardi.* Qua loci et typographi nota, sed præfixo anno 1566, hanc ipsam haud dubie editionem indicat. Cat. Bibl. Reg. Paris.

Superioris editionis contenta juxta elenchum in aversa pagina tituli hujus editionis subjectum sic se habebant: *Opus de Prædictionibus et Promissionibus Dei*, quo nescio quando et per quem numerus Operum Prosperi auctus fuerit; de Vita Comtemplativa libri III; ad Rufinum epistola, Responsiones ad Capitula Gallorum, ad Objectiones Vincentianas, et ad excerpta Genuensium, contra Cassianum de Protectione Dei liber I; Sententiarum ex Operibus Augustini excerptarum liber I; ex iisdem sententiis Epigrammatum liber I; de Providentia divina Opusculum; de Ingratis lib. I; Commentarius in psalmos C-CL. Inter accessiones hujus editionis numerantur, 1° de Vocatione omnium Gentium libri II; 2° epistola ad sacram virginem Demetriadem; 3° epistola ad D. Augustinum; 4° Cœlestini pro Prospero et Hilario epistola (quatenus illa scilicet in Gryphiana omissa fuerat); 5° Canones alterius concilii Arausicani. Ex his, num. 3 plane nova fuit acquisitio. Num. 1 et 2 Ambrosio hactenus tributi et cum ejus Operibus vulgati fuerant. Nunc priores non tantum ob styli et phrasis similitudinem, sed etiam ex codicum mss. fide, posterior etiam, partim ob stylum, partim ob argumentum, Prospero vindicantur. Affirmat enim hujus editionis curator Joannes Soteaux (Sotellus) Montiniensis in præfatione ad lectorem (quæ a Vita Prosperi incipit), deprehendisse se libros de Vocatione omnium Gentium in antiquissimis mss. Bibliothecæ regularium S. Martini Lovanii, Bibliothecæ abbatiæ Cambronensis et Bonefflensis abbatiæ apud Namurcum, Prosperi nomine inscriptos. De cæteris sic monet editor: « Libros de Prædictionibus et Promissionibus Dei non ignoramus plurimis in locis mendosos, et (ut apparet) mutilos esse, tametsi haud ita atque cum eos in manus legendos accipe-remus. Sed cum nobis exemplaria correctiora non suppeterent, noluimus quidquam ex conjectura immutare. Si cui ob minorem eruditionem videantur a divo Prospero adhuc juniore, jamque primum in sacris litteris sese exercente scripti, obstabit quod trigesimo octavo capite secundæ partis auctor ipse ita loquitur velut jam annos juventutis excesserit.

Digitized by Google

Ut certe Prosperi non videantur, non eo tantum fit A probabile, quod Gennadius et Trithemius recensentes quæ ab illo scripta sint, hujus Operis non meminere, sed etiam ex phrasis ac styli maxima dissimilitudine, quodque sæpissime toto Opere auctor hisce sententiis ut sibi familiarissimis utatur : *Non tantum sibi, quantum etiam suis*, etc., etc., *non tantum præteriti, quantum etiam præsentis*, etc., quas in ipsis D. Prosperi libris non reperies usquam. Fatendum tamen est ab homine scriptorum ac librorum divi Augustini studiosissimo scriptos esse. Nam et ipsa Augustini verba non semel citat : quæ quo loco apud illum habeantur, in margine annotavimus. Libri contra Collatorem (qui et mendis scatebat et ordinis plane erat perturbati, quoniam in eo passim verba Prosperi impressa erant tamquam Cassiani essent) castigationes subministravit eruditus et eximius vir, sacræ theologiæ Regius Lovanii professor, M. Joannes Hessels a Lovanio, sicut et magnam partem eorum quæ tecum huc usque locuti sumus, lector Christiane. » In eadem præfatione remotum a se dicit Carmen de Providentia, quia Pelagianæ doctrinæ sit; attamen in ipso volumine eodem ordine impressum exstat quo a præcedenti editione exhibitum (*a*) fuerat. Accesserunt denique huic editioni indices locupletissimi rerum et Scripturarum, in titulo etiam notati. Inscripsit eam Sotellus Carolo van der Linden monasterii Parcensis ord. Præmonstrat. apud Lovanium abbati, epistola data Lovanii ex minori collegio Theologorum 13 kalendas Maias 1575.

1577. *Duaci, ex off. Joannis Bogardi, typogr. jurati, sub Bibliis aureis; in*-8°. Divi Prosperi Aquitanici, episcopi Regiensis, Opera, accurata vetustorum exemplarium collatione a mendis pene innumeris repurgata.

Superioris editionis substantia non aucta est. Sed quæ in eadem non satis expurgata fuissent Prosperi scripta, nunc nitidiora, et non modica accessione cum variarum lectionum, tum plurium lacunarum, maximeque unius perquam insignis supplemento locupletiora se dare professus est Joannes nescio quis Olivarius (*b*) in epistola ad Joannem Sacracenum priorem Vedastinum Atrebati (*dat. Duaci idib. Novemb.* 1576). « Emendationes (enim) plurimas, inquit, item varias lectiones partim suppeditavit nobis liber tua singulari industria collatus cum antiquis codicibus, partim vetustissimum volumen bibliothecæ Cambronensis, quod habebat manu descriptos, de Vita Contemplativa libros tres, de Vocatione Gentium duos et unum Epigrammatum. Itaque ex eo iis in libris multa sunt facta meliora, quæ deerant, suppleta, annotata plurima; ne acerrimo quidem judicio tuo, cui libenter illa submittimus, improbanda. » Cæterum totus superioris editionis ordo, indices item atque adeo Joannis Sotelli præfatio ad lectorem hic servata sunt.

SÆCULO XVII.

1601. *Ingolstadii, ex officina Ederiana; in*-4°. Prosperi Aqu. Chronicon integrum, in duas partes tributum, item pars posterior (a vulgatis admodum recedens) ex ms. Augustano; in Henr. Canisii Lectionibus antiquis, t. I. Vide ed. Basnagianam, a. 1725.

1604. *Burdigalæ, apud Simonem Millangium, in-folio.* Prosperi Aqu. Chronicon a morte Valentis, etc., in Arnaldi Pontaci Chronicis trium illustrium auctorum Eusebii, Hieronymi et Prosperi, pagg. 198-210. Notæ exstant pagg. 760-790.

1606. *Lugd. Bat. exc. Thom. Basson. sumptib. Commelin.; in-folio.* Eadem pars Chronici, in Jos. Scaligeri Thesauro Temp., pp. 188-197, et ibid. in edit. Amstelodamensi apud Joan. Jansson. 1658.

B 1609. *Coloniæ Agrippinæ excudebat Arnoldus Kempensis sumptibus Joannis Crithii; in*-8°. D. Prosperi Aquitanici.... Opera accurata exemplarium vetustorum collatione a mendis pene innumeris repurgata. Repetitio editionis Joan. Olivarii.

1609. *Parisiis, ex off. Nivelliana apud Sebast. Cramoisy; in*-4°. Chronicon Prosperi Tironis Aquitani a morte Valentis imp. ad captam a Genserico Urbem. Nunc primum in lucem editum, longe aliud ab eo quod hactenus B. Hieronymi Chronico subjunctum est. Item Fragmentum ex Chronico Victoris episcopi Tunnensis Africæ, quod subjecit Chronico Prosperi; in Petri Pithœi Operibus pagg. 329-42. De editione prima a. 1588, nondum mihi certi aliquid constat.

1611. *Romæ, ex typogr. cameræ apostolicæ....* D. Prosperi.... Opera (ex edit. Joan. Olivarii). Benedd. ex Cat. Bibl. Cordesianæ (*Paris.* 1643, *in*-4°), p. 73.

C 1619. *Parisiis...... in*-8°. Tironis Prosperi Aquitani Confessio nunc primum edita ex codice Vaticano per Jac. Sirmondum; cum Eugenii ep. Tolet. Opusculis, quibus Dracontii aliorumque vet. Eccles. SS. quædam (poemata) adjecta sunt. Recusa sunt hæc omnia in Operibus Jac. Sirmondi, Paris. 1696, t. II, pagg. 913, 914.

1622. *Helmæstadii, typis hæredum Jacobi Lucii; in*-8°. S. Prosperi Sententiæ ex B. Augustini monumentis collectæ, unde et a quibusdam Sententiæ Augustini appellantur; in gratiam pietatis et veritatis amantium seorsim editæ; cum indice alphabetico copiosissimo, in quem pene omnes sententiæ relatæ sunt.

D 1636. *Lutetiæ Parisiorum, sumpt. Seb. Cramoisy; in-fol°.* Prosperi Aqu. Chronicon...... ex ed. viri cl. Petri Pithœi: in Duchesne Scriptorib. Franciæ Coætaneis, tomo I, pagg. 196-201. Item Chronicon ab orbe condito, pars posterior, Eusebii et Hieronymi Chronicis adjungi solita, multo quam in vulgatis exemplaribus emendatior et auctior ex mss. codd. Jac. Sirmondi et Petri Franc. Chiffletii, pagg. 201-209.

1657. *Parisiis, apud Seb. et Gabr. Cramoisy; in-fol°.*

(*a*) Fugit hoc editores Parisienses, quod ipsum librum inspicere supersederunt.

(*b*) *In litteris tantum humanioribus versatum atque a sacro theologico studio plane alienum* se dicit per occasionem excusationis, quod scriptori ecclesiastico manus admoverit.

Digitized by Google

Viri clarissimi Tironis Prosperi Aquitani Chronicon integrum ab Adamo ad Romam captam a Genserico Wand. rege, in duas partes distributum. *Prima pars*, ab ortu rerum ad mortem Valentis cum annotatione consulum, *nunc primum edita ex variis codicibus calamo exaratis*. Pars *altera*, ab a. 379 ad 455, *auctior atque emendatior in pluribus quam quæ antea vulgata est*. Ejusdem alteriusve Prosperi Chronicon, editio Pithœana emendata multis in locis, ex collatione codicum mss. Omnia in Bibl. nova mss. librorum Philippi Labbei tomo I, pagg. 16-60.

1671. *Parisiis, sumptibus Petri Variquet; in-fol°*. D. Prosperi episcopi Rhegiensis Opera, quæ quidem editio innumeris prope quibus præcedentes scatebant mendis fuit perpurgata; accesserunt Heptadi Præsulum a Theophilo Raynaudo editæ et posthac sæpius, h. l. et a. vero ultima vice recusæ.

1677. *Lugduni, apud Anissonios; in-fol°*. Prosperi.... Opuscula diversa soluta oratione et carmine scripta, ex recognitione Joannis Olivarii; ejusdem sive Prosperi Tironis Chronicon, ex editione Henr. Canisii nec non Chronicon Pithœanum; in Bibl. Max. PP. tomo VIII, pagg. 1-203.

1690. *Parisiis, apud Franc. Muguet; in fol°*. Prosperi Aquitani pro Augustino, contra iniquos doctrinæ illius de gratia et prædestinatione reprehensores, Apologetica opuscula; nec non ejusdem Prosperi liber Sententiarum ex Augustino; in III parte appendicis ad t. X Operum S. Augustini curantibus monachis e congreg. S. Mauri ad S. Germanum in Pratis; in ed. Antuerp. p. 110-170.

Comprehenduntur una : 1° *epistola ad Rufinum* recognita ad antiquissimum exemplar Remensis abbatiæ S. Remigii ; 2° *liber contra Collatorem* castigatus ex vetustissimo codice Corbeiensi et secundum optimas editiones, velut Moguntinam, Lovaniensem et Antuerpiensem.

1699. *Traj. ad Rhen. et Lugd. Bat.* apud Franc. Halmam et Petrum van der Aa; *in-fol°*. Prosperi Aqu. Chronicon integrum juxta Labbeanam editionem expressum : in Joan. Geo. Grævii Thesauro Antiqq. Rom. t. XI, p. 269 seqq.

SÆCULO XVIII.

1703. *Lovanii, apud Ægidium Denique; in-8°*. D. Prosperi Aquitanici Peri Achariston; hoc est, de Ingratis Carmen, accuratum et notis miscellaneis illustratum a Martino Steyartio (Steyaert) in tomo III Opusculorum seu Lucubrationum Steyartii.

De auctore, doctore quondam theologiæ Lovaniensi, qui magnam nominis celebritatem apud suos obtinuit, adeundus Joan. Franciscus Foppens in Bibl. Belgica p. 861, ubi et effigies ejus cernitur: est autem hic in Prosperi libellum commentarius Opus posthumum. Neque enim seorsim, sed in hacce Operum ejus editione (quæ VI tomis constat) primum prodiit. Notæ vero omnes traductæ sunt in editionem Parisiensem. Errat igitur Joan. Alb. Fabricius, si editionem Lovaniensem Steyartianæ lucubrationis *re vera* Amstelodami non Lovanii prodiisse affirmat. Neque enim Benedictini solum in Historia Litteraria Galliæ ejus meminerunt, sed ipsi editores Parisini in præmonitione ad hocce Carmen disertis verbis Lovanii eam prodiisse indicant; quin ipse Clericus in præf. ad appendicem Augustinianam testatur Lovanii editas fuisse hasce Steyartii notas.

1703. *Antuerpiæ, apud Petrum Mortier; in-fol°*. Sancti Prosperi Aquitanici Carmen Περὶ Ἀχαρίστων, hoc est, de Ingratis, accurante et illustrante theologo Lovaniensi, in appendice Augustiniana seu tomo XII Operum Augustini curante Joan. Clerico, pp. 1-39.

Ante omnia, inquit Clericus in præfatione ad hoc volumen, ante omnia oculis se subjicit legendum Poema S. Prosperi de Ingratis, in quo doctrinam S. Augustini, Pelagii et præsertim Semipelagianorum versibus quidem non optimis, sed intellectu minime difficilibus exponit. Eos tamen eruditus Lovaniensis theologus sat diligenter illustraverat notis quas hic vides. Eæ notæ, viri docti manu emendatæ et auctæ, a nobis editæ sunt quales transmissæ fuerant, sine ulla additione aut detractione. Erant prius editæ Lovanii, nomenque præferebant Martini Steyartii, qui theologus fuit ejus Academiæ, non ita pridem mortuus, et qui dicitur primum fuisse in eorum partibus qui Augustinianam doctrinam tuentur, deinde in partes contrarias transiisse, quod satis liquet ex variis libellis Gallicis, quibus eum oppugnavit vir disertissimus *Antonius Arnaldus* doctor Sorbonicus, Augustinianarum partium in Gallia facile princeps. Nomen tamen Steyartii deleri voluerunt qui opusculum hoc ad bibliopolam (appendicis hujus redemptorem) transmiserunt; quod nos dissimulare non potuimus.

1711. *Parisiis, sumpt. Guil. Desprez et Joan. Dessartz; in-fol°*. Sancti Prosperi Aquitani, S. Augustini discipuli, S. Leonis papæ primi notarii, Opera omnia, ad manuscriptos codices, nec non ad editiones antiquiores et castigatiores emendata, nunc primum secundum ordinem temporum disposita, et Chronico integro ejusdem, ab ortu rerum usque ad obitum Valentiniani III et Romam a Vandalis captam pertinente, locupletata. Quibus præfigitur ejusdem S. Prosperi Aquitani Vita, ex Operibus ipsius, et Scriptorum ecclesiasticorum libris concinnata.

Editores Joannes Le Brun de Marette et D. Mangeltus (Mangeant) hunc finem sibi in adornanda hac editione fuisse profitentur, ut quantum fieri potuisset, amplissima, castigatissima et optimo ordine disposita prodiret : et ut etiam ex illa aliquid adjumenti lectoribus subministraretur ad erroris Semipelagiani historiam plenius cognoscendam. Quapropter primo in eam contulerunt quidquid genuinorum S. Prosperi Operum hactenus in lucem prodierat, non omissis Confessione quam primum evulgavit, et Chronico integro, quod omnes superiores editores spreverant. Castigarunt deinde singulos hujus editionis libros ad fidem editionum probatiorum et tot mss. quot per concessi temporis angustias reperire et conferre licuit. Erat enim in litteris regiis datis d. 14 Decembris 1709, quæ hujus aliorumque librorum imprimendo-

Digitized by Google

rum et recudendorum privilegium bibliopolis indul- A serant, mandatum ut Prosperi Opera intra duorum annorum spatium absolverentur. *Et ne inter varias quæ in libris occurrerent loci ejusdem lectiones temere selegisse et doctiorum palato præjudicare voluisse arguerentur*, in marginem inferiorem cujusque paginæ illæ quas neglexerunt rejectæ sunt. Nec vero intra hos limites crisin suam contineri voluerunt, sed sedulo etiam laborarunt ut spuria et dubia a veris et genuina tam sede ac charactere quam admonitionibus præambulis distinguerent, simulque eruditorum virorum de unoquoque sententias afferrent. Ordo librorum idem est quo supra scripta singula enumeravimus, ita tamen ut varia aliorum quæ eadem attinent, inserta sint, itemque dubia cum certis ac genuinis una serie exhibeantur, ad easque simul index uberrimus rerum et nominum et sententiarum memorabilium spectet, pone hunc demum appendix sit annexa. Videlicet inserta sunt post Prosperi epistolam ad Augustinum: Hilarii epistola ad eumdem, item Augustini de Prædestinatione SS. et de Dono perseverantiæ libri II; post Responsiones ad Excerpta Genuensium: Cœlestini pontificis pro Prospero et Hilario epistola una cum sedis apostolicæ episcoporum auctoritatibus de Gratia et Joannis Cassiani collatio 13; post Chronicum integrum: Concilium II Arausicanum, quæ reliqua dubiæ fidei scripta eodem ordine quo supra proposita sunt excipiunt. In appendice continentur, prima parte, Juliani Pomerii de Vita Contemplativa libri III, de Promissionibus et Prædictionibus Dei liber, Chronicon Prosperi Tironis; in secunda parte, varia scripta et monumenta quorum lectio Operibus sancti Prosperi ac historiæ Semipelagianæ lucem afferunt, ac inter illa primo loco S. Augustini de Correptione et Gratia ad Valentinum librum I. Cæterum libris qui in prima appendicis parte exhibentur non minor cura est adhibita ab editoribus quam reliquis Prosperi Scriptis, sicuti in totam appendicem peculiaris index haud vulgari cura exaratus accessit. Singulare denique hujus editionis ornamentum est Vita Prosperi ex Operibus ipsius et Scriptorum ecclesiasticorum libris concinnata, quæ 11 articulis constat et proxime post præfationem est subjecta.

1725. *Antuerpiæ, apud Rudolphum et Gerhardum Westenios; in-fol°*. Tironis Prosperi Aquitani Chronicon integrum in duas partes tributum. Pars prima, edita ex variis codicibus calamo exaratis; pars altera ex Canisio. Eadem ex ms. Augustano (monasterii SS. Afræ et Udalrici); item Chronicon Pithœanum: omnia ex recensione et cum notis Jacobi Basnagii; in Thesauro Monumentorum ecclesiasticorum et historicorum seu Henrici Canisii Lectionibus Antiquis ad sæculorum ordinem digestis. T. I, pp. 252-318.

1732. *Romæ, ex typographia Antonii de Rubeis; in-8°*. Sanctorum Prosperi Aquitani et Honorati Massiliensis Opera (aliquot), notis observationibusque illustrata a D. Joanne Salinas, Neapolitano, canonico regulari Lateranensi, ac S. theol. lectore ad sanctissimum patrem Clementem XII, pont. max.

Horum opusculorum editio ad idem consilium spectat cum editis ab ipso superiori anno Vincentii Lirinensis et Hilarii Arelatensis lucubrationibus, nempe triumviros hosce a Semipelagianismi objectione liberandi. Quapropter additurus erat tertium volumen et in peculiari dissertatione ostensurus, Vincentium, Hilarium et Honoratum re vera ab orthodoxis doctoribus non dissentire, una cum observationibus quas studiose collegerat de Lirinensi cœnobio. Sed mors doctas ejus meditationes intercepisse videtur. In hoc volumine scripta aliquot præcipuæ dignationis, ex quibus de orthodoxorum sententia de gratia Dei judicium ferri possit, proposuit, videlicet Prosperi et Hilarii epistolas ad Augustinum, B ex Parisiensi editione, additis quibusdam variantibus lectionibus e codicibus nonnullis Vaticanis depromptis; porro carmen de Ingratis ex eadem editione cum delectu notarum Steyartii, quæ ibidem adjectæ conspiciuntur, et ultimo loco Honorati Vitam Hilarii, de qua alio loco dicetur. Ex eadem Parisiensi editione hic repetita sunt Testimonia veterum de S. Prospero, item Vita ejus ex Operibus ipsius et aliis scriptoribus ecclesiasticis concinnata cum observationibus Salinasii et synopsi chronologica Operum et gestorum ejus. Suppeditarunt hanc editionem Suppl. ad N. Acta Erud. Lips. t. II, p. 17 (a. 1731).

1740. *Veronæ; in-fol°*. Prosperi Aqu.... Chronici pars posterior, cum Eusebii et Hieronymi Chronicis; in ed. Operum Hieronymi Dominici Vallarsii C tomo VIII pagg. 823-56, editionis Venetæ t. VIII, p. I, pagg. 821-56.

1744. *Venetiis; in-folio*. S. Prosperi.... Opera. Non recordor amplius ubi hanc editionem notatam invenerim. Haud dubie est recusa Parisiensis.

1758. *Romæ, apud fratres Palearinios; in-8°*. S. Prosperi Aquitani S. Leonis M. notarii de Gratia Dei et Libero Arbitrio hominis et Prædestinatione sanctorum Opera omnia. Editionem emendatissimam et variis lectionibus undique collectis, præcipue vero ex codd. mss. Vaticanis adornatam curavit P. F. F.

Nitidissima hæc Prosperi opusculorum editio partem tertiam facit Operum Selectorum SS. Patrum de Gratia Dei et Prædestinatione sanctorum. Editor fuit Petrus Franciscus Fogginius. Complexus est in D hoc volumine epistolas ad S. Augustinum et Rufinum. Responsiones ad Capitula Gallorum, Objectiones Vincentianas et Excerpta Genuensium, Librum contra Collatorem, carmen de Ingratis, Epigrammatum triadem adversus Massilienses et Epigrammatum ex sententiis Augustini spicilegium, omnia diligenter ex editione Parisiensi expressa, additisque non solum variis lectionibus in eadem, sed novis etiam sua ipsius opera ex Vaticanis codicibus collectis; præterea carmen de Ingratis, cujus mss. exemplaria nulla reperire ei contigit, nec non tria epigrammata quæ illi adjungi solent, perpetuis scholiis ex prolixioribus Martini Steyartii et Parisiensium editorum instruxit. Inscripsit Clementi XIII.

1759. *Romæ,.....* *in-12*. S. Prosperi carmen de

Digitized by Google

Ingratis et Epigrammata selecta. Sic legitur in Cat. Bibl. comitis Caroli a Firmian t. I, p. 53, n. 3027.

Versiones.

Præter poema de Ingratis, pauca Prosperi in recentiores linguas conversa exstant.

*Gallicæ.* — 1647. *Paris chez la veuve Martin Durand; in-4°.* Poëme de S. Prosper contre les Ingrats, où la doctrine catholique de la grâce est expliquée et soutenue contre les Pélagiens; traduit en français, en vers et en prose, avec les vers mis à côté, par Louis-Isaac le Maître de Saci. Eadem versio recusa est Parisiis apud Guil. Desprez et Joan. Dessarts a. 1717, in-12; addita epistola ad Rufinum et Epitome totius doctrinæ Prosperianæ de gratia et libero arbitrio ex Operibus ipsius.

1649. *Paris, chez Jean Henault; in-8°.* S. Prosper, de la Vocation des Gentils, où la doctrine catholique de la liberté et de la grâce est déclarée contre les erreurs des hérétiques; traduit en français avec des réflexions, par le P. Antoine Girard.

*Italicæ.* — 1586. *In Roma; in-8°.* Sentenze di S. Prospero sopra le Promissioni e Predizioni di Dio, tradotte da Giulio Folco; in Effetti mirabili de la Limosina e Sentenze degne di memoria appartenenti ad essa, raccolte per opera di Giulio Folco. Argelati, l. mox laudando.

1751. *In Venezia, per Carlo Pecora; in-8°.* Il poema di S. Prospero Aquitano degl' Ingrati, o sia sopra la Grazia. Traduzione in ottava rima dell' abate Gianfrancesco Giorgetti, dedicato a monsignor illustriss. e reverendiss. Aluise Foscari, patriarca di Venezia e primate della Dalmazia, etc., con una Dissertazione sopra la Vita, e l'Opere di S. Prospero Aquitano, e con annotazione filologiche, istoriche, critiche.

Accedit textus Latinus. Novelle Lett. di Firenze a. 1751, 24 Sptembr., p. 610; et Nov. Lett. di Venezia num. 44, p. 345; et qui ex iis hausit Argelati in Bibl. degli Volgarizz. t. III, p. 303.

1753. *In Venezia, presso Simone Occhi; in-8°.* I mille Versi Latini di S. Prospero di Aquitania contro i Semipelagiani, tradotti in versi Italiani dal P. Carl' Agostino Ansaldi de' predicatori, fra gli Arcadi della Colonia di Trebbia, Clomoneo.

Et hic interpres textum Latinum et notulas in inferiori margine apposuit. Argelati, l. l.

1756. *In Brescia, presso Giammaria Rizzardi; in-4° maj.* Ricerca Sistematica sul testo, e sulla mente di S. Prospero d'Aquitania nel suo poema contra gli Ingrati.

Præter carmen de Ingratis insunt etiam Epigrammata duo Prosperi in obtrectatorem Augustini et Epitaphium Nestorianæ et Pelagianæ hæreseon, omnia Latine juxta textum editionis Parisinæ cum Latinis marginalibus et in adversa pagina versione Italica, cum iisdem marginalibus conversis et notis eodem idiomate scriptis criticis, historicis et theologicis. His subjecta est promissa in titulo disquisitio, quæ præter introductionem et conclusionem, 70 annotationibus seu capitibus constat, adeo ut ipsa carmina cum variis ad notam ejusque ingenium, nec non Semipelagianos Massilienses spectantibus quæstionibus nomine apparatus ad disquisitionem insignita sint. Scite auctor Viator a Coccaleo (Viatore da Coccaglio) Capucinus sermonem ad amatores doctrinæ Prosperi direxit, alioquin nemo facile dixerit cui hæc scripta sint. Nuncupavit autem volumen suum cardinali Dominico Passioneo.

1760. *In Brescia, dalle stampe di Giamb. Bossini; in-4°.* Lo Spirito filosofico.... theologico.... ascetico di san Prospero d'Aquitania ne' suoi Epigrammi.

Idem auctor est Viator de Coccaleo, idemque spiritus in Commentariis, sed volumen spissius. Singulis Epigrammatibus Latinis subjungitur versio Italica, quam prolixissima excipere solet, non de arte poematis sententiæve tractatione, sed ex proprio auctoris ingenio super idem quod poeta attigit argumentum, quasi in datum textum commentatio. Dedicavit opus Carolo Victorio Amadeo cardinali delle Lanze, archiepiscopo Nicosio et regi Sardiniæ a confessionibus.

1764. *In Verona, per Agostino Carattoni; in-4°.* Di san Prospero Aquitano notaio di san Leone magno il poema degl' Ingrati ovvero Semipelagiani recato in versi Italiani sciolti dal reverendiss. Padre don Francesco Maria Ricci Romano abate Benedettino.... Casinese.

E regione versionis Italicæ appositus est textus Latinus, additæque sunt annotationes et lectiones variantes. Sed hæc omnia ex Parisina editione decerpta sunt. Nuncupavit editor versionem suam Nicolao Antonio Justiniano episcopo Veronæ.

1764. *Codices ex quibus Prosperi scripta aut primum edita aut deinceps emaculata sunt.*

I. Codex ms. Benedictinorum montis S. Jacobi Moguntiæ, unde editio Moguntinensis a. 1524 prodiit.

II. Quæ Sotellus ex mss. exemplaribus petiit subsidia, pauca fuerunt et supra sunt a nobis indicata.

III. Joannes Olivarius unum tantummodo codicem Cambronensem commemorat, ex quo plurima ab ipso in textu Prosperi castigata fuerint. Sed is ex genuinis Prosperi scriptis non nisi Epigrammata, de cæteris libros de Vita Contemplativa et de Vocatione omnium Gentium continebat.

IV. Benedictinorum, editorum Operum S. Augustini.

1. Codex Corbeiensis, ex quo emendarunt librum contra Collatorem. Ante annos fere nongentos exaratus. Pro titulo erat : *Liber sancti Prosperi pro Prædicatoribus gratiæ Dei, contra librum Cassiani presbyteri qui prænotatur de Protectione Dei.*

2. Remigianus, de quo sub num. 4.

3. Colbertinus libri Sententiarum ex Augustino delibatarum, notatus num. 303, nec admodum vetus complectebatur non plures quam septuaginta sex sententias, nempe octodecim primas, et omissa decima nona, vigesimam, vigesimam primam et alias ex subsequentium serie selectas. In editis trecentæ et nonaginta exstant.

V. Parisiensibus autem editoribus præsto fuerunt :

Digitized by Google

1. Codices Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, quorum ex uno castigata sunt epistola ad Augustinum et Responsiones ad Capitula Objectionum Gallorum, item Sententiæ ex Operibus Augustini delibatæ, et in Appendice libri de Vita Contemplativa, ad duos.

2. Codex Remigiano-Remensis, i. e., abbatiæ S. Remigii ordinis S. Benedicti apud Remos, unde variantes lectiones ipsis transmissæ fuerant. Ex hoc plurimi libri castigati sunt, videlicet epistola ad Rufinum, Responsiones ad Objectiones Gallorum, Vincentianas et Excerpta Genuensium, liber contra Collatorem et liber Sententiarum ex Augustini Operibus delibatarum. Nec alius ab hoc fuisse videtur codex ex quo variantes in librum de Promissionibus et Prædictionibus accepit, quamquam mirum videri possit quod huic soli, non item ad antecedentes libros, ætatis nota addita fuerit. Traditur enim 800 annos excedere et sæculo nono opera Leutberti et Adeloidi monachorum scriptus esse. Sed similia de Remigiano codice, quocum omnes modo laudatas Prosperi lucubrationes contulerunt, Benedictini editores Augustini docent, ante annos fere nongentos eum scriptum esse affirmantes. Nisi forte hic computus strictissime accipi debeat et ab eo diversus sit codex Remigianus, quem ad Responsiones ad Capitula Objectionum Vincentianarum laudant ante annos plus minus octingentos scriptum.

3. Codex Joliensis, qui olim fuerat Claudii Joly præcentoris et canonici ecclesiæ metropolitanæ et ex legato ejus ad capitulum illius ecclesiæ pervenerat. Hunc totum a capite ad calcem ipsi excusserunt editores et quidem ad epistolam Rufini, Responsiones ad Objectiones Gallorum, Vincentianas et Excerpta Genuensium, librum contra Collatorem, librum Sententiarum ex Augustino delibatarum, librum Epigrammatum, Confessionem, poema Conjugis ad Uxorem et ex Appendice ad libros de Vita Contemplativa et Pseudochronicon.

4. Codices Bibliothecæ Colbertinæ, quorum unus profuit epistolæ ad Rufinum, tres libro Epigrammatum, quinque Chronico integro et adulterino. Nempe in duobus Chronicis Eusebii et Hieronymi subjungebatur Chronicum verum Prosperi, in tribus aliis autem Pseudochronicon. Quatuor denique ejusdem Bibliothecæ codices collati fuerunt cum libris de Vita Contemplativa in appendice.

5. Codex ms. Theodoricensis, i. e., monasterii S. Theodorici prope Remos, cujus variantes in Chronicum integrum ex monasterio isto ad eos missæ erant. Præter hos etiam :

6. Codex Victorinus Pseudochronici, unde Pithœus hauserat, iterum ad eumdem librum excussus est.

VI. Codices Vaticani, ex quibus variantes in epistolam ad Augustinum excerpsit Salinasius. De iis propter ipsius editionis defectum mihi non constat.

VII. Codices Fogginii. Plures habuit Vaticanos optimæ notæ, e quibus diserte laudat unum octingentorum circiter annorum, notatum num. 558, qui olim fuerat Majoris Domus Carthusiæ et præter alia continebat S. Prosperi Responsa ad Capitula Gallorum, Objectiones Vincentianas, Excerpta Genuensium, Epigrammata, nec non librum contra Collatorem.

SANCTI

# PROSPERI AQUITANI

# OPERUM OMNIUM

## PARS PRIOR,

CONTINENS

## S. PATRIS OPERA GENUINA.

### ADMONITIO IN EPISTOLAM S. PROSPERI AD S. AUGUSTINUM.

*Cum sanctus Augustinus majorem vitæ partem in revincendis diversi generis hæreticis insumpsisset : post partam Ecclesiæ ab eo perfectam de Arianis, Manichæis Donatistisque victoriam, novissime surrexit Pelagiana hæresis gratiæ Dei inimica, quam ipse ab anno 412 scriptis libris de Peccatorum Remissione et de Baptismo Parvulorum, et aliis, annis subsequentibus, ut sese obtulit occasio, strenue debellare non cessavit, quousque pluribus episcoporum conciliis summorumque pontificum decretis damnata, vires amittere, defensorumque numero cœpit decrescere. At vero ultima sanctissimi Doctoris ætate, viri quidam, alias catholici, sed aut minus eruditi, et in Scripturis, unde doctrinam suam hauserat Augustinus, non satis versati, aut forte minus demisse quam oportuerat de seipsis sentientes, lectis Augustini libris aut turbati, aut etiam scandalizati sunt.*

Digitized by Google

*Turbas inter Adrumetinos in Africa monachos, qui abbati Valentino parebant, excitatas non ægre sedarunt tum liber de Gratia et Libero Arbitrio, tum alius de Correptione et Gratia, qui mentibus eorum obductas dubitationum nubes luce sua dissiparunt.*

*At perniciem multo majorem Ecclesiæ, apud Gallias præsertim, creavit surculus alius hæresis Pelagianæ, qui tanto latius diffudit sese, atque altiores radices egit, quanto is prima fronte apparuit minus injuriosus in Christi Salvatoris gratiam, quam haud parum quoque amplificare videbatur. Hujus initia quædam prodierant cum novo dogmate Vitalis, viri aliunde catholici, qui cum esset in Carthaginensi eruditus Ecclesia, præcipuam quamdam doctrinæ sancti Cypriani ejus urbis episcopi venerationem debebat: a qua illum tamen temere discedere conquerebatur Augustinus (Epist. 217). Et Vitalem quidem hæreticum Pelagianum esse sanctus doctor non credebat; sed minime tam orthodoxum esse audierat, ut nihil illius ad eum transiisset vel in eo relinqueretur erroris. Pelagiani quippe omnia, ut eidem scribit (Ibid.), ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non a Domino putent esse poscenda: ille autem* initium fidei, *ubi est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis, nolebat* donum esse Dei, sed ex nobis nos habere *contendebat*, ut credere incipiamus: *cætera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentiebat. Hunc Vitalis errorem, quem ipsum amplexi sunt qui vocati sunt Semipelagiani, epistola ad eumdem scripta inde potissimum refellit Augustinus, quod Ecclesia preces apud Deum fundat pro infidelibus, ut convertantur, et gratiarum actiones pro iisdem ad fidem conversis rependat; nec non pro fidelibus adhibeat orationes, ut in eo quod esse cœperunt ejus munere perseverent: quæ epistola ad Vitalem videri potest Adrumetinorum dissensione ac libris ad eam componendam editis posterior, et ad annum 426 aut 427 revocanda.*

*Diffusis autem longe lateque posterioribus istis Augustini lucubrationibus, fuerunt Massiliæ aliisque in locis Galliarum, non pauci qui sibi ex imperitia persuaderent quidquid suis in Pelagianos libris de Vocatione electorum secundum Dei beneplacitum scripserat Augustinus, id totum a Patrum opinione atque Ecclesiæ sententia abhorrere (Vide infra in epist. S. Prosperi ad Aug. n. 2). Illud idem sanctis juxta ac peccatoribus negligentiam teporemque injicere: quia quoquo modo se egerint, non posset aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere. Ac proinde ut maxime vera esset illa doctrina, non tamen evulgandam esse: quippe quæ, cum nequaquam esset necessaria, effectus traheret admodum periculosos, necnon cohortantium incitamenta vana cassaque redderet. Quæ sua erat a catholico illo dogmate, unde consecutiones tam odiosas colligebant, abalienatio, eos in celebres Semipelagianorum (quippe hoc nomen merito suo consecuti sunt) errores impulit. Num illi prius meliora et magis orthodoxa sentiebant: sed certis regulis ac fundamentis destituti, modo huc, modo illuc mentem atque opinionem transferebant (Ibid., n. 6). Visum illis initium fidei, et in finem perseverantiam sic esse in nostra potestate, ut non sint dona Dei; aut a Deo nonnisi talem dari perseverantiam, a qua possit homo sua voluntate deficere (Aug. II lib. de Præd. sanct. c. 17, n. 48). Nec deerant etiam qui a Pelagianis semitis adeo non declinabant, ut nullam aliam gratiam quam rationem, liberumque arbitrium homini nihil prius merenti a Creatore datum, agnoscere viderentur (Infra epist. S. Prosp. ad Aug. n. 4).*

*Nihilominus tamen qui amplectebantur hosce errores viri erant inter cæteros clari, qui virtutum omnium studio ac probitatis qua fulgebant opinione magnam sibi auctoritatem apud simpliciores quosque paraverant. Sed nulli recipiendis Pelagianorum impiis placitis magis obnoxii sunt, nisi a se ipsis sibi caveant, quam isti; nec fere reperiuntur qui Dei beneficiis abutantur facilius illis intumescendo, et sibi ipsis accepta referendo, quam qui pluribus ab eo fuere cumulati. Massiliensium Christi servorum, hoc est, monachorum, magnam partem pestis illa corripuerat: neque ullus est qui ignoret Joannem Cassianum, a quo isthic monasterium constitutum fuerat, hunc eumdem errorem propagasse scriptis suis, ac potissimum collatione tertia decima, quam sub annum 426 in lucem emisit (Infra append. part. II, p. 272), uno videlicet anno postquam Valentinianus III Gallicanos episcopos qui Pelagii dogmata sectabantur, abdicari expellique jusserat. Ad hæc, auctoritatis non minimum eidem errori hinc accedebat, quod eorum a quibus defendebatur nonnulli summo sacerdotii honore, id est, episcopatu, nuper obtento præeminebant. Hilarius quoque ipse episcopus Arelatensis, qui Honorato circa finem anni 428 successerat, in cæteris doctrinæ Augustini sectator et admirator, in iis tamen quæ ad prædestinationem spectant, angebatur, ac nonnihil in querelam trahebat, superque hoc cogitata sua cum sancto doctore conferre cupiebat.*

*Virorum tam illustrium tamque in Ecclesia et pietate et dignitate præstantium auctoritas eorum errorem cum sibimetipsis, tum aliis magis periculosum reddebat; debita enim eisdem veneratio et rudes in imitationem pertrahebat, et simul peritiorum linguas inutili silentio cohibebat; ita ut vix reperiretur ullus qui vel ipsos admoneret, vel errori quem docebant occurreret, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores (Infra epist. S. Prosp. ad Aug. n. 7). Horum e numero fuere S. Prosper, et Hilarius quidam, alius ab episcopo Arelatensi; cum ille ordinis esset laicorum, ut infra fusius demonstraturi sumus, in admonitione epistolæ ejusdem ad S. Augustinum mox secuturæ post illam de qua hic agimus.*

*Sanctus Prosper autem, qui postea Augustino in defendendæ gratiæ munus ac laborem successit, Aquitanus erat, sermone scholasticus, hoc est, egregie litteratus, et omnino vir tum moribus, tum eloquio et studio clarus, nec sancti Augustini notitia indignus: quamvis se ipse tantum ex ordine laicorum fuisse quodam modo indicet, ubi profitetur minime se parem auctoritati memoratorum Semipelagianorum, a quibus multum et vitæ meritis et summo sacerdotii honore superabatur (Gennad. Catal. c. 84). Augustinum numquam viderat, sed tantummodo officiosis salutaverat litteris, quas per Leontium diaconum direxerat, per quem et sancti antistitis acceperat responsionem; has utriusque ad invicem litteras non superesse amplius merito deploramus. Verumtamen ille, et Augustini elucubrationum assidua lectione, et superna Dei revelatione, edoctus perversissimum esse, negata prædestinatione ac præveniente gratia, dicere quod initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo stet qui salvat, quodque voluntas hominis divinæ gratiæ pariat opem, non gratia humanam sibi subjiciat voluntatem; spretis aliorum adversis conatibus, non modo hac in fide perstitit, sed et eamdem contra impugnantes propugnavit, tum sancti doctoris Operibus atque illic allatis Scripturarum testimoniis usus, tum argumentis quæ per se ipse a positis per Augustinum fundamentis ducebat; pugnans videlicet validis ratiociniis, et nervosis illis assertionibus, quibus idem ipse, juxta Gennadii quoque attestationem, pollebat.*

*Inter prima hujus disputationis exordia Massilienses aliquantisper maluerunt vitium imputare suæ tarditati, quam dogma a se non intellectum damnare: immo fuere inter eos nonnulli qui Augustinum consultum vellent, rogatumque ut lucidiorem atque apertiorem super hoc expositionem daret. At vero contigit, Dei miserentis nutu, ut Massiliam per id temporis deferretur liber de Correptione et Gratia, quo libro monachis Adrumetinis ad eadem ipsa quæ Massiliensibus facessebant negotium tam plene respondebatur, tamque absolute, ut idem liber ad componendas quæ in Galliis excitatæ erant contentionum turbas conscriptus videretur. Verum conspecto libro, qui apostolicam Augustini doctrinam sequebantur, ipsi quidem novum inde lumen et majora ad eam defenden-*

Digitized by Google

*dam præsidia traxerunt : alii autem, quorum mentes error ante occupaverat, caligine propria impediti, nihil aliud illic nisi offensionis adhuc et ardentioris in veritatem odii materiam invenerunt. Opinionem suam vetustatis nomine defendentes, prædestinationis dogma nota novitatis inurebant. Locos Pauli huc pertinentes dicebant a nemine umquam sic intellectos : cumque rogarentur quonam ipsi modo exponi eos vellent, nullum re vera qui placeret, sensum sibi occurrere fatebantur ; sed de his taceri jubebant quorum altitudinem nullus attigisset. Sententias Augustini ex Operibus ante Pelagianam hæresim ab eo compositis producebant, tamquam suæ ipsorum opinioni plane congruentes. Quin etiam quæ idem ex adversa parte sibi opposuit in libro de Correptione et Gratia, hæc omnia pro se isti magna contentione replicabant. At plurimum ipsis displicebat institutum ibidem discrimen inter gratiam quæ Adamo data fuerat, et quæ nobis nunc datur. Denique prædestinationis exemplum nolebant sumi ex parvulis, de quibus nempe alia prius fuisset opinio ipsius quoque Augustini in libris de Libero Arbitrio.*

*Cum autem illorum quibus spiritus Pelagianæ impietatis sic illudebat auctoritate premerentur veritatis defensores, compulsi sunt a sancto antistite poscere ut suam ipse auctoritatem illis objiceret. Hac de re duas ad ipsum epistolas scripsit Hilarius, quarum priore, quæ excidit, fortasse referebatur odiosa illa prædicandæ prædestinationis formula, quam ex adversariis objectavit sibi Augustinus (Lib. II de Præd. SS. c. 22, n. 57). Posteriore vero Hilarius postquam de adversariorum querelis egit,* Quidquid, ait, pro ea gratia, quam in te pusilli cum magnis miramur, volueris aut valueris, gratissime accipiemus, tamquam a nobis charissima et reverendissima auctoritate decretum. *Ac significat se Prosperum quoque impulisse ad scribendum proprias in eamdem rem litteras, quas ei cum suis conjunctim dirigit. Et illæ sunt quas hic exhibemus Prosperi litteræ, quarum ille exordio testatur se sancto doctori, non solo salutandi eum, ut in priore (non exstat) quadam epistola fecerat, studio, sed etiam fidei qua Ecclesia vivit affectu scribere.* Excubante enim, *inquit*, pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, et adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verendum putavi, ne onerosus tibi aut importunus essem in eo quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam, pertinet; cum potius reum futurum esse me crederem, si ea quæ valde perniciosa esse intelligo, ad SPECIALEM PATRONUM FIDEI non referrem. *Et post expositam quæ in illis Pelagianæ pravitatis reliquiis inerat non mediocrem virulentiam, subjicit :* Speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ accepturos.

*Hæc porro sancti Prosperi epistola scripta fuit anno 428 aut 429, per id tempus quo Arelatensi Ecclesiæ præerat Hilarius, ex num. 9. Hic vero ex Lerinensi monacho creatus fuit Arelatensis episcopus post Honoratum, anno 428 aut 429 ineunte denatum. Quippe Honoratus suffectus Patroclo, qui anno 426, juxta Prosperi Chronicum, interfectus est, Cathedram Arelatensem, teste Honorato Massiliensi in Vita Hilarii Arelatensis, per biennium occupavit.*

---

# S. PROSPERI

## AQUITANI

# [a] EPISTOLA AD AUGUSTINUM,

*De reliquiis Pelagianæ hæreseos in Gallia subolescentibus, deque hujusmodi hominum querelis adversus prædestinationis et gratiæ doctrinam, Augustini opusculis, præsertim libro de Correptione et Gratia, explicatam.*

Domino beatissimo papæ, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præstantissimo patrono, AUGUSTINO PROSPER.

1 1. Ignotus quidem tibi facie, sed jam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone compertus; nam per sanctum fratrem meum Leontium diaconum misi [b] epistolas et recepi; nunc quoque beatitudini tuæ scribere audeo, non solum salutationis, ut tunc, studio; sed etiam fidei qua Ecclesia vivit affectu. Excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, et adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verendum putavi ne onerosus tibi aut importunus essem in eo quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam, pertinet : cum potius reum futurum esse me crederem, si ea quæ valde perniciosa esse intelligo ad *specialem patronum fidei* non referrem.

2. Multi ergo servorum [c] Christi qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni et ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Et cum aliquamdiu tarditatem suam 2 culpare maluerint quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare : evenit, ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum [d] quosdam intra Africam similia movissent, [e] librum de Correptione et Gratia, plenum divinæ auctoritatis, emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas, quia universis quæstionibus de quibus consulenda erat sanctitas tua tam plene illic absoluteque responsum est, quasi hoc specialiter studueris ut quæ apud nos erant turbata componeres. Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut

[a] Scripta est anno 428 aut 429.

[b] Quatuor mss., *epistolam*. Hæc non exstat.

[c] *Servorum Christi*, id est, monachorum, quorum nominatissimus Joannes Cassianus Collationum editor, ipsius Prosperi contra Collatorem libro postea confutatus.

[d] Id est, Adrumetinos monachos.

[e] Habetur infra Append. part. II, pag. 221.

Digitized by Google

qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti; ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores quam fuerant recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primum propter ipsos metuenda est, ne tam claris tamque egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat : [a] deinde ne simpliciores quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione **3** reverentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quod audiunt eos quorum auctoritatem sine judicio sequuntur asserere.

3. Hæc enim ipsorum definitio ac professio est : Omnem quidem hominem Adam peccante peccasse; et neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari; universis tamen hominibus propitiationem quæ est in sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam; ut quicumque ad fidem et ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse præviderit. Ideoque omnem hominem ad credendum et ad sperandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata. Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio, ut, secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, et lapsis curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem teporis afferre : eo quod in utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, nôn posse aliud erga eos quam Deus definivit, accidere : et sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates : et sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quamdam induci necessitatem; aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse quam [b] factus est. [c] Utque brevius ac plenius quod opinantur exponam, quidquid in libro hoc ex contradicentium sensu sanctitas tua sibi opposuit, quidquid etiam in libris contra Julianum ab ipso sub hac quæstione objectum potentissime debellasti, hoc totum ab istis sanctis intentiosissime conclamatur. Et cum contra eos scripta beatitudinis tuæ validissimis et innumeris A testimoniis divinarum Scripturarum instructa proferimus, ac, secundum formam disputationum tuarum, [d] aliquid etiam ipsi quo concludantur astruimus; obstinationem suam vetustate defendunt, et ea quæ de Epistola apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo umquam ecclesiasticorum ita esse intellecta ut nunc sentiuntur **4** affirmant. Cumque ut ipsi ea exponant secundum quorum velint sensa deposcimus, nihil se profitentur invenisse quod placeat, et de his taceri exigunt quorum altitudinem nullus attigerit. Eo postremo pervicacia tota descendit, ut fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse definiant; ac sic etiam si vera sit, non promendam : B quia et perniciose non recipienda tradantur, et nullo periculo quæ intelligi nequeant conticeantur.

4. Quidam vero horum in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam quæ omnia præveniat merita humana cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur; ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii et rationalem gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni ac mali, et ad cognitionem Dei, et ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam qua in Christo renascimur pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando : ut ideo accipiat, ideo C inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire. Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per sacramentum regenerationis assumere, et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam prædicationem vocari : ut et qui voluerint fiant filii Dei, et inexcusabiles sint qui fideles esse noluerint : quia justitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat a vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. Jam hic proferunt testimonia quibus divinarum D Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio, aut faciant qui jubentur, aut negligant : et consequens putant ut quia prævaricator ideo dicitur non obedisse, quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia voluit; et quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum · parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio justa suscipiat.

[a] Abest vox hæc *deinde* a mss. Reg. duobus et Colb., sed sane ex lapsu amanuensium, ut patebit legenti locum.

[b] Ms. Reg. unus, *factus sit*.

[c] Sic mss. duo Reg. et Colb. unus, item edit. hujus epistolæ tomo X Operum S. Aug. nov. edit.; alias, *Atque ut*.

[d] Ms. Reg. unus, *aliud etiam*.

Digitized by Google

5. Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum qui utique, excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur, ut ante discretionem boni ac **5** mali de usu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cœlestis regni assumantur hæredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores : tales aiunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam, non negant esse præventas. Sed in tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita quæ non exstant, futura quæ non sint futura confingant; novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda præscita sint, et præscita non acta sint. Hanc sane de humanis meritis præscientiam Dei, secundum quam gratia vocantis operetur, multo sibi rationabilius videntur astruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis sæculis dimissæ sunt ingredi vias suas (*Act.* XIV, 15), vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec ulla eis aut Legis aut Evangelii illuminatio coruscavit, cum tamen, in quantum prædicatoribus ostium apertum est, et via facta est, gentium populus qui sedebat in tenebris et in umbra mortis, lucem viderit magnam (*Isa.* IX, 2; *Matth.* IV, 16); et qui quondam non populus, nunc autem populus Dei sit; et quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur (*Oseæ* II, 24, *et Rom.* IX, 25) : prævisos inquiunt a Domino credituros, et ad unamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonorum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quod *Deus omnes homines velit salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* II, 4) : quandoquidem inexcusabiles sint, qui et ad unius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali, et Evangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi.

6. Pro universo autem humano genere mortuum esse Dominum nostrum Jesum Christum, et neminem prorsus a redemptione sanguinis ejus exceptum, etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat, quia ad omnes homines pertineat divinæ misericordiæ sacramentum : quo ideo plurimi non renoventur, quia quod nec renovari velle habeant prænoscantur. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. In istam vero talis gratiæ prædicationem hi quorum contradictione offendimur, cum prius meliora sentirent, ideo se vel maxime contulerunt; quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, et ab ipsa ut possint esse donari; **6** necessitate concederent, Deum, secundum propositum et consilium voluntatis suæ, occulto judicio, et opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam (*Rom.* IX, 21); quia nemo nisi per gratiam justificetur, et nemo nisi in prævaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, divinoque ascribere operi sanctorum merita formidant : nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse, et libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandat elegerit. Ac sic cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia et hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; et voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.

7. Quod cum perversissimum esse revelante Dei misericordia, et instruente nos tua beatitudine, noverimus, possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares : quia multum nos et vitæ meritis antecellunt, et aliqui eorum adepto nuper [a] summo sacerdotii honore supereminent; nec facile quisquam, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tanto superiorum disputationibus ausus est contraire. Ex quo non solum his qui eos audiunt, verum etiam ipsis qui audiuntur, cum dignitatibus crevit periculum, dum et multos reverentia eorum aut inutili cohibet silentio, aut incurioso ducit assensu; et saluberrimum ipsis videtur, quod pene nullius contradictione reprehenditur. Unde [b] quia in istis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis male in homine collatur; si divinæ voluntati impie voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur quia voluit, non ideo quia adjuvatur velit; si originaliter malus [c] receptionem boni non a summo bono, sed a semetipso inchoare male creditur; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit : tribue nobis in hac causa, papa beatissime, pater optime, quantum juvante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ, ut quæ in istis quæstionibus obscuriora [d], et ad

[a] In mss., *summi.*
[b] Mss. Reg. duo et Colb., *si in istis.*
[c] Ms. Reg. unus, *correptionem boni.*
[d] Editiones S. Prosperi. hic addunt, *obsecro.* Abest a mss.

Digitized by Google

percipiendum difficiliora sunt, quam lucidissimis A expositionibus digneris aperire.

7 8. Ac primum, quia plerique non putant Christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias; deinde quomodo per istam præoperantem et cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium; tum utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita : an per genera causarum et species personarum ista varientur; ut quia diversæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum : an vero uniformiter, licet dividi præscientia a proposito temporali B distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit [a] subnixa proposito: et sicut nihil sit quorumcumque negotiorum quod non scientia divina prævenerit, ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore defluxerit. Postremo quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent. Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur et una sententia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus C alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, et sub ipso gratiæ 8 adjutorio in qua futurus esset voluntate et actione præscierit.

9. Quibus omnibus enodatis, et multis insuper, quæ altiore intuitu ad causam hanc pertinentia magis potes videre, decussis, credimus et speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos : nam unum eorum præcipuæ auctoritatis et spiritalium studiorum virum, sanctum [b] Hilarium Arelatensem episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, et de hoc quod in querelam trahit, jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia utrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est, et omnium nostrum fatigatio, providente hoc præsenti sæculo Dei gratia, in tuæ charitatis et scientiæ vigore [c] respirat : adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium et utile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leve existimetur, quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse quod non [d] dolet; nec vulnus superducta cute sentiunt; sed intelligant perventurum ad sectionem, quod habuerit perseverantem tumorem. Gratia Dei et pax Domini nostri Jesu Christi coronet te in omni tempore, et ambulantem de virtute in virtutem glorificet in æternum, domine papa beatissime, ineffabiliter mirabilis, incomparabiliter honorande, præstantissime patrone.

[a] Ms. Regius unus, *obnixa.*

[b] Pro Hilario putabant eruditi legendum esse *Honoratum :* sed inspecti mss. Hilarium omnes ferunt. Hilarius porro iste ex Lirinensi monacho creatus fuit Arelatensis episcopus post Honoratum, anno 428 aut 429 ineunte denatum : quippe Honoratus suffectus Patroclo, qui anno 426 juxta Prosperi Chronicum interfectus est, cathedram Arelatensem, teste Honorato Massiliensi in Vita Hilarii Arelatensis, per biennium occupavit.

[c] In editis, *sperat ;* in uno ms., *spirat.*

[d] In mss., *quod non dolent, nec vulnus superductum cute sentiunt.*

*Sequuntur in antiqua Parisiensi editione duo opuscula, nullo jure, nisi forte propter similitudinem et quasi necessitudinem thematis, Prosperi lucubrationibus interponenda, scilicet :* epistola Hilarii *Arelatensis ad Augustinum, hujusque Patris liber* de Dono Perseverantiæ. *Quæ, quoniam jam antea edidimus inter opera Augustini, tomis II et X (XXXIII et XLIV nostræ Patrol.), huc adire velit lector benevolus.* Edit.

# ADMONITIO

## IN EPISTOLAM S. PROSPERI AQUITANI AD RUFINUM

*De epistola ad Rufinum tria investigari possunt : 1° Quis iste Rufinus, ad quem data ista epistola ; 2° quo tempore scripta fuerit ; qua occasione et necessitate ad id S. Prosperum compellente.*

*De Rufino quidem quis ille fuerit, inter multos hujusce nominis circa hæc tempora notos, non facile est decernere, nec ab ullo hactenus pro certo definitum reperimus. Erat certe hic S. Prospero nostro amicus, et ex his quos amicitia charitati spiritali innixa, pro amicorum salute sollicitos reddit. Unde cum ille de motis contra doctrinam S. Augustini contentionibus confusos rumores audiisset, Prosperumque sibi amicissimum male apud plerosque audire cognovisset, veritus ne animæ sibi charissimæ salus periclitaretur, nec etiam inauditum præcipiti judicio damnare ausus, satius duxit ipsum litteris convenire, cum forte ab eo longo locorum intervallo dissitus, id verbis præstare non posset, quas quidem communi amico deferendas commendavit. Nisi forte malueris proficiscenti amico in mandatis datum ut piam quam gerebat pro amico sollicitudinem coram ipse sine scripto exponeret. Neutrum enim pro certo elici videtur, sed alterutrum certe contigisse judicatur ex primis epistolæ sancti Prosperi verbis :* Accepi, *inquit ille,* per communem amicum fraternæ erga me sollicitudinis tuæ signa, et curam sincerissimæ charitatis gratulanter agnovi. Ac ne quid maligni rumores, in quantum se auribus tuis subtrahere nequeunt formidinis tibi aut anxietatis inferrent, absolvere te ab omni scrupulo, quantum



Digitized by Google

epistolari licuit sermone, curavi; in tantum studens omnia plenissima veritate tibi pandere, ut quia non potuisti in totum quæ ab adversantibus disseminantur audire, per me ipsum queas, quidquid de nobis ad inanem invidiam fertur referturque cognoscere.

*De tempore vero scriptionis hujus, hoc pro indubitato asseri fas est eam, vivente adhuc Augustino, sed ultimis tanti magistri annis exaratam. Quod certe indubitatum reddunt hæc epistolæ istius verba,* Beatissimus quoque Augustinus, præcipua utique in hoc tempore portio Domini sacerdotum; *et in fine epistolæ:* Ut prædicatio summi hoc tempore in Ecclesia viri, *etc. Ultimos vero sancti doctoris vitæ annos clare demonstrant insimulati Galli operum S. Augustini obtrectatores infamatoresque, quos maxime offendit lectio libri de Correptione et Gratia pro monachorum Adrumetinorum institutione et emendatione, circa annum Christi 426 aut 427 scripti. Hos autem ipsos depingit S. Prosper, cum subdit:* Huic, *id est, beatissimo Augustino,* inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Ecclesiæ et ad gloriam Christi, qua ipse illustratus est præfulgenti, quidam nostrorum (quod de ipsis multum dolendum est) occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur. Et prout sibi obnoxias aliquorum aures opportunasque repererint, scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur infamant: dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, et sub gratiæ nomine necessitatem fatalem prædicare; adjicientes etiam duas illum humani generis massas, et duas credi velle naturas; ut scilicet tantæ pietatis viro paganorum et Manichæorum ascribatur impietas. *Deinde vero Cassiani collationem decimam tertiam, quæ est de protectione Dei, indigitare videtur cum ait:* Volentes enim in sua justitia magis quam in Dei gratia gloriari, moleste ferunt quod his quæ adversum excellentissimæ auctoritatis virum inter multas collationes asseruere, resistimus. *Hæc autem collatio cum Honorato Massiliensi cum aliis sex dicata legatur, ante annum 426, quo in episcopum Massiliensem assumptus est scripta esse convincitur.*

*Hæc autem occasio (ut jam insinuatum est) nata est S. Prospero scribendæ hujus epistolæ, cum Rufinus rumoribus ab inimicis doctrinæ sancti Augustini contra ipsius Prosperi Augustini discipuli non occulti famam disseminatis, motum se significasset, seque ab hoc scrupulo absolvi optaret. Sanctus Prosper justis amici postulatis obtemperare satagens, plenius exponit, qui rumores ab inimicis doctrinæ sancti Augustini spargerentur, et sub quo prætextu tanto doctori obloqui non vererentur. Inter præcipuos autem Pelagianorum errores esse,* Gratiam Dei secundum merita hominum dari; *quo incolumi sibi principio, cætera dogmata sua facile resuscitabant. Primum quidem ipsos docuisse tantam humanæ naturæ esse sanitatem, ut per solum liberum arbitrium posset bonum implere. Quod cum sanæ doctrinæ adversum omnino pateret, ab omnibusque explosum esset catholicis dogma, gratiam quidem ad incipiendum, proficiendum et perseverandum in bono necessariam professos esse; sed intellectum, hoc tantummodo eos de gratia Dei confiteri, quod hæc velut quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturarum contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecus judicio ejus ostendat, quo unusquisque secundum voluntatis suæ motum, si quæsierit inveniat, si petierit recipiat, si pulsaverit introeat. Unde sequatur gratiam secundum merita hominum dari, et proinde gratiam jam non esse gratiam. Hanc vero filiorum tenebrarum versutiam et Orientalium episcoporum judicio, et sedis apostolicæ auctoritate, et Africanorum præsulum vigilantia fuisse manifestatam. S. Augustinum, quem dicit S. Prosper tunc fuisse præcipuam portionem Domini sacerdotum, hanc scriptis libris polemicis destruxisse, talemque hæresim omni ex parte debellasse; quosdam tamen inter catholicos in Galliis inveniri, qui doctrinam ejus librosque malignis rumoribus infamarent, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, et sub nomine gratiæ necessitatem prædicare fatalem, duas etiam ab ipso credi velle uno in homine naturas. Quæ si ita se haberent, palam obsisterent, et noxios errores scriptis libris refellerent, non vero occultis susurris nocere tentarent viro illi, cujus doctrina Romanæ Ecclesiæ et Africanorum, immo et omnium toto orbe catholicorum doctrinæ congrueret. Ad hos ausus impelli hujusmodi homines, quod ægre ferrent iis resisti quæ in suis Collationibus Augustinianæ doctrinæ adversa attulerant, nec ignotum ipsis, quod si talia in qualibet frequentia sacerdotum moverent, centenis sibi beatissimi Augustini voluminibus obviaretur; quibus abunde probatum esset, in nullo alio gloriandum, cum boni aliquid operati sumus, quam in gratia Christi Domini, non vero in viribus liberi arbitrii. Sperare tamen se de misericordiæ Dei divitiis (Ibid., n. 5), quod quos tunc libero falli arbitrio et ab humilitatis via evagari patiebatur, non usquequaque, neque in finem, esset intelligentia fraudaturus.*

*In hoc autem errabant illi (Ibid. et num. seqq.), quod virtutum bonorumque operum principia in naturali possibilitate statuerent; aut si hæc a gratia fluere dicerent, hanc a bono aliquo opere aut ab aliqua bona voluntate fuisse præventam, et talium merito concessam. Hujusmodi errorem S. Prosper sedulo evertit, ex Scripturarum testimoniis probans, homini post lapsum nullas ad bonum superesse vires, nec ad merendum quidem, sine prævenientis gratiæ auxilio: et a perditione quam Adæ peccato incurrerunt homines solius Dei miserantis gratia gratuita erui posse. Quod efficit adducto infantium sine baptismo decedentium exemplo, et earum gentium ad quas hactenus salutis Evangelium nondum noscitur pervenisse. Gratia vero non negari liberum arbitrium, sed statui et reformari. Quod sibi relictum ad malum et ad lapsum dumtaxat homini sufficit, gratia vero sanandum est, qua aliter cogitare et agere ipsi inspiratur, sanitatemque suam, non sibi, sed medico suo acceptum referre docetur (Num. 19). Tandem sanctus Prosper obductam Augustini doctrinæ calumniarum nubem dissipat, qua fatum aut duplicem naturam inducere fingebatur. Nihil talibus erroribus proximum ab eo umquam scriptum contendit. Augustino aut discipulis ejus nihil quidquam fato contingere, sed omnia divinæ providentiæ ordinatione dirigi, docet. Nec duas ab illis statui naturas, unam bonam, malam alteram, sed unam omnino; quæ cum creata esset recta, a rectitudine primi hominis peccato decidit, mortique æternæ facta est obnoxia: sed nova in Christo creatione reparandam, qui libertatem hominis reparando et continuis auxiliis præveniendo salvat. Operi finem imponit (Num. 20), Rufinum amicum exhortando ut Augustini disputationibus cognoscendis curam impendat, si vere de sana circa Dei gratiam doctrina instrui desideret sicut cum desiderare conveniebat.*

---

Digitized by Google

# S. PROSPERI
## AQUITANI
# [*] EPISTOLA AD [a] RUFINUM.
## DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

Domino [b] fratri dilectissimo in Christo, et merito venerabili Rufino, Prosper æternam [c] salutem dicit.

**87** Prolog. — 1. Accepi per communem amicum fraternæ erga me sollicitudinis tuæ signa, et curam sincerissimæ charitatis gratulanter agnovi. Ac ne quid maligni rumores, in quantum se auribus tuis subtrahere nequeunt, formidinis tibi aut anxietatis inferrent; absolvere te ab omni scrupulo, quantum epistolari licuit sermone, curavi : in tantum studens omnia plenissima veritate tibi pandere, ut quia non potuisti in totum quæ ab adversantibus disseminantur audire, per me ipsum queas quidquid de nobis ad inanem invidiam fertur referturque cognoscere. Sed insinuanda prius sanctitati tuæ est qualitas quæstionis, de qua ista nascuntur : quo tibi magis pateat falsitas obloquentium et videas quam lucem quibus tenebris conentur obducere.

[*] Cap. I. — 2. Pelagiana igitur hæresis, quo dogmate catholicam fidem destruere adorta sit, et quibus impietatum venenis viscera Ecclesiæ atque ipsa vitalia corporis Christi voluerit occupare, notiora sunt quam ut opere narrationis indigeant. Ex his tamen una est blasphemia, nequissimum et subtilissimum germen aliarum, qua dicunt *Gratiam Dei secundum merita hominum dari*. Cum enim [d] primum tantam naturæ humanæ vellent astruere sanitatem [*Alias* sanctitatem], ut per solum liberum arbitrium [e] posset assequi Dei regnum : eo quod [f] tam plene ipso conditionis suæ præsidio juvaretur, ut habens naturaliter rationalem intellectum, facile bonum eligeret, malumque vitaret et ubi in utraque parte libera essent opera voluntatis, non facultatem his qui mali sunt ad bonum **88** deesse, sed studium. Cum ergo, ut dixi, totam justitiam hominis ex naturali vellent
A rectitudine ac possibilitate subsistere, atque hanc [g] definitionem doctrina sana respueret; damnatum a catholicis sensum, [h] et multis postea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio servaverunt, ut ad incipiendum, et ad proficiendum, et ad perseverandum in bono necessariam homini Dei gratiam profiterentur.

Cap. II. — 3. Sed in hac professione, [i] quo dolo vasa iræ molirentur irrepere, ipsa Dei gratia vasis misericordiæ revelavit. Intellectum est enim, saluberrimeque perspectum, hoc tantum eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, [j] per creaturarum contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecus judicio ejus ostentet, quo unusquisque secundum voluntatis suæ motum,
B si quæsierit, inveniat; si petierit, [k] accipiat; si pulsaverit, introeat. Quia scilicet gratiæ ipsius vocatio, hoc primum circa nos agat, ut nostræ facultatis arbitrium admoneat; nec aliud sit gratia, quam lex, quam propheta, quam doctor, cui circa omnes homines per universum mundum commune et generale sit studium, ut qui voluerint credant, et qui crediderint, justificationem merito fidei et bonæ voluntatis accipiant : [l] ac sic gratia Dei secundum hominum meritum tribuatur : atque hoc modo gratia non sit gratia : quia si meritis redditur, et non ipsa est bonorum creatrix, frustra gratia nominatur.

Cap. III. — 4. Has autem versutias, quibus se filii **89** tenebrarum in similitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cum et Orientalium episco-
C porum judicia, et apostolicæ sedis auctoritas, et Africanorum conciliorum vigilantia deprehenderit : beatissimus quoque Augustinus, præcipua utique in hoc tempore portio Domini sacerdotum, [m] copiose et

[*] Scripta, vivente Augustino, circiter annum Christi 429.

[a] Editiones Lovan. Duac. et Colon. anni 1630 legunt hic *ad Ruffinum*, et paulo infra *Ruffino*. Mss. Remigiano-Remensis et Joliensis, capituli Ecclesiæ metropolitanæ Parisiensis, cum edit. Lugdun. 1539, Venetiana 1538, et nova editio Operum S. Augustini tertia parte appendicis, *ad Rufinum*, et, *Rufino*.

[b] Antiquissimum exemplar Remensis abbatiæ sancti Remigii, de quo supra (ad quod hæc epistola per viros doctissimos monachos ordinis sancti Benedicti Sangermanensis cœnobii fuerat jam recognita), hoc loco præterit *fratri*, sed sub finem tamen cum editis consentiens habet, *veneratissime mihi frater*.

[c] Ms. Jol., *æternam salutem*, absque voce hac *dicit*.

[d] Ms. Jol. omittit hanc vocem, *primum*. Alii codices non omittunt.

[e] Ms. Jol., *possit assequi*.

[f] Editio Veneta., *tam plane*.

[g] Ms. Jol. et edit. Venet., *diffinitionem*.

[h] Ms. Jol omittit particulam *et*.

[i] Sic ms. Joliensis. Codex Remig., *quod dolo*. Editi autem, *quomodo*, et paulo post idem. Jol. ms., *in vasis misericordiæ*.

[j] Ita mss. Remig. et Jol. Editi vero, *per creaturam, per contemplationem*. Et post pauca uterque ms. *ostentet*, ubi editi habent, *ostendat*.

[k] Sic ms. Jol. cum edit. Veneta. Alii codices, *recipiat*.

D [l] Editi Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *ac si*. Editio Ven. conformiter mss. Remig. et Jol., *ac sic*.

[m] Ita editi omnes. At vero ms. Remig. *copiosa et pulchra in multis voluminum disputatione destruxerit*. Ms. autem Jol., *copiosa et pulchra in multorum voluminum disputatione destruxit*.

Digitized by Google

pulchre, in multis voluminum disputationibus de- A struxit: utpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissime Spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientiæ et sapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non solum istam adhuc in suis detruncationis palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas ad illuminationem Ecclesiæ, et ad gloriam Christi, qua ipse illustratus est, perfulgenti, quidam nostrorum (quod de ipsis multum dolendum est) occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur; et prout sibi [a] obnoxias aliquorum aures opportunasque repererint, [b] scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant; dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, et sub gratiæ nomine B necessitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam, duas illum humani generis massas, et duas credi velle naturas: ut scilicet tantæ pietatis viro paganorum et Manichæorum ascribatur impietas. Quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes, ne dicam tam impii, sunt, ut tam abruptam perniciem ab Ecclesia non repellant, tam insanis prædicationibus non resistant, nec saltem aliquibus scriptis eum, a quo talis emanat doctrina, conveniant? Magna enim gloria sua humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint. Nisi forte modesti homines, novique censores, magnorum prius meritorum seni honorabiliter ac misericorditer parcunt, et securi quia libros ejus nemo usquam recipiat, conquiescunt; [c] atque ignoverint, immo noverint, non solum C Romanam Africanamque Ecclesiam, et per omnes mundi partes universos promissionis filios cum doctrina hujus viri, [d] sicut in tota fide, ita in gratiæ confessione congruere: sed etiam in his ipsis locis, in quibus adversus eum querimonia concitatur, esse, propitio Deo, plurimos, qui ad perceptionem evangelicæ apostolicæque doctrinæ saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur, et quotidie in membris corporis **90** Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur. Si recte reprehendimur, cur non constanter arguimur? Si arguendi non sumus, cur occulta obtrectatione mordemur?

Cap. IV. — 5. Sed [e] quis nescit cur ista privatim de stomacho garriant, et publice de consilio conticescant? Volentes enim in sua justitia magis quam D in Dei gratia gloriari, moleste ferunt quod [f] his quæ adversum excellentissimæ auctoritatis virum, inter multas [g] collationes asseruere, resistimus. Nec dubitant, si quam hinc moverint quæstionem, in qualibet frequentia sacerdotum, in qualibet congregatione populorum, centenis sibi beatissimi Augustini voluminibus obviandum. Quæ cum [h] cordibus audientium manifestare cœperint potentissimam Christianæ fidei veritatem, et de fontibus divini eloquii præsentium animos inundare, quis fidelium, quis piorum, recognitis et commendatis sibi salutis suæ causis, amaritudinem istam volet fumosæ recipere vanitatis? Ego quidem etiam hoc de divitiis misericordiæ Dei spero, quod quos nunc libero falli arbitrio suo, et ab [i] humilitatis via patitur evagari, non usquequaque neque in finem sit intelligentia fraudaturus; sed hunc ipsum in longinquiora progressum, ideo ab eo tardius revocari, ut opus gratiæ ejus majore gloria celebretur, cum sibi etiam adversantium corda subdiderit, quibus de virtutum studio exortum est periculum, et de morum probitate discrimen. Non quia quisquam carere his debeat, sed quia miserrimus eorum usus est, cum ex naturali putantur facultate [j] prodisse; aut ex largitate quidem gratiæ, sed aliquo vel boni operis, vel bonæ voluntatis merito præcedente venisse.

Cap. V. — 6. Asserunt quidem hæc quibusdam sanctarum Scripturarum testimoniis, sed non rationabiliter assumptis. Ad defensionem enim alicujus definitionis ea promenda sunt, quæ alteri intellectui, a quo videtur definitio dissonare, non cedant, et eam regulam, cui sunt aptata, non deserant. Dictum ergo aiunt libero arbitrio utentibus: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam: tollite jugum meum super vos, et discite a me quoniam mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 28). Quod ad omnes homines volunt pertinere, laborantes in incerto istius vitæ oneratosque **91** peccatis, ut qui voluerint mansuetudinem et humilitatem Salvatoris imitari, et jugum mandatorum ejus subire, inveniant requiem [k] animabus suis [l] in spe vitæ æternæ; qui autem hæc facere noluerint, sua culpa careant salute; quam si voluissent, [m] potuerant obtinere. Sed audiant et dictum a Domino libero arbitrio utentibus: *Sine*

[a] Edit. Lov., Duac. et Colon., *sibi noxias*; minus bene.
[b] Ms. Jol. solus, *scripturas ejus*.
[c] Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *atque ignoverint. Immo noverunt*. Ms. Jol. post hanc vocem, *conquiescunt. Atqui non noverint, immo noverunt*, etc.
[d] Ms. Jol., *sicut tota fide*.
[e] Ms. Jol., *quis nesciat*. Ms. Remig., *qui nesciat*.
[f] Ms. Jol., *in his quæ*, etc.
[g] Collationes Patrum intelligit, a Joanne Cassiano presbytero editas anno 426. Earum scilicet ille classem secundam, quæ ab undecima collatione incipit, Honorato et Eucherio inscripsit, nondum episcopis: quandoquidem eos in præfatione fratres appellat; ipse autem Honoratus Arelatensem episcopatum dicto anno 426 obtinuit. Definitionibus porro tertiæ decimæ collationis Augustino contrariis sanctus Prosper voce ac sermone primum, deinde vero post Augustini obitum, scripto volumine, quod *contra collatorem* vocant, resistendum existimavit.
[h] Ms. Jol., *cordibus obviantium*.
[i] Edit. Lugd. et Ven., *humanitatis*; alii rectius, *humilitatis*.
[j] Edit. Ven. sola, *prodesse*.
[k] Ms. Jol., *animis suis*.
[l] Editio Augustiniana sola, *in spem*.
[m] Sic mss. Remig. et Jol. et edit. Operum S. Aug. At editiones Ven., Lugd. et Lovan., *potuerint*. Duac. et Colon., *potuerunt*.

Digitized by Google

*me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5); et, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum* (*Joan.* vi, 44); et, *Nemo potest venire ad me nisi datum ei fuerit a Patre meo* (*Ibid.* 66); et, *Sicut Pater vivificat mortuos, ita et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* v, 21); et, *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Luc.* x, 22). Quæ omnia cum sint incommutabilia, et nequeant ulla interpretatione in sensum alium detorqueri, quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique [a] generaverit? Alioquin sufficeret moneri hominem, non etiam in ipso novam fieri voluntatem, sicut scriptum est: *Præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* viii, 35, *juxta LXX*); et sicut ait Apostolus: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate* (*Philip.* ii, 13). Pro qua bona voluntate, nisi quam in ipsis operatus est Deus, ut quod donaverat velle, donaret et facere.

Cap. VI. — 7. Dicunt etiam ad demonstrandam liberi arbitrii facultatem, magnum in centurione Cornelio exstare documentum: eo quod ante gratiæ perceptionem *timens atque orans Deum, eleemosynis, et jejuniis, et orationi* spontaneo studio *fuerit intentus* (*Act.* x, 2); atque ob hoc divino testimonio laudatus, donum regenerationis acceperit. Neque intelligunt omnem illam præparationem Cornelii per Dei gratiam fuisse collatam (*Vide synodum Arausicanam infra*). Siquidem cum sanctus Petrus per visionem [b] omne genus animalium, de baptizando Cornelio, ac perinde de omnibus gentibus doceretur, atque ille immundum et indiscretum cibum Judaica observantia recusaret, trina ad eum vox [c] facta est dicens, *Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* x, 15). Quo satis aperte ostenditur omnia bona opera quæ in Cornelio præcesserunt, [d] Dei gratia ad emundationem ipsius inchoasse: ut cui Dominus jam impertierat hoc donum, non dubitaret Apostolus conferre sacramentum, ne novæ et necdum revelatæ vocationis vacillaret exordium, nisi per ipsa indicia præcedentium studiorum, Deum in assumendis constaret operatum. *Non enim omnium est fides* (II *Thess.* iii, 2); *nec* **92** *omnes credunt Evangelio* (*Rom.* x, 16). Sed qui credunt, Dei aguntur Spiritu; qui non credunt, libero avertuntur arbitrio. Conversio ergo nostra ad Deum non ex nobis, sed ex Deo est: sicut Apostolus dicit, *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est;* [e] *et non ex operibus, ne quis glorietur* (*Ephes.* ii, 8).

Cap. VII. — 8. Agnoscat se humana debilitas, et in primo homine universarum generationum damnata successio; et cum mortui vivificantur, cum cæci illuminantur, cum impii justificantur, confiteantur vitam, et lumen, et justitiam suam Jesum Christum; et *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* i, 31), non in se: qui cum esset impius, et cæcus, et mortuus, a liberatore suo gratis accepit et justitiam, et lumen, et vitam. Non enim [f] juste agebat, et aucta est justitia ejus; nec ad Deum gradiebatur, et confirmatus est cursus ejus; nec diligebat Deum, et inflammata est charitas ejus; sed cum esset sine fide, ac proinde impius, accepit Spiritum fidei, et factus est justus: *Justus autem ex fide vivit* (*Rom.* i, 17); et, *Sine fide nemo potest placere Deo* (*Hebr.* xi, 6); et, *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* xiv, 23): ut scilicet [g] intelligat justitiam infidelium non esse justitiam quia sordet natura sine gratia.

Cap. VIII. — 9. Amissa quippe naturali innocentia, homo exsul ac perditus, ambulans sine via, profundiores intrabat errores; sed quæsitus, et inventus, et reportatus est, et in via quæ veritas et vita est introductus; [h] ac dilectione in Deum, qui illum non diligentem prior dilexit, [i] ignitus est: sicut dicit beatus apostolus Joannes, *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam* [j] *ipse dilexit nos* (I *Joan.* iv, 10); et iterum, *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* (I *Joan.* iv, 19); et idem dicit, *Charissimi, diligamus invicem, quoniam charitas ex Deo est; et omnis qui diligit ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum; quia Deus charitas est* (I *Joan.* iv, 7 *et* 8). Cui beatus Paulus congruit, dicens, *In Christo Jesu, neque circumcisio, neque præputium valet aliquid, sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* v, 6). Unde habetur hæc fides connexa charitati, nisi unde eam ipse monstrat acceptam, dicens, *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini* (*Philip.* i, 29). Quod utique fieri sine magna charitate non poterat. Et iterum, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5). Sine qua charitate Apostolus quantam fidem quantamque scientiam, quas virtutes, quæ studia, quos labores, **93** nihil prodesse testatur (I *Cor.* xiii, 3)? Quia scilicet multa laudabilia atque miranda possunt in homine reperiri, quæ sine charitatis medullis habent quidem pietatis similitudinem, sed non habent veritatem.

Cap. IX.—10. Hoc ergo tanto et tam ineffabili bono, nemo inventus est dignus, [k] sed quicumque electus est a Deo, factus est dignus: sicut dicit Apostolus (*Coloss.* i, 3), *Gratias agentes Patri, qui*

[a] Duac. et Colon., *generavit.* Tum Duac. et Colon., *sufficere.* Ven., *moveri hominem.* Aliæ cum mss., *sufficeret moneri.*
[b] Ms. Jol., *omnigenum animalium.*
[c] Ita Edit. Ven. Reliqui codices, *facta sit.*
[d] Editio S. Augustini, *Dei gratiam.*
[e] Editio S. Aug. omittit particulam *et.*
[f] In ms. Remigiano deest *juste.*
[g] Ms. Jol., *ut scilicet intelligas.*
[h] Editi, *introductus ad dilectionem in Deum.* Mss. Remig. et Jol., *introductus; ac dilectione in Deum*, etc.
[i] Sic. mss. Remig. et Jol. cum nova edit. August. Editi nostri omnes, *agnitus est.*
[j] Ms. Jol., *ipse prior dilexit nos;* et post pauca, *prior dilexit nos Deus.*
[k] Hæc verba, *sed quicumque electus est a Deo, factus est dignus*, non leguntur in ms. Jol.

Digitized by Google

*dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine,* A *qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.* Et idem ad Timotheum (II *Tim.* I, 8) : *Conlabora,* inquit, *Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit et vocavit vocatione sancta : non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.* Et ad Titum (*Tit.* III, 3) : *Eramus,* inquit, *et nos aliquando insipientes et increduli, errantes et servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem : cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ* [a] *quæ fecimus, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Gratia igitur Dei quoscumque justificat, non ex bonis meliores, sed ex B malis bonos facit; postea per profectum, [b] ex bonis factura meliores; non adempto libero arbitrio, sed liberato : quod donec sine Deo solum fuit, mortuum fuit justitiæ, vixitque peccato : ubi autem ipsum illuminavit misericordia Christi, erutum est a regno diaboli, et factum est regnum Dei ; in quo ut permanere possit, ne ea quidem facultate sufficit sibi, nisi inde accipiat perseverantiam, unde accepit industriam [*Forte* justitiam].

Cap. X.—11. Quoniam et ipsius sancti Petri ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi [c] pro eo Dominus supplicasset : sicut Evangelista manifestat, dicens (*Luc.* XXII, 31, 32) : *Dixit autem Jesus Petro, Simon, Simon, ecce Satanas postulavit ut vos cribaret velut triticum : ego autem rogavi pro* C *te, ne deficiat fides tua : et tu tandem conversus, confirma fratres tuos ; et roga, ne intretis in tentationem* (*Ibid.*, 40). Et ut magis probaretur liberum arbitrium nihil posse sine gratia ; cui dictum fuerat, *Confirma fratres tuos,* et *roga, ne intretis in tentationem* ; quique [d] responderat, utique ex libero arbitrio, *Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire* (*Ibid.*, 33) ; eidem prædicitur quod priusquam gallus cantet, ter Dominum negaturus sit. Quod quid est aliud **94** quam quod in fide defecturus sit ? Certe rogaverat pro eo Dominus ne deficeret fides ipsius : nec utique frustra rogaverat, cujus una erat cum eo quem rogaverat, operatio. Sed ne libero arbitrio videretur stare qui de se D magna promiserat, permittitur periclitari ; ut conturbatum ac deficientem ille respiciat et reficiat, sine quo nemo consistit, nemo persistit.

Cap. XI. — 12. Ab hac autem confessione gratiæ Dei, ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, et qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum, certus apud Deum, definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, et secundum propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire. Neque enim remotum est ab inspectione communi quot sæculis quam innumera hominum millia erroribus suis impietatibusque dimissa, sine ulla veri Dei [e] cognitione defecerint. Sicut etiam in Actibus Apostolorum, Pauli et Barnabæ verba declarant, dicentium [f] Licaoniis (*Act.* XIV, 14) : *Viri fratres, quid hæc facitis ? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ut ab his vanis convertamini ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt ; qui in præteritis generationibus, dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem* [g] *non sine testimonio semetipsum relinquens, benefaciens eis, de cœlo dans pluviam et tempora fructifera, implens cibo et lætitia* [h] *corda vestra.* Cum utique si eis vel naturalis intelligentia, vel usus beneficiorum Dei ad capessendam vitam æternam sufficere potuisset, nostro etiam tempore rationalis nos contemplatio, et temperies aeris, et fructuum copia, ciborumque salvaret : quia scilicet melius natura utentes, Creatorem nostrum propter quotidiana ipsius dona coleremus.

Cap. XII.— 13. Sed absit ab animis piorum et Christi sanguine redemptorum stulta nimium et perniciosa persuasio. Naturam humanam non [i] liberat extra unum mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum (I *Tim.* II, 5) ; sine illo nemini salus est (*Act.* IV, 12). Sicut *ipse fecit nos, et non ipsi nos* (*Psal.* XCIX,3) ; ita ipse [j] reficit nos, et non ipsi nos. Ac ne sibi facultas hominis pretium reparationis hujus, vel post restitutionem sui, per opera videretur justitiæ repensare ; effuderunt **95** se divitiæ bonitatis Dei in ipsa quorumdam primordia parvulorum ; in quibus nec præcedens eligitur, nec secutura devotio; non obedientia, non discretio, non voluntas. De his enim loquor qui mox ut nati sunt renascuntur, et rapti ab hac vita æternæ beatitudini deputantur ; cum tamen innumerabilis multitudo, ejusdem naturæ, ejusdem conditionis infantium, sine regeneratione decedat, de qua dubitari non potest quod partem in Dei civitate non habeat.

[a] Ms. Jol., *quæ fecimus nos.*

[b] Ms. Jol., *ex bonis facit meliores.*

[c] Edit. Ven., *pro ea.*

[d] Editi, *respondit ;* mss. Remig. et Jol., *responderat.*

[e] Ms. Remigiano-Remensis, *cogitatione.*

[f] Editi, *Iconiis.* Mss. duo Remig. et Jol., *Licaoniis,* conformiter sacro textui.

[g] Remig. codex, *Et quidem sine testimonio :* omisso *non.*

[h] Editi, *corda eorum.* Mss. Remig. et Jol., *corda vestra.*

[i] In ms. Jol. sic locus iste legitur : *Sed absit ab animis piorum. Stulta nimium et perniciosa persuasio naturam humanam non liberat. Extra unum mediatorem . . . nemini est salus.* Desuntque ibi hæ duæ voces, *sine illo* : ut et in ms. Remig. qui sic locum hunc exhibet, *Naturam humanam natura humana non liberat : extra unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, nemini salus est.*

[j] Ms. Remig. et edit. Ven., *refecit nos.* In ms. Jol. desunt hæc : *Ita ipse reficit nos, et non ipsi nos*

Digitized by Google

CAP. XIII.—14. Et ubi est illud quod nobis quasi contrarium a non intelligentibus semper opponitur [a], quod *Deus omnes homines velit salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* II, 4)? Numquid non sunt de omnibus hominibus qui a præteritis generationibus usque in hoc tempus sine Dei cognitione perierunt? Et si majoribus natu (quod non recte dicitur) mala opera quæ libero arbitrio commiserant obfuerunt, quasi boni, non mali gratia liberentur, inter salvatos parvulos et non salvatos parvulos, quæ meritorum potuit esse discretio? quid istos introduxit in regnum Dei? quid istos exclusit a Dei regno? Equidem [b] si meritum consideres, non una pars salvari meruit, sed utraque damnari: quia omnibus in Adæ prævaricatione prostratis, nisi quosdam assumeret misericors gratia, maneret super universos inculpata justitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa vel ratio, et supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, et sine fidei diminutione nescitur: modo confiteamur neminem immerito perdi, neminem merito liberari, et omnipotentissimam Domini bonitatem omnes salvare, et omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos *vult omnes fieri salvos, et ad agnitionem veritatis venire.* Nisi enim ipso vocante, docente, salvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur. Quia etsi indifferenter omnibus hominibus jubentur prædicare doctores, et semen verbi ubique disserere; tamen *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7).

CAP. XIV.— 15. Unde cum apostoli gentibus Evangelium prædicare cœpissent, de parte quadam eorum qui audierant, Scriptura commemorat, dicens, *Audientes autem gentes gavisæ sunt, et glorificabant* [c] *verbum Domini, et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam* (*Act.* XIII, 48). Et alibi, cum multæ mulieres audirent Paulum docentem: *Quædam*, inquit, *mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis* [d] *Tyatirorum, colens Deum, audivit, cujus Dominus aperuit cor ut intenderet his quæ dicebantur a Paulo* (*Act.* XVI, 14). Et rursum eo ipso tempore, quo **96** ad omnes gentes prædicatio Evangelii mittebatur, quædam loca [e] Apostoli adire prohibentur ab eo qui *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire:* multis utique in illa D diretardatis atque aversis [*Forte* retardati atque aversi] Evangelii mora, sine agnitione veritatis et sine regenerationis consecratione morituris. Dicat ergo Scriptura quod gestum est: *Transeuntes autem*, inquit, *Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt a sancto Spiritu loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, et non permisit illos Spiritus Jesu* (*Ibid.*). Quid autem mi- A rum, si inter ipsa evangelicæ prædicationis exordia, non poterant ire apostoli nisi quo eos Spiritus Dei ire voluisset; cum videamus plerasque gentes modo primum Christianæ gratiæ [f] fieri cœpisse participes, alias autem nullum adhuc odorem boni istius attigisse?

CAP. XV.—16. An dicendum est, voluntati Dei humanas obsistere voluntates, et tam feros tamque intractabiles horum hominum esse mores, ut Evangelium ideo non audiant, quia prædicationi impia corda non pateant? [g] Et quis istis corda mutavit, nisi *qui finxit singillatim corda eorum* (*Psal.* XXXII, 15)? Quis hujus rigoris duritiem ad obediendi mollivit affectum, nisi qui *potens est de lapidibus Abrahæ filios excitare* (*Matth.* III, 9)? Et quis dabit prædi- B cantibus intrepidam illæsamque constantiam, nisi ille qui ait Paulo, *Noli timere, sed loquere, et ne taceas; propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi ut noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac civitate* (*Act.* XVIII, 9)? Puto autem quod nemo audeat dicere ullam mundi gentem, ullam terræ prætermittendam esse regionem, in qua non sint Ecclesiæ tabernacula dilatanda, dicente Deo ad Filium, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8); et iterum, *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium* (*Psal.* XXI, 28): dicente quoque ipso Domino, *Prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus,* C *et tunc veniet finis* (*Matth.* XXIV, 14). Quæcumque ergo gentes nondum audierunt, audient Evangelium, et credent *quotquot ex eis præordinati sunt in vitam æternam* (*Act.* XIII, 48). Non enim alii venient in consortium hæreditatis Christi, quam qui ante constitutionem mundi electi sunt, et prædestinati atque præsciti, *secundum propositum ejus qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ* (*Ephes.* I, 11).

CAP. XVI.—17. Confiteamur igitur opera Domini, et glorificemus misericordias ejus, nec impatienter feramus quod quæ aut quanta sint electionis vasa non novimus. Quia et in anterioribus sæculis, quando de **97** unius gentis populo dicebatur, *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV, 2); futura gentium latebat electio; et postmodum innotuit quod revelatum ante non fuerat: sicut dicit Apostolus, *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in Spiritu, esse gentes cohæredes, et concorporales, et comparticipes promissionis in Christo Jesu* (*Ephes.* I, 11). Et in Actibus apostolorum, *Obstupuerunt*, inquit, *ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est* (*Act.* X, 45). Si enim

[a] Ms. Jol., *opponitur de eo quod scriptum est, qui vult omnes homines*, etc.
[b] Ms. Jol., *si meritorum donum consideres.*
[c] Editi, *verbum Dei.* Mss. Remig. et Jol., *verbum Domini.*
[d] Ms. Jol., *Tyatirenorum.*
[e] Editi, *Apostolis adire prohibebatur.* Mss. duo, ut in textu.
[f] Ms. Jol., *fidei cœpisse.*
[g] Ms. Remigianus, *Et quid.*

Digitized by Google

hoc consilium vocationis suæ Dominus, quamdiu voluit, abscondit ac distulit, et quando voluit, [a] revelavit, sanctisque ejus ignorantia ista non nocuit, cur spei nostræ obesse credimus, si in quo numero quibusve hominibus vasa misericordiæ in gloriam præparantur, occulitur? cum tamen constet regnum cœlorum omnes ingressuros bonos, hoc eis donante Dei gratia, et nullos ingressuros malos, hoc ipsorum merente nequitia.

Cap. XVII. — 18. Nimium vero inepte, nimiumque inconsiderate ab adversantibus dicitur quod per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio. Quamvis enim in parvulis baptismum transeuntibus, manifestissime nullum opus nullusque appetitus eorum voluntatis existat, et plerosque utentes quidem libero arbitrio, sed aversos a vero Deo, vitamque in flagitiis exigentes liberatrix regeneratio in ipso exhalandi spiritus fine sanctificet, tamen si eam filiorum Dei partem quæ ad pietatis opera reservatur, pio consideremus intuitu, nonne in eis non peremptum inveniemus liberum arbitrium, sed renatum? Quod utique cum solum esset, sibique permissum, non nisi in suam perniciem movebatur. Ipsum enim se excæcaverat, et ipsum se illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium conversum est, non eversum, et donatum est ei [b] aliter velle, aliter sapere, aliter agere, et incolumitatem suam non in se, sed [c] in medico collocare : quia necdum tam perfecta utitur sanitate ut ea, quæ ei nocuerant, nequeant jam nocere, aut ab insalubribus possit jam viribus suis temperare. Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus; sed per se malus, per Deum bonus; qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformavit, ut ei non solum culpam malæ voluntatis et actionis **98** remitteret, sed etiam bene velle, bene agere, atque in his permanere donaret. *Omne enim*, inquit apostolus Jacobus, *datum optimum*, *et omne donum perfectum desursum est*, *descendens a Patre luminum* (*Jacob.* I, 17). Qui quale sit liberum arbitrium quod humano spiritu agitur, et quale sit quod a Deo regitur, evidenter ostendit, dicens, *Quod si zelum amarum habetis*, *et contentiones in cordibus vestris*, *nolite gloriari adversum veritatem*, *et mendaces esse; non est ista sapientia desursum descendens*, *sed terrena*, *animalis*, *diabolica. Ubi enim zelus et contentio*, *ibi inconstantia et omne opus pravum. Quæ autem de-*A *sursum est sapientia*, *primum quidem pudica est*, *deinde pacifica*, *modesta*, *suadibilis*, [d] *plena misericordia et fructibus bonis*, [e] *non dijudicans*, *sine simulatione* (*Jacob.* III, 14, etc.). Quicumque ergo his virtutibus student atque inhærent, non sua, sed superna sapientia illustrati sunt : *Quoniam Dominus dat sapientiam*, *et a facie ejus* [f] *scientia et intellectus* (*Prov.* I, 6). Et hæc eorum [g] verissima gloria est, si non in se, sed in Domino gloriantur.

Cap. XVIII. — 19. Ea autem quæ de fato et de duabus massis duabusque naturis, stultissimo mendacio, [h] in tanti viri injuriam jactitantur, neque ipsum quidem onerant, in cujus libris copiosissime hujusmodi destruuntur [i] errores; nec nos perturbant, qui tales opiniones cum suis auctoribus exse-B cramur (*Vide Aug. lib.* II *contra duas epist. Pelag. c.* 6 *et* 7, *ac lib.* IV *contra Julian*, *c.* 8, *infra append. parte* II). Sed videant quomodo se a dedecore istius exuant falsitatis, qui possunt tam inepta confingere, si hi quorum [j] abutuntur auribus, aliquantulum diligentiæ ad cognoscenda ea quæ præstantissimus [k] minister gratiæ disputavit, intenderint : licet omnem istius inquisitionis moram ipsi, qui hæc loquuntur, prævenire deberent, proferendo atque explicando libros, ullamve eorum particulam demonstrando, quam per dubium saltem intellectum tali interpretationi obnoxium vir sanctus ediderit. Sed prorsus nihil tale apud nos audierunt, nihil tale legerunt : quia non fato quidquam geri, sed omnia Dei judicio novimus ordinari, nec ex duabus massis duabusve C naturis, sed ex una massa, quæ est caro primi hominis, unam scimus omnium hominum creatam creatrique naturam, et eamdem per ipsius primi hominis liberum arbitrium, *in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12), esse prostratam; nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eam ad imaginem Dei [l] secundæ creationis Christi gratia reformaverit, liberumque ejus arbitrium agendo, [m] aspirando, **99** auxiliando, et usque in finem præeundo servaverit.

Epilogus. — 17. Unde quia perspicit sanctitas tua (si tamen sermonis mei non obsistit obscuritas) frustra quosdam de nobis conqueri, et omnes illas ineptas [n] criminationes, ad exasperandos avertendosque animos eorum quibus aliud volunt persuadere, con-D texi : [o] confide ergo in virtute misericordiæ Dei, quoniam hæc contradictio, sicut in aliis mundi par-

[a] Ms. Jol., *revelavit sanctis : quæ eis ignorantia ista non nocuit.*

[b] Ms. Jol. addit hæc verba, *aliter velle*, cum Lugd. et Ven. editis, et ms. Remig. veteri.

[c] Editio Veneta, *in Mediatore.*

[d] Editi, *plena misericordiæ.*

[e] Ms. Jol., *non dijudicans secundum simulationem.*

[f] Ms. Jol., *scientiæ.*

[g] Ms. Jol., *verissime gloria est.*

[h] Editi, *intenti viri injuriæ jactitant.* Mss. duo ut in textu : nisi quod unus ex his, *jacitantur* habet, pro, *jactitantur.* Editio Veneta, *in tanti viri injuriæ*, forte pro, *injuriam.*

[i] Ms. Jol., *doctores et errores.*

[j] Ms. Jol., *imbuuntur aures.*

[k] In ms. Jol. a prima manu, *magister gratiæ;* a posteriori correctum, *minister gratiæ.*

[l] Ms. Jol., *secunda creationis Christi gratia reformaret.*

[m] Editi habebant, *sperando.* Melius correctum ex fide ms. veteris in Augustino, *spirando;* nec minus bene forte quod substituimus ex ms. Joliensi, *aspirando.* Anterioribus editionibus in margine appositum ex conjectura, *Forte inspirando.*

[n] Ms. Jol., *quæstiones vel criminationes.*

[o] Apud Augustinum, *confido ego in virtute.* Ms. Jol., *confide ergo in virtute.* Editi, *in virtutem.*

Digitized by Google

tibus, ita et in his regionibus conquiescet : ut prædicatio summi hoc tempore in Ecclesia viri, etiam ab his a quibus ad præsens [a] repellitur, adjuvetur. Tu autem, dilectissime et venerandissime mihi frater, si vere de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis beati Augustini A disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam evangelicæ apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris. Gratia Dei et pax Domini nostri Jesu Christi custodiat te in omni tempore, et per viam veritatis dirigat in vitam æternam.

[a] Editi *revellitur*. Ms. Remig. et Jol., *repellitur*.

# ADMONITIO
## IN CARMEN S. PROSPERI DE INGRATIS.

*Carmen de Ingratis mille versibus constans, ab omnibus S. Prospero Aquitano, nemine refragante, hactenus fuit assignatum. Nobile quidem opus, ex magnis sententiis, magnisque sensibus, magnificis denique verbis et locutionibus coalescens, et in quo unice collineat poeta, ut detecto Pelagianorum errore, Massiliensibus ostendat ipsos ejusmodi hæreticorum vestigia eo usque premere, ut vix alii quam occulti Pelagiani censeri debeant. Hæc sunt ipsissima verba doctissimi Operum Leonis et Prosperi censoris, in dissertatione nona, de veris Operibus SS. PP. Leonis et Prosperi, pag.* 417. *Qui subdit et ista : « Hoc porro poema, omnium splendidius prolixiusque quæ Prosper edidit, semper pro ejus genuino partu cognitum celebratumque merito fuit. Non enim ibi alia aliisque verbis et elocutionibus canit, quam quæ in reliquis ejus dogmaticis tractatibus exaggerantur. » Hoc autem Carmen pluribus ejus lucubrationibus anteriorem ex hoc præjudicio censuisse se declarat, quod cum lusus illi poetici juvenilibus animis longe magis congruant, quam ætate maturis; Aquitani doctoris nostri facultatem tum prolixius excitare atque exercere potuerint, antequam a nostratibus (Massilienses aliosque provinciales hoc nomine designare solet) lacessitus, cum eisdem nervose et aperto marte conflixisset. Unde aliqua poeseos ejus parte relecta, vel in memoriam reducta, hos potissimum cap.* 3 *de Ingratis versus certo rem inducere posse pene persuasum habuit, dum videlicet canit S. Prosper :*

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo.
Accensum vero de lumine : nam cibus illi,
Et vita, et requies Deus est, omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi.
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, et in sancto regnat sapientia templo.

*Ita Prosper, in quibus magistrum optimum, tamquam superstitem continenti celebrat elogio : quomodo sane de aliis episcopis aut viris in hac causa præcipuis et fato jam functis ibidem non loquitur?*

*Quæ quidem doctissimi viri Censura facile ad epocham aliquam verisimilem reducit hoc opus : ad id nempe temporis quo in vivis adhuc agente Augustino, sed damnatis jam Pelagianis, cœperant oriri Semipelagianorum Massiliensium contra doctrinæ ipsius partes quasdam murmura non obscura : circa annum nempe* 429 *aut* 430. *Quo autem præjudicio se in hanc sententiam asserit inclinatum, quasi opus tanti ponderis annos maturiores dedeceret, juvenilibus dumtaxat ignoscendum; in hoc plane illi ne assentiamur plura impediunt. Nec enim artem poeticam pro merito habent suo, qui hanc soli ingeniorum nondum maturorum exercitationi accommodatam, scribendisque fabulis et aliis ludicris aptam judicant. Qui enim sic affecti sunt erga hanc artem tam eximiam, non solum sanctum hunc Ecclesiæ doctorem damnent necesse est; sed ante eum et cum illo Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Paulinum, Alcimum et innumeros alios magni nominis viros : qui licet Spiritu divino pleni, et tale scribendi genus despicientibus gravitate et sublimitate potiores, castissima tamen carmina rebus sublimioribus sanctioribusque a se utiliter accommodari posse merito non dubitarunt. Hoc pacto etiam ipse (absit verbo injuria) Spiritus sanctus veritatis omnis fons arguitur, qui maxima quæque sacramenta oraculaque sanctissima in Scripturis sacris per prophetas suos versibus proferri voluit. Damnabitur denique sancta Christi Ecclesia, eodem Spiritu sancto animata et directa ; quæ præter Psalmorum versus sacros, quibus divini cultus a se Deo exhibiti substantiam, ut cum sancto Dionysio loquamur, constare voluit, nullam earum quas septies in die Deo consecrat precum horas, absque Hymnorum versibus celebrari patitur.*

*Quin immo nec difficile est judicare quod, cum tam sublime sit poesis scribendi genus, ut poetæ veteres nihil in rerum natura styli sui majestati nobilitatique par invenientes, cœlum ipsum animo petierint, mundum novum novosque deos fingentes, insolita quædam et prodigiosa adinvenientes, quæ verborum suorum magnificentiæ, locutionumque audacium et figuratarum sublimitati aliquatenus responderent : hoc ipsum sola vere præstet Christiana religio poesi, quod frustra apud ethnicos quæsierat. In hac enim quasi turmatim occurrunt eventus innumeri, imaginationis erraticæ fictionibus longe mirabiliores. Ibi in ipso veritatis fonte occurrit mundus novus, homines novi, cœlum terræ conjunctum, humana divinis permixta, Deus homo factus, homines in deos assumpti, denique miracula innumera, tam insolita, tamque supra communem fidem posita, ut a solo Deo gratiæ singularis omnipotentissima virtute potuerint persuaderi : ita ut non minimum locum inter Semipelagianorum errores teneat, qui maxime hoc in poemate impugnantur : Posse homines ad talia credenda ex se ipsis præparari, licet eorum voluntas antea a præveniente Salvatoris misericordia, et speciali sancti Spiritus motione non præveniatur.*

*Sed forte in hoc nos felici successu fallimur, nec erunt nisi paucissimi, quos tam eximii Patris versus legere non delectet, præsertim cum materiam exhibeant tam utilem tantique momenti; aut quos non libeat in hoc carmine fidei nostræ dogmata sanctissima, ea elegantia eaque magnificentia, grata illa et ingeniosa, quæ poesim naturaliter comitantur, non minima animi cum admiratione, castisque deliciis contemplari.*

*Nec enim est, nisi fallimur, quod suspicemur, fore catholicos inter, qui egregii poematis fidem elevare audeat,*

Digitized by Google

*ea animi præsumptione et temeritate, qua hujus temporis hæretici; qui quæcumque ipsis objiciuntur e Patrum versibus testimonia, hoc solo viribus omnibus carere contendunt, quod pro jocis poeticis haberi velint : nec eadem responsione eos refelli necesse sit, quam doctissimus cardinalis Perronius in Ecclesiæ hostes usurpavit (In Repl. ad Reg. Angl. lib.* v, *cap.* 20), *vanam omnino exceptionem ab iis afferri ostendens quia multum interest profanos paganosque poetas inter, quibus sola delectatio, quæ fictionis eorum finis erat, et quæ in hocce scribendi genere præcipue delectat, et poetas sacros Christianosque, quibus sola in votis erat veritas et ædificatio, quorum scripta tanto apud Ecclesiam in pretio fuere, ut hæc in officii sui precumque partem assumere non dubitaverit.*

*Quibus adde quod, ut recte observat illustrissimus eminentissimusque præsul mox citatus, cum poetarum Christianorum defensionem exsequitur, eadem illi sæpe alibi oratione soluta tradiderunt, quod alibi strictæ commiserant : quod ipsum sancti Paulini, de quo ibi apud ipsum sermo erat, exemplo manifestum efficit. Quæ ratio maxime Prosperiano huic poemati congruit : cum in eo nihil ille scripserit, quod in aliis suis operibus prosa exaratis, et præsertim in epistola sua ad Rufinum non docuerit.*

*Præter hæc nos id addendum credimus, quod cum ex hoc carmine catholicis suppetat validissimum certissimumque antiquitatis contra Heterodoxos testimonium, asserendæ supremæ sancti Petri successorum supra omnes orbis Ecclesias auctoritati convenientissimum : non alias sanctæ sedis adversariis faveri magis posset, quam si vanæ huic opinationi locus daretur, tam eximio operi minorem fidem deberi eo quod versibus exaratum legatur. Unde fit ut eodem in opere discamus qua reverentia quoque honore suscipienda sit sana doctrina circa gratiam Jesu Christi, quæ Ecclesiæ cor merito dici potest; in quo docetur qua suspicienda est Romana Ecclesia, quæ illi esse caput agnoscitur ; et utriusque doctrinæ ita inseparabilis hoc in negotio fortuna est, ut nihil contra alteram statui queat, quæ alteri statim non noceat.*

*Sed quo majori in pretio habendum hocce opus, et omnium piorum amore venerationeque dignius, eo æquius fuit illud tam clarum et omnium intellectui accommodatum effici, ut nullus esset cujus fidei et ædificationi non inserviret. Hinc in quatuor partes divisum exhibetur non solum ut lectoris commodo consulatur, sed etiam quia hæcce divisio naturaliter nasci visa est ex diverso quæstionum genere de quibus in eo agitur. Singulis partibus argumentum præire voluimus, in quo sub uno quasi conspectu, quæ fusius in ea parte tractantur oculis legentium subjiciantur; et his omnibus præfigitur index generalis capitum totius operis. Nec etiam inutile aut ingratum fore lectoribus putavimus, si ad pleniorem tam eximii operis intelligentiam procurandam, et omnimodam cum cæteris ejusdem sanctissimi auctoris nostri libris concordiam comprobandam, notas* (a) *etiam viri doctissimi Martini Steyaert, in Lovaniensi academia quondam doctoris et regii professoris, singulis versibus qui his juvarentur subjiceremus. Idemque observare non piguit etiam circa tria quæ hoc carmen sequentur epigrammata, quorum unum epitaphii nomen obtinuit.*

(*a*) Prodierunt Lovanii anno 1703 cum cæteris ejusdem Opusculis.

---

# S. PROSPERI

## AQUITANI

# ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ,

*Hoc est*,

## [a] DE INGRATIS [b] CARMEN.

IN QUATUOR PARTES DISTRIBUTUM.

## Praefatio.

113 Unde voluntatis sanctæ subsistat origo, A
Unde animis pietas insit, et unde fides :
Adversum [c] ingratos falsa et virtute superbos,
Centenis decies versibus excolui.
Quos si tranquilla studeas cognoscere cura,
Tutus ab adverso turbine, lector, eris,
Nec libertate arbitrii rapiere rebellis,
Ulla nec audebis dona negare Dei.

[a] Quidam existimant nomine *Ingratorum* intelligi inimicos gratiæ generatim, id est, tam Pelagianos quam Semipelagianos, adeoque hos et illos una hoc opusculo impeti : observantque nomen illud cum Græce tum Latine pro inimicis gratiæ hic poni, quasi, *sine gratia*. Attamen vir doctissimus, qui hoc Carmen a paucis annis, anno scilicet 1703, notis illustratum edi curavit Lovanii, ea in academia doctor et professor regius, observat ex ipso præfationis initio patere auctorem usum esse vocabulo generali, non in tota latitudine sua, sed pro specie ignobiliori, et quæ nullo adhuc specialiori nomine insignita esset, scilicet pro Semipelagianis, quos inter et orthodoxos proprie vertebatur illa quæstio, B *De initio bonæ voluntatis et fidei*, paraphrastice hic proposita disticho primo. Contra hos ergo solos stylum stringit, cum disticho altero ait :

Adversus ingratos, falsa et virtute superbos;

Uti infra eos solos alloquitur v. 684 et seq.

Vos igitur soli queruli, solique SUPERBI;
Vos soli, INGRATI.

Neque Pelagianorum aliter toto opere meminit, quam ut ex illorum damnatione, a Semipelagianis perinde ac ab orthodoxis admissa, concludat, quid de restante illa inter hos quæstione sentiendum foret, juxta illud v. 223 et seq.

Hæc tantum in medium, quæ jam sunt gesta vocemus;
Ut facile ex illis quale hoc sit, discutiatur,
Quod disceptantes, dudum in diversa movemur.

[b] Scriptum, ut videtur, ante mensem Augustum anni 430, et cum adhuc in vivis superstes esset S. Augustinus.

[c] *Ingratos* hic nominat quos posteritas communius *Massilienses* et *Semipelagianos* appellavit.

Digitized by Google

Sed bona quæ tibi sunt, [a] operante fatebere A Christo,
Non esse ex merito [b] sumpta, sed ad meritum.

[a] *Operante Christo.* Vel id refer ad sequentia, ut sit constructio : *Fatebere bona quæ tibi sunt, operante Christo, sumpta esse ad meritum, sed non ex merito;* vel potius, magisque e genio Prosperi, ad ipsum *fatebere*; ut ita magnificentius gratia commendetur, quando et illud *fateri* ipsamet operatur. Ejusdem acuminis est quod Sapiens ait Sap. VIII, 21 : *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.*

[b] *Sumpta.* Pro accepta, ut hic passim, duriuscule sane nonnunquam; sed tamen, ut apparet, phrasi istius ætatis cum et Hilarium illum Prosperi socium eadem usum legamus in sua ad Augustinum epistola : *Voluntate*, inquit, *quæ sumitur*, id est, quæ a Deo accipitur.

# PARS PRIMA.

## ARGUMENTUM.

Principio declarat sanctus Prosper sibi in animo esse impendens Ecclesiæ periculum ab occultis gratiæ hostibus, quorum opera Pelagianorum hæresis exstincta revivisceret, hoc carmine propulsare. Mox aperit quale fuerit dogma Pelagii, et quanto cum studio ab Ecclesiæ præsulibus improbatum, conciliorum et sedis apostolicæ auctoritate damnatum, a SS. doctoribus confutatum, potissimumque a B. Augustino, cujus præstantissimi viri, et uberioribus gratiæ dotibus a Deo cumulati in hoc certamine industria et lumen præ omnibus enituerit. Verum cum per Semipelagianos occultissimum hujus hæreseos venenum rursum emergat, posse Pelagianos ab eis jure suo postulare, ut cum ipsorum sententiam probent, in gratiam recipiantur : aut ab Ecclesia flagitare, ut vel quod illi in Ecclesia impune docent, docere itidem permittantur, vel etiam illi una secum foras pellantur.

115 * [a] Congenitæ in Christo gentis mihi B castus ab alto
Insinuatus amor, proprias excedere vires
Me jubet, atque pias accendere carmine mentes.
Ne post confectum celebris [b] victoria bellum,
Securos animos incauta pace resolvat:
Ceu metus eliso jam nullus ab hoste supersit,
Nec caput attriti virosum palpitet anguis.
Unde igitur commenta mali sopita resurgant,
Quemve ipso de fine [c] dolum nova promat origo,
Da fari, Pater omnipotens, artemque malignam
Pandere, prostratus qua rursum nititur error.
* Dogma quod antiqui satiatum felle draconis,
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus,
117 Hac primos homines cretos ditione ferebat;
Ut seu præscriptum mandatum transgrederentur,
Sive inculpati, servata lege, manerent,
Mortem istam prorsus, qua carnem vita relinquit,
Oppeterent; quæ non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo, comes esset fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus, neque dissimiles nunc nascier illo

* Prooemium. *Causa scriptionis indicatur, et divinum imploratur auxilium.*

[a] *Congenitæ in Christo gentis.* Id est Ecclesiæ, seu populi Christiani, ob communem regenerationem per baptismum. Notandum autem prooemium profecto Christianum, perinde ut ipsum opus, ubi sacra omnia, nihil autem earum nugarum, sine quibus in C carmine omnia frigere autumant aliqui : falso quidem, quando aliud hic noster poeta tam magnifico exemplo ostendit suo.

[b] *Victoria.* Non de Ingratis, quibuscum etiamnum certabatur; sed de Pelagianis, jam toto orbe damnatis.

[c] *Ipso de fine*, seu exitu causæ Pelagianæ : e quo initium Semipelagianismus cœpit. *Originem* autem pro initio positam etiam supra vidimus in Præfat. v. 1.

* Caput I. *Proponuntur dogmata Pelagii. Moriturum hominem, etiamsi non peccasset. Nullum esse peccatum originale. Peccatum Adami imitatione non propagatione posteris nocuisse. Posse hominem, si velit, ad virtutum culmen ascendere. Quod voluntas satis ad hoc virium habeat; nec ei cognitio necessaria desit, sive per rationem ac legem naturalem, sive per legem scriptam. Omnibus promiscue offerri gratiam, modo baptizari velint, ut dimissis quæ sponte peccaverant, recuperatam primam innocentiam sponte servent. Baptizari parvulos, ut quos Deus fecit creando bonos, faciat adoptando meliores. Neminem donorum Dei exsortem, quia unusquisque capiat prout quisque sua voluntate mereatur.*

1. *Satiatum.* Saturum, quasi eo maceratum, ut Gallice translatum est,

Détrempé dans le fiel du dragon redoutable.

Quod quidem de omni dogmate hæretico dici potuit; at speciali ratione hic dictum est de superbo illo Pelagiano, ob magnam ipsius cum *antiqui draconis* seu dæmonis peccato affinitatem.

2. *Coluber... Britannus.* Pelagius hæresis princeps vulgo dicebatur *Brito* : ut in Prosperi nostri Chronico, *Pelagius Brito* : ex ea nimirum *Britannia*, quam nos hodie *magnam*, ipse autem contra Collat. c. 21, secretum Oceani, et Romanam insulam vocat. Quidam illa insulæ parte, quæ nunc *Scotia* dicitur, oriundum faciunt, alii Anglum malunt. Sic autem dicebatur ut distingueretur ab illo ejus æquali, quem *Pelagium Tarenti* appellabant : ex Augustino epist. 186, cap. 1. Eodem modo designatur etiam ab Orosio et Mercatore multis in locis : et ab Hieronymo quoque designari videtur, dum dicitur, *Scotorum pultibus prægravatus*; et alio in loco, *Habet progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.* Quibus verbis significare videtur illum gente Scotum seu Hibernum videri; quando et innata ipsi essent Scoticæ, id est, Hibernicæ regionis vitia, et ortum e finitima Britannia duxisset. Vocaturque a sancto Prospero, *coluber*, quia mirus erat dissimulandi artifex; et errores suos catholicis verbis involvere gnarus. Discipulos suos, qui apertius loquerentur submittebat, ut quemadmodum eorum dicta exciperentur explorans, illa deinde vel approbaret, vel improbaret, prout sibi D magis conducere videretur.

3. *Cretos ditione*, id est, creatos necessitate, seu conditione.

6. *Qua carnem vita relinquit.* Periphrasis mortis corporalis, ad distinctionem a spiritali quæ fit per peccatum, de qua cum Pelagio circa primos parentes quæstio nulla fuit, teste Augustino, lib. I de Peccat. Merit. c. 2, etsi aliud putasse videatur Gregor. lib. V Regist. epist. 14, ad Narsen comitem, et alibi.

10. *De Patribus*, seu primis parentibus : nisi quis

Digitized by Google

Ortu primorum, qui libertate male usi
Peccarunt, forma nocui, non semine proli. A
Posse autem insontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, et menti ingenitum servare decorem:
Arbitrio quoniam subsistat recta volentis.
Naturalis honos, Lexque insita cordibus intus
Hoc moneat, quod scripta foris : cui gratia Christi
Addita perfugium lapsis generaliter in se
Condiderit, sacro si vellent fonte novari :
Ut sponte attractum venia solvente reatum,
Sponte sua in vires proprias natura rediret;
Quoque per errores esset spoliata vigore,
Hunc servare semel posset purgata receptum.
Tam dives vero hoc donum baptismatis esse,
Et tam multa homini conferri fœdere in isto,
Ut parvis etiam, vitioque carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
Naturæque bonum adjecto illustretur honore.
**119** Nullum autem ex cunctis exsortem muneris hujus,
Judicio genitum esse Dei; sed quemque mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis,
Quæ sint aversis indebita, debita rectis.
* Talia cum demens late diffunderet error,
Commentisque rudes traheret lethalibus aures,
Affuit; exhortante Deo, provisa per orbem
Sanctorum pia cura Patrum, non dispare motu
Conficiens diros jaculis cœlestibus hostes.
Iisdem namque simul decretis Spiritus unus
Intonuit. Pestem subeuntem prima recidit

malit Prosperum, ut solet, suo Augustino adhærentem dubitasse, an non a cæteris etiam parentibus mediis culpam posteri traherent. Hujus interim dubitationis in Ecclesia hodie nullum vestigium.

12. *Forma nocui, non semine*, id est, *Non propagine, sed exemplo*, ut iidem docent apud August. lib. de Nat. et Grat. cap. 9, *id est, non quod ex illo* (Adamo) *traxerint aliquod vitium qui ex illo propagati sunt; sed quod eum primum peccantem imitati sint omnes qui postea peccaverunt.*

13. *Insontes virtutis in arce*, id est, sine ullo peccato atque in summa adeo perfectione. Quod argumentum tractat Augustinus toto libro de Perfect. Justit. hom., item toto lib. II de Peccat. Merit. et alibi. Hieronymus etiam ab eodem incipit Dialogos suos contra Pelagianos.

16. *Naturalis honos*, id est, ingenitus, ut infra dicitur v. 880 et sequenti,

> Vigor ille,
> In quo insons natura fuit.

Sensus est, eum qui modo velit, eumdem nunc habere arbitrii vigorem ad bonum, ac olim habuerunt primi parentes ante lapsum. Ex quo sensu patet, istud *recta volentis* quod præcedit, regi non a *naturalis honos*, sed ab *arbitrio*, quod ante præcessit. Porro infra v. 230 *et sequ.* idem error sic exprimitur:

> Et quoniam tales nascantur nunc quoque, qualis
> Ille fuit nostri generis Pater ante reatum;
> Posse hominem sine peccato ducere vitam,
> Si velit......

19. *Fonte novari*, id est, baptismo renovari. Nam de lapsis ante baptismum agitur.

20. *Sponte attractum*, id est, actualem et personalem; cum originalem negarent Pelagiani.

24. *Esse.* Sic legendum, et non *esset* (ut editiones Lugd., Lov., Duac. et Colon.), notarunt viri eruditi, patetque ex verbis quæ sequuntur, *conferri, genitum esse, mereri.*

28. *Naturæque bonum*, etc., id est, *ut bono eorum naturali bonum sanctificationis accedat, ut sint infantes sancti Dei filii.* Ita apud Augustinum Julianus Pelagianus.

31. *Promissa vocantis.* Non præmia æterna, de quibus hic nullus sermo, sed *donum baptismatis*, cum *venia solvente reatum*; id est, remissione peccatorum, uti supra exprimuntur. Eodem modo intellige infra v. 166, *donumque vocantis.* Hunc autem errorem ita expressum leges, v. 240, et sequent.,

> Quod meritis hominum tribuatur gratia Christi,
> Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.

* Caput. II. *Quam fortiter Ecclesia Pelagii doctrinam rejecerit. Sedes apostolica, concilium Palæstinum* B *anno 415 congregatum, in quo Pelagius ficto pectore errores abnegavit. Sub idem tempus Hieronymus in Pelagianos Dialogos scripsit. Pelagiani ab Attico archiep. Constantinop. repulsam passi. Ejecti Epheso. Pulsi e Sicilia.*

39. *Prima recidit Roma*, scilicet per Innocentium I, anno 417, *quando* (ut ait S. Prosper lib. contra Collatorem, cap. 21) *beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita*, Pelagium et Cœlestium, *apostolico mucrone percussit.* Præstitit hoc Innocentius duabus datis epistolis ad synodos Africanas, Carthaginensem et Milevitanam, quæ epistolæ sunt inter Augustinianas, nunc 181 et 182, et postmodum Zozimus anno 418, in epistola ad Africani concilii præsules data XII kal. Aprilis, ab eisque III kal. Maii accepta. Hæc vero vox *prima* etsi quibusdam locum dedit asserendi Pelagianam hæresim a sede apostolica, ante ullam aliorum episcoporum sententiam, fuisse proscriptam, quia tamen hæc opinio ab eruditis non agnoscitur satis convenire cum historia C hæreseos Pelagianæ, hunc nodum aliis placuit diversimode solvere : quidam enim per vocem hanc *prima*, prioritatem dignitatis, studii, sollicitudinis et auctoritatis intelligi debere contendunt; alii autem, ultro fatentes Africanorum et Orientalium judicia prælusisse sententiæ Innocentii in Pelagianos, cum ab anno 412, Cœlestius damnatus legatur in synodo Carthaginensi, cui præsidebat Aurelius, et iterum anno 416 ibidem; immo et anno 415, Diospoli Pelagio absoluto, hæresis quam abjurare finxerat confessa legatur; cum tamen non ante annum 417 Innocentius I pluribus Africanorum litteris sollicitatus, rescripserit, Pelagium cum Cœlestio anathematizans, quod primum omnino fuit Romæ prolatum in ejusmodi errorem judicium : illi igitur, his consideratis, dicunt Pelagianum quidem errorem in Pelagio et Cœlestio ab Africanis primo damnatum, at eumdem in Joviniano, cujus discipuli erant Pelagiani, a Siricio papa dudum proscriptum, et hoc pacto diversa D tam carminis istius quam aliorum librorum loca, qui primo intuitu pugnare videbantur, ad sensum unanimum reducere conantur. Alii iterum *prioritatem temporis* sic intelligunt, ut non dividant decreta conciliorum Africanorum, Carthaginensis et Milevitani, ab Innocentii epistolis, sed ex iis unam Pelagii damnationem conflent. Denique non defuerunt qui rem breviter expediri autument, dicentes voculis istis *prima*, et quæ post pauca sequitur *inde*, non alium ordinem quam narrationis denotari; uti fere solent qui plura quæpiam narrant, confusionis vitandæ gratia has ordinis notulas interjicere, nulla interim habita prioritatis aut posterioritatis ratione. Quin horum nullam hic a se rationem habitam, satis ipse Auctor declarat, dum potius omnia videri vult *simul* ac diversis quidem locis, sed uno velut tempore gesta esse. *Iisdem* SIMUL *decretis*, etc.

Digitized by Google

Sedes ROMA Petri; quæ pastoralis honoris A
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet. Non segnior inde ORIENTIS
Rectorum cura emicuit: captumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum; nisi corpore Christi
Abjungi et sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
Judicium: sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est divino et munere cautum,
**121** Ut licet instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem;
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam exstinguens sobolem, quam protulit ore.
Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul et Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
HIERONYMUS, libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.
Quid loquar, et curam magna quam gessit in urbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
ATTICUS, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide? De qua tunc impia corda,
Quamvis se obducta tegerent velamine forma

41. *Quidquid non possidet*, etc. Ita lib. II de Vocat. Gent. c. 16: *Per apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis*, scilicet imperatoriæ. Similia vide apud Leonem PP., si non et hæc ipsa illius sunt, ut docti quidam suspicantur.

42. *Orientis rectorum*. De Palæstina synodo Diospoli habita loquitur Auctor noster. Huc perductus fuerat Pelagius, intentata in ipsum accusatione ab Heroте et Lazaro episcopis Gallis, hoc Aquensi, illo vero Arelatensi, licet utroque sede sua pulso, quod contigisse videtur anno 415. In hac Pelagius, absentibus ob necessarias causas accusatoribus, auditus, singulis oblati ab ipsis libelli articulis artificiose respondens, multa simulatione judices ita delusit, ut tamen abjuratis et damnatis erroribus, ipse innocens et rectæ fidei pronuntiaretur.

43. *Captumque*, etc. *Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam Palæstinorum episcoporum synodus coarctavit*, lib. contra Collat. c. 21.

51. *Bestia*. Pelagius scilicet. Patribus non infrequens in hæreticos contumaces appellationibus uti durioribus.

52. *Sensus tenuisset eosdem*. *Quia*, inquit Augustinus, lib. I cont. Julian. c. 5, *id quod negavit ore, corde servavit*.

53. *Bethlei*. Vocem Hebraicam *Bethleem* ad Latinam terminationem inflexit, fecitque *Bethleam*, unde genit. *Bethlei*.

Ibid. *Præclari nominis*. Ob celebritatem famæ, forte etiam ob etymon nominis *Hieronymi*, quasi *Sacri nominis*.

57. *Mundique magister*. Sic de illo Breviar. Rom. ultima Septemb.: *Tamquam ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipsum divinæ Scripturæ quæstiones explicandæ referebantur. Illum Damasus pontifex, illum S. Augustinus de locis Scripturæ difficillimis sæpe consuluit, propter ejus singularem doctrinam, et linguæ non solum Latinæ et Græcæ, sed Hebraicæ etiam et Chaldaicæ intelligentiam.*

58. *Libris*, præsertim Dialogorum, et Epistola ad Ctesiphontem.

59. *Dissecuit*: Non adeo ob acrimoniam styli, de qua ibidem Brev.: *Hæreticos acerrimis scriptis exagitavit;* quam quia libris istis subtilem quamdam callidissimæ hæreseos anatomen fecit, *noscique dedit* (ut in versu sequitur) ipsa velut intima illius viscera: utpote cum esset ex iis qui ejus *sensus diligentius indagare potuerunt*; teste synodo Milevit. ad Innocent. PP. epistola inter Augustinianas. 176, al. 92.

62. *Docto bonus ore*, id est, erudite facundus. Virgiliane scilicet, uti Æneid. IX:

Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta.

Ibid. *Sacerdos* dicitur Atticus, quia proprium tum B erat episcopis nomen, quod nunc e contra usu Ecclesiastico relictum presbyteris.

64. *De qua*, seu a qua; nempe *urbe*, non autem *fide*, ut putari posset. Completur vero constructio per sequentia. *Tacitæ tulerant tormenta repulsæ*. Id est, inauditi repulsi seu expulsi sunt. Cum enim Pelagiani, post Zosimi sententiam, imperialibus quoque decretis sede sua exturbati essent, quosdam suorum Constantinopolim miserunt, ubi erroris sui impietatem dissimulantes, se causamque suam falsa specie obduxerunt. Verum in ea civitate beato Joanni Chrysostomo Atticus successerat, illius fidei dignus æmulator, qui hoc in casu scientia sua simul et episcopali virtute adhibita, eorum legationem rejecit, antiquam illis Ecclesiæ fidem opponens, eosdemque tam acriter insectatus est, ut ne consistendi quidem in urbe licentiam daret. Quinam autem fuerint hæreticorum legati non liquet; nisi quod Marius Mercator ducem illorum ponat Cœlestium, de quo C paulo post initium Commonitorii ita scribit: *Post aliquantos*, inquit, *annos* (nimirum a condemnatione sua Carthaginensi, Paulino diacono accusante) *sub s. mem. Attico episcopo, urbem CP. petiit; ubi in similibus detectus, magno studio sancti illius viri a prædicta alma urbe detrusus est.*

65. Lugdun. editio sola:

Quamvis se obducto tegerent velamine forma,
Judicii et tacitæ tulerint tormenta repulsæ.

Editiones Lovan., Duac. et Colon. et aliæ posteriores:

Quamvis se obducta tegerent velamine forma,
Judicii et tacitæ tulerant tormenta repulsæ.

Pro quibus novissimus hujus carminis editor Lovaniensis doctor et professor regius legi vult:

Quamvis se obductæ tegerent velamine formæ
Judicii, tacitæ tulerunt tormenta repulsæ.

D Ita jam ex conjectura emendans locum hactenus corruptissimum, cum opportune incidisse se narrat in scriptorem modernum sic quoque legentem; qui quasi non satis fisus hac lectione, supradictam alibi insinuabat cum voce *tulerunt*. Subjungit quoque displicere prorsus sibi istud *et*, quod irrepsisse putat supplendæ sententiæ alioqui mutilæ, cum pro Virgiliano, *tulerunt*, imperita emendatione legi cœptum est, *tulerint*, aut *tulerant*.

Ibid. *Forma judicii*. *Speciem judicii* diceret Tacitus: sed noster metro servire debuit. Hanc autem judicii speciem forte idem Mercator insinuat, cum significat Cœlestium in synodo Carthaginensi ad sedem apostolicam provocasse, sed mutata deinde sententia, Constantinopolim specie appellationis confugisse. Hæc supra citatus doctor Lovan.

Digitized by Google

Judicii, et tacitæ tolerant tormenta repulsæ.
Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis
**123** Vasa iræ, et morbi flatus, et semina mortis:
Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens,
Agmen vipereum propriis exegerit oris.
* Tu causam fidei flagrantius, Africa, nostræ
Exsequeris; tecumque suum jungente vigorem
Juris apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, et lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu

68. *Tumultu Clara Ephesos.* Tumultum verisimiliter popularem intelligit, ut erat populus ille pro avita fide ferventissimus, teste eorum gaudio in protrita Nestorii hæresi; de quo historiæ concilii œcumenici Ephesini : nec tamen locus præsens intelligendus de damnatione Pelagianorum in isto concilio, ut quod nondum cum scriberetur hoc carmen, sed mortuo demum Augustino coactum noscitur. Verum hoc contigisse placet eruditis circa anni 421 finem, quo damnati Pelagiani hanc Ecclesiam, in qua Cœlestius ad sacerdotium fuerat imprudenter evectus, et ubi ob diutinam ea in urbe commorationem variis necessitatibus forte gaudebat, in suas partes attrahere pertentarunt, sed incassum; quippe Ephesii legationem hæreticorum respuerunt, et ipsorum legatos urbe sua cito exire compulerunt.

70. *Trinacria fervens, agmen vipereum,* etc. Notum Trinacriam vocari Siciliam ob tria promontoria. Oriente pulsi hæretici in Occidentem redeuntes, etiam ad Siciliam appulerunt, ubi virus suæ pravitatis afflare Siculis hominibus tentantes, episcoporum hujus insulæ diligentia et virtute rejecti, et terris illis expulsi, ultra mare trajicere coacti sunt, hoc ferme tempore. Idipsum etiam referri potest ad annum 419, quo episcopi plures Siculi damnationi Pelagianorum subscribere recusantes, sedibus suis pulsi fuere.

* Caput III. *Pelagianam hæresim Africanorum præsulum ope potissimum fuisse debellatam. Augustini laus. Uni omnium Augustino victoriam de Pelagianis præcipue deberi. Præstantia librorum Augustini pro Dei gratia. Ab humilibus solis salubriter leguntur.*

72. In editis Lugd., Lov. et Duac., *nostræ.* Aliis placuit dici *Africa nostra*, etiam ab homine Gallo, uti mox Africæ episcopi *nostri*, id est, partium nostrarum, immo partium decus. Africani autem episcopi priores errorem istum damnarunt, ut jam diximus, ab anno 412, et pluribus hanc in rem habitis conventibus consequentibus annis, prius latum judicium tuiti sunt. Ili quoque plures epistolas ad Innocentium Zozimumque scripserunt, quibus sedis Apostolicæ sententiam in perduelles sanæ fidei procurarunt.

77. *Geminoque senum celeberrima cœtu.* De hoc gemino concilio diverse sentiunt eruditi. Visum erat quibusdam per hanc duplicem synodum, Carthaginensem et Milevitanam, sub Innocentio habitas anno 416, intelligi, per quas primum jugulati sunt Pelagiani, et quarum decreta in primario totius Africæ concilio sub Zosimo renovata sunt, anno 418. Alii inter cætera quæ in causa Pelagianorum collecta leguntur Afrorum præsulum concilia duo notant celebriora : unum quidem, quod videtur assignandum ineunti Novembri anni 417, post acceptas quas Zozimus miserat in favorem Cœlestii epistolas; in quo Zozimum obtestantur eo usque res quo in statu erant relinqueret, dum plenius de Cœlestii causa, qui primum apud ipsos accusatus fuerat, edoceretur : quod concilium successive ad 214 episcoporum numerum pervenit; et hoc antequam Cœlestius a Zozimo damnaretur habitum fuisse tradit Prosper in Chronico ad annum 418. Alterum concilium tum habitum videtur, cum concilii Africani litteris, xii kal. Aprilis anni sequentis, post acceptas alteras eorum posteriores litteras, unica satis brevi rescripsit : quæ epistola iii kal. Maii pervenit in Africam, quo tempore præsules Carthaginem novum contra Pelagianos concilium celebraturi conveniebant : quod quidem in basilica Fausti anno 418, die 1 Maii habitum ad 220 episcopos, præter Donatianum et Aurelium primates, pervenisse vult Photius. Quin hoc ipsum plenarium totius Africæ fuerit, in quo Augustinus se atque alios antistites quidpiam adversus Pelagianam hæresim constituisse testatur, nullus est ambigendi locus. In hoc canones conditi octo, aut novem, qui alias Milevitano tribui solebant, quosque Baronius in ea urbe anno 416 sancitos existimavit. Ad hanc opinionem accedere videtur carminis hujus editor et illustrator Lovaniensis, dum sic loquitur. Primum quidem colligimus ex his quæ nobis præsens carmen ac fere hoc ipsum caput suppeditant, synodos illas Africanas (de quibus loquitur S. Prosper) fuisse plenarias, ita testantibus verbis v. 76, *de cunctis urbibus;* deinde numerosas, ut in quibus sententiam dixerint tot antistites, ut congrue potuerint ab Auctore, v. 86, dici *tercenteni;* præterea ambas quodammodo unam et eamdem fuisse, puta in eadem civitate, iisdem e Patribus, una in causa, minimoque temporis intervallo coactas; ut idcirco, v. 91, item 184, singulari numero *concilium*, et non *concilia* nominentur. Denique utrique præfuisse Carthaginensem Aurelium, et interfuisse Augustinum, ut v. 91 et 92 indicatur. Ex quibus concludimus minime hic agi de synodis Carthaginensi et Milevitana sub Innocentio PP., ut quas, neque plenarias fuisse, neque eum habuisse antistitum numerum, neutri etiam simul Aurelium illum et Augustinum affuisse probant (quidquid aliqui senserint) subscriptiones litterarum utriusque ad Innocentium. His autem exclusis, quid nisi supersunt duæ Carthaginenses, sub Zozimo pontifice, quas omnes admittunt? Iis namque vix dici potest quam apte conveniant omnia supra recensita. Plenarias fuisse ipse Augustinus indicat epist. 215, ad Valentinum; numerus etiam antistitum constat : nam 214 seu 217, non uno in loco Prosper numerat, quos hic in versu *tercentenos* dixit libertate poetica. Sed quid pluribus immoror, dum uno rem conficio? Puto sane, geminum illud concilium quod hic Auctor memorat, tum v. 77 : *geminoque senum celeberrima cœtu*, tum v. 90 et 91 :

> An alium in finem posset procedere sanctum
> Concilium, cui dux Aurelius, etc. ;

puto, inquam, illud idem esse cum eo quo infra v. 184 et seq. remittit Pelagianos, jubetque

> Petri solium Romam et Carthaginis altæ.
> Concilium repetant :

nempe ubi prius ipsos dixerat condemnatos. Quid ergo adhuc quæsito opus ubi gentium habitum sit illud concilium, dum illud Virgilianum *Carthaginis altæ* plus quam digito rem indicat. Utinam modo de illius decretis seu canonibus eadem lux et certitudo affulgeret! At conditos quidem in eo aliquos suadet illud v. 84 : *Condita sunt et scripta manent.* Persuadent etiam verba infra ex libro contra Collat. citato ad v. 78, ut taceam insuper de August. epist. 217 jam laudata, sed vel interciderunt, uti et epistola illa Zozimi qua confirmabantur, vel, quod magis reor, sunt illi ipsi octo canones de gratia, quos olim concilium Turonense ii antiquos Milevitanos appellavit, et ideo a nonnullis in synodo quapiam Milevitana primum conditi, et demum Carthagine renovati existimantur; sed Aug. epistola illa ad Valent. renovationis non meminit, ac potius ita loquitur, ut illic conditos significet.

Digitized by Google

**125** Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur. A
Nec sola est illic synodorum exerta potestas;
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus; nullumque omnino relictum,
Docta fides quod non dissolveret argumentum.
Condita sunt, et scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum sunt edita linguis:
Sic moderante suam legem bonitate severa.
Ut qui damnato vellent de errore reverti,
Acciperent pacem, pulsis qui prava tenerent.
An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat? quem Christi gratia cornu
**127** Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo
Accensum vero de lumine: nam cibus illi,
Et vita, et requies Deus est; omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi.
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, et in sancto regnat Sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto

78. *Quod Roma probet.* Nam *Africanorum conciliorum decretis beatæ recordationis papa Zozimus sententiæ suæ robur adnexuit, et ad impiorum detruncationem, gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum.* S. Prosper lib. contra Collat. c. alias 41, nunc 21. B

Ibid. *Regna sequantur. Imperator siquidem Honorius* (ait auctor Gallicæ translationis carminis hujus), *conciliorum istorum auctoritatem secutus, legem tulit in Pelagianos anno* 418. Verum se ipse exponit Auctor, libro contra Collat. cap. 21, alias 41, dum ait: *Sanctæ memoriæ papa Bonifacius piissimorum imperatorum catholica devotione gaudebat, et contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis.*

81. *Discussæ artes.* Quod auctor versionis, de qua mox, intelligit de litteris ad Innocentium et Zozimum, et de octo canonibus qui videntur a Milevitana synodo primum conditi, et a Carthaginensi sub Zozimo renovati. Unde concilium Turonense II, anno 570, antiquos canones Milevitanos appellat, qui in codice canonum Ecclesiæ Africanæ, concilio Carthaginensi sub Zozimo attribuuntur, inter quos illi octo canones de gratia primas tenent. Lovaniensis vero illustrator: De canonibus quidem, ait, nec non de epistola ad Zozimum etiam ipse consentio, si hic paragraphus a v. 79 usque ad 84 intelligendus veniat de rebus synodicis, de quibus priora et sequentia: verum quia is potius interjectus videtur, parenthesis in modum, in eoque Auctor, ut apparet, digreditur ad alia in eadem Ecclesia, ut ita loquar, extrasynodaliter gesta, puta per Augustinum et similes disputatores, crediderim ad privatam ejusmodi Afrorum operam hæc referenda esse. Saltem de litteris ad Innocentium adduci non possum ut credam Auctorem agere: quippe qui synodorum a quibus hæ scriptæ sunt, nullam usquam habuit rationem, seu quod illæ non dedita opera pro causa Pelagiana coactæ essent, sed ex occasione tantum ac obiter de illa cognoverint; seu quod potius eamdem integram detulerint ad primam sedem, cui proinde ascribendum veniat quidquid hac in parte peractum fuit.

86. *Et tercentenis.* Poetice, ut infra v. 187: *Mille senum*, etc.; nam in prosa constanter vocat *ducentos quatuordecim* (alias 217) *sacerdotes.* Sed quidni bis centenos potius dixit in versu, æque nimirum poetice, et numero qui a vero propius abesset? Putem numerum rotundum 300 vel ideo imprimis placuisse, quod jam pridem in Patribus primæ synodi Nicænæ consecratus esset. Ita Doct. Lov. Aliis placet, licet unicuique horum conciliorum non interfuerint episcopi 220, facile tamen fieri potuisse, utrique episcopos affuisse trecentos diversos.

89. *Pacem.* Dubitari possit an positum phrasi Patrum, Cypriani præsertim, pro communione ecclesiastica, cui supra v. 45 et seq. opponitur.

..... corpore Christi
Abjungi, et sancto vellent grege dissociari;

an vero phrasi Virgiliana pro venia, ut Æneid. III (cui similia sunt alia loca complura):

Sed votis precibusque jubent exposcere pacem.

Verum pro communione Ecclesiæ positum esse suadet quod per antithesin additur:

....Pulsis (*de Ecclesia*) qui prava tenerent.

90. *An alium.* Suspicatur hic erratum amanuensis Lov. editor et illustrator; nec potuisse ita scribi ab eo qui infra v. 484 non inscius legis metricæ dixit:

Anne ab aquis divina manus, etc.

Vel ergo (subdit idem) similiter lege *Anne alium*, etc., vel, certe meo periculo, *En alium.* Auctor tibi erit qui passim nostro auctori Virgilius; cujus modo observa interrogationes sequentes Eclog. I:

En umquam patrios longo post tempore fines. C

Deinde in Pharmaceut.:

....En erit umquam
Ille dies, etc.

Finem vero accipi pro exitu aut successu, non pro causa finali subjungit idem doctor.

91 et 92. *Dux Aurelius ingeniumque Augustinus erat.* Aurelium Carthaginensem et Augustinum Hipponensem episcopos intelligi, nemo est qui dubitet. Non vero ut olim aliquis utroque nomine unum episcopum Hipponensem intellexit, cui prænomen *Aurelio*, et cognomen *Augustino;* quique istius concilii simul et *dux* et *ingenium* fuerit.

92. *Cornu uberiore.* Fabulosi illius cornu copiæ seu Amaltheæ fortassis in mentem venerit, præsertim cum nec ipsum divinæ litteræ spreverint (ait idem doct. Lovan.), sed tamen frustra. Respexit potius Auctor ad cornu quo sacras olim regum et sacerdotum inunctiones fieri solitas Scripturæ memorant. Ejus ubertatem præ lenticulæ istius inopia, qua D Saul et similes mali ominis principes inuncti leguntur, expendentem vide Gregorium in I Reg. X.

97. *Nulla sibi tribuit bona.* Doct. Lovan.: Dictum putaveram ad Ingratorum invidiam, qui contra multa bona sibi suoque arbitrio tribuebant. Sed penitius contextum inspicienti, occurrit hunc potius sensum esse: Dum nullum quærit bonum suum (*Non quærit quæ sua sunt*, ait Scriptura), non suum *cibum*, non *vitam, requiem, voluptatem, honorem*, uti versibus superioribus bona illa enumerantur; *fit Deus illi omnia* ista, *cibus, vita*, etc., atque in ipso, tamquam *templo* sibi unice dedicato, *regnat Sapientia* increata illa, quæ *in malevolam animam non introibit, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. I, 4.

98. *Regnat.* Ex quo aliisque toto paragrapho verbis præsentis temporis, colligitur scripta esse hæc S. doctore superstite.

Digitized by Google

Insanas pepulere feras, industria major, A
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes:
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis;
Istius ore viri fecit Deus; istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem, B
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.
* Jamque procellosæ disjecto turbine noctis,
Heu! nova bella, novi partus oriuntur in ipso
Securæ matris gremio: quæ crescere natis
Visa sibi, discors horret consurgere germen,
Degeneres pavitans inimico ex semine fœtus,
In quibus ante diu, specie fallente, benignus
Errarat genitricis amor, cum obducta decoris
Moribus, externæ stirpis tegeretur origo.
Sic veris subeunt falsa, et discrimine cæco,
Fronte placent, quæ fine latent; sic laudis amore
Virtutum studium corrumpitur, atque ab honesto
Principio in vitium exitur plerumque tumoris:
Quo quidam inflantur nunc turpiter, atque perempti
**129** Dogmatis exstinctas tentant animare favillas;
Dum libertatem arbitrii, affectumque volendi
In naturalis motus virtute locantes,
Tam bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio, quam posse subest cuique in mala ferri.
* Quod qui confirmas, quinam distabis ab illis,
Qui dicunt, nullo peccati vulnere læsum
Naturale bonum, cumque illo lumine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum est?
An vero excerpis quædam, quæ parte recisa
Suscipias, cordisque sinu purgata recondas?
Dic igitur quidnam inde probes, quid vero refutes,
Et de damnatis quid sit quod crimine solvas.
An dextram pacis palam dare te pudet hosti?
Nec tutum est ulla pulsos ex parte tueri
Simpliciter? Quos non dubitas excludere templo,
Pelle animo. Nova te discordia dividit abs te:

112. *Quæ mites humilesque bibunt.* Doct. Lov.: Oblique taxat adversarios suos, econtra feroces et superbos, quibus eadem flumina Augustiniana non sapiant. Nam, ait alter, mitem atque humilem esse oportet qui Augustini doctrina de gratia delectari ac salubriter pasci voluerit; adeoque mens elatior, nec suæ sibi imbecillitatis satis conscia, ab ea resiliat atque offendatur necesse est.

* Caput IV. *Exstinctam in Pelagianis ab Ecclesia hæresim, in Semipelagianis reviviscere cœpisse. Error Semipelagianorum. Affectum bene volendi homini naturalem esse, ut male volendi.*

116. *Matris.* Ecclesiæ, quæ inducitur ut mulier, cui stirpis alienæ, nempe Pelagianæ, fœtus ita sint suppositi, ut eos diu ob morum speciem pro suis habuerit. Doct. Lovan.

120. *Decoris moribus.* Describit Auctor Semipelagianos initio libri contra Collat. *ut habentes speciem virtutis in studio*, et in Epist. ad Aug. dicit horum *apud simpliciores* quosque *magnam esse de probitatis contemplatione reverentiam*, num. 2, et sub finem D ejusdem epistolæ ait hos *meritis atque honoribus claros* caligine opinionis suæ obscurari, eodemque alludit, infra v. 774 et seqq.

126. *Perempti dogmatis*, etc. Sic contra Collat. c. 6: *Quid cineres exstincti dogmatis* ( Pelagiani ) *refovendo, deficientis fumi nidorem in redivivam flammam conaris accendere?*

129. *Naturalis motus virtute.* Doct. Lovan.: Infra v. 925 disertius, *naturalem mobilitatem* vocat:

Ut naturali mens vivida mobilitate.

Vide igitur, num et hic legendum sit *Naturali,* meo certe suffragio.

130. *Tam bona quemque*, etc. Similiter epist. ad August. num. 6: *Quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes convertere.*

131. *Ingenio.* Doct. Lovan.: Non facile dixeris C qua notione Prosper plerumque hic utatur hoc vocabulo: raro quidem vulgari illa, pro vi intelligendi; sed nec ea qua idem passim exstat apud bonos auctores, nimirum pro rei cujusque indole. Suspicatus sum pro facultate volendi positum, neque male ita acceperis saltem hoc loco: sed sunt alia loca quibus ne hoc quidem quadret. Putem igitur tam late sumi, ut totam mentem, qua intelligit et qua appetit, sua significatione complectatur. Atque hæc semel monuisse sufficiat.

* Caput V. *Illos a Pelagianis non discrepare, adeoque publice cum illis pacem inire debere.*

132. Lugd. editio, *qui non distabis;* et in marg., *tu non distabis.*

133. *Nullo peccati.* Id dicunt Pelagiani supra v. 10 et seq.

Neque dissimiles nunc nascier illo, etc.

136. *Parte recisa suscipias.* Doct. Lovan.: Hinc Semipelagianorum nomen; a dimidiato nimirum Pelagianismo. Sic ante ipsos quidam Semi-Ariani dicti sunt, quod Arii insaniam nonnisi pro parte susciperent, rati scilicet tam hi quam illi, quam prudentissime fecisse, si inter partes altercantes mediam quamdam iniissent viam: forsitan adducti decantatis istis: *In medio virtus; Medio tutissimus ibis; Inter utrumque vola; Medium tenuere Beati*, etc.: quasi media inter veritatem et errorem via non sit ipsa quoque erronea.

140. *Pacis palam.* Doct. Lovan.: Si ita scripsit S. noster, boni consule diastolen in *palam*, eo præsertim ævo quo primarum syllabarum quantitas jam Romanas, nedum Gallicas aures fugere cœperat. Alioqui lege *pacemque palam.*

141. *Ulla pulsos ex parte.* Doct. Lovan.: Complano tibi rursus hanc salebram, lector. Refer istud, *ulla ex parte*, non ad *pulsos*, sed ad *tueri*, sicque sententiam accipe: Nec tutum est pulsos istos vel in ullo saltem dogmatis sui capite simpliciter tueri?

142. *Excludere templo:* uti tunc solebant non suæ communionis homines, præsertim si ob hæresim ab ea præcisi essent. Doct. Lovan.

Digitized by Google

Corde foves, quod in ore premis : conjungere A
amicis
Mentibus, et tecum cupidis componere fœdus
Lege tua; jam parce minis, et congrue pactis.
* Ecce pererratis terrarum finibus adsunt,
Implentesque tuas lacrymosis questubus aures
Incipiunt : Pulsi mundo, nullaque recepti
Sede vagi, tandem fama exhortante redimus,
Quæque placent vobis amplectimur : edita nobis
Doctrinæ vestræ est pietas; nihil inficiando
Discutimus : liceat vobiscum jungere sensum.
Immortalem hominem factum si creditis, et nos
Credimus, inciderit mortem peccando, suamque
Progeniem culpa et letho devinxerit omnem :
Nullus non egeat sacro baptismate Christi,
**131** Infantesque etiam purgentur fonte lavacri: B
Dum nostri decus arbitrii, lumenque creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis,
Manserit illæsum, nec viribus absit ab illis,
Quas, condente Deo, generaliter omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli
De non accepta arbitrii virtute querela :
Cum sine delectu seu Lex, seu Gratia Christi
Omnem hominem salvare velit : donumque vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate sua, proprioque vigore venire :
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.
Hæc si vestra fides, vestra est doctrina, remotis
Quæ vestro exemplo rejecimus, addite sanctis
Nos gregibus, tandemque boni deffendite vestros.
* Talia submissus si defleat hostis apud te,
Quid referes? quo te affectu comperta movebunt?
Consultas, trepidas, nutas, cunctaris et hæres,
Quove anceps se præcipitet sententia volvis.
Injustum est animis cognatis non dare pacem :
Et quos una fides, eadem sapientia nectit,
His communem aditum sanctorum ad sancta negare.
Jungere sed fœdus cum talibus, et violare
Sanctorum decreta Patrum, regumque piorum
Scriptas lege Dei leges contemnere, multum
Hostile est, nimiumque audax et perniciosum.
* Ergo Petri solium Romam, et Carthaginis altæ
Concilium repetant humiles, eademque perorent,
Quæ frustra hic trepido sunt deplorata favori.
Sed cum mille senum prudentia pervigil (olim
Perspectum notumque tenens, quod tota nefandæ
**133** Hæreseos summa exigua sub parte tegatur,
De qua plena mali labes renovetur et omne
Commenti corpus per singula membra resurgat);
Antiquas adhibentem artes rejecerit hostem,

144. *Conjungere.* Imperativus, sed ironicus. *Componere* tamen v. seq. est infinitivus regiturque a *cupidis*. Doct. Lovan.

146. *Lege tua.* Doct. Lovan.: Hoc est, iis conditionibus quas ipse præscripseris; ut ipsimet Pelagiani cap. seq. exponunt. Vulgati conjungebant has voculas cum sequentibus *jam parce*, etc., sed sine sensu. C

* Caput VI. *Inducit Pelagianos verbis querulosis Semipelagianos interpellantes, ut in gratiam recipiantur. ab eis, cum ipsorum probent sententiam.*

158. *Purgentur fonte lavacri.* Non idem valet ac simpliciter, *Baptizentur;* quod Pelagiani numquam rejecerunt : sed fit vis in *purgari* seu a peccatis mundari. Doct. Lovan.

159. *Dum nostri.* Doct. Lovan. : Egregius poeta noster totus in eo est, ut frustra videatur condemnatus Pelagius, si vel unum ejus dogma, quod etiam Massiliensium erat, integrum maneret.

172. *Boni :* non *bonis*, aut *bonos*, ut alii, et Lugd., Lov. Duac. et Colon. Est enim locutio bonis auctoribus familiaris, ut Horatio, lib. Serm. sat. 4 : *Da veniam, Bonus, oro.* Doct. Lov.

* Caput VII. *Non posse qui hæc sentiant Pelagianorum societatem recusare, nisi sententiam mutent; neque amplecti, nisi palam ab Ecclesia dissentiant.*

179. *Sanctorum ad sancta.* Doct. Lovan. : Id est, D ad templa, sacramenta, etc.; allusio ad *sancta sanctorum* templi veteris.

181. *Decreta Patrum.* Doct. Lovan.: Id est, Pontificum et Synodorum contra Pelagianos.

Ibid. *Regumque piorum.* Doct. Lovan. : Imperatorum Honorii, Theodosii, Constantii, etc. qui contra eosdem edicta publicarunt. Hinc de Bonifacio PP. Auctor contra Collat. c. 6 : *Piissimorum imperatorum catholica devotione gaudebat, et contra inimicos gratiæ Dei, non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis.*

* Caput VIII. *Eadem posse queri Pelagianos apud Ecclesiæ præsules. Pelagianorum oratio, qua postulant sic de se judicari, ut vel in Ecclesiam recipiantur, quodque docent Semipelagiani docere permittantur, vel etiam illi una secum foras pellantur.*

185. *Concilium.* Videtur S. Prosper ex duobus conciliis, altero Novemb. 417, altero Maii 418, unum facere.

186. *Trepido favori*, nempe Massiliensium erga Pelagianos, quibus favebant, sed trepide ob leges.

187. *Mille senum.* Positum pro numero magno episcoporum, a quibus Pelagiani in hac sua propositione repulsam passuri erant, uti antea tulerant damnationis sententiam.

188. *Tota nefandæ hæreseos summa*, etc. Id proprium hæresis Pelagianæ, ac magnopere animadvertendum : quod varii illius errores naturali quadam colligatione ita invicem inter se contexti, atque alii ex aliis nexi sunt, ut si unicum admiseris, in cæteros omnes vel invitus devolvare. Id observatum jam alias a S. Prospero libro contra Collat. cap. ult. : *Quia notum est, ita se falsitatis istius habere versutias, ut si ei liceat præteritæ correctionis imagine, aliquod (sibi faventium) rudicis suæ germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare.* Ubi notat Doct. Lovan. vulgatum istius loci mendum, redundantibus vocibus, *sibi faventium*, aut certe aliis quibusdam desideratis. Ad rem ipsam quod attinet, notat quoque idem hujus hæresis ingenium Leo. PP. epist. 86, ad Nicet. Aquileien., breviterque etiam alibi notatum a sancto nostro, gratiam Dei, si non tota juxta fidem catholicam reciperetur, totam rejici, nullo proinde relicto dimidiandi loco.

192. *Antiquas artes.* Quibus Pelagius et Cœlestius quasi certatim, ille episcopis Orientis, hic etiam Romanis obrepere tentaverant. Doct. Lovan.

Ibid. *Rejecerit.* et v. seq., *Steterit.*, fut. temp. verba; neque enim antistites jam propositionem rejecerant, sed prædicuntur rejecturi. Verum satis id monet sententia ipsa, saltem ex quo versus illos præcedentes cum ipso adv. *olim*, quod hucusque turbaverat, parenthesi demum inclusimus. Doct. Lovan.



Digitized by Google

Limitibusque suis steterit censura salubris: A
Numquid non justus poterit dolor abdita cordis
Rumpere, et in tales miseros excire querelas,
Ut dicant: Quænam ista, Patres, in cordibus almis
Justitia est? quo fine graves, quo fine severi,
Claudere terrarum nobis persistitis orbem?
Nosne sumus toto mundo, quorum undique vobis
Sit suspecta fides, quos non tolerare queatis,
Si nostra a vestro vel syllaba dissonet ore?
Non verbis jam nos argumentisve tuemur;
Judicium exemplo petimus. Quod pace manente,
Libera multorum vox astruit, hoc sine bello
Cedatur nobis. Non nostra inventa fovemus,
Nec primis studiis insistimus: ecce recisum est
Unde olim certamen erat, vestrisque reversi B
Cedimus, et quæcumque illis placuere, probamus.
Quid superest culpæ? Quo nos decet usque repelli?
Si vero hæc etiam, quæ nos pia ducimus, absunt
A veris, et vestra illis bene cura repugnat;
Cur extra invidiam pœnamque erroris habentur
Qui damnata docent, et per clara oppida tuti,
**135** His magnos implent populos, quæ nos perhibentes
Plectimur, et nulla sinimur consistere terra?
Hæc in pontificum sancto deprompta senatu,
Quam curam exigerent, et quæ decreta moverent,
Perspicis. An quoniam culpa securus operta
Non premeris synodo, nec te pœnæ metus urget,
Spernis propositi speciem terroris, et isthæc,
Plena velut vanis simulacris somnia rides?
Ergo gerendorum eventu, et fine remoto,
Hæc tantum in medium quæ jam sunt gesta vocemus:
Ut facile ex illis quale hoc sit discutiatur,
Quod disceptantes dudum in diversa movemur.

193. *Limitibusque suis steterit censura*, id est, fixa manserit Romana et Africana sententia. Doct. Lov.

197. *Quo fine*, pro, *quousque?* Non autem pro eo quod dici solet, *qua intentione*. Doct. Lov.

199. *Toto mundo*, q. d., soli ex cunctis hominibus. Doct. Lov.

201. *Si nostra a vestro*, etc. Extenuare conantur suum ab orthodoxis dissidium (ex hæreticorum omnium ingenio), quasi in verbis solum et vocibus situm. Porro hunc versum vulgati codices cum proximis hunc in modum conjungunt,

> ....Quos non tolerare queatis?
> Si nostra a vestro vel syllaba dissonet ore,
> Non verbis jam nos...

Nos Gallum (id est virum doctissimum qui versibus et prosa linguæ Gallicanæ reddidit hoc poema) secuti sumus. Doct. Lovan.

203. *Judicium exemplo petimus:* contra quam dici solet, *non exemplis, sed legibus judicari*. Petunt itaque de se statui Semipelagianorum exemplo, ut si illi absolvantur, ipsi quoque habeantur absoluti. Editiones Lugd. Lovan. et Duac. habebant, *extemplo*, sed incongrue. Doct. Lov.

Ibid. *Pace manente*. Id est, salva communione Ecclesiastica, ut supra non semel. Conformiter intellige v. seq., *sine bello*. Doct. Lov.

204. *Multorum*. Magno enim numero jam inde ab initio fuisse Semipelagianos Auctor quoque testatur epist. ad Aug., adeo ut sub finem ejusdem *paucos* dicat (eorum comparatione) *perfectæ gratiæ intrepidos defensores;* maxime cum factio ingenti potentia D et gratia niteretur, ut idem ostendit. Doct. Lov.

205. *Inventa sua*, et v. seq. *Prima studia*, vocant prima dogmata supra, cap. 1, expressa; quasi dicant: Non eadem jam est nostra doctrina quæ primum cum nos damnastis; ecce inde recidimus ea de quibus quæstio, ista nimirum supra memorata, cap. 8, toto paragrapho 2. Doct. Lov.

208. *Quæcumque illis:* nempe Semipelagianis, quos adhuc pro *vestris*, seu vestræ communionis habetis. Jam enim cap. 8 paratos se gerunt toti horum doctrinæ subscribere: *Quæque placent vobis*, aiunt, *amplectimur*.

209. *Quid superest?* etc. Vulgati (Lugd., Lovan. Duac. et Colon) ferebant: *Quid superest culpæ, quo nos decet?* etc.,

C Sic, ut *quo* esset sexti casus relativum, afficeretque *quid culpæ*. Nos autem ita restituimus, uti putamus ab Auctore scriptum ex Æneid. v:

> Qui finis standi? quo me decet usque teneri?

ubi perspicua est tmesis in *quousque*. Doct. Lov. Hunc sensum secutus est quoque translator Gallicus.

210. *Quæ nos*, nimirum una cum *vestris*, seu Semipelagianis; agitur namque de dogmatis utrique sectæ communibus. Doct. Lov.

213. *Per clara oppida*, et v. seq. *Magnos populos*. Videlicet *Massiliæ, vel aliis etiam locis in Gallia*, ut ait Hilarius epistola ad Augustinum. Hinc etiam tota factio *Massiliensium* nomen accepit, et Auctor quoddam opusculum contra Capitula *Gallorum* scripsit. Respondit quidem hic etiam ad excerpta *Genuensium;* sed hi Semipelagiani non erant, ut excerpta illa indicant: quapropter Italiam ab hac labe immunem fuisse credidero. Doct. Lovan.

225. *Movemur*. Gallus (translator) *vocamur;* nec fortassis incongrue, nisi tertius retro versus eodem iterum verbo clauderetur. Doct. Lovan.

# *PARS SECUNDA.*

## ARGUMENTUM.

Præcipua Pelagii dogmata, vel ipsis fatentibus Semipelagianis, ab Ecclesia damnata, percurrit. Tum proponit illorum doctrinam, cujus duæ partes sunt. Una est, universis prorsus hominibus offerri gratiam a Deo, qui vult omnes homines salvos fieri. Altera liberum arbitrium in causa esse cur unus gratiam amplectatur, alter respuat; unus perseveret, alter non perseveret, eo quod gratiæ opem sibi comparare neglexerit, quod omnes possunt, cum ex primigeniæ integritatis reliquiis satis virium in natura residuum fuerit ad opem Dei desiderandam et postulandam. Primam partem de gratia omnibus oblata per quam salvi esse possint, refellit tum exemplo eorum infidelium qui de fidei mysteriis nihil unquam audierunt, quosque adeo certum est non potuisse nec gratiæ nec salutis esse participes; tum hac ratione, quod si Deus omnes penitus homines, nemine excepto, salvos fieri vellet, omnes salvarentur, cum haud dubie impleatur quidquid vult Omnipotens. Ut autem alteram partem confutet, duo facit. Primum quidem, qua ratione in animis nostris gratia

Digitized by Google

operetur explanat, nempe non consilio tantum benignoque hortatu docens, suadensque, sed mutans intus mentem, faciensque insuperabiliter ut velit. Deinde vero demonstrat ante gratiam illam quæ velle et operari in nobis operatur, neminem posse seipsum præparare ad gratiam; quoniam fides, quæ prima datur per quam cætera impetrentur, gratuitum Dei donum est, neque ante illam quidquam agere homo potest, quo ipsam mereatur, cum omnia etiam probitatis opera nisi ex semine veræ fidei oriantur, peccata sint.

* INTER multa suis quæ tradidit hæresiarches
(Quod cognoscis), ait, naturam quæ bona facta est,
Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari,
**137** Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis,
Et quoniam tales nascantur nunc quoque, qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum:
Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua. Nempe hæc damnata fateris
Conciliis, mundique manu. Connectit et illud
Idem auctor, quod lex ita sanctos miserit olim
Cœlorum in regnum, sicut nunc gratia mittit.
Hoc quoque judicio sancto scis esse peremptum.
Objectum est aliud ipsum dixisse magistrum:
Quod meritis hominum tribuatur gratia Christi,
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.
Sed nimis adversum hoc fidei, nimiumque repugnans
Esse videns, dixit se non ita credere, et illos
Damnari dignos quorum mens ista teneret.
Quo cernis, cum judicibus damnantibus ista
Consensisse reum, nec quemquam hoc posse tueri,
Quæ tamen ipse suis rursum excoluisse libellis
Detegitur, reprobum in sensum fallendo reversus.
* NUNC igitur, quoniam quid nostris displicuisset
Ostensum est, quam sana fides sit vestra patescat.
Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, et formam hanc ascribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque; nec ullum
Præteriens, studeat communem afferre salutem
Omnibus, et totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.
Hinc adjutoris Domini bonitate magistra,
Crescere virtutum studia, ut quod quisque petendum
**139** Mandatis didicit, jugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant; finem effectumque petitum
Dante Deo, ingeniis qui numquam desit honestis.
Sed quia non idem est cunctis vigor, et variarum
Illecebris rerum trahitur dispersa voluntas;
Sponte aliquos vitiis succumbere, qui potuissent
A lapsu revocare pedem, stabilesque manere.
* JAM quia summatim, ut potuit, sententia vestra
Decursa est: Dic unde probes quod gratia Christi

* CAPUT IX. *Hæreseos Pelagianæ capita quæ, ipsis fatentibus Semipelagianis, ab Ecclesia damnata sunt. Hominem ab omni peccati labe purum nasci. Posse unumquemque, si velit, sine peccato ducere vitam. Per legem Moysi salutem obtineri potuisse. Gratiam secundum merita dari.*

227. *Quod cognoscis.* Turbabant et hæ voces; ideoque parenthesi inclusimus.

235. V. supra. v. 42 et 77.

Ibid. *Mundique manu.* De sæculari imperatorum potestate interpretatur Gallus (de lege scilicet Honorii imperatoris). Nonnemo alius intelligit de generali subscriptione, qua cujusvis ordinis homines promiscue Pelagianos damnare cogerentur. Simplicius erat accipere de consensu, quo conciliorum Africæ *constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est*, ut supra dicentem audivimus Auctorem ipsum ad v. 78. Si tamen de subscriptione intelligendus sit locus, tum audire malim Pelagianos, qui apud August. l. IV ad Bonif. c. 8: *Episcopis sine congregatione synodi in locis suis sedentibus subscriptionem* queruntur *extortam*, de cæteris vero ordinibus altum tacent. Doct. Lov.

238. In concilio Diospolitano.

239. *Ipsum dixisse magistrum.* In eadem synodo quidem tam sequens quam præcedens articulus, tamquam a Cœlestio assertus objicitur: sed quod discipulus asseruerat, merito Pelagio ut *magistro* attributum est. Cæterum ad hunc posteriorem *respondit Pelagius: Hæc utrum Cœlestii sint, ipsi viderint qui dicunt ea Cœlestii esse; ego vero numquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenent.* Vide Aug. lib. de Gest. Pelag. cap. 14. Quo libro reliqua etiam, quæ hic de synodo ista dicuntur, videri possunt. Doct. Lov.

247. *Excoluisse libellis.* Hoc illi Augustinus multis locis improperat, ac in primis lib. de Grat. Christi. Item de Peccat. origin. Porro, *excoluisse libellis*, dictum est ut supra, *Versibus excolui.* Doct. Lov.

* CAPUT X. *Semipelagianorum doctrina. Gratia omnes invitat, nec ullus est cui salutem afferre non studeat; sed proprio quisque arbitrio paret vocanti; eosque juvat gratia qui juvari volunt, et in quibus, adjuvante Domino, crescunt postmodum virtutes. ita ut nullis non adsit perseverandi facultas; verum ex libero arbitrio evenit, ut alter perseveret, alter non perseveret.*

251. *Gratia.* Sapientiæ in Scripturis, maxime Prov., Sap., Eccl., etc., persona attribuitur; quæque de illa dicuntur promiscue de increata et creata, pro locorum diversitate accipiuntur ab interpretibus. Idem hic tantum de gratia monitum velim; cætera relinquens vario lectorum palato.

252. *Vobiscum.* Edit. Lugd., *nobiscum;* et v. seq. *nec illum*, ubi cæteri, *vobiscum* et *nec ullum.*

257. *Judicioque suo.* Puto *judicium voluntatis* intelligi, ut vocat Julianus lib. IV contra Julian. c. 4. seu liberam electionem. Doct. Lov.

260. *Bonitate magistra*, id est, docente; unde mox, *Mandatis didicit* .... et, *Esse autem edoctis*, etc. Ad dictionem quod attinet, præiverat illi Æneid. XII: .... *Non arte magistra.* Doct. Lov.

* CAPUT XI. *Confutat illum (Pelagianam) doctrinam. Dici non posse quod nemo sit cui non detur Christi gratia, et quem salvare non velit. Quod eorum exemplo probat qui de fidei mysteriis nihil acceperunt.*

Digitized by Google

Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur A
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? Nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris jam certum est insinuatum
Christi evangelium : ne dicam exordia doni
Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri sunt jussa : sed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno.
Dumque suis aditus Domino pandente ministris,
Crescunt primitiæ, fuerint omnino necesse est
Quædam terrarum partes, ubi gratia nondum
Corda hominum tenebris absolverat impietatis,
Et dira innumeri demersi nocte peribant,
Cum multæ accepto fulgerent lumine mentes.
* An bonitas divina quidem non destitit omnes B
Velle vocare homines, sed non simul apta fuerunt
Corda, quibus possent conferri dona salutis;
Dum morum obsistit feritas truculenta magistris,
Difficilesque aditu transcurrit gratia gentes :
Ut quoniam lucem offerri voluisset, et ipsis
Demonstrare Deus; sua quemque adversa voluntas,
Arguat, et culpa obstringat, quia lumine primo
Per vitia oppresso, sit facta indigna secundo?
**141** Quod si firmatur, nequidquam plectimus illos,
Qui nullum innatum vitium nascentibus aiunt,
Incolumique omnes cum libertate creari :
Gratia quos Christi meritorum examine justo
Eligat, et dignos vita vocet, accipiatque.
Namque utrumque simul sapitis, qui dicitis, Omnes
Omnibus oblatum potuisse apprendere munus,
Naturæ quoniam non sit detracta facultas,
Nec sine justitia pereant qui mentis honorem
Sordibus obruerint vitiorum, ut lumen ab alto
Emissum indigna nollet requiescere sede.
Sic, quod nascendo est unum, distare volendo;
Ut meritum ad paucos, naturaque spectet ad omnes.
* Sed tamen hæc aliqua si vis ratione tueri,

275. *Nec enim*, etc. Videsis idem argumentum, respons. ad capit. Gall. c. 4. Doct. Lov.

277. *Doni*, Evangelii : sicut infra v. 289, *Dona salutis*. Doct. Lov.

284. *Absolverat.* Fateor, in editis antiquioribus esse *Absorpserat :* sed repugnat sententia; et credendum est hic scriptum fuisse *tenebris absolverat*, sicut infra v. 881, *Pœnaque absolvere*. Doct. Lovan. Idem jam ante ex conjectura certa indicatum a traductore. Utriusque judicio fulti, et insuper doctoris exemplo, hanc vocem textui restituere non dubitavimus.

Ibid. *Impietatis :* pro infidelitate, ut non solum libri sacri, sed etiam prophana judicia olim loquebantur. Hinc Christiani *impietatis* seu *atheotetos* damnati (a paganis errantibus). Doct. Lov. C

* Caput XII. *Respond. Semipelag. Quibus fides non est annuntiata, eos, lumine naturæ per vitia oppresso, aptos non fuisse quibus dona salutis conferrentur. — Confutat. Qui hoc dicunt in duas Pelagii hæreses incidere : 1° naturam humanam non esse læsam, utpote quæ gratiam appetere, seque ad eam præparare possit;* 2° Gratiam secundum merita dari.

288. *Sed non simul.* Sic epist. ad Rufin. cap. 15. *An dicendum est*, inquit, *voluntati Dei humanas obsistere voluntates, et tam feros tamque intractabiles horum hominum mores, ut Evangelium ideo non audiant* (hoc est, ipsis non prædicetur), *quia prædicationi impia corda non pateant?* Quod effugium ibidem egregie quoque præcluditur. Doct. Lovan.

290. *Magistris.* Id est, prædicatoribus. Doct. Lov.

291. *Transcurrit :* non pro *percurrit*, ut infra, 581; sed pro *prætercurrit*, seu *præterit ;* agitur enim de gentibus, quas, ut dicitur infra 650 : D

Gratia neglexit degentes mortis in umbra.
(Doct. Lov.)

293. *Demonstrare*, etc. Phrasis dura, nec sapiens Prosperi facilitatem. Putem omnino legendum, *Se monstrare ;* ut periodi sensus sit, Deum omnibus lucem oblatam voluisse, ac re ipsa obtulisse, qua unum saltem Deum verum agnoscerent; atque illis sufficienter se ipsum monstrasse : at etiam oblaturum fuisse lucem Evangelii, qua cætera ad ejus cultum pertinentia noscerent, nisi prima ista luce per vitia oppressa, se altera illa indignos reddidissent. Estque plane conformis locus auctoris epist. ad Aug. post medium : *Quandoquidem, aiunt, inexcusabiles sint, qui et ad unius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali, et Evangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi.* Doct. Lov.

294. *Lumine primo :* nempe *intelligentia naturali*, ista de qua loco citato; v. seq. vero *secundo*, id est, *Evangelio*, ut ibidem. Doct. Lovan.

297. *Innatum*, potius quam *illatum*, ut alii; tum quod infra, v. 826, similiter legatur, *nunc talem* innasci, etc.; tum quod illa hic *innatum nascentibus* sibi concinnitate quadam congruant. Doct. Lovan. Hoc in margine notarant edit. anteriores et emendaverat jam translator eruditissimus.

301. *Utrumque simul sapitis*, cum Pelagianis : videlicet et quod homines cum incolumi, et primigenia ista libertate nascantur, et quod gratia vocet eos quos meritorum examine justo invenit vocatione dignos. Primum nempe sapiunt asseruntque duobus versibus proximis, alterum vero cæteris sequentibus. Quod ut clarius videatur, juvabit eosdem versus per se satis obscuros, brevi paraphrasi elucidare. Itaque.

Ibid. *Omnes omnibus oblatum.* Id est, omnes nationes et homines sui arbitrii merito potuisse efficere ut sibi Evangelium annuntiaretur : nimirum non admittendo obstantem cordis duritiem, morumque feritatem (quando quidem integram ad id libertatem non amisissent). Adeo ut qui auditione Evangelii frustrati sunt, eam præcise ob causam illa sint frustrati, quia dignum Evangelio locum in se suis propriis meritis non præpararunt. Atque ita fieri ut qui nativa arbitrii libertate sunt æquales, dispari ejusdem usu inæquales efficiantur : sitque meritum paucorum, licet naturalis merendi facultas sit omnium. Doct. Lovan.

302. *Apprendere*, pro *assequi* (ut etiam v. 845), est inclinantis Latinitatis vocabulum, tandem etiam vernacule usurpari cœptum pro *addiscere*. Obiter autem notari potest quomodo hunc infinitivum Auctor phrasi sibi familiari continuo mutet in subjectivum, cum post versum interpositum pergit : *Nec sine justitia pereant*, etc., pro, *perire*. Doct. Lov.

* Caput XIII. *Ostendit non talem esse in Deo salvandi omnes voluntatem qualem illi volebant. Eo quod non omnes re ipsa salventur, aut ad fidem veniant, et si quidquid vult Deus haud dubie impleatur. — Respond. Semipelag. Deus omnes vult salvare, neque tamen omnes salvantur, quia hoc libero arbitrio alii volunt, alii nolunt. — Confutat. Indignissimum est voluntatem hominis impedire ne fiat quod vult Omnipotens.*

Digitized by Google

Et credi tam stulta cupis, jam pande quid hoc sit, A
Quod bonus omnipotensque Deus, non omnia subdit
Corda sibi, pariterque omnes jubet esse fideles?
Nam si nemo usquam est quem non velit esse redemptum :
Haud dubie impletur quidquid vult summa potestas.
Non omnes autem salvantur, magnaque pars est
Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.
An varii motus animorum talia gignunt,
Libertasque facit causam non omnibus unam?
Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est.
Quem frustra juvisse velit, nisi præferat ille
Affectum cujus comitetur gratia cursum. B
* At si, dimota certandi nube, serenis
Quæ sunt vera oculis mecum intueare modeste,
Et vetera exemplis manifestis plena videbis
Sæcula, et in nostro cognosces tempore multa
Quæ doceant virtute Dei conversa malorum
Corda, quibus recti nihil umquam insederat, et quæ
Nullum justitiæ signum sensumve gerebant.
**143** Namque ut nunc sævas gentes et barbara regna,
Ignoti prius aut spreti nova gratia Christi
Attrahit, et terra templum sibi condit in omni :
Sic prius immites populos urbesque rebelles,
Vincente obstantes animos pietate, subegit.
Non hoc consilio tantum hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam Legis haberet
Gratia ; sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens, virtute creandi.
Non istud monitus Legis, non verba prophetæ,
Non præstata sibi præstat natura ; sed unus
Quod fecit, reficit. Percurrat Apostolus orbem;
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaque viam verbo reseratam invenerit, intret :
Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.
Hæc semen fidei radicem affigere menti,
Eque sinu cordis validum jubet edere germen.
Hæc maturandam segetem servatque fovetque;
Ne lolium et tribuli, et vanæ dominentur avenæ :
Ne ventus frangat, torrens trahat, æstus adurat :
Neu cum se nimium læta et præfortis in altum
Extulerit, turpi procumbat strata ruina.
* Et nos ista, inquis, sentimus de bonitate
Ac virtute Dei : quæ ni foveatque regatque

320. *Operis finis.* Id est, successus. Doct. Lovan. Ibid. *In illo est*, nempe arbitrio, ut prima fronte apparet. Sed quæ sequuntur v. sequenti, *quem* et *ille*, indicant omnia simul esse relativa hominis v. præced. Doct. Lovan.

321 et seq. *Præferat affectum cujus*, etc.; eo sensu quo quis facem aut signum *præferre* dicitur. Quod notatum oportuit ob vocis et phrasis ambiguitatem. Doct. Lovan. C

* Caput XIV. *Ostendit gratia et virtute Dei omni tempore conversa esse pessima corda, quibus nihil rectæ voluntatis umquam insederat. Gratiam non operari docendo solum, hortando, suadendo ; sed efficaciter mentem immutando, et volentes ex nolentibus faciendo virtute omnipotenti. Quod præstare non potest nec lex, nec verbi divini præcones, nec natura sibi ipsi dimissa. Gratiam efficere ut fides radicem agat in cordibus hominum, ut germinet, ut crescat, ut maturescat, ut conservetur ac perseveret usque in finem.*

338. *Virtute creandi.* Id est, eadem virtute et potentia nunc reformans, qua olim formavit : hinc enim mox illud : *Quod fecit, reficit.* Doct. Lov.

340. *Præstata.* Doct. Lov. legi mavult, *Prostrata*, etsi editiones omnes legant *Præstata sibi ;* id est, sibi dimissa, inquiunt; nec etiam careret elegantia a conjugatis, ut vocant, *Non præstata sibi præstat natura.* Tamen legendum *prostrata* putat, tum quod prostrata natura etiam infra repetatur v. 889 : D

> Sed prostrata semel quanto natura profundo, etc.;

tum quod v. 398 et seq. in eamdem sententiam legatur :

> Nemo alii dat, nemo sibi ; non littera legis
> Nec naturalis sapientia,

(en quod dicit *natura ;* sic autem prosequitur : )

> quæ semel acta.
> *In præceps*, etc.,

quod idem est sane ac *prostrata*.

346. *Adolet.* Sic etiam ad Capit. Gall. sent. 6 : *Arbitrium hominis* (libertatem) *gratia Dei non abolet, sed adolet.*

P. Ramus in illud Pharmaceut. : *Verbenasque adole pingues. Adole*, inquit, *proprie est Auge*, *et hic cat' euphemiasmon, pro Incende dicitur.* Noster igitur inusitatius quidem fortassis, sed tamen proprie hanc vocem posuit. Doct. Lov.

347. *Radicem affigere menti.* Dixerat Virgilius Georg. 2 : *Radicem affigere terræ.* Quin totus hic pene paragraphus e Georgicis expressus est. Doct. Lovan.

350. *Ne lolium*, etc. Ramus in similem Virgilii versum Eclog. 5,

> Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.

*Lolium*, ait, *Græcis est zizanion*, *Francis yvraie :* Versus idem repetitur Georg. 1 :

> Lappæque, tribulique, interque nitentia culta,
> Infelix lolium, etc.

*Officit oculis, quod Ovidius*, 1 *Fast. testatur :*

> Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Tum ita pergit de *avenis* eodem versu : *Avena primum frumenti vitium est, ait Plinius l.* XVIII, *c.* 17. *Sterilis porro dicitur ad differentiam salivæ : vana pro eodem dicitur, Georg.* I :

> Exspectata seges vanis illusit avenis. Doct. Lovan.

* Caput XV. *Semipelagianorum ficta Ecclesiæ dogmatum approbatio. Fatentur hominem per se nec justitiam nec salutem consequi posse aut perseverare ; sed contendunt vocanti et hortanti Deo assentiri propria arbitrii libertate, cujus ille conatum sequatur et perficiat.*

354. *Inquis*, potius quam *inquit*, ut vulgati, cum aliquot his capitibus perpetua sit hominis Semipelagiani allocutio. Doct. Lovan.

355. *Quæ ni*, etc. Idem fatetur Collator lib. contra Collatorem cap. 3 et 4, quod quidem *suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit exten-*

Digitized by Google

Quos vocat, et tutos peccato præstet ab omni ;
Non sua servabit quemquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturæ viribus ullus.
Sed quia jam in nobis et velle et nolle creatum est,
Arbitriique sui quo vult intendere motus
**145** Libertas accita potest, patuitque per aurem
Judicio cordis, quo mundum proposuisset
Consilio servare Deus : mens excita longum
Excutiat somnum; seque illi subdat et aptet,
Qui cupidam et fidam promissa in gaudia ducat.
* Hoc est nobiscum quod te sentire ferebas ?
Hæc sincera fides ? Hæc Christi gratia tecum est?
Cujus opus, fixo distinctum limite, totum
Extra hominem statuis clausa penitus fore mentis :
Vixque Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris animus dijudicet intus,
Seque ferat quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrii : veluti cum voce loquentis,
Aut rerum actarum specie, quas vidimus, aut quas

A Legimus, exoritur secreta cordis in aula,
Nunc amor, aut odium, nunc spes, metus, ira, dolorque :
Nec tamen hos motus scriptor, narrator, et auctor
Insevere animo (quamvis forte hoc quoque vellent);
Sed de perceptis mens judex sponte movetur,
Et pro more suo, quantum se exercuit istis,
Transit in affectum quem confirmaverit ex se,
Illa volendo sequens, istis nolendo resistens.
At vero Omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus; cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta velit : non moribus illi
B Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.
Nec quod sola potest, cura officioque ministri
Exsequitur, famulisve vicem committit agendi.
**147** Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis;
Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos
Suscitat, et solvit peccati compede vinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum ;

*di, semper vero a Domino indigeat adjuvari :* et bonarum voluntatum principia, *nisi a Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possint :* quod postremum quidem hic ita effertur.

....Nec se
Perficiet solis naturæ viribus ullus. Doct. Lovan.

361. *Accita.* Id est, *provocata*, improprie procul dubio. Gallus satis apposite in prosa : *Lorsqu'on lui a proposé quelque chose.* Doct. Lovan.

363. *Consilio.* Gallus de magno consilio miraque œconomia redemptionis nostræ intelligere videtur. Hinc satis quidem magnifice :

Lorsqu'on lui a fait ouïr ces moyens ineffables,
Dont un Dieu daigne user pour sauver les coupables.

Dubitem tamen, an non sensus germanus sit : *Quo mundum proposuisset*, etc.; id est, quid ad salutem Deus a nobis velit. Porro *proposuisset* phrasi Auctoris positum est pro *proposuerit*, ut supra, v. 249, *displicuisset;* et v. 292, *voluisset.* Doct. Lov.

365. *Cupidam et fidam.* Respici videtur ad duo illa quæ Massilienses prævie ad gratiam requirebant; nempe desiderium sanctitatis et fidem : vel ad desiderium tantum, sed constans illud et continuatum, cui iidem et gratiam et perseverantiam acceptam referebant. Doct. Lovan.

Ibid. *In Gaudia.* Gallus, *præmia :* sed vulgatam nostramque lectionem probat, primo quod si *præmia* legendum foret, tum aptius *ad præmia* dictum fuisset; deinde, et præcipue, quod respici videatur ad locum Evangelii, *Intra in gaudium Domini tui :* unde etiam quod in textu præcedit, ubi servus *fidelis* appellatur, puto hic expressum per illud *Fidam.* Doct. Lov.

* Caput XVI. *Confutantur. Dogmate isto everti veram Christi gratiam, quia foris extra animum hominis constituatur, quasi cordis januam pulset tantum, non aperiat. Itaque hoc pacto gratiam proprie non agere, sed liberum arbitrium : veluti cum quis auditis vel lectis quæ placent aut displicent, varie commovetur animi affectus, non his quæ audit vel legit ascribi debet, sed libero ejus arbitrio quod seipsum pro suo nutu huc illuc torquet et flectit. Contra vero gratia flectit voluntatem quo vult omnipotentissima virtute ; nec ullum eam remoratur obstaculum. Non ministrum qui prædicando extrinsecus plantat aut rigat, aliquid esse, sed Deum qui dat intus incrementum. Admirabiles gratiæ effectus in mentibus humanis. Bene volendi affectum quo ad Deum cor accedit, nec hominem homini, nec ullum sibi, neque per naturalem sapientiam dare posse. Optime moratorum inter eos qui naturali demum* C *sapientia pollent virtutes falsæ.*

368. *Fixo distinctum limite.* Sic supra, v. 251 et seq. . . . *hoc cohibetur. Limite vobiscum.*

369. *Clausa fore,* seu janua; non clausæ, ut alii. Doct. Lov.

370. *Sensus carnis.* Propter illud v. 361.... *Patuitque per aurem.*

374. *Specie*, alias *species ;* ut ille sit rectus verbi *exoritur ;* sed cum sequatur mox alius, nempe, *amor, odium*, etc., necesse est ut hic sit obliquus, perinde ut *voce loquentis.* Doct. Lovan.

377. *Auctor.* Jam ex conjectura, Gallo meo consentiente, substitueram *actor*, ut sic tria hæc, *scriptor, narrator, et actor,* convenirent cum tribus illis superioribus, *voce loquentis, rerum actarum specie quas vidimus, et quas legimus;* cum lucem attulit Sallustii locus, ostendens *auctorem* etiam pro *actore* poni posse, adeoque nihil hic in vulgatis immutandum esse; sic enim ille paulo post initium Catilin. D distinguit rerum *scriptorem* et *auctorem*, ut *auctorem* dicat qui eas agit. Doct. Lovan.

379. *Perceptis* Doct. Lovan. restituisse se dicit ex editis antiquioribus, *Præceptis*, cum recentiores haberent, *perceptis*, sic autem intelligi voluit, ut Æneid. VI :

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.

Nos autem consultis antiquioribus editis, Lugd. Lovan. et Duac., legimus uniformiter *perceptis.* Sola editione Coloniensi et posteriori Lugdunensi habente *præceptis.* Ideo non mutavimus.

380. *Pro more suo.* Id est, pro quibus est moribus ac ingenio. Ita Sallustius in Jugurth. : *Sibi quisque pro moribus consulunt, alii fugere, alii arma capere.* Doct. Lov.

385. *Non moribus* contra illud v. 290 : *Dum* MORUM *obsistit feritas.* Doct. Lov.

389. *Admoveant*, quasi ad pulsandum ac intrandum, ut sequitur. Non igitur *admoneant*, ut aliqui. Doct. Lov.

Digitized by Google

Ille ex injustis justos facit, indit amorem
Quo redametur amans, et amor quem conserit ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt,
Nemo alii dat, nemo sibi, non littera Legis,
Nec naturalis sapientia, quæ semel acta
In præceps, labi novit, consurgere nescit.
Et licet eximias studeat pollere per artes.
Ingeniumque bonum generosis moribus ornet;
Cæca tamen finem ad mortis per devia currit,
Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falsa virtute potest, vanamque decoris
Occidui speciem, mortali perdit in ævo.
Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, et sterilis cumulat sibi gloria pœnam.
* Usque adeo donum est quod credimus, et data gratis
Gratia, non merita ditat mercede vocatos:
Nec justorum operum discernit facta; sed omnes
Sola ex immundis mundos facit, utque legentem
Lectus amet, non hoc studio, sed munere sumit.
Nam si spectatrix meritorum est gratia, et illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, et quos
Per libertatem arbitrii sibi repperit aptos,
Insontes tantum, justosque assumere solos
Debuit, et veri cupidos, ac recta volentes.
Perversos autem, et scelerum assuetudine turpes
A Deturbare procul, lucemque negare tenebris.
Atqui Salvator mundi non præmia justis
Solvere, nec sanis venit conferre medelam:
Sed quod dispersum exciderat, fractum atque jacebat,
**149** Quærere, et inventum reparare, ac reddere curæ.
* Denique ne quisquam ex morum splendore putetur
Censeri, aut fidei merito ad bona summa vocari,
Ceu non divino sit munere mentibus ipsa
Inspirata fides; recole innumerabile vulgus
Retro senum et juvenum, qui cæca turpiter usi
B Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per cædes vitam duxere nefandam:
Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso
Extremi flatus, miserantem nocte remota
Cognovere Deum; purgatorisque lavacri
Munere, nulla mali linquentis signa prioris,
Exempli mundo mutarunt tartara cœlo.
Quæ merita hic numeras? Si præcedentia cernas,
Impia; si quæris post addita, nulla fuerunt.
* Si vero merito ascribis, voluisse renasci:
Nempe utero fidei parta est tam recta voluntas.
Porro fidem quis dat, nisi gratia? sic bene velle
Gratia dat tribuendo fidem quæ credita poscat,
C Quæque voluntatis meritum creet, ipsaque solo
Nascatur spirante Deo, mentemque reformans,
De cinere algenti sopitum suscitet ignem.

401. *Et licet eximias*, etc. Sic contra Collat. c. 10: *Etiamsi excellentissimis artibus, et cunctis mortalium polleat disciplinis, justificari ex se non potest: quia bonis suis male utitur, in quibus sine cultu veri Dei impietatis immunditiæque convincitur, et unde se defendi existimat, accusatur.* Doct. Lov.

405. *Decoris occidui:* eadem phrasi qua epist. ad Demetriadem c. 4, dicitur *honores occiduos;* id est, qui cito transeunt occiduntque. In pluribus editis (Lugd., Lov., Duac. et Colon.) pro *vanamque decoris*, legitur *unamque*, sed vitio fortasse typographi (quod ante emendaverat Gallicus translator). Saltem lectio nostra dubia esse non potest, ita prorsus poscente sententia. Doct. Lovan.

408. *Peccatum est*. Locutio est apostolica, Rom. XIV, 23: *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* De qua consule interpretes. Eam interim emollire videtur hic noster, cum addit:

Ibid. *Inque reatum vertitur, et sterilis*, etc. Per quod fortassis insinuat, non ipsum per se opus quod non ex fide fit, peccatum esse oportere, ut quod sæpe sit moraliter (sic scholæ loquuntur) seu ex officio bonum; sed reatum demum accedere, ubi de illo homo aliter quam in Domino gloriatur: uti facile infideles de bonis gloriantur suis. Saltem non sensit Prosper, neque sentire potuit, omnia opera infidelium, in rigore quo hodie theologia loquitur, esse peccata. Doct. Lov. Legi potest S. Aug. lib. IV, contra Julian. cap. 3, append. part. II, pag. 257, et alibi.

* Caput XVII. *Fides donum est prorsus gratuitum. Neque est ex merito, cum ex illa sit omne meritum.*

413. *Legentem lectus:* pro, eligentem electus; id est, Deum homo. Doct. Lov.

414. *Non hoc studio*. Id est, non labore et merito, sed dono gratuito accipit. Doct. Lov.

418. *Solos*. Gallus, *solum* (Editi omnes, *solos*); verum in medio versus, *tantum*, et in fine *solum* displicet. Doct. Lov.

424. *Fractum atque jacebat*. Quidni, inquies, scripsit *Fractumque?* Sed libuit fortassis imitari Horatium lib. I epist. ad Quinct.: *Renuit, negat atque Sabellus*. Doct. Lovan.

* Caput XVIII. *Idem ex eo confirmat quod multos antea flagitiosissimos, etiam instante obitu susceptus baptismus ad cœlum miserit.*

434. *Limite in ipso*. Conjiciunt aliqui legendum *Limine in ipso;* seu quod sic legatur infra, v. 812, seu quod tum Virgilius, in Pharmac. et Æneid. X, tum Lucretius, lib. VI, sic habeant. Censeo tamen retinendam hanc lectionem, cui correspondet illud in epist. ad Rufin. cap. 17. *In ipso exhalandi spiritus* D *fine*. Doct. Lov.

435 et seq. *Miserantem cognovere;* q. d.: Ideo cognovere, quia miserantem. Doct. Lov.

439. *Cernas*. Ita editi omnes. At Doct. Lov. substituit *cernis*, dicens magis rhythmice legi *cernas*, sed ideo male.

* Caput XIX. *Unum hoc in ejusmodi hominibus merito ascribi posse, quod baptismum desiderarint; sed hoc desiderium ex fide, fidem vero nonnisi ex gratia ortum ducere. Fidem, quæ radix est omnium meritorum, ex merito esse non posse: quod ab illa non fit non bene fit. Gratiam funditus evertit qui existimat, vel meritum ullum ante fidem esse posse in falsis virtutibus infidelium; vel fidem ex libertate volendi ortum ducere, non ex mero Dei dono.*

Digitized by Google

Ergo voluntatis genitrix, operumque creatrix A
Non est ex merito: quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit: QUEM non recto via limite ducit;
Quanto plus graditur, tanto longinquius errat.
Sive igitur meritum, credens exsistere posse
Ante fidem, donas virtutibus impietatis;
Sive illam vis esse tuam, non munere dantis
Sumptam, sed genitam de libertate volendi;
Nullam habet in vobis salvatrix gratia sedem,
Inflato exclusa arbitrio, quod fronte superba
Erigitis, spatio ut gravius majore ruatis.
* DIVINORUM operum quod ponitis in redimendis
Principium? Mandata Dei facere ante lavacrum,
Nosse et amare Deum, promissis credere Christi,
**151** Quærere, pulsare, et petere, proprium omnibus esse B
Asseritis, qui se studeant aptare vocanti.
Anne ab aquis divina manus renovare receptos
Incipit, et vitæ causa est sua cuique voluntas;
Ut merces operum sit gratia judiciumque
De pretio, quo quod donum perhibetur ematur?
An vero auxilium verbo Deus inchoat, et se
Voce ministrorum mundo declarat in omni:
Ut pulsante aures sermone illecta voluntas,
Judicio præcurrat opem, nec gratia jam sit
Gratia; quæ legis fungens vice, jure monentis
Solum agat, atque agro cum plantatore ministret,
Terraque seminibus det, non Deus, incrementum;
Ubere ceu gleba subsistat, et arte colentis
Exoritura seges; neque quidquam cordis in arvo
Præsulcet divina manus, quo temperet æquor
Edomitum, faciatque satis gaudere novales?
Talibus assumptis inimico ex dogmate, nonne
Perspicuum est quantum damnatos confoveatis?
Dum cuique, ad veræ capienda exordia vitæ,
Naturam affectum fidei conferre docetis;
Dumque aliud non est vobiscum gratia quam Lex,
Quamque propheta monens, et quam doctrina ministri.
Scilicet ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato genitis in corpore mortis,
Quale habuit nondum peccati lege subactus
Primus homo; et nullum in prolem de vulnere vulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem:
Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat, teneatque suum substantia mentis
Splendorem; et nulla pœnali nocte prematur.
* ADDITE quod superest, tumidi, ruituraque vani

448. *Voluntatis genitrix, operumque creatrix.* Tametsi epistola ad Rufinum c. 2 *bonorum creatrix* vocetur gratia, tamen quod hic dicitur ad *fidem* est referendum, de qua mox ante: *Quæque voluntatis meritum creet.* Item lib. I de Vocat. Gent. c. 23: *Fides, quæ bonæ voluntatis et justæ actionis est genitrix, quo ipsa fonte nascatur*, etc. Doct. Lov. C

450. *Recto via limite.* Legerat Georg. II: *Secto via limite.* Adagii formam habet sententia; quam ideo suo charactere distinximus. Doct. Lov.

453. *Virtutibus impietatis.* Id est, infidelitatis (ut supra v. 284), seu paratis ante ipsam fidem. Doct. Lov.

* CAPUT XX. *Errorum istorum patronos nullum aliud Deo assignare principium reparationis humanæ, quam quod per Legem et prædicatores humanæ insinuet voluntati, quæ facere eam oporteat. Verum ex hac sententia, voluntas gratiam præcurrit, estque gratia instar famulæ, nec gratiæ sed legis vice fungitur, jubendo tantum, non donando quod jubet. Quantum hæc doctrina Pelagianam hæresim corroboret. Docendo initium salutis seu voluntatem credendi esse ex naturali arbitrii libertate. Gratiam vero nihil aliud esse, quam legem et doctrinam. Ex illa sequi liberum arbitrium peccato læsum non fuisse.*

459. *Divinorum*, etc. Ex abrupto aliud arripit medium, quod illi non insolens. Doct. Lov. D

461. *Promissis credere Christi:* pro *sperare;* sicut *nosse Deum* pro *credere;* nam hoc versu tres virtutes theologicæ exprimuntur. Doct. Lovan.

462. *Proprium omnibus esse*, ita ut illa per se possint. Volebant namque Massilienses, *Ad conditionem uniuscujusque hominis pertinere, ut per discretionem boni et mali ad cognitionem Dei, et ad obedientiam mandatorum ejus, possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam qua in Christo renascimur pervenire, per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando.* Epist. Auctoris ad Aug. paulo post medium. Doct. Lov.

464. *Aquis*, Baptismi. Tunc autem demum incipere gratiam indicant Massilienses verbis jam citatis: *Gratiam qua in Christo renascimur.* Doct. Lov.

467. *Donum perhibetur:* nempe in Scripturis, præsertim in Epistolis apostolicis Rom. v et Ephes. III, etc. Doct. Lov.

471. *Judicio.* En manifesto *Judicium voluntatis.* Doct. Lov.

Ibid. *Nec gratia jam sit gratia.* Non ea ratione, quia non sit gratuita, ut Rom. XI, item epist. Auct. ad Rufin. c. 2; sed quia (ut sequitur): *Jure monentis solum agat;* quod non est gratiæ, sed Legis.

475. *Ubere glebæ.* Est Virgilii, versu illo iterum repetito Æneid. I et III:

Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.

Ut mirer etiam Gallum cum vulgatis legisse *gleba.* Columella tamen etiam *uberi gleba* dixit. Doct. Lov. — Edit. Lugd. habet *ubere seu glebæ.* Colon., *ubere seu gleba.* Lovan. et Duac., *ubere ceu gleba.*

477. *Præsulcet.* Notum est *sulcare* pro *arare* a poetis poni: tunc collige quid *præsulcare.* Doct. Lov.

Ibid. *Temperet æquor.* Sumptum ex Æneid. I, translatumque a re marina ad rusticam, ipso præeunte Virgilio, cui et campi planities nondum aratro subacti *æquor* dicitur, recens autem subacti, *novalis*, aut *novale.* Doct. Lov.

478. *Satis.* Ut Virg. eclog. 3: *Dulce satis humor.* Doct. Lov.

486. *Corpore mortis.* Phrasis apostolica, Rom. VII, 24, pro corpore morti obnoxio, nec tam morti corporali quam morti concupiscentiæ et legis membrorum. Doct. Lov.

490. *Respondeat.* Id est, appareat seu conspicua sit, ut infra, v. 622: *Nulla tibi arbitrii respondent signa.* Virgilius etiam *respondere* pro *provenire* posuit Georg. 2:

Sed truncis oleæ melius propagine vites
Respondent.

Quod an huic loco lucem afferre possit lector dispiciat. Doct. Lov.

Digitized by Google

**153** Congerite, et causis causas aptate sequentes. A
Et quia nil primæ periit virtutis apud vos,
Dicite ab illæsis animis procedere veram
Justitiam, regno dignam, cœloque locandam :
Ut frustra Christus sit mortuus. Edite multos
Arte et sponte sua sanctos ab origine mundi,
Absque Deo placuisse Deo : decretaque Legis
Tunc data, cum pejor mos et corruptior ætas
Terrore instanti et formidine mortis egeret.
Dicite plectentes apices, mortisque ministros
Hoc explesse operis quod gratia vivificatrix.
Nunc agite, et quoniam fuerit sine lege voluntas
Libera, quam scripti munibat pagina cordis;
Sic vitam æternam acquiri potuisse, vacante B
Hac ope quæ legem supereminet, ut sine lege
Ex naturali potuit virtute capessi :
Nunc autem studiis vergentibus in mala multa,
Crevisse auxilium ; non quo cessante, salutem
Non caperet per difficiles natura labores;
Sed quo conatus operum affectusque juvante,
Propositam citius ferret mens libera palmam.
Dicite, cum infantes renovantur, non renovari
Insontes animas, et sola carne renasci
Exterius lotos, non exsistentibus illis
Interius maculis : quoniam licet edere rectæ
Signa voluntatis nequeant, tamen hoc magis omni
Sorde vacent, super auctoris quod conditionem
De proprio nihil addiderint quod fons aboleret.
* Hæc si non vestris spirant de cordibus, et vos
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos pelago, submittite vela tumoris,
Nobiscumque humiles placido consistite portu.
Edite constanter naturæ vulnera victæ,
Exutam virtute animam, cæcataque cordis
**155** Lumina, et in pœnam propriam jaculis superatis
Armatum arbitrium, numquam consurgere posse,
Inque novos lapsus semper nitendo revolvi :
Cui sua sit laqueus sapientia, morsque subactum
Detineat, nisi vera salus ex munere Christi
Adsit, et oppressam dignetur gratia mentem.
* An vestrum sublimem animum pudet ista fateri,

* CAPUT XXI. *Et quidquid præterea docebat Pelagius, cujusmodi est. Hominem propria justitia salutem consequi et cœlum mereri posse. Multos propria virtute ab origine mundi Deo placuisse sine Dei gratia. Datam fuisse legem cum corruptiores essent hominum mores, ut eos solo terrore proposito converteret. Et per eam præstitum, quod præstatur per gratiam. Invalescentibus vitiis Legi gratiam, superadditam, non quasi sine ea salutem natura consequi non posset; sed ut facilius posset. Infantes insontes esse, et corpore, non animo, per baptismum ablui.*

494. *Causis causas aptate*, etc. Si ita scripsit Noster, et non potius, *ac ansis ansas* (quod obiter indicasse sufficiat), tum satis apposite reddidit Gallus :

Joignez à ces erreurs l'erreur qui les produit,
La cause à ses effets, et le tronc à son fruit. Doct. Lov.

498. *Ut frustra.* Concinnior lectio quam quæ habet *et frustra;* de qua Doct. Lovan. Sic malo cum vulgatis quam cum Gallo, *ut frustra.* Nec eum etiam sequor in versione soluta hæc conjungentem cum sequentibus, quasi legisset : *ut frustra Christus sit mortuus, edite*, etc. Doct. Lov.

Attamen ex interpunctione patet ipsum ad anteriora retulisse in versibus tam Latinis quam Gallicis; excepto quod pro particula *et* posuerit *ut* in Latinis.

503. *Plectentes apices mortisque*, etc. Sic vocat litteram Legis ex II Cor. III, 6, ubi eadem *occidere* dicitur, *et ministratio mortis* appellatur. Doct. Lov.

507. Repetendum hic fuerat *dicite*, aut *edite*, sed ellipsis conveniebat impetui quo hæc expostulatio ferebatur. Doct. Lov.

*Ibid. Vacante hac ope quæ*, etc. Id est, sine auxilio gratiæ. Est doctrina Pelagianorum apud Aug. lib. VI cont. Julian. c. 24, et aliis locis.

517. *Illis.* Doct. Lov. scribit *ullis.* Gallus (ait) *illis;* sed vitio, puto, operariorum, cum in versione nobis et vulgatis consonet. Doct. Lov. De versione utraque concedimus. Vulgati vero codices quos ante oculos habuimus, Lugd., Lov., Duac. et Colon. habent *illis ;* nec antiquiores his legi credimus.

520. *Auctoris conditionem.* Id est, Dei creationem Doct. Lov.

* CAPUT XXII. *Si hæc dogmata Pelagiana tueri non audeant Semipelag., suos etiam errores abjicere debere, et fateri, naturam ita vulneratam, ut numquam per liberum arbitrium consurgere possit ad faciendam justitiam, sed nitendo etiam bene agere, in novos lapsus semper revolvatur.*

C 524. *Pelago.* Simul alluditur ad *Pelagii* nomen (quo lusu nec Augustinum quidem indelectatum videmus) ac insistitur eleganti metaphoræ a navigantibus sumptæ.

526. *Constanter;* q. d. : In fatendis naturæ vulneribus vobis ipsis constate ; nec cum peccatum originale admittitis, inficiari velitis vulnera *difficultatis* et *ignorantiæ*, ut Aug. vocat, quæ istud necessario consequuntur. Doct. Lovan.

528. *Jaculis superatis.* Qui versibus et prosa carmen hoc reddidit scripserat *jaculis superantis*, ex conjectura ad marginem edit. Lugd., Lov., Duac. et Colon. apposita. Doct. Lov. probe legi defendit *superatis :* neque opus fuisse quærere *superantis*, nimirum diaboli, ut quidam e vulgatis, ipseque adeo Gallus. Mali ominis olim habebatur armis jam semel devictis pugnare : hinc apud Tacitum Histor. lib. III : Cæcina ille temeritatem VICTA ARMA *tractantium incusans.* Quid ergo si Noster ex hoc loco *jacula superata* petierit? Certe ex eodem historicorum principe D plura alia petiit, atque illud imprimis, quod supra ad initium operis citavimus, ubi Britanniam *secretum Oceani* appellavit. Quod autem *in pœnam propriam* arbitrium jaculis istis superatis armatum dicatur, fortassis lumen accipiet e Rami apophtegmate ad illud Virg. Ecloga 9 : *Nunc victi tristes... Sic*, ait, *Bremius Sulpitio aurum appendenti, et roganti cur ensem una cum baltheo exutum lancibus apponeret; Quid enim aliud* (inquit) *nisi dolor victis? In pœnam* igitur : id est, dolorem *proprium*, dum arma sua victis nonnisi dolori sunt, ubi conspectui offeruntur. Doct. Lov.

* CAPUT XXIII. *Eos, si hæc confiteri recusent, Pelagianis pacem negare non posse, quibuscum re vera consentiant. Verbis enim solis discrepare, dum coguntur dicere, peccato Adæ corpus nostrum morti obnoxium factum esse, non autem animam peccato vitia-*

Digitized by Google

Ne sub tam multis morbis sit vilior æger?
Cum nihil ex omni majorum dote supersit
Quo medici mereatur opem, et mercede valescat.
Ergo in castra gradum revocate hostilia, et illis
Addite vos, quorum ingenio et fallacibus armis
Luditis, ejusdem vibrantes spicula linguæ.
Exsultate bonis naturæ, et mentis honorem
Omnibus a sæculis illæsum stare docete.
Neu vos in totum relegatis dogmate nudo,
Corporeo tantum decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete, animi nihil imminuentem.
Vulnere transfixos absolvite crimine, et ipsam
Justitiam accusate Dei, transire sinentis
Supplicium, quo non vultis transire reatum.
* Sed non injustus Deus est: manifestaque Pauli
Vox docet, uno omnes homines cecidisse ruente;
In quo tota simul series prostrata nepotum
Deperiit, nec habet quisquam quo surgere possit
Ad vitam, sacro nisi rursum nascitur ortu.
Quotquot enim summo justos numeratis ab ævo,
Hac ope non dubium est salvatos, quam modo toto
Latius Omnipotens exercet gratia mundo.
**157** * Hæc, sicut dictum est, non judex est meritorum,
Quæ nisi plena malis non invenit: et nisi donet
Quæ bona sunt, nihil efficiet bene cæca voluntas.
Hæc ut cujusquam studio affectuque petatur,
Ipsa agit, et cunctis dux est venientibus ad se:
Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.
Ergo ad iter per iter ferimur: sine lumine lumen
Nemo videt: vitam sine vita inquirere mors est.

*tam. Quod est injustitiam Deo ascribere, et homines prorsus absolvere.*

537. *Mercede valescat.* Id est, pretio curetur; non gratis, ut solent qui quod solvant non habent. Doct. Lov.

542. *Illæsum.* Ita sæpius lego hoc ipso in opere: at *illapsum*, ut alii (Ludg., Lov., Duac. et Colon.), quasi *non lapsum*, nescio ubi legatur uspiam Doct. Lov. *Illæsum* jam notarunt in margine veteres editiones, textui inseruit translator Gallicus et Doct. Lov.

544. *Pœnam peccati:* puta corporalem, ut sunt morbi, ipsaque adeo mors. Agitur de pœna *quæ animis nihil imminuat;* adeoque de vulneribus animæ, quæ juxta auctorem necessario consequuntur peccatum originale, non est sermo. Hanc sententiam a nemine revera traditam fuisse, sed Massiliensibus solum proponi ut insulsum quoddam paradoxum, ad quod iis deveniendum sit, nisi aut integre cum orthodoxis, aut aperte cum Pelagianis consentiant, ostendit Auctor cont. Collat. c. 9: *Nisi forte dicatur*, inquit, *in Adæ posteros pœnam transisse, non culpam: quod omni modo falso dicitur, et ob hoc forte* Non dicitur. *Nimis enim impium est hoc de Dei sentire justitia, quod a prævaricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos :* quibus verbis finis hujus capitis abunde illustratur. Doct. Lov.

*Caput XXIV. *Injustum vero non esse Deum, quoniam ex Apostolo omnes in uno ceciderunt. Nec postea ullus ad vitam resurgere potuit, nisi Christi gratia : ne quidem justi qui fuerunt ante Christum.*

554. *Numeratis*, al. *numeravit*, nempe Paulus. Utrumque bono sensu. Nam et Apostolus, Heb. xi veterum justorum luculentam seriem texit; et Massilienses in iisdem enumerandis toti erant, ut quos prætenderent sine gratia juste vixisse. Sic auctor carminis de Provid. Dei inter Opera Prosperi, sic Faustus Regiensis et alii; quo etiam alludere videtur Noster supra, v. 498 et seq. :

....Edite multos
Arte et sponte sua sanctos ab origine mundi. Doct. Lov.

* Caput XXV. *Ne quidem justi qui fuerunt ante Christum. Gratia omnino gratuita est, cum nemo bene agat, nisi cui donat bene agere. Et ne quidem desiderari possit, nisi cum se ipsa desiderari facit.*

557. *Sicut dictum est.* Videlicet supra cap. 21, 22, et alibi. Doct. Lov.

563. *Ergo ad iter per iter*, alias editi *pariter*, sed inepte (quod jam ab eruditissimo translatore fuerat observatum). Tria autem hæc ad quæ nisi per ipsamet haud perveniri hic dicitur, eadem illa esse videntur, quæ de se Salvator prædicat, cum se ait esse, *viam*, *veritatem et vitam*. Cæterum *Ergo*, nove nescio an antique, certe aliter hic et deinceps plerumque ponitur, quam ex usu communi. Doct. Lov.

# PARS TERTIA.

## ARGUMENTUM.

Argumenta Semipelagianorum et querelæ propulsantur. Duo præsertim opponebant. Primum quidem, tolli liberum arbitrium, nec vitiis pœnam deberi aut præmia virtuti, si vel natura peccato corrupta nonnisi malum velit, vel gratiæ opus sit in homine quidquid bene agat, et quidem ejus gratiæ quæ velle det et currere. Respondet sanctus Prosper, objectione illa peccati originalis fidem everti, per quod libertas nobis in Adam concessa deleta est, nosque concupiscentiæ dominantis jugo subditi, a qua semper in malum rapimur, licet idem volentes faciamus. Voluntatem nostram ab illa servitute liberari non posse, nisi quantum Christi salvatrice gratia liberatur, per quam libertas pristina non tollitur, sed reparatur. Christum hanc gratiam nemini debere, sed gratis quibus vult largiri: ut apparet in parvulis a baptismo mox hinc migrantibus, cum tot alii non percepto baptismate pereant, neque hujus discriminis ulla ratio afferri possit, præter inscrutabile Dei judicium. Objiciebant præterea Pelagianorum reliquiæ: Nisi gratia omnibus detur, peccati reos non fore quos gratia neglexerit, utpote quibus recta gerendi non data fuerit virtus. Respondet, Eorum esse sic argumentari, qui peccatum originale non agnoscunt. Cum enim, auctore Apostolo, per unius delictum in condemnationem justissimam universa hominum massa defluxerit, neminem queri posse se Dei gratia non liberari; quando quidem omnes a Deo deseri meruerint, neque ipsius justitia reprehendi posset, si neminem ab illa perditione liberasset. Non esse perscrutandum, cur de toto hominum genere pars una eligatur, altera rejecta, cum eadem causa omnes implicet: eo quod Deus arcanum illud nostræ cognitioni subduxerit, ut tot alia multo leviora; satisque sit eum cunctorum bonorum auctorem cognoscere, judiciorumque ipsius altitudinem submisse venerari, quæ ita ignota sunt hominibus et inscrutabilia, ut iniqua esse non possint.

* Hic vanam insano profertis corde querelam:
Omne opus arbitrii sublatum vociferantes,

*Caput XXVI. *Objectio 1 Semip. Hac prædicatione gratiæ liberum auferri arbitrium, neque pœnas*

Digitized by Google

Currere currentum si non, et velle volentum est : A
159 Nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si vel naturam obstrictam mala velle necesse est,
Vel nostro ascribi nequeunt bene gesta labori.
* NUNQUID non eadem sapiunt, eademque perorant
Ventri illi, quorum ructatis verba, magistri ?
Sed quia consimili cognata superbia quæstu
Prosilit, et vobis nunc respondetur et illis.
Inviolata Dei quondam et sublimis imago
In primo cuncti fuimus patre, dum nemore almo
Degit, et edicto parens cavet arbore ab una.
At postquam rupta mandati lege, superbum
Consilium mixtum invidiæ de fonte recepit, B
Corruit, et cuncti simul in genitore cadente
Corruimus : transcurrit enim virosa per omnes
Peccati ebrietas, corrupti et cordis in alva
Persistit, cruda fervet carbunculus esca.
Hinc animi vigor obtusus, caligine tetra
Induitur, nec fert divinæ fulgura lucis
Lumen iners : hinc arbitrium per devia lapsum
Claudicat, et cæcis conatibus inque ligatis
Motus inest, non error abest. Manet ergo voluntas
Semper amans aliquid quo se ferat, et labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum :
Vana cupit, vanis tumet et timet ; omnimodaque
161 Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit.
* Hoc itaque arbitrium cum sanat gratia, tolli
Dicitis, et perimi vita aspirante putatis.
Quid mirum rabido si corde phreneticus æger
Morbum amat, et pellit medicum ? Cognoscite tandem
Antiqui commenta doli, et desuescite captas

*aut præmia ulli deberi, si natura sibi dimissa, non nisi mala velit ; bona autem opera non nobis, sed gratiæ ascribi debeant.*

567. *Currere currentum*, etc. Ergone ausi sunt illi obstrepere sacerrimo Pauli dicto, *Non est volentis, neque currentis ?* Aut forte et in hoc magistros suos secuti sunt, ut divinissimam affirmationem cum impia interrogatione commutarent ? De Pelagianis quidem testatur id Augustinus : verum de Massiliensibus nondum legisse memini. Erit igitur poetæ nostri artificium, suam orthodoxamque sententiam his verbis apostolicis invidiose exprimentis, quo ea tanto magis nefarie sugillari ab adversariis videatur. Doct. Lov.

568. *Laudi*, pro virtute ; ex Æneid. I :

....Sunt hic etiam sua præmia laudi.

570. *Nostro labori*. Id est, nobis proprio, et quo gratiam præveniamus. Doct. Lov.

* CAPUT XXVII. *Responsio. Eos sic ratiocinari cum Pelagio, eo quod pariter cum illo totius naturæ in primo homine casum revera non agnoscant. Egregia illius casus descriptio. Peccati originalis trajectio. Mentis cæcitas. Liberum arbitrium non ex toto deletum, sed lapsum et alligatum ad malum. Manet ergo voluntas libera, sed non bona. Quocumque fertur, ruit et labitur.* C

576. *Nemore*. Ramus in illud Virg. Eclog. 6 :

Te nemus omne canet;

notat, *nemus* proprie dici silvam voluptatis causa comparatam. Quapropter apte hoc nomine S. noster paradisum voluptatis appellavit. Alcimus Avitus etiam *lucum* dixit, credo ob lignorum amœnitatem, quam in illo sacræ litteræ celebrant. Doct. Lov.

Ibid. *Nemore almo*. Gallus ediderat *alto* : quod ut vidi, sane placuit, nimirum cogitanti, quam soleat Noster affectare phrasim Virgilii, apud quem *nemora alta* non semel legas. Sed mox offendi idem *alto* inter errores ab ipso editore relatum, repositumque *almo*, quod satis probum est. Doc. Lov. D

581. *Virosa*, ut supra in procem., *virosum caput*. Virgiliane ex Georg. I : *Virosaque Pontus Castorea* ; ubi minime audio interpretes vocem illam in bonam partem accipientes, quasi de Castoreis, et non de Ponto ipsa dicta sit, reclamante Pharmaceutria.

....Hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris : nascuntur plurima Ponto.

Porro quæ hic ponuntur de virosa ebrietate et cruditate, disertius repetuntur contra Collat. c. 9 : *Bibit* (nimirum arbitrium in prima transgressione) *omnium vitiorum venenum, et totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit : inde prius quam edendo carnem Filii hominis, et bibendo sanguinem ejus, lethalem digerat cruditatem ; labitur memoria, errat judicio. nutat incessu*, etc.: nempe ut solent temulenti. Doct. Lov.

583. *Carbunculus*. Alludi ad carbunculum pestiferorum bene notat Gallus in utraque versione : sed quid sibi velit ibidem *cruda esca*, non vidit ; quia ad supra citata verba e lib. cont. Collat. non reflexit. Doct. Lov.

587. *Inque ligatis*. Tmesis, pro *et in ligatis*, seu *illigatis :* id est, impeditis. Est enim imitatio istius Virgiliani Æneid. X, de Mezentio vulnerato, et pugnæ se subducente :

Ille pedem referens, et inutilis, inque ligatus
Cedebat.

591. *Omnimodaque mobilitate ruens*. Ita potius ego cum Gallo (addimus Lugd., Lovan., Duac. et Colon.), quam cum plerisque aliis *vigens*. Nisi enim *ruinæ* C seu casus mentio fiat in hoc hemistichio, quis locus *surgendi* verbo in altero ? Et quia distinctionis notam cum quibusdam ponendo post *ruens*, vix sensum ullum sanum patitur illud sequens, *in vulnera vulnere ;* hinc eos potius sequor qui ita ut nos distinxerunt. Porro quid significetur illa *omnimoda mobilitate*, jam intelligi potest ex dictis supra ad v. 129. Quod enim ibi dicitur, *naturali motus virtute*, id alibi *naturali mobilitate*, et hic *omnimoda mobilitate* significari putandum est : ipsum, inquam, quod rursus v. 459 et seq. disertius Ingrati exponunt :

In nobis (inquiunt) et velle et nolle creatum est,
Arbitriique sui, quo vult, intendere motus
Libertas accita potest.

Denique Polyptoto illo, *in vulnera vulnere*, etiam alibi delectatum videmus Prosperum, nempe supra v. 488, *de vulnere vulnus*. Obscure autem memini, idem aut simile legere apud Virgilium, aut certe D alium quempiam ejusdem classis poetam. Doct. Lov.

* CAPUT XXVIII. *Absurde facere qui opinantur liberum arbitrium tolli, cum per gratiam sanatur et liberatur. Hæc cogitatio ex eadem superbia nascitur quæ Adamum perdidit. Non liberi arbitrii facultate posse sanari liberum arbitrium. Sed gratia Christi, quæ est arbor vitæ, languidam mentem sola reficere ac renovare idonea, et propriis viribus bene utendi facultatem ei largiri.*

597. *Antiqui commenta doli :* nempe quem serpens in paradiso struxit : hinc illud mox, *vipereo susurro*. Estque continua hic allusio ad gesta in deceptione primorum parentum, cui comparatur deceptio Pelagiana ; comparatione quidem satis apposita, qua et

Digitized by Google

Aures vipereo rursum præbere susurro.
Parcite de fractis præcerpere noxia poma
Arbitrii ramis : non hæc vos esca reformat,
Nec speciem angelici nutrit cibus ille decoris.
Sed vetitorum avidos, et tetra bile tumentes,
De fastiditæ procul abripit arbore vitæ.
Hujus ope et fructu vescendum est, ut revalescens
Languida mens, etiam propriis bene viribus uti
Possit, et in Christo inveniat quod perdidit in se.
* Non igitur, quisquis terreni veste parentis
Exueris, priscum naturæ perdis honorem,
Sed recipis : sic acquirens quibus ante carebas,
Ut tua sint, si collatis utare modeste,
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere.
Fons igitur meriti est lucis Pater ; inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis majorum est causa bonorum,
Dum largitori sua reddimus, æque relatis
Augemur, nostrumque bonum fit gloria dantis.
* Sed qui judicium arbitrii, meritumque tueris,
Quique hominum studiis ascribis dona vocantis :
Infantum discerne animos, et dissere quales
Affectus, qualesque habeant hæc pectora motus.
Da teneris mores, et libertate volendi
Instrue, vix auræ tenuis lactisque capaces.
Nulla tibi arbitrii respondent signa, nec ullis
Dissociare pares meritis potes : omnibus una est
Natura, et pariter nequeunt bona vel mala velle.
Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, et rursum genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.
* Nec meritis istud poteris aptare parentum :

A **163** Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritque aliis aliena ignavia vitam;
Cum videas multos sanctis genitoribus ortos,
Nullo salvari studio potuisse suorum :
Expositisque aliis ob turpia crimina matrum,
Missam externorum curam, quæ stercore raptos
Per fontem vitæ cœlesti traderet aulæ.
Quid, si diversum hunc finem, quo gratia Christi
Unum alio pereunte legit, donatque salute,
In geminis etiam videas? quod dividis uno
Tempore conceptos atque uno tempore natos,
Non ullos potes arbitrii prætendere motus.
Cessat opus, cessat meritum, nihil editur impar.
B Sed Deus et tales discernit, quo mage Christi
Excellat bonitas, quæ sola est causa vocatis
Et fidei et meriti : quoniam Sapientia dives
Hoc etiam tribuit multis, ut sancta operatis,
In finem vitæ, fieret de munere merces.
* Non autem recte, nec vere dicitur, illos
Qui sunt exsortes divini muneris, et quos
Gratia neglexit degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus. Naturæ compede vinctos
Procubuisse negant, nec ab uno germine credunt
Omnigenam prolem cum pœna et crimine nasci.
Quod qui non renuit, videt hujus pondera culpæ
C Tam valida pariter miseris incumbere mole,
Ut si nulla etiam cumulent mala, sit tamen unum hoc
Sufficiens scelus, ad mortem nascendo luendam.

læsum arbitrium arbori vetitæ, et gratia arbori vitæ confertur; ac proinde opera gratiæ et arbitrii, utriusque istius arboris fructibus; denique reformatio interior, quam Pelagianus ex viribus arbitrii promittebat, transformationi in deos seu angelos, quam ex arbore vetita promittebat serpens. Doct. Lov.

Ibid. *Desuescite captas*, etc. Notasis sibilum litteræ serpentinæ, cum *susurrus vipereus* exprimendus venit. Doct. Lov.

599. *Præcerpere*. Non temere ita dixit, potius quam *decerpere*. Sic enim melius indicatur Pelagianorum ac Semipelagianorum error, primo requirentium fructum arbitrii, quem deinde fructus gratiæ exciperet. Doct. Lov.

603. *De fastiditæ.... vitæ*. Forte et hic præpostera rhythmi affectatione turbatum est, scripseritque Auctor, *de fastidita*. Saltem illius ævo versus, ut vocant, Leoninus adhuc in vitio erat, mediæque demum ætati debebatur hæc barbara et Gothica elegantia. Doct. Lov.

* Caput XXIX. *Gratia Christi non perdimus, sed recipimus pristinum naturæ honorem, ea gratia meritorum in nobis est principium, quæ eo magis crescunt quo illam humilius accipimus et accipiendo augemus.*

614. *Æque relatis augemur*. Deo hanc relationem novis donis munerante, ut recte Gallus exponit. Hinc collige quid sit.

615. *Nostrumque bonum fit gloria dantis* : seu potius e contra (sic enim invertenda est sententia) *gloria dantis*, Dei scilicet, *fit bonum nostrum*. Doct. Lov.

* Caput XXX. *Ex parvulis statim post baptismum morientibus clarissime perspici gratiam non dari secundum humanæ voluntatis studia, sed secundum Dei beneplacitum.*

616. *Judicium arbitrii*. Jam supra, *judicium voluntatis*, vocavimus et exposuimus. Doct. Lov.

* Caput XXXI. *Eorumdem salutem non esse parentum meritis, nec damnationem demeritis ascribendam. Quod maxime patet in geminis, quorum alter baptizatur interdum, alter sine baptismo moritur, sola Christi misericordia eos discernente. Eadem misericordia aliis* D *tribui fidem, qua bene operentur, ac meritis augeantur usque in finem.*

638. *Legit*, ut alibi sæpissime, pro *eligit*. Doct. Lov.

645. *Sapientia dives*, etc. Editi plerique in margine indicant respici ad locum Sap. IV, de Justo, qui *raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*. Ut ut sit, Sapientia hic intelligitur increata, ipsa videlicet Providentia Dei, vel (ut Gallo placuisse videtur) Christus. Doct. Lov.

* Caput XXXII. *Objectio II Semipelag. Si gratia ad bene agendum omnino necessaria est, eaque non omnibus detur, peccati reos non fore, quibus bene gerendi non data fuerit. Responsio. Hoc argumento rursus negari peccatum originale. Nam eo solo peccato reos nasci omnes homines ac dignos morte etiamsi nulla propria scelera ei adjecerint.*

653. *Negant* : qui nempe ita ratiocinentur. Doct. Lov.

658. *Nascendo luendam*. Doct. Lov. : Turbata

Digitized by Google

* Hanc igitur legem quam per se nemo resolvit, A
Si merito et juste positam, impositamque fatemur :
Cur querimur quod non omnes salvantur ab illa,
Cum si progeniem super omnem irrupta maneret,
De cunctis juste damnatis non quereremur?
An quod de toto ferretur, non toleratur
De parte, et melius foret omnia debita cogi,
Quam summa ex solida clementer multa remitti?
Quis vero exemptus squallenti carcere, pulset
Invidia miserantis opem, quia non simul omnes
In lucem veram tenebris eduxerit iisdem?
**165** Cum pœnam qua mersus erat, non experiatur,
Quam misere ferat addictus, nisi liber ab illa?
Denique tunc illum socialem mente benigna B
Concipit affectum, quo submissa prece Christum
Conciliet miseris, sueta qui nocte gravati
Nulla gerunt vota effugii. Tantum nocet error,
Ut juvet errare; et veteris contagia morbi
Tam blande obrepunt, ut quo languetur ametur.
Unde ergo hæc oritur querimonia? Non movet illos
Talis cura, quibus necdum est sua pœna dolori,
Et qui se nulla credunt a luce relictos.
Qui vero tenebris exempti in lumine vivunt,
Gaudent, et quantum sibi sit bonitate vocantis
Dimissum, ex illis discunt qui debita solvunt.
* Vos igitur soli queruli, solique superbi :
Vos soli INGRATI, quos urit gratia, cujus
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro :
Et quod non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Ut tam ex judicio constet cujusque quod intrat,
Quam quod non intrat, ceu par in utrumque facultas
Suppetat; et tam sit proprium bona quam mala velle.
I procul, insana impietas, artesque malignas
Aufer, et auctorem comitare exclusa Britannum :
Nos humiles tenuesque sumus grex parvus, et altis
Inniti metuens, quia sufficientia nostra
Ex Christo est; si quid recti sapimus, volumusque,
Illi debemus qui vincula nostra resolvit,

sententia, quam sic ordina : *Sit tamen unum hoc scelus nascendo contractum sufficiens ad mortem*, nempe æternam, *luendam*. Gallus breviter æque ac pulchre :

Il suffit d'être né pour mériter la mort.

* CAPUT XXXIII. *Injusta ergo adversus Deum querimonia, quod non omnes per gratiam liberet a perditione ita omnibus debita, ut jure potuerit neminem* C *liberare. Abhorret a ratione ut qui sola Dei benignitate liberati sunt, eum accusent quod non omnibus pariter reis eamdem benignitatem præstiterit. Consideratione justæ infidelium et peccatorum derelictionis, pios ac fideles Dei servos excitari ad impetrandam eis humili prece liberationem et misericordiam, cum eam ipsi peccatores non quærant, et miseria sua etiam delectentur. Dei misericordiam nec ab iis quibus negata est, nec ab iis quibus concessa, reprehendi.*

660. *Positam impositamque :* puta *juste positam, et merito impositam :* quippe *impositam* magis pœnam sonat, et meritum seu culpam respicit. Doct. Lov.

661. *Salvantur ab illa.* Vix dubito quin legendum sit, *solvantur :* tum ob majorem sermonis proprietatem, tum quia præcedit, *quam per se nemo resolvit.* Tum denique quia sequitur : *progeniem super omnem irrupta maneret :* nimirum, ut ceu vinculum quoddam, rumpi censeatur in iis, qui e contra *solvantur ab illa.* Doct. Lov.

D 669. *Eduxerit iisdem.* Vulgatis (non tamen Lugd., Lovan., Duac. et Colon.) est *eduxit*, ut ita *iisdem* sit trisyllabum. Verum numquam hac voce ut trisyllaba usus est Noster, aut Virgilius ejus. Doct. Lov.

670. *Cum pœnam*, etc. Hos duos versus cum superioribus conjunxerunt hactenus omnes quos viderim; etiam Gallus, qui idcirco mire hic sudat ut idoneum aliquem sensum exsculpat. An nobis contigerit rem acu tetigisse lector judicet. Ita Doct. Lovan. qui locum sensui meliori a se restitutum putat mutata interpunctione, hunc in morem :

Cum pœnam qua mersus erat, non experiatur,
Quam misere ferat addictus, nisi liber ab illa?

673. *Submissa.* Edit. Lug., Lov., Duac. et Colon., cum recentioribus legebant, *quo cum summa prece.* At vero mutaverat qui versibus et soluta oratione hoc poema est interpretatus, eo modo quo legitur hic in textu. Cui astipulatur Doct. Lov. hoc modo. Sic supra v. 173 : *Talia submissus*, etc., estque dictio satis Virgiliana. Alii tamen legunt *cum summa;* sed huic nihil simile alibi apud Auctorem legitur; nescio an vel apud alium quempiam. Unde ne vel dignum quidem credidi quod in marginem rejiceretur.

675. *Tantum nocet*, etc. Datur ratio cur hi nulla gerant vota effugii : idemque repetitur ad 6 capit. Gall.: *Amat ergo arbitrium languores suos; et pro sanitate habet quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto*, etc. Doct. Lov.

678. *Unde ergo*, etc. Hic adeo nihil sani distinctio Vulgata habebat, ut etiam hæc interrogatio abesset : quam primum quidem duce sensu restitui, sed deinde etiam Gallo probatam inveni. Doct. Lov.

* CAPUT XXXIV. *Sed ab iis solis qui gratiam quantum licet subruunt, primam discriminis causam inter bonos et malos libero arbitrio ascribentes. Uni Christo nos debere, si quid recti sapimus et volumus.*

685. *Ingrati.* Nomen hoc juxta ac ejus ratio ex Aug. desumpta videntur lib. de Dono Persev. c. 8 : *Et gratis*, inquit, *a Deo datur gratia, et justo ejus in aliis judicio demonstratur quid iis quibus datur conferat gratia. Non itaque simus* INGRATI, *quod, secundum beneplacitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus.* Doct. Lov.

686. *Subsistere.* Doct. Lov. margini apposuit *consistere*, quod in vulgatis (forte recentioribus, nam non habetur in antiquioribus quos præ manibus habemus) legerat.

689. *Judicio*, pro electione, ut supra. Doct. Lov.

690. *Ceu par*, etc. Vide ad finem cap. 6, id est, v. 130 et 131.

693. *Britannum.* Id est, Pelagium (ut supra v. 2), qui tunc cum hæc Auctor scriberet, *exclusus;* id est, ab Ecclesia ejectus (ut rursus v. 106), nescio ubi vagus et extorris errabat. Hinc illud etiam v. 149 : *Pulsi mundo, nullaque recepti sede vagi;* et alibi similia. Doct. Lov.

694. *Grex parvus.* Luc. 2 : *Pusillus grex :* parvus, inquam, ac ideo timidus, sibique diffidens. Doct. Lov.

696. *Recti.* Gallus *recte*, quod non probo ; non enim solet Noster sic loqui, *recte velle ;* sed potius, *recta*, ut supra aliquoties, *recta volendi, recta loquendi*, etc. Recta sapere autem etiam Ecclesia dicit in collecta de Spiritu Sancto. Maneat igitur ut est : *Si quid recti sapimus, volumusque*, Doct. Lovan. Consentiunt ob-

Digitized by Google

**167** Proque malis bona restituit, non inveniendo A
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur,
Ut de perceptis prodiret causa merendi;
Deque datis in danda, gradus industria crescens
Scanderet, atque bonum fieret Deus omnibus unum.
* Cur vero humani generis de germine toto
Pars quædam in Christo rursum generanda legatur,
Pars pereat, cum causa eadem simul implicet omnes,
Nec discernantur merito, qui munere distant;
Non satis audemus scrutari, nec per opertas
Ire vias, callesque gradu pulsare remotos.
Multa etenim bene tecta latent, nescitaque prosunt, B
Dum mansueta fides quædam dilata modeste
Sustinet, et nullo ignorat non edita damno.
Sic quando electum ex cunctis populum Deus unum
Leges, sacris, templo, unguento, signisque fovebat;
Quod fuit occultum, mundique in fine retectum est,
Non oberat nescire omnes quandoque vocandas
In regnum æternum gentes, totumque per orbem
Donandum quod spes parvæ tunc plebis habebat.
Sic postrema dies qua mundi clauditur ætas
Notitiæ nostræ non est data; nec tamen hujus
Secreti impatiens sanctorum turba laborat.
Ipsa quoque humani generis carnalis origo,
Quam multas vario circumtegit ordine causas!
Cumque omnes de fermento producat eodem
Una manus, nec diversis elementa parentum
Principiis coeant: limo procedit ab uno
Dispar opus, mutat numeros per vascula fictor,
Materiamque una discernit jure creantis.
Ergo eadem natura animæ, naturaque carnis
Diversis mundum sub conditionibus intrat.
His regnare datum est, illos servire necesse est:
Hos decor, et vires validæ, viridisque senectus
**169** Suscipit, hos species inhonora, et debile corpus:
His viget ingenium præclaris artibus aptum,
Horum tarda premit gelidus præcordia sanguis:
Quosdam nec licitus calor incitat ad generandum.
Ast alii insanum nequeunt frenare furorem:
Hunc mitem et placidum tranquilla modestia comit,
** [*Supple hic* Asperitas istum genii intractabilis urget.]
His et mille modis semen variantibus unum,
Impariles subeunt distincta exordia formas.
Nec tamen hæc inter tam compugnantia quisquam

servationi Lugdun., Lov., Duac. et Colon.

699. *Quo legeretur :* Nempe Deus a nobis, ut Gallus intellexit. Sed contra est illud evangelicum, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos :* propter quod etiam Auctor, cum frequenter electionis meminerit, nunquam tamen nisi ejus qua a Deo ipsi eligimur. Itaque *quo legeretur*, id est, quo *merito* a se eligi posset. Nam re vera Deus in nobis meritum eligit, ac nos ad meritum, sed quod ipsemet donat. Uno verbo (quo totum versiculum expono), Deus meritum quo nos eligat non invenit in nobis, sed ipsemet facit, et faciendo eligit. De electione ago quæ fit in tempore, non autem qua electi sumus ante constitutionem mundi. Doct. Lov. C

* Caput XXXV. *Scrutandum non esse cur ex toto genere humano pars una eligatur, altera rejecta, licet eadem causa omnes implicet. Cur id ignorare non obsit. Sicut nec oberat olim nescire omnes gentes fore ad fidem vocandas. Nec nunc quando mundus finietur. Vel quæ sit tantæ in genere humano varietatis causa, ut licet eadem sit omnium natura, unus tamen regnet, alter serviat*, etc. *Cum tot varietatum manifestarum causæ lateant, nemo tamen arguit earum auctorem Deum. Merito Deum voluisse ut nos lateret divinæ prædestinationis arcanum quamdiu in hac vita sumus.* D

704. *Legatur :* rursus ut passim, pro *eligatur*. Doct. Lov.

706 *Nec discernantur merito*. Videlicet ante fidem et gratiam. Doct. Lov.

Ibid. *Munere :* perpetuo hic pro dono, non officio, sed nusquam ferme tam ambigue quam hoc loco.

711. *Non edita*. Sic rursus v. 746, *edita non sit*. E contra supra, v. 86, *edita linguis ;* et v. 151, *edita nobis*, etc., nempe *edita* pro declarata seu manifestata; *non edita* vero pro occulta. Doct. Lov.

712. *Sic quando*, etc. Epist. ad Ruf. c. 16 : *Quia et in anterioribus sæculis, quando de unius gentis populo dicebatur : Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus ; futura gentium latebat electio ; et postmodum innotuit quod revelatum ante non fuerat, sicut dixit Apostolus : Quod aliis generationibus non est agnitum*, etc. Quod tamen ita dumtaxat accipiendum videtur, ut non passim olim homines scirent vocandas aliquando gentes : nam alioqui prophetas id scivisse et prædicasse, ex professo probatur libro de Vocat. Gent. cap. 18. Doct. Lovan.

714. *Mundique in fine*, non pro postrema die, de qua mox v. 718; sed pro tempore novæ Legis, quæ ultima est mundi ætas. Doct. Lovan.

725. *Procedit*, non *procedat*, ut alii, ita poscente sententia cum verbis quæ sequuntur. Doct. Lov. *Procedit* notarunt in margine Lov., Duac. et Colon. inseruerat textui interpres.

730. *Datum est, illos*. Doct. Lov. legi mavult *datum ; ast illos*. Alii cum Gallo, *Datum est* (inquit) *illos*, etc. Sed mihi placere non potest importuna illa repetitio verbi substantivi in medio et fine versus : cui adde quod conjunctione *ast* eodem modo utatur Auctor mox infra, v. 736.

734. *Gelidus præcordia sanguis*, etc. Virgiliana phrasis, qua hebes ingenium denotatur. Sic Georg. II :

Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

Ubi allusum putant ad sententiam Empedoclis, animum cordi suffusum sanguinem existimantis, ut Cic. Tuscul. I. Doct. Lov.

736. *Furorem*, nempe libidinis; hi enim de quibus præsenti versu, opponuntur illis de quibus præced. : *Quosdam nec licitus calor*, etc. Doctor Lovan.

** Hic desiderabatur quintæ antithesis complementum, uti etiam doctissima manus ad meum Galli exemplar annotaverat. Gallus ipse in utraque versione suppleverat, nos in Latinis quoque supplendum duximus : an recte, tu lector, videris. Asperitatem litteræ caninæ affectavimus, uti Auctor lenium liquidarumque mollitiem in v. præcedenti, ac rursus ante in *frenare furorem* eamdem asperitatem affectat. Doct. Lov.

Digitized by Google

Arguit auctorem, qui secum continet hujus
Legem operis, dum judicio placita explicat æquo,
Et rerum causas obscurat justa potestas.
Si terrenum igitur figmentum, addictaque morti
Progenies, ita dissimili producitur ortu,
Ut cum operis species pateat, tamen edita non sit
Norma voluntatis de qua venit hic modus impar;
Quid mirum si consilii super omnia magni
Arcanum latet, et placito subducitur alto?
Quod dum vana fluunt mundi, dum in corpore mortis
Vivitur, et positi expletur certamen agonis,
Non cognoscendum texit Deus, utiliusque
Duxit ad examen quædam velare piorum.
* Non ergo instamus clausis, nec operta procaci
Urgemus cura, satis est opera Omnipotentis
Cernere, et auctorem cunctorum nosse bonorum;
Quo sine nil rectum mens inchoat. Audeat amens
Impietas tumido arbitrio subnectere causas
Divinorum operum: nos cum manifesta videmus
Dona Dei, quorum est fons unus, summa voluntas,
Cum Paulo tremuisse juvat, stupidumque modeste
**171** Invictum ad solium Christi suspendere nutum:
Cujus judicium sic inscrutabile et altum
Dicimus, ut verax prorsus fateamur et æquum.
Nam meritum ad mortem subeundam sufficit unum;
Ad vitam, nisi quod donarit gratia, nullum.
* Tu vero, o nova gens, veteris quæ stirpe oleastri
Velleris, et sacræ ramis inolescis olivæ,
Quærere formatæ sentis te frondis honorem
Non studio cœpisse tuo, sed jure potentis
Agricolæ insertum fecundo vivere ligno:
Vince superborum flatus, et vana furentum
Turbinibus stabili fortis pietate resiste:
Nec tibi fallacis subrepat imago decoris,
Nullum ex his errare putes. Licet in cruce vitam

741. *Secum continet.* Intellige hanc phrasim ex v. 52, supra, ubi similiter, *secum tenuisset*, etc. Doct. Lov.

742. *Judicio placita explicat*, etc. Sic paulo post dicit:

> Ut cum operis species pateat, tamen edita non sit
> Norma voluntatis, de qua, etc.

Item lib. I de Voc. Gent. c. 16: *Opus exserit* (sic restituo pro erexit) *pietas, causam obscurat potestas.* Horum enim trium locorum una est sententia: Deum opere atque executione ipsa, quæ quidem semper justissima sit, ostendere quid sibi sit placitum; sed pro jure potestatis supremæ nos celare placiti sui rationes. Doct. Lov.

750. *Corpore mortis.* Videsis supra ad v. 486.

753. *Ad examen...piorum:* non ut illi ea examinent, sed per illa potius a Deo examinentur et probentur quam nimirum sint humiles et fideles. Doct. Lov.

* Caput XXXVI. *Relicta Deo arcanorum suorum conscientia, agnoscatur unus cunctorum auctor bonorum. Usque ad minimum bonæ voluntatis initium. Desipiunt qui Paulo ipsi inscrutabilem, cur hi potius quam illi per gratiam liberentur, quæstionem, per liberi arbitrii velle et nolle se solvere posse opinantur. Non posse Dei judicium non esse æquum, quamvis occultum sit, cum omnibus meritum ad mortem suppetat vel ex uno originis peccato. Nullum ad vitam nisi quod gratia donari.*

757. *Quo sine*, etc. Magnifice abutitur putido illo Virgilii hemistichio ad Mæcenatem Georg. 3:

> Te sine nil altum mens inchoat.

Ex quo etiam patet legendum *rectum*, uti Virgilius dixit *altum;* non autem *recti*, ut habebant plures editiones. Doct. Lov.

758. *Arbitrio subnectere causas*, etc. Dictio est Juvenalis in fine Sat. 5, ubi legis, *subnectere causas*, tametsi longe alio sensu (ut solet Noster a veteribus non perinde sensus ac phrases mutuari). Ad sensum autem quod attinet, peti is potest ex simili loco ad capit. 8 Gallor: *Causas vero operum et judiciorum Dei qui ex toto ad humanas voluntates et actiones refert..... et dispensationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari*, etc. Doct. Lov.

* Caput XXXVII. *Quantum viri fideles ab hostibus gratiæ sibi cavere debeant. Quicumque virtutes suas vel sibi, vel gratiæ quam meritus sit ascribit, proficiendo deficit currendo recedit.*

767. *Nova gens.* Non alloquitur Ingratos (ut quidam existimarunt, forte decepti voce *nova*, quæ in malam partem frequenter accipitur); sed orthodoxum Ecclesiæ populum; novum utique comparatione Judaici, cui hoc loco opponitur. Doct. Lov.

768. *Velleris.* Verb. pro *avelleris*. Virgiliane. Alluditur ad Rom. XI, 17, ubi de gente Judæorum, ut *oliva*, et de gentili ut *oleastro* disseritur. Vide ejus loci expositionem luculentam apud Aug. in psalmum LXXII. Doct. Lov.

769. *Formatæ frondis*, nempe oleaginæ; ut distinguitur contra frondem oleastri, velut informem et imperfectam. Doct. Lov.

772. *Superborum.* Massiliensium epitheton, et quidem e duobus primariis unum. Alterum nempe est *Ingratorum;* ambo autem conjunctim habes supra, in Præfat., et v. 684. Doct. Lov.

774 et seq. *Decoris, nullum*, etc. Hactenus lectum fuit:

> ....Subrepat imago decoris.
> Nullum ex his errare putes?

Nec interrogationi tam abruptæ dissimilis est illa supra, v. 459:

> Divinorum operum quod ponitis, etc.?

Tamen locum corruptum esse cum Gallo sentio, qui hoc hemistichium cum superiori versu forte debere conjungi autumat. Optaremque (pergit Doct. Lov.) cum eodem mss. opem: sed quæ mihi ne Romæ quidem omnes bibliothecas celebriores, ipsamque etiam Vaticanam, perlustranti obtingere potuit. Igitur meo Marte, non invito Gallo, ita restitui, ut duo hi versus sibi cohæreant, subaudita tamen inter utrumque conjunctione *ut*. Dubitavi etiam, num forte integer versus desideraretur, v. g.:

> Ut quia conspicuis sunt moribus, atque probatis;

sine quo profecto, aut simili, non satis indicatur, quæ sit illa *fallacis imago decoris*.

775. *Licet in cruce*, etc. Igitur ubi illud, inquies, evangelicum, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos?* Sine dubio enim nonnulla doctrinæ probatio mores sunt: sed nec id negat hic Noster, immo potius probat, cum detracturus Semipelagianis hanc larvam, non eam init viam, ut dicat mores nihil conferre ad do-

Digitized by Google

Ducant, et jugi afficiant sua corpora morte,
Abstineant opibus, sint casti, sintque benigni,
Terrenisque ferant animum super astra relictis:
Si tamen hæc propria virtute capescere quemquam
Posse putant, sitve ut dignus labor iste juvari,
Ingenium meruisse aiunt bona vera petentis:
Crescere quo cupiunt, minuuntur; proficiendo
Deficiunt; surgendo cadunt; currendo recedunt.
Unde etenim vane frustra splendescere quærunt,
Inde obscurantur: quoniam sua, laudis amore,
Non quæ sunt Christi quærunt, nec fit Deus illis
Principium, et capiti non dant in corpore regnum.
Non horum templo est Christus petra fundamentum;
**173** Sed super instabilem arbitrii nutantis arenam
A Assurgunt, fœda lapsuri mole tumoris.
Isti quem quidam reprobarunt ædificantes,
Nunc etiam reprobant lapidem, pariesque sine ipso
Tertius esse volunt, quem nullo fœdere nectat
Angulus, et quem nulla habeat compago ligatum:
Hi thalamum ad sponsi non perducuntur, et intrant
Libertate sua: quæ Christi gratia confert,
Non acceperunt, et habent: non attrahit illos
Vis Patris ad Verbum, sed sponte et præpete cursu
Præveniunt cessantis opem: nec ad omne gerendum
B Ejus egent, sine quo sibi plurima posse videntur.

ctrinæ judicium, sed aliam potius; nempe ut ostendat virtutes eorum solidas non esse, vitiante illas superbia, et propriæ laudis amore, quem quidem ipso suo dogmate profiteantur. Doct. Lov.

784. *Vani*. Aliud ingratorum epitheton, quo eos iterum ornat supra, v. 493. Alii interim pro illo legunt *varii* (Lug., Lov., Duac. et Colon.), ut sit a particulari de Massiliensibus sermone transitus ad sententiam generalem. Verum quia et illa quæ mox sequuntur, solos interim Massilienses tangunt, putem in *varii* mendum esse. Doct. Lov. Quod cum animadvertisset interpres Gallicus correxit.

788. *Non horum*. Juvat integra adducere ea Scripturæ loca, quibus Auctor hoc paragrapho tam graviter sancteque ludit; præsertim quod illorum annotatio marginalis densior et confusior foret quam quæ facile caperetur. Itaque hoc ipso v. 788 respicitur tum ad I Cor. III, 11: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus;* tum ad Ephes. II, 21: *In quo* C *omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino;* tum denique ad I Cor. X, 4: *Petra autem erat Christus*. Doct. Lov.

789 *et seq*. Alluditur ad *virum stultum*, sic loquitur Salvator, Matth. VII, 26, *qui ædificavit domum suam super arenam*, etc. Doct. Lov.

791. Respicitur ad illud psalm. CXVII, 22, quod etiam in Evangelio sæpius repetitur: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. Doct. Lov.

792 *et seqq*. Primo respicitur ad loca in quibus Christus dicitur *lapis angularis:* ut Isai. XXVIII, 16, Ephes. II, 20, et I Pet. II, 6; deinde iterum ad Ephes. II, 14: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem solvens*, etc. Doct. Lov.

795. Misceri videntur verba psal. XVIII, 6, *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo*, et sensus Cantic. I, 3, *Introduxit me rex in cellaria sua*, vel, ut vulgo Ecclesia, *In cubiculum suum*. Doct. Lov.

796 *et init. seq*. Respicitur ad I Cor. IV, 7: *Quid habes quod non accepisti?* Doct. Lov.

797 *et seqq*. Alluditur ad Joan. VI, 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Doct. Lov.

800. Denique ad Joan. XV, 5: *Sine me nihil potestis facere*. Doct. Lov.

# PARS QUARTA.

## ARGUMENTUM.

Semipelagianorum doctrinam cum hæresi Pelagiana comparat, ostendens Pelagianum dogma periculosius ab iis statui, quia occultius et speciosius quam ab ipso Pelagio, quem damnare videbantur. Potissimum illorum fundamentum destruit de primæ integritatis reliquiis, quas in hominis natura superesse opinabantur; docetque, quod ad veri boni appetitionem spectat, nihil in natura sanum remansisse: primi enim parentis vulnere ita mentem esse perculsam, ut ne quidem oculos in altum possit extollere, nec suam agnoscere calamitatem: si quid vero donorum naturalium illi superest, ad temporalem demum vitam (quæ tota est damnationis et pœnæ) excolendam pertinere, non ad æternam acquirendam, nec ad virtutis adjumentum, sed ad majorem superbiam. Alioquin si vigor pristinus et antiquæ libertatis vis in nobis remaneat, Christum gratis mortuum esse, cum unumquemque sua voluntas reconciliare Deo possit. Cæterum ex ineffabili Dei humilitate, qua tam indigna pati dignatus est, agnoscere debere hominem captivum, quo carcere clausus, quove morbo obsessus sit, cui eripiendo nonnisi mors medici succurri potuerit, dum scilicet se imis miscuit ut nos summis insereret, et sic per illum possemus quidquid possumus. Postremo illorum insaniam detestatus qui sanctis obtinendæ coronæ causam auferri causabantur, nisi in eis reperiantur bona quæ proprio ipsorum arbitrio accepta referri possint, pia ad Deum invocatione, ut ad unicum bonorum nostrorum omnium fontem, Carmen concludit.

* **175** Quid prodest verbis commentum Pelagianum
D Respuere, et sola damnatos plectere voce?
Cum paucis squalida sublatis de cute nervis,

* Caput XXXVIII. *A Semipelagianis voce tenus damnari Pelagium, cum subtilissimum illius hæreseos venenum retineant. Et quod Pelagius innumeros seduxisset, si doctrinæ suæ poculum aliquo melle prælivisset. Nam dum errores suos initio minus obtexit, plerosque ab iis deterruit, ipsa eorum deformitate.*

803. *Cum paucis*, etc. Doct. Lov.: Totus hic mihi versus prima fronte displicuit. Quid enim, aiebam, illi *sublati de cute nervi?* An forsitan legendum, *nævi?* Deinde qui potuit Auctor labi in *squalida* ut primam corriperet, qui jam supra tam diserte eamdem in *squalenti* produxerat? Cum interim subiit, tanto pro-

Digitized by Google

Intima viperei foveantur viscera sensus? A
O bene quod diri erroris malus ille magister
Nullo prælevit lethalia pocula melle:
Sed non ambigua infectum feritate venenum
Protulit, et gustu virus detexit amaro!
Nam si argumenti primordia non onerasset
His quæ discipuli dempserunt callidiores,
Innumeras dubio cepisset plasmate mentes;
Quæ dum multa vident informia limine in ipso,
Horrida terrificæ declinant atria mortis.
Nec jam illis possunt attriti illudere fures,
Quorum quo tendant artes, atque unde oriantur,
Non dubiis promptum est cuivis cognoscere signis.
* Non igitur cum damnatis sentire videntur, B
Cum dicunt mortem in cunctos transisse per unum
Primum hominem, cujus crimen resperserit omnes
Nec quemquam in vitam æternam nisi fonte renatum
Venturum: infantesque reos hoc munere solvi,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.
Sed cum damnatis sapiunt, damnataque promunt,
Cum dicunt, nihil esse animis per vulnus avitum
**177** Detractum decoris, splendoremque omnibus illum
Nunc talem innasci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrii discernere sano
Posse oculo cordis, quidquid sit rite gerendum,
Nec solum ad vitæ præsentis commoda solers
Sufficere ingenium, quo se tueatur et ornet;
Sed summis etiam mentem aptam percipiendis
Æternisque bonis, sponte ad cœlestia ferri:
Perque viam ad Christum, quam fecerit ipsa, venire.
Hinc hominem multa recti assuetudine firmum
Posse repugnare adversis, nec cedere pœnis,
Quas superandæ animæ per carnem admoverit hostis,
Auxilio abscedente Dei, qui deserat apte
Utiliterque suos, ut de certamine agonis
Quæsitas referant palmas: ne nulla piorum

eliviorem fuisse S. nostro hanc systolen, quod forte putarit primam in *squaleo* natura sua brevem, demum apud auctores produci, ubi littera *l*, in medio duplicatur. Ad *nervos* autem quod attinet, jam cepi qui illi *de cute* tolli dicantur; nimirum si cutem acceperis pro omni illo tegumento exteriori quo viscera occultantur, quodque et nervos, et musculos, venas, etc.; denique ipsam cutem proprie dictam complectitur. Nam fatendum quidem est, improprie locutum Nostrum: sed tanti erat imitari Ovidii locum Metam. XI in fab. de Marsya excoriato, ubi perinde ut hic, et *cutis*, et *nervorum*, et *viscerum* est mentio:

.... Cutis est (*inquit*) summos direpta per artus,
Detectique patent nervi.
Saltantia viscera posses,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

806. *Nullo prælevit*, etc. En iterum mellis mollitiem expressam multiplicatis *ll*: ut e contra v. præced. *diri erroris magister* asperius exprimi haud potuit, quam concurrentibus tot litteris caninis *rr*. Doct. Lov.

808. *Gustu amaro*. Legitur Georg. II:

At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaro.

Sic ipsius ævo legebant plures: unde veniam meretur sermonis tam improprii, quo hic utitur: nam procul dubio satis vernacule *gustu* posuit pro *sapore*. Cæterum hodie post Agellium lib. I cap. 12, passim grammatici ita legunt hunc Virgilii locum:

Sensu torquebit amaro.

810. *Discipuli*, Massilienses, quibus passim Pelagium, ac Pelagianos *magistros* attribuit.

814. *Jam*. Videlicet post tot condemnationes et proscriptiones solemnes, vel certe *jam*, cum tot conspiciuntur

Informia limine in ipso.

Saltem signa illa, de quibus tertio post versu, non alia putarim quam ista *informia*, quæ hæresis Pelagiana quasi ipsa fronte præferebat. Interim pro *jam*, vulgati hic legunt *tam*, ut conjungatur (puto) cum *Attriti*. Doct. Lov.

816. *Cognoscere*. Ita legendum, et non *agnoscere*, ut alii (quamquam revera in tenui labor est), demonstrat versus Maronis Georg. IV, unde hic expressus est:

Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis.

Ex quo etiam fortasse desumptum est illud *jam*, de quo nota præcedenti. Doct. Lov.

* Caput XXXIX. *At Semipelagiani periculosius fallunt, quia Pelagium damnare videntur, dum fatentur, ex Adamo mortem et peccatum in omnes transfundi; neminem vitam æternam consequi posse, nisi per baptismum; et parvulos illo indigere ut a peccato sol-* C *vantur. Sed cum Pelagio sapiunt, cum aiunt, naturam suis viribus ad bonum ferri posse, quemadmodum ante peccatum, quasi originali peccato læsa non fuerit; immo posse sanctos acerrimas dæmonis oppugnationes propriis viribus frangere; Deo suos utiliter deserente, sibique ipsis dimittente, ne nulla sint eorum merita, si nihil boni faciunt nisi quos gratia in illis operatur.*

822. *Prima origo*. Id est, *prima* nativitas secundum carnem, ut distinguitur contra *secundam* per baptismum, de qua mox ante: *nisi fonte renatum*. Nisi tamen simplicius, *prima origo* sit quam trahunt infantes a *primo* parente; ut propterea etiam mox sequatur: *per vulnus avitum*. Doct. Lov.

824. *Nihil esse*, etc. Vide idem dogma supra cap. 1, et alibi. Doct. Lovan.

835. *Nec cedere pœnis*, etc. Quippe *cum tanta sit virium* naturæ *integritas, ut contra ipsum diabolum, sævitiamque ejus, usque ad extrema supplicia sine auxilio Dei valeat dimicare*. Ita ex ipsorum sententia D lib. cont. Collat. cap. 20. Doct. Lovan.

839. *Ne nulla*, etc. Doct. Lov. scribit *neu nulla*, etc. Hanc re ipsa (addit) fuisse Semipelagianorum sententiam, patet tum ex pluribus aliis, tum ex verbis Collatoris eod. lib. c. 19 sub finem, ubi de fide Centurionis a Christo laudata ait: *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo* (Centurione) *Dominus quod ipse donaverat, prætulisset*, id est, præ aliis laudasset. Quod autem hic cum vulgatis legimus *neu nulla* (non tamen legerat in antiquioribus Lugd., Lov., Duac. et Colon.), et Gallus legit *ne*: male, ac contra Prosperi et Virgilii phrasim, qui ubi *ut* aut *ne* præcessit, non jam amplius *ne*, sed *neu* subjungunt, quasi *neve*; sicut *seu*, pro *sive*, quasi *seve*.



Digitized by Google

Sint merita, et veræ priventur laudis honore; A
Si quod naturæ sensu noluntque, voluntque,
Præceptisque tenent legalibus insinuatum,
Divini auxilii manus hoc operetur in illis :
Ceu solis Christi famulis virtute carere
Sit dignum, et non posse probos apprendere mores,
Quos plerumque habeant etiam simulacra colentes.

* Talia lingua procax cum verbis fundit ineptis,
Effuge, tu nova gens, hostiles effuge sensus,
Et procul a laqueis sapiens abjungere mortis.
Christus enim tua justitia est, quo te duce oportet
Currere, ne cursus, Christo sine, sit vagus error.
Nemo etenim, nemo est, qui non cum vulnere primi B
Sit patris genitus : quo vulnere mens prius intus
Percussa est, quam membra foris, cum mente receptum est
Quod regione poli disjecta superbia suasit.
Sic animus, cui lumen erat de lumine summo,
Arbitrium involvit tenebris; et luce relicta,
**179** Consilio legit tetræ nigrescere noctis.
Nec jam captivos oculos extollere in altum
Sponte potest : quoniam hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto jaceat sub vulnere norit.

* Si quid enim de principiis felicibus illi,
Et vita exsilii superest prudenter agenda,
Hoc sanum, et quo nil fuerit sublimius in se
Credit, amatque suum mundi sapientia sensum,
Innumeras sese claram mirata per artes :
Quod conjecturis sublimibus abdita quærit,
Quod meminit recte, sapit acriter, æstimat apte :
Quod studium fandi excoluit, quod legibus urbes
Instituit, moresque feros ratione recidit,
Ut pœnæ metus officio certarit amoris.
Jam cum exercetur numeris, ad sidera cœli
Per cursus noscenda suos, et scire videtur
Defectus solis varios, lunæque labores,

841. *Si quod naturæ sensu*, etc. Hanc lectionem vulgati ferebant pro conjectura marginali : Gallus recte textui invexit, pro eo quod alias legebatur : *sicut naturæ sensum*, etc. Sensum autem naturæ recte itidem intellexit de lumine ac dictamine naturali, quod passim Pelagiani cum suis illis discipulis sufficere dictitabant, saltem cum Lege scripta (de qua hic v. seq.), ut quis vellet nolletque quod oportet. Sic supra docent cap. 1 § 3, sic iterum cap. 29 § 2 et 3, sic etiam alibi. Doct. Lov.

844. *Ceu solis Christi*, etc. Ita contra Collat. c. 6 : *Si ideo voluntas non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur; spoliantur libertate filii Dei, qui aguntur Spiritu Dei; perdunt vigorem rationalis animi, et omnis voluntariæ devotionis laude privantur, quibus datur Spiritus sapientiæ et intellectus*, etc. Hactenus Auctor. *Christi famulos* ergo intelligit, qui juxta Scripturam aguntur Spiritu Dei, et quibus datur Spiritus sapientiæ et intellectus, etc., quasi dicat : Si vera est vestra doctrina, nempe virtutis laude carere quidquid Deus in nobis operatur ; igitur virtutis laude carebit quidquid egerint illi qui aguntur Spiritu Dei, qui tamen proprie sunt Christi famuli : hique hoc pacto inferiores erunt paganis ipsis, qui juxta vos sæpius digna laude agunt. Doct. Lovan.

* Caput XL. *Fugiendos illos errores omnibus vere piis. Quorum Christus est tota justitia. Quique agnoscere debent primi parentis vulnere ita sauciatam naturam humanam : ut ne quidem oculos mentis sponte possit in altum attollere, miseriam suam agnoscere.*

848. *Nova gens*. Vide supra ad v. 767.

855. *Regione poli disjecta*. In diabolo. Doct. Lov.

859. *Extollere in altum :* ad petendum auxilium aut medicinam; quod nempe vulnus ignoret suum, ac, ut alibi dicitur, *pro sanitate habeat quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto*, etc. Doct. Lov.

* Caput XLI. *Si quid homini supersit ex pristini status reliquiis, falso id putat sanum, atque hinc solum superbiendi materiam arripit.*

863. *Et vita agenda*. Gallus legit *vita agenda* in sexto casu ; ut sit sensus : si quid homini hodie superest de principiis felicibus primi status, et de vita hujus exsilii prudenter agenda. Quod adeo mihi non probatur, ut retinere maluerim lectionem Vulgatam in recto casu. Quamquam nec illa quidem suis incommodis caret : qui enim istud quod sequitur, *hoc sanum*, etc.; qui, inquam, istud ad plura illa quæ præcedunt, ae inter ea ad vitam prudenter agendam, referetur? Certe nitidius fuisset :

Ad vitam exsilii superest prudenter agendam :

ut supra v. 829 :

Ad vitæ præsentis commoda, etc.

Pro lectione interim nostra et Vulgata tuenda facere potest quod soleat etiam alibi auctor noster ponere C conjunctim plura, atque ad unum duntaxat ex iis, idque ut plurimum quod est primum, referre sequentia. Doct. Lov.

865. *Suum sensum* amare dicitur mundi sapientia, non uti vulgariter quisque dicitur amare sensum suum, id est, sententiam : sed amat miraturque sensum suum, hoc est suum scire; ut tum ex sequentibus, tum ex dictis mox supra ad v. 841 colligi potest. Porro *mundi sapientia* dictio est apostolica non uno in loco. Doct. Lov.

872. *Exercetur numeris*, etc. In mathematicis, in quibus præ cæteris sibi humanum placet ingenium. Doct. Lovan.

874. *Defectus solis*, etc. Doct. Lov. Versus integer e Georg. II, ac fere e Lucret. lib. V, quem non adeo Noster huic loco inseruit, ut utrumque hunc poetam philosophum imitaretur, quam ut eos pie derideret uti nimis sibi placentes in hac scientia. Quippe Lucretium videas ubique pene pueriliter ea exsultantem; Virgilium quoque paulo post dictum D versum, mirum quanto affectu exclamantem audias :

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Ibid. *Varios*. Quia quidam putarunt facilius assignari *varios solis effectus* quam *varios defectus* (quis enim alius, dixerunt, solis defectus, quam is qui per lunæ interpositionem causatus, eclipsis dicitur?), nec insuper familiarem habuere Virgilium; quod, uti theologo vitio verti non debet, ita nec e contra improbari ea familiaritas quam nec SS. quidem Patres passim dedignati sunt; conjecerunt illi legendum *effectus solis varios*. Sed, præterquam quod defectus ipse ordinarius sua varietate non careat (alius enim totalis, alius partialis, alius universalis, alius particularis, etc.), notandum præterea, soli non prorsus insolitos esse quosdam defectus extraordinarios,

Digitized by Google

Quam speciosa sibi est, et quam vanescit in ipsis !
* Quæ licet ex primo naturæ habeantur honore;
Non tamen ad veram possunt perducere vitam.
(Denique ab his præceps in multas relligiones
**181** Decidit, et factis hæsit factore relicto.)
Nam si nunc etiam illæsis vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit; sua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnaque absolvere posset :
Nequidquam Christus mortem moriendo piaret,
Peccatum et mundi sanguis non tolleret Agni,
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione nova : quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam summorum participatu.
* Sed prostrata semel, quanto natura profundo
Immersa, et quantæ sit mole oppressa ruinæ;
Verbum homo fit, rerumque sator suo conditione
Servilis formæ dignatur virgine nasci.
Inque infirmorum cunctos descendere sensus.
Vexatur virtus, sapientia ludificatur :
Justitia injustos tolerat, clementia sævos :
Gloria contemptum subit, et tormenta potestas:
Inque crucis pœnam nulli violabilis usquam
Vita agitur: cujus perimatur morte peremptor:
Justo ut pro injustis effuso sanguine, sit mors
Unius insontis multorum vita reorum.
Hoc igitur pretio captivi cum redimuntur,
Agnoscant quali conclusi carcere, quove
Obsessi fuerint morbo; quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit quam morte medentis.
Et quia de magnis opibus nonnulla supersunt,
Quæ decorent nudos, et quæ solentur egenos :
Non ita pro summis oblectent ultima lapsos,

quos eclipsis nomine non vocamus. Sic famosus philosophus ex hodiernis narrat, solem aliquando per plures dies, atque adeo menses, et annum integrum, obtuso lumine luxisse ad instar lunæ: quod ipse copiæ et magnitudini attribuit earum macularum quas ope telescopii in solis corpore, non eodem perpetuo numero, magnitudine et forma, observamus : quibus etiam fieri putat, ut stellæ aliquæ fixæ, quas totidem soles censet, omnino dispareant: uti in septima Pleiadum factum esse Ovidius in fabulis non fabulose memorat, etsi rationem ipse pro instituto suo reddat fabulosam. Et quia de Ovidio facta mentio est, quo nemo ingeniosius phænomena naturalia fabulis suis immiscuit ; is idem est qui, ad *defectus* nostros *solis varios* alludens, alicubi in Metamorphosi (loci in præsentiarum non memini) inducit Phœbum nescio quo pallore marcescentem ; diserteque addit, non talem hunc tamen fuisse, qui sororis interjectu causaretur ; insinuans scilicet alias defectionis ejus et species et causas. Doct. Lov.

* Caput XLII. *Neque ex illis reliquiis ad veram vitam perduci umquam potest. Si eadem esset in natura vis quæ fuit in Adamo, seipsum quisque reconciliare Deo posset, ac peccato exsolvere. Ideoque Christus gratis mortuus fuisset.*

878. *Denique ab his*, etc. Periodum nimis abruptam parenthesi includendam duximus. Specialiter autem illa refertur ad dicta in fine cap. præc. de astrorum scientia : quæ adeo non valet possessores suos ad veram vitam perducere, ut etiam quosdam ad idololatriam, puta ad ipsum illorum astrorum cultum pertraxerit (de quibus magna querela. Sap. XIII). Ubi admirari licet humani ingenii pravitatem, optimis quibusque rebus tam perverse abutentis, ut pulcherrimam scientiam, physicen dico, qua, ex iis quæ facta sunt, Factorem Opt. Max. analogicωs invenire tam facile est; sibi contra ipsummet Deum faciat inservire, ex eaque decidat non in multas tantum religiones, ut hic Noster notat; sed vel in ipsum irreligiositatis atque atheismi barathrum. Sic quippe impius ille cum suo Epicuro Lucretius, sic Plinius, sic alii naturæ mystæ auxerunt infelicem atheorum numerum : sic hodieque nostri ævi satiricus ejusdem impietatis infamiam aspergere audet physicorum, seu, ut ipse vocat, *medicorum*, professioni : et quidem illud fortassis injuria, sed tamen pudet, piget, tædet generis humani, quod saltem suspicio illa non in alios potius omnes cadat quam in eos qui ab hoc malo longissime abesse deberent. Atque hæc ad prudentissimæ verissimæque hujus Prosperianæ parenthesis confirmationem dicta sint; et quidem ab eo (ne physices odium putetur) qui et ipse aliquando hanc Galateam amavit, immo deperiit. Doct Lov.

880. *Illæsis*. Doct. Lov. legit *illæsus*. Sic supra v. 541 legimus, *mentis honorem illæsum :* Gallus tamen (nisi vitium typorum est) *illæsis*. Nos tamen non mutavimus antiquam lectionem quia editionum antiquiorum Lugd., Lov., Duac. et Colon. auctoritate fulcitur, et sensum rectum exhibere nobis visa est.

883. *Mortem moriendo piaret*. Non opus erat conjectura *ligaret* (quam tamen præferunt Lugd., Lov., Duac. et Colon. ) : est enim imitatio istius Metam. VIII, in Meleagri fabula :

Mors morte pianda est;

aut si non nisi Virgiliana dictio in pretio est; respexit ad illud Æneid. II :

Culpam hanc miserorum morte piabunt.

* Caput XLIII. *Ex ineffabili Dei humilitate qua homo et miser fieri dignatus est, ut hominem redimeret, agnoscat homo captivus quo carcere clausus, quo morbo obsessus fuerit. Cui eripiendo non nisi morte medici succurri potuit. Quam parvi facienda quæ homini post casum supersunt. Cum homo ad Deum convertitur, Dei gratiæ ut principio, potius quam libero arbitrio hanc ascribendam mutationem. Quod homo libero arbitrio nimium tribuat, ex illa superbia proficiscitur, quam diabolus primis parentibus inspiravit.*

890. *Ruinæ*. Huc usque interrogative legit Gallus (cum editionibus Lov., Duac. et Colon. ) Consentirem (ait Doct. Lovan.), si foret hoc versu, *Mole est oppressa*, etc., pro *sit mole*, nisi quod tunc adhuc potius per exclamationem legerem. Nunc autem aio ellipsin esse, nec eam quidem adeo incommodam. Qui volet, interim suppleat ex ejusdem argumenti loco contra Collat. c. 9 : *Nonne ex ipsius remedii singularitate apertissime patet, in quam profundum malum totius humani generis natura demersa sit illius prævaricatione, in quo omnes peccaverunt?* Doct. Lov.

897. *Nulli violabilis usquam*. Doct. Lovan. legit *umquam*. Gallus *usquam* ( ita etiam Lugd., Lov., Duac. et Colon.). Putat autem hoc dictum, quia Salvator inviolabilis erat, nisi ipse voluisset.

898. *Peremptor* ; non tam ipsius Christi quam generis humani; nempe diabolus, qui Joan. VIII, 44, *homicida* dicitur *ab initio*. Perimendus autem dicitur metaphorice, quia (ut item in Evangelio) ejiciendus foras, ac destruendum regnum ejus, adimendumque illi mortis imperium. Ita Gallus in prosa : melius quam in versu, ubi de morte intelligit. Doct. Lovan.

Digitized by Google

Ut de supplicio tumeant, atque ordine verso,
**183** Quo sunt effecti miseri, sint inde superbi.
Aut cum hebetes visus, longa ex caligine tandem,
[*Deest hic aliquid, in hunc sensum :* In cœlum attollunt, et vera luce fruuntur ; ]
Naturæ hoc potius, libertatique volendi,
Quam Christo tribuant : ne scilicet evacuetur
Arbitrii virtus, si desit recta legendi.
Hoc patribus primis mortis sator insinuatus
Consilio est : hac arte omnes prostravit in uno,
Dum suadet multo præstantius esse, quod ipsis
(Non tribuente licet Domino) sponderet habendum
Prudens libertas, vetitoque instructa cupido :
Quæ nunc per veteris serpens vestigia fraudis
Deceptos simili studet inflammare furore :
Ut quoniam pulchrum est veris impendere curam,
Justitiæque avidos bona nosse et velle salubre est :
Suadeat ingenio cujusque hoc lucis inesse
Ut,naturali mens vivida mobilitate,
Non spirante Deo, Christi exardescat amore,
Utque ita salvatrix nil gratia conferat istis,
Sed referat; pretioque bonos, non munere ditet.
* His de seminibus multo jam plura oriuntur,
Et frumenta inter primo turgentia lacte,
Spinis fulta subit seges horrida zizaniorum.
Sed nos qui Domini semen sumus, agricolæque
Stamus ope, et supera perflati vivimus aura,
Viperei calicis gustum procul excutiamus :
Divinique operis constanter confiteamur
Figmentum nos esse novum, quod prorsus ab illa
Stirpe vetustatis discretum est, atque recisum,
Et jam sit penitus carnalis originis exsors,
**185** Qui membrum est Christi, capitisque in corpore vivit :
A quo subjectos vigor omnis manat in artus ;
Et sic quæque suo vegetantur in ordine partes,
Ut quod agunt, et dispositis quod motibus explent,
Ex illo possint, qui summa atque ultima pacans,
Ut nos insereret summis, se miscuit imis.
* Conticeant igitur qui dicunt esse cavendum

908. *Supplicio*, et quidem v. seq. *quo sunt effecti miseri*. De reliquiis primæ integritatis dicitur: nempe cum respectu ad bona ipsa primæ integritatis, quorum dumtaxat exigua sunt particula, cæteris misere deperditis. Hoc sensu pars exigua magnarum opum quibus quis ob crimen a principe mulctatus est, *supplicium* ejus dici posset, cum ipse eam aspiciens considerat quantillum sibi de tantis bonis supersit : maxime si pars ista exiguo sit ipsi usui, et ferme nonnisi ad damnum conducat; uti reliquiæ illæ hominem sine Dei auxilio *finem ad mortis* (ut supra dicitur v. 403), non autem ut v. 877 additur :

.... Ad veram possunt perducere vitam.

911. Manifestum hiatum a Gallo hic notatum monet. Doct. Lov. quem ille obstruxerat hoc versu,

In cœlum attollunt, et vera luce fruuntur.

Satis concinne enimvero, sed hic alium a se quoque conflctum ex ipsis verbis Prosperi colligit, eo nimirum loco ubi eamdem fere sententiam tractat ( si tamen ipse est), epist. ad Demetriadem c. 14 : *Sicut*, inquit, *arte medica fit in oculis* CALIGANTIBUS, *ut possint videre quod non vident . . . . ita in cordibus tardis et* HEBETIBUS *per Spiritum sanctum acies obducta tergitur, et* DE VERO LUMINE *tenebrosæ jam et deficientis lucernæ* LUMEN ACCIPIUNT. Unde locum istum idem Doct. Lov. sic exhibet :

Aut cum hebetes visus, longa ex caligine tandem
Erepti, accipiunt vero de lumine lumen.

914. *Desit recta legendi*. Doct. Lov. Id est, virtus recta eligendi. Sic supra v. 651 et seq.:

....Quia recta gerendi.
Non data sit virtus.

915. *Patribus primis*. Dubitanter supra ad v. 10 istud, *de patribus*, exposuimus de primo patre et matre : nimis enim nove, ac sine ullo idoneo veterum exemplo id dictum videbatur. Dubitationem vero omnem exemit hic locus ; de phrasi interim grammatici viderint. Doct. Lov.

920. *Quæ nunc*, etc. Versum hunc ambiguum et obscurum reddunt *quæ*, et *serpens*, nam hoc quispiam facile substantive acciperet ; illud vero quo referendum sit, non statim apparet. Ac mihi quidem prima fronte referendum videbatur ad *cupido*. Atqui, ut nunc video, referendum ad *vestigia : serpens* autem participaliter accipe, et sic ordina constructionem : *Per quæ vestigia veteris fraudis nunc* iterum *serpens* ille *mortis sator diabolus, deceptos simili studet inflammare furore*. Doct. Lov.

925. *Mobilitate*. Ut supra, v. 592. Non igitur *nobilitate*, ut quibusdam visum fuit. Doct. Lov.

928. *Pretio, non munere*. Id est, mercede debita, non dono gratuito. Doct. Lov.

* Caput XLIV. *Plurimos inde errores oriri. Quos pii omnes aversari debent. Qui cum membra Christi sint, a capite suo vim omnem hauriunt.*

934. *Viperei calicis*. Id est, a serpente propinati. Respicitur enim ad dicta cap. superiore. Doct. Lov.

938. *Et jam sit*, etc. Gallus imperativum credidit, conjungendo scilicet cum illo supra. v. 934. et seq., *excutiamus* et *confiteamur*. Mihi vero subjunctivus videtur, cohærens cum infinitivo immediate præcedenti ea ratione qua passim hic Noster hos duos modos connectit : adeo ut *jam sit* stet pro *jam esse* ; nisi tamen legendum, *ut jam sit*. Doct. Lov.

944. *Summis, se miscuit imis*. Elegans abusus istius triti apud auctores bonos, *summa imis miscere :* pro sursum deorsum omnia vertere. Doct. Lov.

* Caput XLV. *Procul abjiciendi qui existimant sanctis auferri causam oblinendæ coronæ, nisi humana in eis merita reperiantur. Virtus piorum non ideo minoris facienda, quod eam totam a Christo accipiant. Sicut nec cœlestis gloria sanctorum, quam totam a Deo habent, qui omnia in illis omnibus est. Multo minus gravari oportet agnoscere nos in hac fletus valle nihil boni nisi per gratiam posse. Nec ea re tollitur libertas, sed restituitur ac redimitur. Ut quidquid recte agit, non ipsi acceptum referatur, sed gratiæ Christi. Non enim tantum boni operis fructus largitur Deus per gratiam, sed etiam operandi voluntatem et cogitationem totamque piæ vitæ seriem. — Objectio*. Semipelag. Per hanc gratiæ prædicationem virtutis studium resolvi. — *Respondet contra sine gratia nullum esse virtutis opus, quod voluntas humana per se nihil aliud possit quam exerrare. Sola gratiæ vi nos idoneos fieri et accendi animos hominum ad recte vivendum.*

Digitized by Google

Ne desit sanctis sumendæ causa coronæ, A
Si non ipsorum bona repperiantur in illis.
Hoc etenim tumida nimis impietate docentes,
Quid nisi justitia nos et virtute, Deoque,
Dispoliare volunt: ne lux in nocte coruscet,
Languida ne in vires redeant, ne mortua vivant?
Sed nobis summo verorum a fonte bonorum
Haurire hæc, supero et semper splendore nitere,
Gloria sit; non spes in feni flore caduco.
Sicut enim palmes nullos valet edere fructus
Non in vite manens, quæ de radice ministra
Succum agat in frondes, et musto compleat uvas:
Sic infecundi virtutum, et fruge carentes
Perpetui cibus ignis erunt: qui vite relicta
Audent effusa de libertate comarum
Fidere, ne Christi sint ubertate feraces: B
Et mage se credunt propriis excellere posse,
Quam si virtutum placitarum sit Deus auctor.
Viles ergo putent se deformesque futuros,
Cum transformatis fiet Deus unica sanctis
Gloria: corporei nec jam pressura laboris
Conteret incertos, sed in omnibus omnia semper
Christus erit. Quod si pulchrum et super omnia magnum est,
Cur pudet hac etiam fletus in valle potentes
Esse Deo, minimumque operis mortalis habere,
Quod non est nisi peccatum quo discrucietur
Libertas: ad quam solam male gesta recurrunt?
**187** Et tamen in sanctos animum cum intendimus actus,
Cum desideriis carnis mens casta repugnat,
Cum tentatori non cedimus, et per acerbas
Vexati pœnas, illæso corde manemus;
Libertate agimus; sed libertate redempta,
Cui Deus est rector, summoque ex lumine lumen,
Vita, salus, virtus, sapientia: gratia Christi est,
Qua currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat,
Credit, sperat, amat, mundatur, justificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus; tu corda moves; tu vota petentis
Quæ dare vis, tribuis, servans largita, creansque
De meritis merita, et cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui, studiumque resolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum est,
Quod bona sanctorum tua sunt, et quidquid in illis
Aut sanum, aut validum est, de te viget: ut videatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas:
Quæ sine te quid agit, nisi quo procul exsulet a te?
Præcipites semper calles, et devia motu

946. *Sumendæ causa coronæ*. Id est, ratio meriti et mercedis. Vide supra ad v. 839 et seq. Doct. Lov.

947. *Ipsorum bona*. Id est, ipsis propria, ac sine gratiæ auxilio facta: sicut supra v. 570:

Vel nostro ascribi nequeunt bene gesta labori.

Eodem modo intellige mox infra, 962, istud *propriis*, nempe virtutibus. Doct. Lov.

963. *Placitarum*. At quæ *virtutes* illæ *placitæ*, ut *propriis* opponuntur? Si Virgilii dictio consulatur, longe is recedit a scopo nostro, ubi hanc vocem usurpat init. IV Æneid.,

.... Placitone etiam pugnabis amori?

Præterquam quod etiam credendum non sit, Prosperum in re tam sancta ad Æneidos potius quam Scripturæ locum aliquem respexisse. Putem igitur has virtutes placitas easdem esse cum *operibus bonis* (Ephes. II, 10) *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus:* quæ proinde *placitæ* dicantur, quia divino beneplacito ordinatæ et præparatæ, ut in illis ambulemus. Doct. Lov.

966. *Corporei laboris*. Id est, qualis in corpore hoc ærumnoso geritur, cum tanta cadendi ac delinquendi incertitudine ac metu. Videbantur enim Massilienses præcipuam operum excellentiam petere ex hac arbitrii sibi relicti vacillanti incertitudine, quam D per operationem gratiæ tollendam metuebant. Doct. Lov.

970. *Minimumque operis mortalis*. Id est, peccati, inquiet aliquis, præsertim mortiferi. Belle sane, si tamen sine nugatione evidenti tunc sequatur:

.... Quod non est nisi peccatum.

Quid ergo? Difficilis locus; quem cum sui similibus servare malo in appendiculam theologicam, quam cum Deo meditor in hoc Prosperi carmen: dum hic interim pergo in lusibus philologicis. Doct. Lovan. — Sola editio Lugdun. aliter habet hunc locum:

Cur pudet hac etiam fletus in valle potentes
Esse Deo? minimumque operis mortalis habere?
Quod non est, etc.

972. *Solam*: cum sola est. Doct. Lov.

Ibid. *Recurrunt*. Sic tamquam ad nativam scaturiginem suam, ut apud Horat.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

977. *Libertate redempta*. An ergo libertas redimi, aut umquam non libera fuisse potest? Sic nimirum C diserte docet infra v. 995: *Tunc fiet* (cum gratia) *cursus velox....* LIBERA LIBERTAS, etc. Unde duo notanda: et quod in sensu Prosperi sine gratia sit libertas, et quod per gratiam ipsa libertas insuper liberetur, nempe ad volendum et perficiendum bonum, Deo id operante, Phil. II, 13, de qua libertatis (ut ita dicam) libertate intelligendi sunt etiam SS. Patres Prospero coætanei, ubi durius nonnumquam ita loqui videntur, ut libertas per primum peccatum amissa, per Christi gratiam recuperetur. Revera enim hæc est libertas, qua libertate Christus nos liberavit. Gal. IV, 31. Doct. Lovan.

978. *Cui Deus*, etc. Hæc interpunctio Galli interpretis, consentientibus Lugd., Lov., Duac. et Colon., Doct. Lov. non probatur omnino. Pro qua sic pronuntiari optat:

Sed libertate redempta:
Cui Deus est rector; summoque ex lumine lumen,
Vita, salus, virtus, sapientia, gratia Christi est;
Qua currit, gaudet, etc.

Priori interpungendi modo variari dicit sententiam: ubi illa omnia, *rector*, *lumen*, *vita*, *salus*, *sapientia*, de Deo dicuntur: quod mihi (ait) minus displiceret, nisi quod dicitur, *summoque ex lumine*, de lumine creato accipiendum videtur, ideoque et illud, et quæ sequuntur, ad gratiam potius referenda essent.

983. *Tu vota petentis*, etc. Sic orat Ecclesia dominica IX post Pent., *ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare*. Doct. Lov.

991. *Quid agit*, etc. Doct. Lov. scribit, *Quid agat?* Gallus (inquit ille in nota) iterum aliter. Nam primo legit, *agit*, deinde interrogationis notam in finem versus differt: neutrum (fateor) adeo perperam, aut ullo notabili sententiæ damno. Edit. Lugd., Lov., Duac. et Colon., *Quid agit?*

Digitized by Google

Ingressura suo : nisi fessam, tu bone, et ægram A
Suscipias, referas, foveas, tuearis, honestes.
Tunc fiet cursus velox, oculique videntes,
Libera libertas, sapiens sapientia, justum
Judicium, et fortis virtus, et sana facultas.
Hujus opis semper, Pater, indigeamus : ab ipsa
Prodeat arbitrium nostrum, nihil hac sine sensus
Corporei possint, opus ut servile quiescat.
**189** Et tua dum in nobis agitur, non nostra voluntas,
Legitima in sanctis ducamus sabbata festis.

994. *Referas.* Plus dicit hoc verbum quam Gallus intellexit, qui illud reddidit per suum, *ramener.* Sic enim eadem sententia repetitur lib. I de Vocat. Gent. c. 8 : *Nec dedignetur ægram, diu in invio fatigatam, humeris suis ferre, et non revocando tantum, sed etiam portando salvare.* Doct. Lov.

Ibid. *Honestes.* Sicut in verbo illo superiore, *referas*, manifesto alludit ad parabolam Evangelicam de pastore ovem perditam humeris suis referente (Luc. XV), ita hic respicere existimo ad illam ibid. de patre, filium prodigum ad se reversum *stola prima* honestante. Gallus saltem, in voce hac quam in alia ista reddenda felicior, ita recte in prosa : *Si vous ne l'ornez de vos dons et de vos grâces :* ubi etiam phrasim Scripturæ secutus est, qua *honestare* idem est ac ditare. Doct. Lovan. B

999. *Prodeat arbitrium.* Id est, libertas : nam arbitrium pro ipsa libertate positum etiam supra videas, v. 622 :

Nulla tibi arbitrii respondent signa.

Optat scilicet libertatem illam quam dat gratia, et quam jam supra ex Prosperi sententia *libertatem ipsius libertatis* vocavimus. Doct. Lovan.

1000. *Possint.* Quod plane amplector ex Gallo, pro eo quod cæteri habebant, *possunt.* Libens etiam ascribo ejusdem expositionem in prosa, ubi illud, *Nihil hac sine sensus corporei possint*, ita reddit : *Qu'elle conduise tous les mouvements de notre corps*; q. d. : Nullam sensus nostri corporei operationem edant, quam illa non producat. O votum ! Sed votum tantum , nisi cum mortale hoc induerit immortalitatem. Doct. Lovan.

Ibid. *Opus servile.* Ita vocat, dum nostra in nobis agitur, non Dei voluntas; dum, inquam, vel malum agimus, vel de bonis actibus nostris, quasi de propriis gloriamur. Sic colligo ex antithesi Prosperi v. seq. et Augustini verbis jam citandis. Doct. Lovan.

1002. *Sabbata.* Cum levi allusione ad sabbatismum æternum, agitur de sabbato in hac ipsa vita agendo : quod ita Noster Augustini sui verbis exhibet sent. 278 : *Is enim observatione sabbatique vacatione unius diei figurabatur, perpetuum sabbatum observat, qui spe futuræ quietis sanctis est operibus intentus, nec ipsis bonis actibus suis, quasi de propriis et de his quæ non acceperit gloriatur; illum in se operari cognoscens, qui simul operatur et quietus est.*

## ADMONITIO IN DUO OPUSCULA QUÆ SEQUUNTUR.

*Subjecta duo epigrammata in obtrectatorem sancti Augustini, sive idem sit, sive diversi agnoscantur æque prava sentientes, et codicum tam mss. quam editorum auctoritate, et omnium ætatum suffragio S. Prospero assignantur. Quem vero inter multos doctrinæ Augustinianæ adversarios impetat auctor, non pari facilitate decernitur, cum hactenus tacitum ipsius nomen dubitationi locum præbuerit. Hunc autem esse Vincentium Lirinensem monachum Commonitorii auctorem pluribus probatum legere licebit apud sæpe laudatam dissertationem 9 Anthelmii. Hic enim in opere illo alias vere aureo, id præcipue intendisse putatur, ut Augustini doctrinam in novitatis suspicionem traheret. Rem antea animadverterunt probaruntque post Vossium viri doctissimi Hen. Norisius Histor. Pelag. cap. 11, lib. II, nec non Nat. Alexander Hist. Eccles. tom. X, cap. 3, art. 7, § 7. Quorum momentis et istud spicilegii instar subjicit, scilicet : Cum ex Augustino in lib. de Prædest. SS. c. 3 et 4 notum sit S. antistitem initio conversionis Massiliensium sententiam circa fidei et bonæ voluntatis initia diserte tradidisse; Semipelagiani Massilienses his anterioribus libris veluti clypeo utebantur, et qualibet occasione Augustini discipulis reponebant, se in istis suis sensibus Augustini verba sectari : cum vero Augustinianæ doctrinæ defensorum valida esset exceptio, S. doctoris scientiam incrementorum profectibus eo pervenisse ut agnosceret castigaretque senex quæ juvenis ignoraverat ac minus perite scripserat, illi reclamabant, anteriora Augustini scripta ideo magis aliis quibusque probanda, quod illis suffragaretur antiquitas, posteriora vero non nisi novitate niti possent. At vehementius instabat, omnium sanctorum et eruditorum fratrum nomine, Prosper in responsis ad Genuensium dubia super his maxime proposita, aiens :* Quia nec justa nec rationabilis intelligitur eorum esse persuasio, qui hujus viri scientiam, tot incrementorum profectibus ædificatam, ad adolescentiæ rudimenta revocabant, ut magis suffragaretur hæreticis quod inter initia conversionis suæ imperite senserat, quam prodesset catholicis quod pontificali diligentiæ veritas revelarat; merito illos hoc præjudicio utentes, et in his quæ dudum abdicata fuerant immorantes, pii doctoris gravitas notat, quod qui curaverunt omnes sensus ipsius indagare, noluerunt cum ejus eruditione proficere. *Quibus ille quasi reponere satagens in Commonitorio, cum auream illam sententiam sub finem posuisset,* Eadem tamen quæ didicisti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova : *sic tandem Augustini discipulorum objectionem ingeniose proponit ac resolvit : « Sed forsitan dicet aliquis, Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habetur religionis? Habeatur plane et maximus (nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui id prohibere conetur?) : sed tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Si quidem ad profectum pertinet ut in semetipsam unaquæque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. » Hæc Vincentius, cujus et alia priora et posteriora si in postremos Augustini libros torta sunt, ista similiter in illos et illorum defensores retorta nemo negare poterit, quæque deinceps ille auctor eo artificio profert, ut tanto magis videantur in sancti Hipponensis præsulis placita latenter invehi, quanto in alias omnes hæreses studiosius insurgere prima fronte perspicitur. Illa tamen cum immerito Augustinum ferirent, hæreses omnes, tam præteritas quam secuturas, uno ictu confoderunt. Reliqua in doctissimo Censore leget cui vacat : nos amplioribus supersedemus, hæc satis fore arbitrantes*

Digitized by Google

# S. PROSPERI
## AQUITANI
## [a] EPIGRAMMA [b] IN OBTRECTATOREM AUGUSTINI.

191 [c] Quidam dictiloqui libros senis Augustini A
Carpere, et adversum condere fertur opus.
Usque adeone bonum ingenium, et facundia dives,
Ostentare artem non aliter potuit;
[d] In nova prostratas acies nisi bella cieret,
Impiaque exstinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors est tua, te [e] stylus iste
Conficit, et verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras
Velle tuum tibimet sufficere ut pereas.
Verte gradum, fuge perniciem; stratosque rebelles
Oris apostolici fulmine ubique vide.
Nec te [f] mutato defendi nomine credas.
Si pastorem ovium lædere vis, [g] lupus es.

[a] Ex variis S. Prosperi epigrammatis jampridem hæc tria selecta sunt, et juncta carmini de Ingratis. Haud dubie ob argumenti affinitatem: quippe duobus prioribus Joannes Cassianus Ingratorum primipilus exagitari videtur; tertium vero eodem pertinet, ea ratione quam in argumento marginali satis, ac (ut puto) primus ostendi. Inverti autem consuetum B eorum ordinem. Ita quippe postulare videbatur ordo temporis, quo priora illa vel scripta sunt, vel decori gratia scripta finguntur: nempe primum, cum scriptor ille nonnisi adhuc ferretur carpere Augustini libros, et adversus eosdem *opus* aliquod *condere;* alterum vero, cum jam *opus* istud *serpere* cœpisset. Doct. Lov.

[b] Scriptum forte, superstite adhuc S. Augustino, circa annum 430.

ARGUMENTUM. *Novum Scriptorem aliquid operis molientem adversus S. Augustinum proposita rei impietate pessimoque successu, incepto absterrere nititur.*

[c] *Quidam.* At quis ille? Cassianus, inquies, qui sub Collatoris nomine etiam alio tractatu a Prospero vapulat. Atque hæc multorum hactenus fuit opinio, quam non parum confirmant plura loca huic epigrammati cum libro contra Collatorem communia. Nec equidem illi ausim contradicere: est tamen quod lectori hac in re expendendum proponam. Verone C simile videtur Prosperum, solitum alioqui quam mitissime de hoc presbytero et tota Massiliensium factione loqui, hic eum vocare *Lupum*, *viperam*, *miserum* denique *anguiculum?* Siccine etiam sua scripsit et edidit celebris ille Collator, ut dici potuerit *Serpere*, ac *mutato seu* dissimulato *nomine* tegi velle? Sed de his satis. Doct. Lov.

[d] *In nova prostratas.* Ita lib. cont. Collator. mox post initium: *In eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, ut dum nostros* (puta Augustinum, etc.) *affirmant non veraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ persuadeant injuste damnatos esse.* Doct. Lov.

[e] *Stylus iste conficit.* Acute ludit in æquivoco, quod *stylus* et scribendi et feriendi instrumentum sit. Doct. Lov.

[f] *Mutato nomine.* Qui ita contra Augustinum scripserit pro Ingratis, nemo occurrit præter Vincentium Lirinensem (virum alioqui sanctissimum et doctissimum), quem hodie plures censent aureum illud Commonitorium suum ita direxisse adversus hæresum novitates, ut sub hoc nomine Augustini doctrinam notatam voluerit. Cæterum constat *mutato nomine* illud edidisse, seque vocasse *Peregrinum.* Sed cum ipse scripserit post Augustini excessum, immo post Rescriptum Cœlestini PP. ad Galliæ episcopos; hoc autem epigramma conditum sit Augustino jam *sene* quidem, at tamen vivo, evanescit omnis de Vincentii *Peregrino* suspicio: quærendusque alius, cui ista conveniant. Doct. Lov. Nisi forte dicas, quem sanctus Prosper impugnat hoc epigrammate, aliquot annis, juxta auctoris nostri consilium, siluisse: aut si opus illud quo Augustinum ferire minabantur Semipelagiani, 13 Cassiani collationem esse volueris, tunc anno 426 ascribenda erunt epigrammata ista, et jam tunc Prosperum contra ipsos decertare cœpisse erit agnoscendum. Doct. Lov.

[g] *Lupus es.* In hac cauda latet proculdubio totius epigrammatis, aliunde acutissimi, aculeus præcipuus: qui utique tanto erit acutior, si Auctor per suspicionem notatum voluerit aliquem cui *Lupo* nomen; quales istis temporibus habemus Gallos cum plures, ut sanctos illos Trecensem, Suessionensem, Lugdunensem episcopos; item postea Ferrariensem, etc. Ni hoc sit, saltem dicere voluit: Ut tuum nomen celare studeas, nos qui te vocare oporteat satis scimus, nempe *Lupum*, cum opere ipso te talem præbeas, qui *pastorem* oppugnes. Verum quis ille pastor quem hic læsum cupiat? Pontifex, inquies, illius sedis de qua disticho superiore. Nempe id etiam putavi, donec incidi in hunc locum contra Collat. c. 21: *Præcipuum nostro tempore in doctrina ecclesiastica virum* (Augustinum) *rabido ore discerpunt; creduntque se omnia auctoritatum munimina posse convellere, si hanc* PASTORALIS *speculæ validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsaverint.* Doct. Lov.

# S. PROSPERI
## AQUITANI
## [a] EPIGRAMMA IN EUMDEM
### AUT ALIUM QUEMPIAM AUGUSTINI OBTRECTATOREM.

193 Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum livor adussit edax:

[a] Scriptum forte circa idem tempus.

ARGUMENTUM. *Hunc cum jam scriptum ejus serpere diceretur, suspicionibus onerat, ipsique egregiam a sancto Doctore refutationem promittit.*

Digitized by Google

[a] Qui caput obscuris contectum utcumque cavernis A
Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge sua æquorei pavere [b] Britanni,
Aut huic [c] Campano gramine corda tument.
195 Quæ concepta fovet promat, quæ parturit edat;
Seu vetere armatur dogmate, sive novo
In quoscumque sinus spirarum torqueat orbes,
Et fallax multa contegat arte caput;
Currentem attritos super aspidas et basiliscos
Declinare [d] senem vipera non poterit.

*Qui caput.* Sic ergo primo intuitu acceperam hoc distichon: *Quidam* scriptor suo illo scripto *miserum anguiculum* Pelagium iterum suscitavit, et *caput suum* attollere perpulit; sub spe fore ut suum dogma rursus reflorescat. Movebat præcipue quod etiam supra aliquoties ille hæresiarcha *anguis*, *coluber*, similibusque nominibus appelletur. Sed decepit me relativum *qui*, quod tunc non vidi ad *livorem* referendum esse: adeo ut *anguiculus* sit ipse *scriptor* in quem agitur, nempe *anguis* illius majoris pullus. Dissimulare interim nequeo suspicionem meam, videlicet Prosperum sic ambigue verba librasse sua, ut intelligi posset seu quispiam Pelagii B discipulus, seu ipse Pelagius. Videtur namque dubitasse, ac alios dubitare voluisse, an non forte ipse Pelagius, aut saltem Pelagii germanus compar Cœlestius, hujus novi scripti auctor foret. Sed de hoc plura nota seq. Doct. Lovan.

[b] *Britanni.* Pelagii populares: qui rursus *Æquorei* vocantur, ut pateat qua Britannia hæresiarcha oriundus fuerit; nimirum insula, non autem ea quæ in continente est, et *Minor* hodie dicitur: de quo plura supra ad cap. 1 carm de Ingrat. Sed quid Britannis istis cum *fruge?* An forte ea tunc celebres fuerunt, ut nunc ipsorum lana in pretio est? Certe aliquid, ni fallor, ejusmodi observat illorum Morus Utop. lib. I. Doct. Lovan.

[c] *Campano gramine.* Ob Julianum Eclanensem episcopum Campanum, ut notant cæteri in margine hujus loci. Verum sunt qui malint dictum potius ob Cœlestium, qui æquo, immo meliori ac certiori ratione Campanus fuit; et tamquam Pelagii cohæresiarcha (a quo etiam hæresis ista per Orientem communiter *Cœlestiana*, uti per Occidentem *Pelagiana* audivit) aptius multo cum ipso ponitur in parallelo, quam Julianus, utriusque solum discipulus, tunc temporis fortassis nondum admodum notus. Immo quid si Julianus is ipse sit scriptor in quem cusum est utrumque epigramma? Tempus convenit, cætera non abludunt. Sed tamen nonnisi suspicio est. *Graminis* autem *Campani* fit mentio, vel quod ea regio, ut cæteris e terra nascentibus, ita imprimis felicissimo gramine abundaret; vel quod *Campana superbia* ex Agellio videatur in proverbium abiisse; vel denique ut alludatur ad *gramen* Anthedonis, quo gustato Glaucus, Metamorph. XIII, subito . . . *Trepidare intus præcordia sensit*, seque in *Pelagum* præcipitem dedit. Doct. Lovan.

[d] *Senem.* En rursus *senex* vocatur Augustinus (nomine, ut puto, ætatis, non dignitatis), qualis fuit cum contra ipsum Julianum audacem calamum strinxit. Doct. Lovan.

## ADMONITIO IN EPITAPHIUM NESTORIANÆ ET PELAGIANÆ HÆRESEON.

*Ut hoc epitaphium plane intelligatur, duo veluti capita in hæresi Nestoriana attendenda sunt. Unum circa unionem naturæ humanæ cum divina in Christo, quam Nestorius per solam inhabitationem, non vero in unitatem personæ factam fuisse prædicabat, ita ut duæ essent in Christo personæ æque ac duæ naturæ, nec idem esset Filius Dei, qui filius Mariæ. Alterum caput rationem spectat qua Jesus ad eam, qualiscumque sit, unionem pervenerit. Non enim eam statim in ipso conceptu obtinuisse, sed suis postmodum meritis consecutum fuisse affirmabat. Quare vetus Chronologus, apud Liberatum, hæc habet de hæresi Nestoriana:* Felice et Tauro coss., Nestorius Constantinopolitanus episcopus novum Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans Christum hominem tantum, non etiam Deum natum, eique divinitatem collatam esse pro merito dicit. *Hunc posteriorem errorem potissimum spectat sanctus Prosper, et in eo Nestorianam hæresim cum Pelagiana comparat. Illam vero ait Pelagianæ* genitricem *simul et* natam *esse:* genitricem, *quia error illius qui in capite gratiam destruit, et qui Jesum dignitatem Christi propriis meritis assecutum fuisse contendit (quæ est hæresis Nestorii), fons et principium est erroris illius qui gratiam* in membris *evertit, quique homines Christianorum dignitatem propriis meritis sibi comparare posse affirmat (quæ est hæresis Pelagii):* natam *vero, quia Nestorius suam non vulgavit hæresim nisi post damnatos Pelagianos. Atque adeo cum in istius epitaphii limine Nestorianam hæresim Pelagianæ successisse dixisset, quasi postmodum ortam, quod verum est, si illius per Nestorium divulgationem consideres, postea tamen utramque simul ortam esse ait, tum ob affinitatem et cognationem, quæ inter utriusque errores intercedit, tum etiam quia ante Nestorium Nestoriana hæresis in Pelagiana continebatur: ut patet ex Leporio Gallicano monacho, qui cum esset Pelagiani dogmatis acerrimus defensor, illam etiam ob quam postea Nestorius damnatus est hæresim docuit; sed Augustini opera ad sanam mentem rediit. Nestorius suam divulgavit hæresim paulo post damnatos Pelagianos, circa annum 429.*

*Hoc idem epitaphium a Prospero nostro utriusque hæresis tumulo appensum negarat Joan. Garnerius soc. Jesu in cap. 7 dissert. 7 ad Marii Mercatoris Opera; simile quiddam ænigmati proferri contendens, cum dicitur alteram hæresim alterius fuisse matrem simul et filiam: quæ ingeniose quidem dicta fatetur, sed vere fuisse negat: hincque probare nititur quod a tertio sæculo per deliria Samosateni Nestoriano errori præludi cœperit, subjicitque dandam eo faciliorem veniam poetæ nostro, quod ipse quoque Cassianus in eodem peccaverit, et suam in sententiam traxerit amicum Leonem Magnum, aliosque postmodum plures eorum auctoritatem secutos.*

*Quibus non obstantibus, tale opusculum Prospero abjudicandum negat Anthelmius dissert. 9 in Opera SS. Leonis et Prosperi, tum propter auctoritatem Cassiani et Leonis Magni, quibus si hoc licuit serio disserentibus, multo indulgentius poetæ condonandum, non tam ad historiæ normam loquenti, quam consepultis erroribus laxatis habenis inflatisque, ut aiunt, tibiis volenti illudere. Maxime cum hæc utriusque hæreseos comparatio non semel ab eo usurpata deprehendatur, sed et in Chronico ipso narret quod* apud Ephesum Nestorius cum hæresi nominis sui, et cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo juvabant dogma, fuerit damnatus, *et hanc ipsam utriusque erroris contesserationem Cassiano exprobret libri adversus eum scripti cap.* 21. Per hunc virum (*Cœlestinum*) etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis antistiti ad exsecrandam Nestorianam impietatem, apostolico auxiliatus est gladio, quo etiam Pelagiani dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur. *Quo autem sensu hæc inter utrumque affinitas intelligenda veniat, jam supra fuse satis explicatum habes.*

Digitized by Google

# S. PROSPERI

## AQUITANI

## [a] EPITAPHIUM NESTORIANÆ ET PELAGIANÆ HÆRESEON.

(*Nestoriana hæresis loquitur.*)

197 [b] Nestoriana lues [c] successi Pelagianæ, A
Quæ tamen est [d] utero prægenerata meo.
Infelix miseræ [e] genitrix et filia natæ,
Prodivi ex ipso germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis,
[f] De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum [g] proles in summa armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui.
198 Et consanguineæ post tristia [h] vulnera fraudis,
Aspera conserui prælia fine pari.
Me tamen [i] una dedit victam sententia letho:
Illa volens [j] iterum surgere [k] bis cecidit.
Mecum oritur, [l] mecum moritur, mecumque sepulcrum
Intrat, et inferni carceris ima subit.
Quo nos præcipites insana superbia mersit,
Exutas donis, et tumidas meritis?
Nam Christum pietate operum et mercede [m] volentes
Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus;
Sperantesque animi de libertate coronam,
Perdidimus quam dat gratia justitiam.
Quique igitur geminæ miseraris busta ruinæ,
Ne nostro exitio consociare cave.
Nam si quæ Domini data munera sero fatemur,
Hæc homini credis debita, [n] noster eris.

[a] Scriptum post damnatam hæresim Nestorii in concilio Ephesino anno 431, Augustino jam mortuo.

Argumentum. *Ad Massiliensium rursus invidiam inducitur hæresis Nestoriana, deplorans suum et Pelagianismi exterminium: eamque illius assignans causam qua non satis immunes essent Semipelagiani.*

[b] *Nestoriana lues.* Nestorius episcopus Constantinopolitanus suam divulgavit hæresim paulo post damnatos Pelagianos, circa annum 429. De sensu totius distichii vide Admonitionem præviam: cui in omnibus assentitur Doct. Lovan. et ex interprete Gallo transcribit: quem tamen ipsius Epitaphii scopum non vidisse suspicatur.

[c] *Successi* nempe temporis ordine. Doct. Lov.

[d] *Utero prægenerata.* Sic editi omnes Lugd., Lov., Duac. et Colon. Doct. Lov. legit *progenerata*, nec lectionem nostram rejicit; notatque agi de ordine rerum et naturæ. Gallus legit (ait ille) *prægenerata*, quod quidem haud abludit ab auctoris phrasi, cui familia- C ris est hæc in verborum compositione præpositio: sed vulgatum est Latinius, minusque insolens.

[e] *Genitrix et filia*: ea ratione quæ huc usque indicata est. Doct. Lov.

[f] *De capite ad corpus.* Id est, cum justitiam quæ non gratuitum Dei donum esset, sed humanis meritis compararetur stabilire vellem, a Christo, qui Ecclesiæ caput est, initium ducere volui, et ab eo ad fideles, qui Christi corpus sunt, gradum facere: primum nempe astruendo de Christo; quod ejus electio ex prævii arbitrii meritis esset; ac tum idem inferendo de Christianis. Revera namque Christi electio exemplar est illius, qua *elegit nos in ipso ante constitutionem mundi* (Ephes. I, 4). Unde et eo argumentandi ordine Augustinus a Christo ad cæteros electos in extremis suis opusculis Pelagianismum, ceu ultimo clavæ ictu confecit, ac simul in antecessum Nestorianismum damnavit. Doct. Lovan.

[g] *Proles.* Hæresis Pelagiana. *In summa ab imis.* Id est, ab electis incipit, ut stabilita illorum elec- D tione ex arbitrii meritis, idem de Christo concludat. Doct. Lov.

[h] *Vulnera fraudis.* Id est, post Pelagianismum jam B proscriptum a sede apostolica, synodis Africanis ac Palæstina, denique universe ab episcopis qui horum sententiæ in sua quisque Ecclesia subscripserant, etiam ante synodum Ephesinam, puta sub Zozimo PP. Doct. Lov.

[i] *Una sententia.* In concilio generali Ephesino in quo damnatus Nestorius, simulque Pelagiani, qui ab Ecclesia jam damnati se cum eo conjunxerant. Ex quo patet (ait Doct. Lov.) hoc epigramma post alia duo conditum esse, utpote jam e vivis erepto Augustino, qui hanc synodum non vidit.

[j] *Iterum surgere.* Suscitante potissimum Juliano illo Eclanensi, ac manum porrigente Nestorio Constantinopolitano. Doct. Lov.

[k] *Bis cecidit*: semel per sententiam sedis apostolicæ cum synodis et episcopis supra dictis, ac iterum per Ephesinam, qua cum Nestoriana denuo proscripta est. Doct. Lov.

[l] *Mecum moritur.* Hactenus Pelagiana quamdam adhuc vitam servaverat, damnata jam quidem, at nondum damnationi acquiescens, semperque aliud adhuc judicium Ecclesiasticum, puta in synodo œcumenica expostulans. Verum hac Ephesina illi os occlusum est, fractaque audacia; ac tandem serio Ecclesia excessit. Unde hactenus Augustinus dixerat, *causa finita est, sed error utinam aliquando finiatur.* Serm. 2 de Verb. Evang. pag. 640, in fine sermonis. Doct. Lov.

[m] *Volentes*: ambæ scilicet. Nam in illo de Christo dogmate etiam Pelagiani Nestorio consensisse scribuntur. Doct. Lov.

[n] *Noster eris.* Sive Jesum existimans suis meritis Filium Dei factum fuisse, ut Nestorius; sive, ut Pelagius, gratiam nobis secundum merita nostra dari. Iterum in cauda aculeus (observat Doct. Lov.) quo Massilienses non solum Pelagianis, sed et Nestorianis junguntur, ob communionem dogmatis de gratia et electione ex meritis. Sumptum autem videtur istud, *noster eris*, ex Æneid. II, ubi his verbis Sinonem Priamus in civitatem recipit. Sumpsit vero ipse poeta, ut notant interpretes, ex formula imperatoris Romani, transfugam in suam fidem recipientis.

Digitized by Google

# ADMONITIO

## IN PROSPERI PRO AUGUSTINO RESPONSIONES AD CAPITULA GALLORUM.

*Doctrinam quam S. Augustinus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, per annos viginti et ampliùs, zelo vere apostolico accensus, nec ab apostolicæ Pauli doctrinæ principiis vel transversum unguem (ut aiunt) declinando, defenderat, quam sedis apostolicæ pontifices, tamquam apostolicam et catholicam, sua auctoritate roboraverant, Galli quidam presbyteri, nec tam eximiis S. Prosperi versibus convicti, sed propriis præjudiciis plus æquo servientes, partim ex ignorantia, partim ex ingenii sui confidentia majore, reprobare non sunt veriti. Unde ut tam sublimis doctrinæ præconem cum doctrina in odium plurium adducerent, in mentem ipsis venit loca quædam, e scriptis maxime paulo ante mortem ab eo in lucem emissis, mala arte ex operum contextu evellere, et sub verbis ad invidiam ei comparandam compositis in indiculum redacta, passim apud indoctam plebem disseminare. Quorum iniquis conatibus obluctari satagens strenuus sancti doctoris discipulus et assertor, quæ illi ex perverso intellectu damnabant, rectam explicationem et Augustini libris omnino conformem, sufficiendo defendere non distulit : hoc intendens, ut simplicium fides salva maneret contra subreptiones iniqua loquentium, et tota eximii in Ecclesia magistri auctoritas debita veneratione non fraudaretur; sicque (Deo operante) et infesti illi Augustinianorum operum censores ad saniorem mentem reversi, in nullo amplius a tramite rectæ et salubris doctrinæ deviarent.*

*Qui fuerint illi designare aut non potuit aut noluit : cum illi forte nomina sua prodere erubescerent, magis quam perversos sensus evulgare. Erant certe ex Massiliensibus, Cassiani discipulis forte aut sectatoribus, qui talis viri gloriam ultra modum æmulabantur, qui ægre ferebant non probari Prospero sui magistri ingenio confictum systema. Cui quidem ut obsequium aliquod pro viribus præstarent, Augustinum ipsum rati sunt impeti a se debere, et ab adepta auctoritate fideque esse submovendum. Quod non multo post sancti Augustini obitum, id est, anno circiter 431, contigisse facile crediderimus.*

*Objectionibus ergo quindecim doctrinam Augustini traducere molientes, septem priores contra prædestinationem gratuitam hominum quorumdam præ aliis dirigunt; octavam de voluntate Dei erga salutem hominum; nonam circa extensionem redemptionis Christi; decimam de dispensatione Evangelii; undecimam et duodecimam, quod Deus auctor esse peccatorum diceretur; decimam tertiam de fine creationis hominum; decimam quartam, quod incredulitas Deo ascribatur; decimam quintam, de præscientiæ cum prædestinatione confusione. Singulis S. Prosper quantum satis est respondens, totidem sententiis postea subjectis, sensus suos in ante dictis fusius expressos sub simplici expositione oculis legentium subjicit : ut inde manifestum fiat omnibus, ea quæ de supra scriptis capitulis intelligebat, nulla eum circumloquendi arte prætexere, sed absolute ac libere et prava respuere, et consensum probabilibus non negare, ut ait in fine operis.*

---

# S. PROSPERI

## AQUITANI

# PRO AUGUSTINO RESPONSIONES

## AD CAPITULA OBJECTIONUM GALLORUM CALUMNIANTIUM [a].

### Præfatio.

203 Doctrinam, quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, et liberi arbitrii [b] decomptores, per multos annos apostolice asseruit, litterisque mandavit, quibusdam visum est, [c] aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere : et hoc quasi compendium cognitionis his qui judicio eorum ducebantur, afferre; ut quæ in libris prædicti viri damnabilia se reperisse jactabant, brevium capitulorum A indiculis [d] publicarent : talique commento [e] et detestationem ejus quem impeterent, obtinerent; et ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris 204 averterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, et talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum qui frustra calumniantur [f] ostentant; singulis capitulis quæ [g] damnationis titulo prænotarunt, brevi et absoluta professione respondeo : in nullo recedens a tra-

[a] Titulus istius libri in ms. Joliensi talis est : *Incipit liber Responsionum Prosperi contra capitula Gallorum, quæ contra libros beati Augustini opposuerunt de Prædestinatione.*

[b] Ita editiones omnes. Quæ vox *decomptores* significare videtur eos quibus est responsurus totos esse ut liberum arbitrium ornent et prædicent ultra quam debeant. Vetus codex Remigianus a prima B manu habuit *deceptores*, a secunda vero *defensores*. Quod ultimum legimus in mss. Regio et Joliensi, et in capite librorum de Vocatione gentium infra.

[c] Sola edit. Colon., *aut intelligendo;* et statim mss. Reg. et Jol., *aut eam intelligere nolendo.* Jol. alias, *aut etiam.*

[d] Colon. cum hac recent., *prædicarent.*

[e] Ms. Reg., *et detestatione ejus quam impeterent, detinerent.* Ms. Jol. habet etiam *detinerent.* Reliqua ut in textu.

[f] Mss. Reg. et Jol., *ostendunt.*

[g] Ita codex Remigianus. Mss. Reg. et Jol., *quæ damnationis capitulo.* Editi, *quæ rationis titulo.*

Digitized by Google

mile earum definitionum quæ in sancti viri disputationibus continentur : ut facile vel tenuis diligentiæ advertat inspector, quam injustis opprobriis catholici prædicatoris memoria carpatur; et in quod A peccatum cadant qui, aliena instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis [a] promptius habeant culpare quam nosse.

[a] Ms. Reg., *potius habent culpare*. Jol., *promtius habent*.

# *PARS PRIMA.*

## SINGULIS OBJECTIONIBUS SINGULÆ RESPONSIONES.

### CAPITULUM I.

OBJECTIO.

**205** *Quod ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi cogantur in mortem.*

RESPONSIO.

Prædestinationem Dei nullus catholicus [a] Christianus negat : fatalem autem necessitatem multi etiam non Christiani refutant. Peccatum ergo ad mortem trahit; sed ad peccandum neminem Deus cogit. *Nemini* enim *mandavit impie agere* (*Eccli.* XV, 21); [b] et : *Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem; perdes eos qui loquuntur mendacium* (*Psalm.* V, 7). Proinde qui prædestinationis nomine fatum prædicat, tam non est probandus quam qui fati nomine veritatem prædestinationis infamat. Fati enim opinio vana est, et de falsitate concepta : prædestinationis autem fides multa sanctarum auctoritate Scripturarum [c] munita est, cui nullo modo fas est ea quæ ab hominibus male aguntur ascribi; qui [d] in proclivitatem cadendi non ex conditione Dei, sed ex primi patris prævaricatione venerunt. [e] De cujus pœna nemo liberatur, nisi per gratiam Domini nostri Jesu Christi, præparatam et prædestinatam **206** in æterno consilio Dei ante constitutionem mundi.

### CAPITULUM II.

OBJECTIO.

*Quod ab eis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.*

RESPONSIO.

Omnis homo qui credens in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, regeneratur in baptismo, [f] tam a propriis peccatis quæ mala voluntate et actione contraxit, quam ab originali quod a parentibus traxit, absolvitur. Sed [g] relapsum post baptismum ad infidelitatem et impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur quam qui eumdem asserit non æterna morte esse damnandum.
B Qui enim recedit a Christo, et [h] alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id quod remissum est recidit, [i] nec in originali peccato damnabitur, qui tamen, propter postrema crimina, ea morte afficietur quæ ei propter illa quæ remissa sunt debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem numquam elegit, numquam prædestinavit, et periturum numquam [j] ab æterna perditione discrevit.

### CAPITULUM III.

OBJECTIO.

**207** *Quod [k] non prædestinati ad vitam, etiamsi fuerint in Christo per baptismum regenerati, et pie justeque vixerint, nihil eis prosit; sed tamdiu reserventur, donec ruant et pereant; nec ante eos ex hac vita, quam hoc eis contingat, auferri.*

C RESPONSIO.

A sanctitate ad immunditiam, a justitia ad iniquitatem, a fide ad impietatem plerosque [l] transire non dubium est : et ad tales prædestinationem filiorum Dei [m] et cohæredum Christi non pertinere certissimum est. [n] Quod ergo hujusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, [o] quia prædestinati non sunt : [p] sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. Quod autem illos non eo tempore quo in fide recta et bonis moribus erant, ab hac vita Deus abstulit, ad occulta ejus judicia, quæ tamen numquam sunt injusta, referendum est. Quis enim nesciat intra unam conditionem mortalitatis humanæ, ab

[a] Vox hæc *Christianus* additur ex mss. Reg. et Jol.; aberat ab editis. Sed correspondet ei, *multi etiam non Christiani*. Ms. Reg. legit, *etiam Christiani*, sed minus apposite, ut videtur.

D

[b] Ms. Reg. : *Et odit Dominus omnes qui operantur iniquitatem, et perdet*, etc. Ms. Jol., *et odit Dominus omnes... et eos qui*, absque voce *perdet*. Editi omnes cum Remig., ut in textu.

[c] Ms. Jol., *fulta*, absque *est*.

[d] Ms. Reg. *in improbitatem cadendi*. Ms. Reg., *improbitate cadendi*.

[e] Ms. Jol., *De hujus pœna*.

[f] Mss. Reg. et Jol. ordine inverso legunt sic : *Tam ab originalibus quam a propriis peccatis quæ mala voluntate et actione contraxit absolvitur*.

[g] Ms. Reg. : *Sed relapsuris... originale peccatum fuisse purgatum*, etc.

[h] In codice Remig. antiqua manu correctum, *alienatus* : quod etiam a prima manu scriptum habet ms. Jol.

[i] Ms. Reg. : *Nec jam originali peccato*. Paulo ante habet, *in id quod repromissum est recedit*. Sed vitiose, ut videtur.

[j] Mss. Reg. et Jol., *ab æterna damnatione discrevit*. Reg., *discernit*.

[k] Mss. Reg. et Jol., *quod non prædestinatis... nihil prosit*, sed et ms. Jol., *reservantur*.

[l] Ms. Reg., *transferre*, forte, *transferri*.

[m] Uterque mss. Reg. et Jol. addit particulam *et*.

[n] Ms. Jol., *Qui ergo*.

[o] Mss. Reg. et Jol., *quod prædestinati*.

[p] Hæc verba, *sed ideo prædestinati non sunt* absunt a ms. Reg.

Digitized by Google

unius horæ infantia, usque [a] ad annosissimam senectutem, exitus morientium, impari ætatis fine variari; neque cujusquam animam, vel citius vel tardius quam Deus voluerit, a corpore [b] quod vivificat abscedere? Si ergo aliquis in vitæ suæ longitudine deseruit Deum; bono, quod erat ex Deo, male usus est. Nam [c] longævitas non est nisi ex Deo. Et quod ex Deo est, nonnisi bonum est: et quod bonum est, mali causa non est. Non itaque recte opinatur qui putat [d] prorogatorem vitæ, lapsuris auctorem esse peccati: cum utique non peccatum sit diu vivere, sed male vivere: quod etiam in paucorum annorum ætate fieri potest. Igitur sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt a Deo, ut relinquerent Deum: sed reliquerunt, et relicti B sunt, et ex bono in malum propria voluntate mutati sunt: **208** atque ab hoc licet fuerint renati, fuerint justificati, ab eo tamen qui illos tales præscivit non sunt prædestinati.

## CAPITULUM IV.

OBJECTIO.

*Quod non omnes [e] homines vocentur ad gratiam.*

RESPONSIO.

Non omnes vocari ad gratiam eos quibus [f] omnibus Evangelium prædicatur, non recte dicitur; etiamsi sint qui Evangelio non [g] obediunt: nisi ad eos respiciatur quibus nondum sacramentum crucis Christi et redemptio sanguinis ejus innotuit. [h] Quia etiamsi constaret quod jam in universis nationibus et omnibus finibus terræ totus mundus Evangelium recepisset (quod utique futurum verissime prænuntiatum est), non esset tamen dubium, a tempore resurrectionis Domini usque ad præsentem ætatem fuisse homines qui ab hac vita sine Evangelii cognitione [i] transierunt, [j] de quibus dici possit quod vocati non sint, quia nec spem vocationis audierint. Quod si quisquam hanc vocationis plenariam generalitatem ita semper asserit celebratam, ut ab ascensione Domini [k] in cœlum ne unus quidem annus effluxerit intra quem non ad omnes prædicatio missa pervenerit; [l] videat quomodo tunc Asianos vocatos probet, quando apostoli, sicut scriptum est, vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum [m] Dei in Asia (*Act.* XVI, 7); aut Bithynios, ad quos iidem apostoli tentabant A ire, et non permisit eos [n] Spiritus Jesu. Videat etiam quomodo tueatur denuntiationem ipsius Veritatis, dicentis: *Prædicabitur hoc Evangelium* [o] *regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis* (*Matth.* XXIV, 14). Nutat namque (quod [p] dici nefas est) fides verbi, si ante quadringentos annos Evangelio impletus est mundus, et adhuc Domini differtur adventus. Postremo [q] respiciantur etiam inter Christianos populos tot millia parvulorum, qui ab hac vita sine baptismo transierunt; [r] et aliquo modo probentur vocati, [s] quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subvenire.

## CAPITULUM V.

OBJECTIO

**209** *Quod qui vocati sunt, non æqualiter sint vocati, sed alii ut crederent, alii ut non crederent.*

RESPONSIO.

Si vocatio in Evangelii tantum prædicatione intelligatur, non veraciter dicitur quod aliis atque aliis aliter atque aliter prædicetur, cum unus sit Deus, una fides, una regeneratio, una promissio. Si autem [t] ad effectum plantationis et rigationis aspicitur, aliud actum est cum eis quorum exteriores aures corporali voce pulsatæ sunt; [u] aliud in eis quorum interiorem sensum Deus aperuit, et in quorum corde posuit fidei fundamentum [v] dilectionisque fervorem. Quosdam autem ideo vocatos dicere ut non crederent, nimis absurdum est: quasi vocatio eis causa infidelitatis extiterit, et prædicatio fidei fecerit infideles. Quamvis C enim dispensatores verbi Dei quibusdam sint, sicut scriptum est, odor vitæ ad vitam, quibusdam autem, [x] odor mortis ad mortem (II *Cor.* II, 16): Deo tamen bonus Christi sunt odor, qui prædicant Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. [y] Quod ergo prædicatus Christus crucifixus Judæis erat scandalum, et gentibus stultitia, humanæ voluntatis faciebat aversio: [z] quod vero ipsis vocatis Judæis et Græcis Christus erat Dei virtus et Dei sapientia, divinæ gratiæ præstabat operatio.

## CAPITULUM VI.

OBJECTIO.

*Quod liberum arbitrium in homine nihil sit: sed sive*

[a] Mss. Reg. et Jol., *ad annosissimam.*
[b] Mss. Reg. et Jol., *quod vivificabat.*
[c] Ms. Reg., *longævi ætas.*
[d] In ms. Remigiano, *prærogatorem.*
[e] In mss. Reg. et Jol. deest vox hæc, *homines.*
[f] Mss. Reg. et Jol. carent voce *omnibus.*
[g] Sic mss. Reg. et Jol. Cæteri, *obaudiant.*
[h] Ms. Reg., *Quibus etiamsi constaret.*
[i] Ita mss. Reg. et Jol. Alii, *transierint.*
[j] Mss. Reg. et Jol., *Ex quibus dici posset.*
[k] Mss. Reg. et Jol., *In cœlos.*
[l] Mss. Reg. et Jol., *videat etiam quomodo.*
[m] Ms. Reg. non habet vocem hanc, *Dei.*
[n] Mss. Reg. et Jol., *Spiritus sanctus.*
[o] Hæc vox *regni* aberat ab editis, nec habetur in mss. Reg. et Jol. Addita tamen est ab editor. Oper. S. Aug. ex ms. Remigiano, et juxta textum utrumD que Græcum et Latinum.
[p] Ms. Jol., *dictu nefas est.*
[q] Mss. Reg. et Jol., *respiciat etiam.*
[r] Mss. Reg. et Jol., *Tales quomodo probentur*, etc.
[s] Mss. uterque Reg. et Jol., *quibus nec plantator potuit subvenire.* Nec plura addunt, forte ex lapsu amanuensis.
[t] Mss. Reg. et Jol., *Si autem effectus.*
[u] Mss. Reg. et Jol., *aliud cum eis.*
[v] Ms. Jol., *dilectionis fervorem.*
[x] Mss. Reg. et Jol. addunt hæc, *odor vitæ ad vitam, quibusdam autem.* Leguntur etiam ab antiqua manu adjecta in ms. Remigiano. Absunt vero ab editis omnibus.
[y] Mss. Reg. et Jol., *Quod autem.*
[z] Hæc verba., *Quod vero*, etc., exciderant a mss. Reg. et Jol.

Digitized by Google

*ad bonum, sive ad malum,* [a] *prædestinatio Dei in* A *hominibus operetur.*

RESPONSIO.

Liberum arbitrium nihil esse, vel non esse, perperam dicitur : sed ante illuminationem fidei in tenebris illud et in umbra mortis agere, non recte negatur. Quoniam priusquam a dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo jacet **210** in quod se sua libertate demersit. Amat ergo languores suos, et pro sanitate habet quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat nosse quod langueat, et possit [b] opem medici desiderare, qua surgat. Justificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, [c] quo dono acquirat et meritum : ut quod in illo inchoatum est per gratiam B Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii ; numquam remoto adjutorio Dei, sine quo nec proficere, nec permanere in bono quisquam potest. Prædestinationem autem Dei sive ad bonum, sive ad malum, in hominibus operari [d] ineptissime dicitur, ut ad utrumque homines quædam necessitas videatur impellere, cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, [e] in malis autem voluntas intelligenda sine gratia.

## CAPITULUM VII.

OBJECTIO.

*Quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt a massa perditionis* [f] *præscientia Dei et prædestinatione discreti.* C

RESPONSIO.

Ex regeneratis in Christo Jesu, quosdam relicta fide et piis moribus, apostatare a Deo, et impiam vitam in sua aversione finire, multis (quod dolendum est) probatur exemplis. Sed [g] horum lapsum Deo ascribere, immodicæ pravitatis est : [h] quasi ideo ruinæ ipsorum impulsor atque auctor sit, quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit, et ob hoc a filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit. Nam quomodo eos haberet [i] præordinata in Christo electio, quos discedentes a Christo habitura erat justa damnatio. Cum autem dubium non sit [j] donum Dei esse perseverantiam in bono usque ad finem, [k] quam istos, ex eo ipso quod non perseveraverunt, non habuisse manifestum est ; non est calumniandum Deo, quare istis non dederit quod aliis dedit ; sed confitendum est et misericorditer eum dedisse quod dedit, et juste non dedisse **211** quod non dedit : ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso [l] oriri videatur et standi ; cum illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere.

## CAPITULUM VIII.

OBJECTIO.

*Quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.*

RESPONSIO.

Si circa universitatem generis humani salvandam et in agnitionem veritatis vocandam, ita indifferens [m] per omnia sæcula asserenda est voluntas Dei, ut usquequaque [n] neminem hominum prætermisisse monstretur ; impenetrabilis judiciorum Dei altitudo pulsatur. Quare enim in præteritis sæculis dimiserit Deus omnes gentes ingredi vias suas (*Act.* XIV, 2), quando Jacob elegit sibi Dominus (*Psal.* CXXXIV, 4) ; et non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis (*Psal.* CXLVII, 20) ? et cur qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei sit ; et quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur (*Osee* II, 23 ; I *Petr.* II, 10) ; [o] et ubi dictum est, Non plebs mea vos, ibi vocentur filii Dei vivi (*Rom.* IX, 26), et quare quod quærebat Israel non sit consecutus, electio autem consecuta est ; cæteri vero excæcati sunt (*Rom.* XI, 7) ; impossibile est comprehendere, et periculosæ curiositatis est quærere : cum tamen, quod nulla sit apud Deum iniquitas (II *Par.* XIX, 7), nemini liceat ignorare : nec alia gratia aut alia fide quemquam hominum, sive ante legem, sive legis tempore justificatum esse credendum sit, quam hac eadem per quam Dominus noster Jesus Christus, secundum consilium voluntatis suæ, in fine sæculorum venit quærere et salvare quod perierat. Causas vero operum et judiciorum Dei, qui ex toto ad humanas voluntates et actiones refert, quas tamen [p] in parvulorum adoptione aut abdicatione non invenit,

[a] Ms. Jol., *prædestinatio in hominibus.* Ms. Reg., *prædestinatio in omnibus;* uterque absque hac voce *Dei.*

[b] Ms. Regius solus, *opem medicinæ.*

[c] Sic mss. Remig., Reg. et Jol. At editi., *quo medio.*

[d] Ms. Joliensis, *impiissime dicitur.*

[e] In ms. Reg. solo hæc desiderantur, *in malis autem*, etc., ex mera, ut videtur, omissione amanuensis.

[f] Ms. Jol., *per scientiam Dei et per prædestinationem discreti.*

[g] Mss. Reg. et Jol., *horum lapsus.*

[h] Mss. Reg. et Jol., *quasi Deus.*

[i] Editi, *prædestinata in Christo electio; cum dubium non sit*, omissis verbis, *quos discedentes.* Locus redintegratur ex fide ms. Remigiani, ubi tamen codex ille caruit primum voce *justa*, quæ postea recognitoris antiqui stylo adjecta, restituta est opera virorum D doctissimorum ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri in append. S. August. Asseritur etiam ex Ms. Joliensi, cui non deerat illa vox *justa.* Editio Coloniensis præter omissionem aliis edit. communem, habet *cui dubium non sit.*

[j] Ms. Reg., *dono Dei esse perseverantiam in bono usque in finem.* Ms. Jol., *dono Dei perseverantiam esse in bono usque in finem.*

[k] Mss. Reg. et Jol., *quam ipsos.*

[l] Hæc vox, *oriri*, quæ exciderat ab editis, restituitur ex mss. Remig. et Jol., in quorum ultimo non legitur particula *et* ante vocem *standi.*

[m] Mss. Reg. et Jol., *per omnia ista sæcula disponenda est.*

[n] Ms. Reg. et edit. Colon., *neminem hominem.*

[o] Ms. Remig., *et hic ubi.* Ms. Jol., *et id ubi.*

[p] Ms. Reg., *in parvulorum adoptionem aut abdicationem.*

Digitized by Google

A et dispensationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia judicia Dei et vestigabiles vias ejus (*Rom.* xi, 33) : et quod doctor gentium Paulus [a] non audebat attingere, hic se existimat reseratum **212** posse vulgare : quodque non minoris impietatis est, ipsam gratiam, qua salvamur, aut bonis meritis docet rependi, aut malis affirmat arceri. Remoto ergo obscurarum turbine quæstionum, [b] ad revelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus ; dicamusque [c] cum Apostolo, [d] Quoniam Deus *vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* ii, 4). Et iterum dicamus cum Apostolo, *Qui est salvator omnium, maxime fidelium* (I *Tim.* iv, 10). Et audiamus Dominum dicentem apostolis suis, *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos* [e] *servare omnia quæcumque mandavi vobis* (*Matth.* xxviii, 19). Audiamus quoque ad Abraham promissionem Dei dicentis, *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Genes.* xii, 3) : et si Filii promissionis sumus, non hæsitemus diffidentia (*Rom.* iv, 20), sed cum patre nostro Abraham demus gloriam Deo, et plenissime credamus, *quoniam* [f] *quod promisit, potens est et facere* (*Ibid.*, 21). Audiamus David prophetantem, *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium* (*Psal.* xxi, 28). Et alibi, *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum* (*Psal.* lxxi, 17). Et alibi, *Omnes gentes quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum* (*Psal.* lxxxv, 9). Quæ promissiones quia verissimæ sunt, nec possunt ex ulla parte [g] nutare, in his implentur qui salvi fiunt per universos fines terræ : *quoniam* [h] *quod promisit* Deus, *potens est et facere* (*Rom.* iv, 21). Hæc ergo est illa totius humani generis assumptio, hæc filiorum Dei adoptio, hæc gentium plenitudo, præscita et prædestinata in Christo ante mundi constitutionem. [i] Hæc est Jerusalem, quæ ab initio usque in finem lapidibus vivis et electis ædificatur (I *Petr.* ii, 5), ut civitas fundata in ipso angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa (*Ephes.* ii, 20, 21), crescit in templum sanctum in Domino. De his lapidibus nihil ejicitur, nihil minuitur, nihil rapitur. Veritas enim dicit, *Omne quod dat mihi Pater*, [j] *veniet ad me, et eum qui venit ad me, non ejiciam foras* (*Joan.* vi, 37). Et iterum (*Joan.* x, 26), *Non creditis, quia non estis* [k] *de ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego novi illas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do illis,* [l] *et non peribunt* **213** *in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea.* Omnium ergo hominum cura est Deo : et nemo est quem non aut Evangelica prædicatio, aut Legis testificatio, [m] aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum ipsis ascribamus hominibus : fidem autem hominum donum Dei B esse fateamur, sine cujus gratia nemo currit ad gratiam. [n] Et cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, [o] gratia Dei per Jesum Christum Dominum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari : ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis [p] cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo esse [q] opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ auctor est, per conditionem jam hæc contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem ; sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus. Unde alia creatione, alioque principio renovari egeC mus in Christo : in quo sumus nova creatura, novumque figmentum ; et per quem nobis, nullis bonis et multis malis meritis præcedentibus, donatur ut simus ex vasis iræ vasa misericordiæ.

## CAPITULUM IX.

### OBJECTIO.

*Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.*

### RESPONSIO.

Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura [r] in Christo Domino nostro suscepta non

[a] Mss. Reg. et Jol., *non audet.* Ms. Remig., *non audeat.*

[b] Ms. Reg., *ad revelationem nos gratiæ latitudine.* Ms. Jol. habet etiam *ad revelationem.*

[c] Mss. Reg. et Jol., *cum Paulo.* Idem exhibet etiam paulo infra ms. Reg. cum editi utrobique habeant *cum Apostolo.*

[d] Editi, *Quomodo Deus vult.* Ms. Jol., *Cum vult omnes.* Emendatum in append. Oper. S. Aug. ex ms. Remigiano.

[e] Addimus hic, *servare omnia*, quæ in Remigiano ms. addita a secunda manu notarunt S. Aug. editores : nosque in mss. Regio et Joliensi a prima manu scripta legimus. Aberant ab editis omnibus ; nec absunt a textu utroque Evangelii, Græco et Latino.

[f] Ms. Reg., *quod promisit Deus.*

[g] Mss. Reg. et Jol. et edit. Colon., *mutari.* Reliqui codices, *nutare.*

[h] Edit. Op. S. Aug. omittit vocem *Deus.* Aliæ nequaquam. Nec ms. Reg. aut ms. Jol. habent, *quæ promisit Deus.*

[i] Ms. Reg., *Hæc Jerusalem..... ut ejus fundamenta:* pro eo quod in aliis habetur, *ut civitas fundata.*

D [j] Ms. Jol., *venit ad me;* et paulo post, pro eo quod alii habent, *et eum qui venit ad me*, edit. S. Aug. et Colon., *qui venerit ad me.*

[k] Ms. Reg. et Jol., *ex ovibus meis ;* et paulo post Reg., *vocem meam audient, et ego agnosco illas, et vitam æternam do eis.* Ms. Jol. et ipse habet *do eis ;* reliqua ut in textu et editis.

[l] Ms. Reg. caret his, *et non peribunt in æternum*, et habet *rapit eas.*

[m] Mss. Reg. et Jol., *aut ipsa etiam ratio naturæ.*

[n] Vide Aug. epist. 215, ex qua apparet tres, immo quatuor synodos in Africa fuisse celebratas.

[o] Antehac editi sic habent, *Gratiam Dei . . . nos per singulos actus adjuvare.* Lectionem nostram probant tum editio Op. S. Aug. ad Remig. cod. exacta, tum ms. Jol., tum denique locus ipse ut præfertur lib. contra Collat. cap. 5, et alibi.

[p] Sic in edit. Oper. S. Aug., et locus ipse alibi citatur. In editis vero nostris additur hic *habere ;* tum postea mss. Reg. et Jol. *habere* forte pro *agere, dicere vel cogitare valeamus.*

[q] Mss. Reg. et Jol., *opinamur.*

[r] Ms. Jol., *In Domino nostro Jesu Christo.*

Digitized by Google

fuerit : quamvis ille natus sit in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo Dei Filius, mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus et mortalibus contulit, ut qui nativitatis ejus consortes fuissent, vinculum peccati et mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi, natum esse hominem **214** [a] Jesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, Spiritu [b] renascantur : sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei et consepeliantur in baptismo. Alioquin nato Salvatore in carne substantiæ nostræ, et crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium ut renasceremur, et [c] similitudini mortis ejus complantaremur (*Rom.* VI, 5). Sed cum sine hoc sacramento nemo hominum consequatur vitam æternam, non est salvatus [d] cruce Christi, qui [e] non est crucifixus in Christo. Non [f] est autem crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi, nec est membrum corporis Christi, qui non per aquam et Spiritum sanctum induit Christum. Qui ideo in infirmitate nostra communionem subiit mortis, ut nos in virtute ejus haberemus consortium resurrectionis. Cum itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, et propter communem in primo homine omnium perditionem : potest tamen dici pro his tantum crucifixus quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Evangelista, *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum* (*Joan.* XI, 51). *In sua enim venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri : qui non ex sanguinibus neque* [g] *ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 11). Diversa ergo ab istis sors eorum est qui inter illos censentur de quibus dicitur; [h] *Mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10). [i] Ut possit secundum hoc dici : Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, et mundus redimi noluit; quia lucem tenebræ [j] non receperunt (*Ibid.*, 5): et tenebræ receperunt, quibus dicit Apostolus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8).

A Ipse vero Dominus Jesus, qui dixit se venisse quærere et salvare quod perierat : *Non veni*, inquit, *nisi ad oves quæ perierant domus Israel* (*Matth.* XV, 24). [k] Sed quæ sint istæ oves domus Israel, apostolus Paulus exponit dicens : *Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen : id est, non qui filii carnis, hi filii sunt Dei; sed qui filii sunt promissionis* **215** *æstimantur in semine* (*Rom.* IX, 6 *et* 7). [l] In istis ergo sunt illi, de quibus dictum supra memoravimus : *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum* (*Joan.* XI, 51). Quia non solum ex Judæis, sed [m] etiam ex gentibus, per eum *qui vocat quæ non sunt, tamquam quæ sunt* (*Rom.* IV, 17), et B qui dispersos Israel congregat (*Psal.* CXLVI, 2), filii Dei, filii promissionis in unam Ecclesiam congregantur : ut impleatur quod promissum est Abrahæ, cui dictum est, quod in semine ejus [n] benedicendæ essent omnes tribus terræ (*Gen.* XII, 3).

## CAPITULUM X.

### OBJECTIO.

*Quod quibusdam Evangelii prædicatio a Domino subtrahatur, ne, percepta Evangelii prædicatione, salventur.*

### RESPONSIO

Si probari potest, quod ex quo Evangelium prædicatur, nemo prorsus fuerit cui Christiana gratia annuntiata non fuerit; non recte dicitur tacitum, quod ostenditur prædicatum. Si autem [o] aliquo modo inveniuntur C homines quibus Evangelium non fuerit prædicatum, non potest dici sine judicio Dei factum : quod nefas est ideo reprehendi, quia non potest comprehendi.

## CAPITULUM XI.

### OBJECTIO.

*Quod per potentiam Deus homines* [p] *ad peccata compellat.*

### RESPONSIO.

Nullus catholicorum dixit aut dicit, quod Deus homines pie recteque viventes, per potentiam in peccata compellat, et innocentiæ humanæ potestas divina vim faciat, ut eam a proposito bonæ conversationis excutiat. Non sunt Dei opera ista, sed diaboli, cujus gaudium est ruina sanctorum : sed *allevat*

[a] Mss. Reg. et Jol. addunt hic, *Dominum*.

[b] Ms. Reg. solus, *nisi ut renasceremur*.

[c] Ita edit. August. Cæteri codices, *similitudine*.

[d] Mss. Reg. et Jol., *per crucem Christi*.

[e] Particulam, *autem*, addit ms. Joliensis.

[f] Remigiani codicis auctoritate additum, *nec est membrum corporis Christi*.

[g] Ms. Reg. solus, *ex voluptate carnis*.

[h] In mss. Remig. Reg. et Jol. loco, *Mundus eum non cognovit*; verba hæc leguntur, *Lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt*.

[i] Suspicamur non incommode legi in edit. Colon., *Ut possit secundum hoc dici redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem*, etc. : cui intellectui non nocebit, si post *hoc dici*, notentur puncta duo.

[j] Mss. Reg. et Jol., *tenebræ Judæi non receperunt*.

[k] Locus hic alias mutilus restitutus fuerat in append. S. Augustini ex ms. Remigiano. Tam necessariæ restitutioni consentiunt mss. Regius et Joliensis, D postea a nobis consulti, et ambo eodem modo locum exhibentes quo in textu posuimus. In Edition. anterioribus aberant hæc, *Sed quæ sint istæ oves . . . . hi sunt Israelitæ*. In ms. Remig. paulo aliter locus legebatur : scilicet, *Paulus apostolus exponat dicens, Non omnes qui ex Israel, hi sunt Israel; neque qui sunt semen Abrahæ . . . . Sed qui filii promissionis*.

[l] Ms. Reg., *In istis ergo illud est, de quibus dictum supra commemoravimus*. Ms. Jol., *supra dictum esse memoravimus*.

[m] Mss. Reg. et Jol.. *Sed etiam ex gentibus vocantur, per eum . . . . in una Ecclesia congregantur*. Edit. Lov., Duac. et Colon., *congregentur*.

[n] Mss. Reg. et Jol., *benedicentur*.

[o] Remigianus ms. ab antiqua manu correctus, præferebat, *aliquando* : idem habet ms. Reg. a prima manu.

[p] Ms. Jol., *hominem ad peccata*. Sic et in Resp. paulo post. initium, ubi concinit ms. Reg.

Digitized by Google

*Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos* A (*Psal.* CXLIV, 14) : quibus dat *pœnitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi* [a] *tenebantur ad ipsius voluntatem* (II *Tim.* II, 25 *et* 26). Cum vero aliquos a Deo aut traditos desideriis suis (*Rom.* I, 24), aut obduratos **216** legimus, aut relictos; magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur : quia talia eorum crimina præcesserunt, [b] ut ipsi sibi pœna fieri debuerint, quæ eis etiam supplicium verteret in reatum. Atque ita nec de judicio Dei querimur, [c] quo deserit meritos deseri; et misericordiæ ejus gratias agimus, qua liberat non meritos liberari.

## CAPITULUM XII.

### OBJECTIO.

*Quod quibusdam vocatis, et pie justeque viventibus,* B *obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.*

### RESPONSIO.

Si Deus hominem sibi obedientem a pietate deturbat, et [d] bene currentem cadere facit : ergo pro bonis mala retribuit, et injuste punit, quod ut fiat impellit. Quid tam perversum, quid tam insanum dici aut cogitari potest? Sed in talem sensum [e] trahuntur qui putant in omnibus hoc esse præscientiam Dei quod et voluntatem : cum voluntas ejus numquam velit nisi bona, præscientia autem et bona [f] noverit et mala : sed bona quæ aut ipse faciat, aut etiam ut nos faciamus, [g] impertit : mala autem quæ [h] omnino ipse non fecit, neque fieri suasit, aut impulit. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit; sed ideo eum non prædestinavit, [i] quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit. C

## CAPITULUM XIII.

### OBJECTIO.

*Quod quidam homines non ad hoc* [j] *a Deo creati sunt, ut vitam adipiscerentur æternam : sed ut habitum tantummodo sæculi præsentis ornarent, et ad utilitatem nascerentur aliorum.*

### RESPONSIO.

Universos homines non ignoramus a Deo singillatim [k] creari, et de hac universitate alios damnandos cum diabolo, alios regnaturos esse cum Christo. Quod ergo etiam hi creantur qui æternæ vitæ participes non erunt, nulla est culpa Creatoris, **217** qui naturæ auctor est, non vitii quod natura contraxit. Ornari autem etiam talium conditione mundi hujus varietatem quis non intelligat, [l] qui videat studiis et operibus quorumdam impiorum tot commoda vitæ præsentis instructa in inventione artium, in exstructione urbium, in constitutione legum, [m] in confœderatione populorum? Quod si quæritur an de istis quos a vera religione impius error avertit aliquid boni profectibus sanctorum et incrementis Ecclesiæ Providentia divina contulerit; [n] inspiciatur primum ipsa crux Christi, in qua [o] magno scelere Judæorum misericors voluntas Dei, ut pro redemptione nostra unicus Filius ejus occideretur, impleta est. Inspiciatur apostolorum gloriosa tolerantia, inter persequentium fremitus [p] unanimi voce ad Deum clamantium (*Act.* IV, 27) : [q] *Convenerunt enim vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, ut facerent quæ manus tua et consilium prædestinavit fieri.* Inspiciantur denique innumerabilium martyrum palmæ, quibus de crudelissima infidelium sævitia felix est collata victoria. Audiatur etiam Apostolus Ecclesiam Dei ad perseverantiam pietatis [r] instituens : *In nullo*, inquit (*Philip.* I, 28), *terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo. Vobis enim donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* [s] De illis quoque errori-

[a] Mss. Reg. et Jol., *captivi tenentur.*

[b] Sic præferebat codex Remig. correctus : ita etiam Regius et Joliensis a prima manu. Editi omnes, *ut ipsi sibi pœnas debuerint, quæ eis etiam supplicium verterent in reatum.* Reg. ms. *in rectum*, errore manifesto scribæ, pro, *in reatum.*

[c] Ms. Reg., *qui ita deserit*, etc. Ms. Jol., *quia ita deserit.*

[d] Ms. Jol., *bene viventem.*

[e] Ms. Jol., *trahunt.*

[f] Editi. *et bona noscit.* Ms. Jol., *noverit*, conformiter correctioni append. Aug. ex ms. Remig.

[g] Editi, *imperat.* Castigantur ad ms. Remig.

[h] Ms. Jol., *Mala autem omnino ipse non faciat*; et paulo post, *suadet aut impellit.*

[i] Editio Lugd. non habet, *sed ideo eum non prædestinavit:* quod textui addi debere ex conjectura pronuntiarant Lovanienses, et qui posteriores editiones curaverant, cum hac adjectione: *Quod non improbabis, si conferas cum* 2, 3 *et* 7 *respons. supra.* S. August. Oper. editores ex ms. Remigiano addiderant textui, absque nota dubitationis. Horum correctio firmatur auctoritate ms. Joliensis, in quo legimus, etsi cum aliquantula differentia : *Sed ideo non prædestinavit, quia recessurum a se ipsa inobedientia esse præscivit.*

[j] In ms. Reg. deest. *a Deo.*

[k] Ms. Jol., *creatos.*

[l] Ms. Regius, *cum videat.*

[m] Ms. Jol., *in ordinatione populorum.* Ms. Reg. *in consideratione*, forte pro *confœderatione.*

[n] Mss. Reg. et Jol., *aspiciatur primum.*

[o] Ms. Regius, *a magno scelere.*

[p] Editi, *hac animi.* Melius ut in Jol., *unanimi;* aut ut in Remig., *unianimi.*

[q] Editi, *Convenerunt ergo.* Mss. Remig. et Jol. cum edit. August., *Convenerunt enim*, juxta textum sacrum Græcum et Latinum.

[r] Mss. Reg. et Jol., *invitans*; tum ms. Jol., *in nullo autem..... donatum est a Christo.* In ms. Reg. hæc desunt, *In nullo* usque ad, *vobis autem, datum est a Christo non solum*, etc. D

[s] Ms. Joliensis sic habet hunc locum : *De his quoque erroribus consulens nobis Dei pietas sentiatur, quos Deus in Ecclesia pugnaturos contra Ecclesiam permisit exsurgere. Non utique creans eos, sed per ipsos diligentiam filiorum suorum inquisitione et custodia veritatis exercens, dicente Apostolo, Oportet hæreses esse et schismata*, etc. Ms. Regius vero : *quod Deus in Ecclesia impugnatores contra Ecclesiam permisit exsurgere..... inquisitione et custodia veritatis exercens, dicente Apostolo, Oportet hæreses esse et schismata*, etc.

Digitized by Google

bus consulens nobis Dei bonitas sentiatur, quos A Deus in Ecclesia contra Ecclesiam permisit exsurgere : non utique eos creans aut fovens; sed per ipsos diligentiam filiorum suorum ad inquisitionem et custodiam veritatis exercens : dicente Apostolo, *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis.* Quis autem respiciens ad tenebras impiorum, et [a] ad illuminationem fidelium, non ad gratias agendas Deo ex ipsa fiat collatione ferventior, et [b] ex ruina pereuntium discat in quæ mala per liberum arbitrium rueret, nisi ei per Dominum nostrum Jesum Christum Dei gratia subveniret.

## 218 CAPITULUM XIV.

OBJECTIO.

*Quod qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex* B *Dei prædestinatione non credant : et quod Deus ita definierit, ut quicumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant.*

RESPONSIO.

Infidelitas non credentium Evangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione [c] generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. *Universæ* enim *viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura erat infidelitate non potuit. Fides autem et charitatis opera, atque in eis usque in finem perseverantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, recte [d] et C ipsa, et quæ eis retribuenda sunt, prædestinata dicuntur, ex auctoritate Apostoli, qui ait (*Ephes.* II, 8) : *Gratia Dei salvi Dei facti estis per fidem : et hoc non ex vobis, sed Dei donum est : non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in operibus bonis,* [e] *in Christo Jesu, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Tam ergo in errore est qui infidelitatem impiorum ad Dei constitutionem refert, quam qui fidei justitiæque sanctorum, non Deum profitetur auctorem. Qui enim quod acceperat perdidit, non inde id recipit unde perdidit; sed [f] ab illo recipit quod habeat, a quo quod amisit acceperat.

## CAPITULUM XV.

OBJECTIO.

*Quod idem sit præscientia quod prædestinatio.*

RESPONSIO.

Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cum bona ad largitorem **219** [g] cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint; dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum et præscisse simul, et prædestinasse, [h] quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda; præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia : prædestinatio autem sine præscientia esse non potest.

[a] Ita mss. Reg. et Jol. At vero editi, *ad illuminationem filiorum.*
[b] Editi, *in ruina.* Mss. Reg. et Jol., *ex ruina;* tum *liberum arbitrium veniret.*
[c] Ms. Jol., *geritur.*
[d] Editi, *et ista.* Mss. Remig. et Jol., *et ipsa.*
[e] Hæc verba, *in Christo Jesu,* aberant ab editis : restituuntur auctoritate ms. Jollensis et textus sacri.
[f] Ms. *ab illo illud recipit qui habet.*
[g] Mss. Reg. et Jol., *cooperatoremque omnium, mala autem.*
[h] Ms. Reg., *quæ in ipso erant auctore finienda.*

# PARS SECUNDA.

## DE SINGULIS CAPITULIS SINGULÆ SENTENTIÆ.

Quamvis ergo ad omnes objectiones seu querulæ imperitiæ, seu fallacis invidiæ, planissime ac plenissime, quantum Dominus dedit, existimem esse D responsum, professionem tamen sensus nostri etiam in brevia coarctemus; ut sub paucorum verborum simplicitate magis magisque appareat nos quod [a] de supra scriptis capitulis intelligimus, nulla circumloquendi arte prætexere, [b] sed absolute ac libere et prava respuere, et consensum probabilibus non negare.

SENTENTIA SUPER CAPITUL. I.

Quisquis igitur ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate homines in peccata compulsos cogi dicit in mortem, non est catholicus. Nullo enim modo prædestinatio Dei iniquos facit, neque cujusquam omnino est causa peccati.

SENTENTIA SUPER II.

[c] Item qui dicit quod ab his qui non sunt prædestinati ad vitam non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum, non est catholicus. Sacramentum enim baptismatis, quo omnia prorsus peccata delentur, etiam in eis verum est qui non sunt in veritate mansuri, et ob hoc ad vitam veram non sunt prædestinati.

[a] Ms. Jol., *de supra dictis.*
[b] Mss. Reg. et Jol., *sed absolutę adhibere.*

[c] In hac sententia et sequentibus omnibus vox hæc *item* abest a ms. Regio.



Digitized by Google

SENTENTIA SUPER III.

A Item qui dicit quod non prædestinati ad vitam, etiam si fuerint in Christo [a] per baptismum regenerati, et pie justeque vixerint, nihil eis prosit, sed tam diu reserventur, donec ruant; nec ante eos ex hac vita quam hoc eis contingat auferri, tamquam ad constitutionem Dei talium hominum ruina referenda sit; non est catholicus. Quia non ideo Deus tempus ætatis cuiquam prolongavit, ut **220** diu vivendo corrueret, et a fide recta in sua longævitate deficeret; cum inter beneficia Dei numeranda sit ipsa longævitas, qua homo melior debuit esse, non pejor.

SENTENTIA SUPER IV.

Item qui dicit quod non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur quibus Christus annuntiatus non est, [b] non potest reprehendi. Quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum, sed non putamus jam in omnibus terræ finibus prædicatum; nec possumus dicere quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.

SENTENTIA SUPER V.

Item qui dicit quod qui vocati sunt, non æqualiter vocati sint, sed alii ut crederent, alii ut non crederent, quasi cuiquam vocatio causa fuerit non credendi; non recte dicit. Quamvis enim fides non sit nisi ex Dei dono et hominis voluntate; infidelitas tamen non est nisi ex sola hominis voluntate.

SENTENTIA SUPER VI.

Item qui dicit quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum sive ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur; non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, et ab errore in viam revocat ac reducit: ut quod sua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente sit rectum. [c] Prædestinatio quoque Dei semper in bono est, quæ peccatum, sola hominis voluntate commissum, aut remittendum novit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude justitiæ.

SENTENTIA SUPER VII.

Item qui dicit quod Deus quibusdam filiis suis quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, et dilectionem dedit, ob hoc non dederit perseverantiam, quia non sunt a massa perditionis præscientia Dei et prædestinatione discreti: si hoc vult firmare, quod Deus hujusmodi homines in bonis quæ donaverat noluerit permanere, et ipse eis causa aversionis exstiterit; contra justitiam Dei sentit. Quamvis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris, gratia tamen ejus non prius eos deseruit quam ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit.

SENTENTIA SUPER VIII.

Item qui dicit quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum **221** prædestinatorum, durius loquitur quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei: qui et omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire (I *Tim.* II, 4); [d] et voluntatis suæ propositum in eis implet quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit: nihil amittens de plenitudine gentium, et de omni semine Israel, cui præparatum est in Christo regnum æternum ante constitutionem mundi. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, et ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur. Nec potest ullo modo B per infidelitatem atque inobedientiam multorum Dei promissio vacillare, dicentis ad Abraham (*Gen.* XXII, 18): *In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quod* autem *promisit* [e] Deus, *potens est, et facere* (*Rom.* IV, 21); ut et qui salvantur, [f] ideo salvi sint, quia illos voluit Deus salvos fieri; et qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerunt.

SENTENTIA SUPER IX.

Item qui dicit quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus; non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem; cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit, a quo pretio extranei sunt qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi. Non enim cecidit verbum Domini, neque evacuata est C mundi redemptio. Quia etsi non cognovit mundus Deum in vasis iræ, cognovit tamen mundus Deum in vasis misericordiæ: quæ Deus, nullis eorum bonis meritis præcedentibus, eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.

SENTENTIA SUPER X.

Item qui dicit quod quibusdam Evangelii prædicatio a Domino subtrahatur, ne percepta Evangelii prædicatione salventur; potest objectionis invidiam declinare patrocinio ipsius Salvatoris, qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabilium ejus signa vidissent (*Matth.* XI, 21), noluit operari, et quibusdam populis vetuit apostolos evangelizare, et D nunc aliquas adhuc gentes patitur extra gratiam suam degere; cum tamen constantissima fide perceptum habeamus in omnes mundi partes Ecclesiam dilatandam; nec ante esse hoc sæculum finiendum, quam in universos fines terræ Evangelium dirigatur, *et omnis lingua confiteatur quoniam* [g] *Dominus Jesus Christus in Gloria Dei Patris est* (*Philip.* II, 11).

SENTENTIA SUPER XI.

Item qui dicit quod per potentiam Deus homines in peccata compellat, merito reprehenditur. Nec

[a] Editi, *baptismate*. Mss. et Remig. cum edit. S. August., *per baptismum*.
[b] Sic mss. Remig. et Jol. cum edit. August. Editi, *reprehendi non debet*.
[c] Ms. Reg., *Prædestinatio quoque Dei .... qui peccatum*.
[d] Ms. Reg., *sed voluntatis suæ propositum*.
[e] In ms. Jol. abest hic vox, *Deus*.
[f] Ms. Reg., *in Deo salvi sint, quia illos voluit Deus salvos facere*.
[g] Editi, *quoniam Jesus Christus*. Ms. Jol., *Dominus Jesus Christus*, ut in Apostoli textu legitur.

Digitized by Google

enim Deus, qui justitiæ et bonitatis auctor est, et cujus omnia statuta et mandata contra peccatum sunt, quemquam ad peccandum cogere, et ab innocentia in facinora præcipitare credendus est. Si qui autem tam profundæ impietatis sunt, ut extra remedium correctionis habeantur, non a Deo incrementa iniquitatis accipiunt, sed per semetipsos deteriores fiunt : quia relinqui a Deo, ac sibi ac deceptoribus suis tradi, propter præcedentia peccata, meruerunt, ut eis peccatum sit ipsa etiam pœna peccati.

SENTENTIA SUPER XII.

**222** Item qui dicit quod quibusdam vocatis, et pie justeque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant, male opinatur [a] de bonitate Dei atque justitia, ut videatur ad impietatem pios cogere, et innocentiam bonis adimere, cum ipse sit pietatis atque innocentiæ [b] et largitor et custos. Qui ergo Deo adhæret, Spiritu Dei agitur : qui autem a Deo recedit, propria voluntate obedire disistit.

SENTENTIA SUPER XIII.

Item qui dicit quod quidam homines non ad hoc a Deo creati sunt, ut vitam adipiscerentur æternam, sed ut habitum tantummodo præsentis sæculi ornarent, et ad utilitatem nascerentur aliorum; melius loqueretur dicens quod Deus, qui creator est omnium, non frustra etiam eos condat [c] quos prævidit vitæ æternæ participes non futuros : quia etiam in malis hominibus bonum Dei opus est ipsa natura, [d] et laudabilis est in impiorum damnatione justitia. Non potest autem merito reprehendi qui dicit quod etiam talium conditione mundus ornetur; et quod hi qui sibi sua iniquitate nocituri sunt, ad utilitatem

A nascantur aliorum. Neque enim quamlibet innumerabilis multitudo impiorum indecora est mundo, aut inutilis Dei regno, cum etiam per ipsorum veniat propaginem regeneranda generatio, et in eis tolerandis ac diligendis populus Dei fiat illustrior; [e] discens bonitatem et patientiam ab illo *qui pluit super justos et injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* v, 45).

SENTENTIA SUPER XIV.

Item qui dicit quod qui evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione **223** non credant, et quod Deus ita definierit, ut quicumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant; non est catholicus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem operatur, Dei donum est; ita infidelitas constiB tutio Dei non est. Quia Deus pœnas criminum novit ordinare, non crimina; [f] nec consequens est ut quod non remiserit, ipse commiserit. Prædestinatus itaque vivit ex fide sibi donata, non prædestinatus perit in infidelitate voluntaria, non coacta.

SENTENTIA SUPER XV.

**224** Item qui dicit quod idem sit præscientia quod prædestinatio, in bonis sine dubio operibus nostris duo ista permiscet. Quæ enim ex Dei munere habemus, [g] et quæ præscita dicuntur, non possunt non esse prædestinata; et quæ prædestinata appellantur, non possunt non esse præscita. In malis autem operibus nostris, sola præscientia Dei intelligenda est. Quia sicut præscivit et prædestiC navit quæ ipse facit, et ut faceremus dedit; ita præscivit tantum, non etiam prædestinavit, quæ nec ipse fecit, nec ut faceremus exegit.

[a] Ms. Reg., *De bonitate atque justitia Dei*.
[b] In ms. Reg. non habetur particula *et*, nec in ms. Jol., quæ in editis legitur.
[c] Ms. Reg., *quos prævidet*.
[d] Ms. Reg. hæc verba præcedentibus jungit, *et laudabilis ; et impiorum damnatio justa*.
[e] Sic mss. Remig. et Jol. cum edit. Duac. et Colon. et recentioribus. Edit. Lugdun. antiquior et Lovan., *ducens*.

[f] Ms. Reg., *non consequens est*, quibus addit, *ut quod non ipse commiserit prædestinatus puniatur, qui vivit ex fide sibi donata; et non prædestinatus justum est ut pereat in infidelitate voluntaria, non coacta*. Ms. Jol., ut editi, *nec consequens est*. Cætera ut in ms. Reg. Ms. Remig., ut editi, *nec consequens*, etc. Editi, *infidelitate*, absque *in*, quod mss. tres addunt.
[g] Ms. Reg., *ex præscientia dicuntur*.

# ADMONITIO

## IN PROSPERI PRO AUGUSTINI DOCTRINA RESPONSIONES AD CAPITULA OBJECTIONUM VINCENTIANARUM.

*Sæpe sæpius impletur in servis Christi quod ipse in Evangelio pronuntiavit : Non est discipulus super magistrum* (*Matth.* x, 24). *Cum igitur Galli reprehensores doctrinæ sancti Augustini, magni illius et incomparabilis Ecclesiarum Dei magistri, in ipsum magna contentione insurrexissent, quo sanos ejus sensus ad insanos intellectus apud imperitam plebeculam detorquerent; calumniosisque eorum objectionibus responsiones rationabiles objecisset sanctus Augustini discipulus et vindex Aquitanus noster; jam vero ipsum nominatim impetere, et in impietatis, immo etiam in insaniæ famam deducere statuentes, novas confinxere objectiones tam Augustini prænuntiatis quam sancti Prosperi ad priores eorum calumnias responsis, si ipsis fides haberetur, consectarias : quæ quidem magnam partem cum prioribus coinciaunt, et quorum aliquas bis terque, sub verbis vix dissimilibus, exaggerare non sunt veriti,* numerum criminationum augere volentes, quia sensum variare non potuerant (*S. Prosp. Resp. ad* 9 *object.*). *Quarum consecutionum tanta per se primo aspectu patet absurditas, ut, eodem Prospero teste,* fraternæ charitatis obliti, existimationem ejus quoquo modo lædere studentes, suam se evertere nocendi cupiditate non viderent (*Idem, in præfat.*).

*Tam insanas criminationes, et tam prodigiosa blasphemiarum mendacia, quæ fidem omnem apud prudentes quosque judices satis abrogarent, facile et sufficienter, sola unius subscriptione anathematis, falso, et ad excitandam dumtaxat in se invidiam jactata probasset, nisi veritus esset, ne professionis sincerissimæ brevitatem malignitas eorum suspectam esset habitura, et simpliciores plerosque, diabolici (ut ait) indiculi confictione turbatos, instrui, malignantiumque adversariorum animos diffusiori responsione satius fuisset mitigari. Quod quidem san-*

Digitized by Google

*ctus Doctor noster, non ex proprio ingenio privataque auctoritate suscipere se protestatur (Resp. ad object. 5); sed ea confidentia scribit, ut sensum suum fidemque, quam contra Pelagianos defenderat hactenus, defendebatque quotiescumque se daret occasio, ex apostolicæ sedis auctoritate se præmoneat esse defensurum. Ex quibus verbis, nonnullis visum est, responsiones istas Cœlestini papæ epistola pro Prospero et Hilario, et maxime pro asserenda S. Augustini doctrina, ad Galliarum episcopos directa, esse posteriores. Quæ tamen consecutio ab aliis viris eruditis infirma omnino judicatur. Quando quidem dum adhuc in vivis superstes esset Augustinus, et antequam scripsisset ad Gallos Cœlestinus, sedis apostolicæ Romanæque Ecclesiæ sententiam in medium adduxit Prosper, tum in epistola sua ad Rufinum (Cap. 3), tum in carmine de Ingratis (Cap. 2). Unde verisimile est quod si tanti ponderis testimonium, adeoque causæ suæ favens, quod ex illa epistola Cœlestini duci potest, afferre voluisset, id certe apertius et validius præstitisset. Hinc, quod quidam opinantur (Maug. t. II, p. 488, Nor. Hist. Pelag. l. II, c. 11) ex his quæ Prosper dicit hoc in opere de auctoritate sedis apostolicæ erui, Prospero a summo pontifice in mandatis datum ut gratiæ Christi doctrinam adversus Pelagianos defendendam susciperet; hoc certe tam invictis rationibus quam eruditorum virorum quibus hæc placuit opinio auctoritati inniti optaremus. Cum ergo quo tempore objectiones istas posteriores Augustini simul et Prosperi adversarii in vulgus sparserint, non omnino constet apud eruditos, nec proinde quando his a Prospero nostro iterum fuerit responsum; probabile tantum judicamus, illos homines paulo post lectam superiorum objectionum confutationem tumultuario stylo scriptas objectiones in vulgus quanto citius potuerunt sparsisse, quibus statim S. Prosper responsionibus quæ subjiciuntur satisfacere non distulit. Etsi non ignoremus has objectiones quibusdam eruditis videri prius a nobis editas tempore præcessisse, de quo judicet lector. Nec mirum vero quod in subjecto opere paulo durius respondere agnoscitur adversariis sanctus noster quam in priori responderat. Cum enim illi presbyteri, ut postea Cœlestinus agnovit in epistola (Ad episc. Galliar. cap. 1), conniventibus etiam episcopis suis, dissensioni Ecclesiarum studentes, indisciplinatas quæstiones in medium vocarent, pertinaciterque dicerent Augustini discipulos prædicare adversantia veritati, prioribus sancti Prosperi responsis surdi, longe pejora et rationi charitatique magis contraria fuerant commenti.*

*Quis vero sit ille Vincentius qui pessimæ causæ patronum se præstitit præ cæteris, apud eruditos non omnino constat. Erat tunc temporis in monasterio Lirinensi Vincentius, qui quodam libro contra omnes hæreses, cui Commonitorio titulum fecit, circa annum 434 scripto, deinceps celeber in Ecclesia effectus est. Hunc quidam scriptor (Vossius Hist. Pelag. lib. 1, c. 9) sparsarum in Prosperum calumniarum auctorem voluit, quia eumdem sancti Augustini doctrinæ adversum fuisse contendit : in hanc opinionem ea ratione motus descendens, qua Vincentius epistola Cœlestini papæ manifeste et voluntarie abusus judicaretur. Huic opinioni accedunt etiam alii, qui Vincentium istum Semipelagiani dogmatis sectatoribus accensent (Nor. Hist. Pelag. l. II, c. 11; Antel. Op. Leon. p. 419). De hoc Gennadius in suo Illustrium virorum Catalogo sic loquitur (Cap. 64) : Vincentius natione Gallus, apud monasterium in Lirinensi insula presbyter, vir in Scripturis sanctis doctus, et notitia ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus, composuit ad evertenda hæreticorum collegia, nitido, et aperto sermone validissimam disputationem (Commonitorium adversus hæreses nuncupatur), quam absconso nomine suo attitulavit, Peregrini adversum hæreticos : cujus operis quia secundi libri maximam in schedulis partem, a quibusdam furatam, perdidit, recapitulato ejus paucis sermonibus sensu primo, compegit, et in unum librum edidit. Moritur Theodosio et Valentiniano regnantibus, id est anno 448, aut sequenti. Hunc multi sancti Prosperi responsionibus acquievisse, et Augustini doctrinam, quæ erat Ecclesiæ doctrina, amplexum fuisse hinc colligunt, quia sanctitatis fama ex tunc non exciderit.*

*Observat quoque auctor Dissertationis Criticæ de veris operibus SS. PP. Leonis Magni et Prosperi Aquitani, opus istud (Commonitorium scilicet), aureum licet, et numquam satis pro dignitate commendandum, eo tamen fine susceptum, ut Augustini doctrinam in suspicionem traheret, jam maxime penes eruditos invaluisse sibi persuasum (Vossius Hist. Pelag., Hen. Noris. Hist. Pelag. l. II c. 11. Nat. Alexand. Hist. Eccl. t. X c. 3 art. 7 § 7). Quam sententiam ipse fusius nova inductione firmat pag. 411 et 412. Quibus subjungit, quod licet ille Vincentius Commonitorii sui sententias ingeniosius quandoque in ipsam Augustini doctrinam, quam in hæreticorum artes atque versutias vibrasse videatur; quanto minus tamen in ipsam prævaluerunt, tanto efficaciora in alias sive exortas, sive exorituras in futurum hæreses aut sectas quaslibet, Altissimi prædicanda conversione, arma facta sunt; ut inter præcipua quæ adversus errores ac schismata penes Ecclesiam deposuerunt antiqui Patres documenta, nullum illa præ Commonitorio frequentius adhibuerit, quod semper experta sit eo validius impugnari rebelles, ac felicius vinci.*

*Qui vero de Vincentii Lirinensis monachi, viri sanctitatis et eruditionis fama notissimi, doctrina meliora sentiunt, in hoc conveniunt, ut alium ejusdem nominis quærant cui ejusmodi objectiones assignent. Baronius cum aliis ejus sequacibus Vincentii alterius opus dici posse opinatur, de quo Gennadius in Catalogo, cap. 80 : « Vincentius presbyter, et ipse natione Gallus, in divinis Scripturis exercitatus, linguam habens usu loquendi et majorum lectione politam, commentatus est in psalmos; cujus operis legit aliqua sancto homini Dei Cannati me audiente; promittens simul, si Dominus vitam et vires daret, se in toto Psalterio, eodem studio laboraturum. » Nec aliquid obstat quin idem agnoscatur esse Vincentius qui anno 439 interfuit concilio Rhegiensi, Constantini seu Constantiani episcopi forte Diensis nomine (Conc. tom. III, p. 1289; Gal. Christ. tom. II, p. 554). Etsi enim Gelasio (anno 496 demortuo) superstes fuerit Gennadius : nihilominus tamen coætaneus esse potuit homini anno 430 libros in lucem emittenti. Quæ opinio inde etiam vires accipit, quod illos maxime laudare assueverit Gennadius (Cap. 94 et c. 80), quos Augustino minime faventes noverat; Vincentium vero hunc impense laudaverit in supra citatis.*

Digitized by Google

# S. PROSPERI

AQUITANI

# PRO AUGUSTINO RESPONSIONES

## AD CAPITULA OBJECTIONUM VINCENTIANARUM.

## Præfatio.

**227** Quidam Christianæ ac [a] fraternæ charitatis A obliti, in tantum existimationem nostram quoquo modo student lædere, ut suam se evertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim et, qualibus possunt sententiis, comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia; easque ostendenda et ingerenda multis publice privatimque circumferunt; asserentes talia in nostro sensu esse qualia diabolico continentur indiculo. Quæ falso in nos, ad excitandam invidiam, jactitari, facile et sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis; nisi malignitas eorum, qui se gravari putant si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura. Unde ne hujus querelæ inveniretur occasio, **228** necessarium conveniensque [b] credidimus, ut sive ad calumniantium animos mitigandos, sive ad eos quorum auribus tale aliquid insonuit instruendos, quantum adjuvante Domino fieri potuerit, plene lucideque pandamus quid de perversis definitionibus judicemus. Propositis igitur singillatim sedecim capitulis, sub unoquoque eorum, sensus nostri, et fidei quam contra Pelagianos ex apostolicæ sedis auctoritate defendimus, verba [c] ponemus : ut qui paululum se ad legenda hæc dignati fuerint occupare, evidenter agnoscant impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium; et blasphemias quas perspexerint nostra professione damnari, in earumdem repertoribus censeant debere puniri.

[a] Ms. Joliensis., *fraternæ veritatis.*
[b] Ms. Remig., *credimus.*
[c] Ms. Remig., *ponimus.*

## [a] *LIBER RESPONSIONUM.*

### 229 CAPITULUM PRIMUM.

OBJECTIO.

[b] *Quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus.*

RESPONSIO.

Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta et mortificata natura est, et unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum et potens ac singulare remedium est mors Filii Dei [c] Domini nostri Jesu Christi; qui liber a mortis debito et solus absque peccato, pro peccatoribus et debitoribus [d] mortis est mortuus. **230** Quod ergo ad magnitudinem et potentiam pretii, et quod ad unam pertinet causam generis B humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi et sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, et unam omnium causam a Domino nostro in veritate susceptam, recte omnes dicantur redempti, et tamen non omnes a captivitate sint eruti; redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, et jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cujus mors non ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus etiam qui regenerandi non erant pertinerent; [e] sed ita, ut quod per **231** unicum exemplum gestum est pro universis, per singulare

[a] Scriptum forte paulo post superiores responsiones.
Remigianus codex, ante annos plus minus octingentos scriptus, habuit a prima manu *Vincentiarum;* a secunda vero jam olim correctus præfert (ut in fine libri absque correctione legitur) *Vincentianarum*: Lovanienses observant esse qui arbitrentur objectionum scriptorem Vincentium Lirinensem illum fuisse cujus exstat adversus profanas hæresum novitates Commonitorium, scriptum circiter C annum Christi 434, seu, ut ipse auctor in cap. 42 testatur, post triennium ferme a celebrato contra Nestorium concilio Ephesino.
[b] Mss. Remig. et Joliensis hic et in capite reliquarum objectionum, *Quia,* ubi editi *Quod* habent.
[c] Editi, *Domini Jesu Christi*, omissa voce *nostri*, quam habent mss. Remig. et Jol. et edit. August.
[d] Hic *mortis* addimus ex mss. Remigiano et Joliensi, nec non ex edit. August. Oper.
[e] Ms. Jol., *sed ut*, omisso *ita*.

Digitized by Google

sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.

## CAPITULUM II.

OBJECTIO.

*Quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint.*

RESPONSIO.

Cum Veritas dicat (*Matth.* VII, 11): *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus se!* qui fieri potest ut Deus, qui etiam illos salvat, de quibus dici non potest quod salvari velint, nolit aliquos salvare etiam si salvari velint, nisi aliquæ B causæ exsistant de quibus, quamvis sint nobis ingnoscibiles, [a] ille tamen bene judicat, de quo dici non potest, aliter eum quidquam facere debuisse quam fecerit? Remota ergo hac discretione, quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissime credendum atque profitendum est Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est (I *Tim.* II, 4), sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis Dei justitia est; ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est. C

## CAPITULUM III.

OBJECTIO.

*Quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.*

RESPONSIO.

Omnium quidem hominum creator est Deus, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret: quia alia est causa nascendi, et [b] alia est causa pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium; ut autem pereant, prævaricatoris est meritum. In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata natura est, omnes peccaverunt (*Rom.* V, 12), eademque sententia quam ille excepit obstricti sunt. Neque ab hoc vinculo, etiam si propriis peccatis careant, resolvuntur, nisi **232** in sacramento mor- D tis et resurrectionis Christi per Spiritum sanctum renascantur. Nimis ergo impius et indoctus est qui vitium naturæ non discernit ab auctore naturæ a quo prorsus alienum est quidquid in unoquoque [c] damnandum est. Creat enim homines, ut sint homines: nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consi- A lium bonæ voluntatis suæ reparaturus in multis quod ipse fecit, puniturus in multis quod ipse non fecit. *Sicut* [d] *enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius hominis obedientiam justi constituuntur multi* (*Rom.* V, 19).

## CAPITULUM IV.

OBJECTIO.

*Quod major pars generis humani ad hoc creatur a Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem.*

RESPONSIO.

Insanum omnino et contra rationem est dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri, et damnatorem diaboli ejusque famulorum, velle ut diabolo serviatur. Sed hoc catholicis Pelagiani consequenter se objicere existimant, qui Adæ peccatum transiisse in omnes diffitentur: quoniam si primam nativitatem originalis culpa non obliget, non sint obnoxii diabolo parvuli, [e] nec indigeant erui de potestate tenebrarum, qui numquam a suo auctore discesserint. Nos autem qui omnes in Adam periisse profitemur (*Venit enim Filius hominis quærere et salvare quod perierat* [*Luc.* XIX, 10]), nec dicimus ideo creari quemquam hominem, ut diaboli faciat voluntatem; et agnoscimus omnem hominem non redemptum diabolo esse captivum. Prævaricatio enim hominum dispositæ a sæculis creationis ordinem turbare non potuit, et [f] merito creatura peccatrix pœnalem dominationem illius patitur cui, relicto vero Domino, sponte se vendidit. Hæc quippe servitus non institutio est Dei, sed judicium; quo fraus deceptoris diaboli facta est decepto et male credulo homini pœna peccati. De qua nemo eruitur, nisi per mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum: cujus gratuita gratia, et multorum malis meritis non tribuitur, et nullorum bonis meritis prævenitur.

## 233 CAPITULUM V.

OBJECTIO.

*Quod peccatorum nostrorum auctor sit Deus: eo quod malam faciat voluntatem hominum, plasmet substantiam quæ naturali motu* [g] *nihil possit nisi peccare.*

RESPONSIO.

Hujus quoque objectionis vanitas de illa procedit schola in qua natura humana immunis a peccato Adæ et illæsa defenditur; ut quia omnes homines prævaricationis reos et [h] damnationi obnoxios nasci, perituresque nisi in Christo renascantur, asserimus, eumdem videamur dicere auctorem culpæ, quem profitemur conditorem esse naturæ. Quod nos a sensu nostro penitus abdicamus, qui Deum justum et bonum, sic humanæ substantiæ, [i] et interiorum exteriorumque sensuum novimus creatorem, ut pror-

[a] Editi, *ita tamen*. Ms. Joliensis, *ille tamen*; melius, ut videtur.

[b] Mss. Remig. et Jol. addunt hic, *causa*: quæ vox desideratur in editis.

[c] Ms. Joliensis, *damnatum est*.

[d] Additur *enim* in ms. Remig. et edit. Oper. Aug.; aberat a cæteris.

[e] Ms. Joliensis, *ne indigeant*.

[f] Ms. Remig. non habet hanc vocem, *merito*

[g] Editi, *non possit nisi*. Mss. Remig. et Jol., *nihil possit nisi*.

[h] Ms. Joliensis, *damnationis obnoxios*.

[i] In ms. Jol. abest particula *et*, legiturque sic, *humanæ substantiæ interiorum exteriorumque*, etc.

Digitized by Google

sus ab illo sit quidquid pertinet ad naturam, et A prorsus [a] ab illo non sit quidquid contra naturam est. Peccatum autem contra naturam est, de quo mors et omnia quæ sunt mortis oriuntur. Quibus malis tunc se homo induit, quando illum fide obedientiaque privatam, in suas promissiones diabolus a Dei lege traduxit, omniaque posteritatis ejus germina sibi per conditionem depravatæ stirpis obstrinxit. Unde si qua in Christo nova creatura est (II *Cor.* v, 17), [b] libera fit diabolo, et subjicitur Deo, reformata a deformitate sua, ad imaginem ejus qui creavit eam (*Colos.* III, 10). Quod nisi fiat, remanet in illo in quo omnes moriuntur, non habens sortem in eo in quo omnes vivificantur. Non igitur cujusquam peccati [c] auctor Deus, sed naturæ creator est. Quæ cum potestatem habuerit non delinquendi, sponte deli- B quit, et deceptori suo propria voluntate se subdidit. Nec naturali, sed captivo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato et vivat Deo : quod sine gratia Dei facere non potest; quia libertatem quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non recipit. *Non est* enim *aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri* (*Act.* IV, 12).

## CAPITULUM VI.

### OBJECTIO.

*Quod Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliud* [d] *possit velle, nisi malum.*

### RESPONSIO.

Totus quidem *mundus*, sicut ait Joannes apostolus, *in maligno positus est* (I *Joan.* v, 19); et multorum C hominum talis est malitia, qualis et **234** dæmonum. Qualibus dicebat Dominus: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali* (*Matth.* XII, 34)? et, *Vos de diabolo patre nati estis, et concupiscentias patris vestri facere vultis* (*Joan.* VIII, 44). Sed hoc inter malos homines distat et dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio. Sicut ergo prævaricatoribus angelis non Deus indidit illam, quæ in veritate non stetit (*Ibid.*), voluntatem, ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur, inseruit. *Mendax* enim de proprio loquitur (*Ibid.*); et liber à mendacio non erit, nisi eum veritas liberaverit.

## CAPITULUM VII.

### OBJECTIO.

*Quod hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit.*

### RESPONSIO.

Si de his hoc dicitur qui pietatem Christianæ conversationis et fidei deserentes, in profanos errores aut in damnabiles mores irrevocabiliter transierunt, non dubium est quod talem voluntatem habentes salvi esse nolunt; et quamdiu salvi esse nolunt, salvi esse non possunt. Sed nullo modo credendum est hujusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse : cum potiùs allevet Dominus omnes qui corruunt, et erigat omnes elisos (*Psal.* CXLIV, 4). Nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. Dei ergo voluntas est, ut in bona voluntate maneatur : qui et prius quam deseratur, neminem deserit; et multos desertores sæpe convertit.

## CAPITULUM VIII.

### OBJECTIO.

[e] *Quod nolit Deus, ut omnes catholici in fide catholica perseverent, sed velit ut magna exinde pars apostatet.*

### RESPONSIO

Non est dissimilis blasphemiæ hujus impietas, a præcedente sententia; quod ergo ad illam, hoc etiam ad istam, quæ in nullo est diversa, responsum sit.

## CAPITULUM IX.

### OBJECTIO.

*Quod velit Deus ut magna pars sanctorum a sanctitatis proposito ruat.*

### RESPONSIO.

Nec hujus definitionis insania aliud sonat quam gemina objectio prælocuta est **235**. Unde mirandum est objicientem tertio repetisse quod semel dixisse suffecerat : sed, ut res est, numerum criminationis augere voluit, quia sensum variare non potuit.

## CAPITULUM X.

### OBJECTIO.

*Quod adulteria et corruptelæ virginum sacrarum ideo contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinavit ut caderent.*

### RESPONSIO.

Detestanda et abominanda opinio, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem : cujus prædestinatio numquam extra bonitatem, numquam extra justitiam est. *Universæ* enim *viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Adulteria enim [f] maritatarum, et corruptelas virginum non instituere novit sancta Divinitas, sed D damnare; nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cum admittunt, suis concupiscentiis et cupiditatibus serviunt, quas ab illa prima voluntariæ prævaricationis labe traxerunt : cum autem declinant a malo et faciunt bonum, *a Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet* (*Psal.* XXXVI, 23). Propter quod dicit Apostolus, *Oramus autem* [g] *ad Deum, ut nihil mali faciatis; non ut nos probat*

[a] Editi, *non ab illo sit*. Corrigimus ex edit. Oper. Aug. ad ms. Remig. exacta.

[b] Ita ms. Joliensis cum ms. Remig. et edit. Oper. S. Aug. ubi additur præpositio *a diabolo*. Editi, *libera sit diabolo et subjiciatur*. *Libera diabolo*; ut Rom. VI, 20 : *liberi justitia*, dativo casu.

[c] Vox ista *Deus* aberat ab editis. Restituitur ex mss. Remig. et Joliensi ac edit. Oper. S. August.

[d] Sic ms. Remig. et Jol. cum edit. Aug. At editi antea, *possit vel velit*.

[e] Ms. Joliensis, *Quia noluit*.

[f] Remigianus ms., *maritorum*.

[g] Editi, *ad Dominum*. Ms. Remig. et edit. August., *ad Deum*, ut apud Apostolum.

Digitized by Google

*appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis* (II *Cor.* xiii, 7). Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitavit, aut suasit, aut impulit: sed plane prædestinavit judicium suum, quo unicuique retributurus est prout gessit, sive bonum, sive malum. Quod judicium futurum omnino non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifestissime: et omnis homo quem discretio divinæ scientiæ in sinistra constituerit parte, damnabitur; quia non Dei, sed suam executus est voluntatem.

## CAPITULUM XI.

OBJECTIO.

*Quod quando incestant patres filias, et matres filios, vel quando servi dominos occidunt, ideo fiat, quia ita Deus prædestinavit ut fieret.*

RESPONSIO.

Si diabolo objiceretur quod talium facinorum ipse auctor, ipse esset incentor; puto quod aliqua ratione exonerare se hac posset invidia, et talium scelerum [a] patratores **236** de ipsorum voluntate convinceret; quia etsi delectatus est furore peccantum, probaret tamen se non intulisse vim criminum. Qua ergo insipientia, quave dementia definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum ascribi potest, qui in peccantum flagitiis illecebrarum adjutor, non voluntatum credendus est esse generator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinavit ut fieret; [b] nec ullam animam nequiter turpiterque victuram, ad hoc ut taliter viveret, præparavit; sed talem futuram non ignoravit, et de tali juste se judicaturum esse præscivit. Atque ita ad prædestinationem ejus nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam justitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.

## CAPITULUM XII.

OBJECTIO.

*Quod Dei prædestinatione efficiantur de filiis Dei filii diaboli, et de templo sancti Spiritus templa dæmonum, et de membris Christi membra meretricis.*

RESPONSIO.

Prædestinatio Dei etsi apud nos, dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est; apud illum tamen qui fecit quæ futura sunt incommutabilis permanet. Nec quæ illuminavit obcæcat, nec quæ ædificavit destruit, nec quæ plantavit evellit. *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei* (*Rom.* xi, 29); et, *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; cognovit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* ii, 19). Nullo igitur modo [c] Dei prædestinatio facit ut aliqui ex filiis Dei filii sint diaboli, aut ex templo sancti Spiritus [d] templa sint dæmonum, aut ex membris Christi fiant membra meretricis: sed potius prædestinatio facit ut ex filiis diaboli fiant filii Dei, et ex templo dæmonum [e] templum sint Spiritus sancti, et ex membris meretricis membra sint Christi. Quia ipse alligat fortem, et vasa ejus rapit (*Marc.* iii, 27), eruens ea de potestate tenebrarum, et transferens de contumelia in gloriam (*Colos.* i, 13). Hi autem de quibus dicitur: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* ii, 19); voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reversuri, et in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei, multis est causa standi, nemini est causa labendi.

## 237 CAPITULUM XIII.

OBJECTIO.

*Quod omnes illi fideles et sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur, sed ipsius vitii causa est divina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.*

RESPONSIO.

Idem blasphemiarum spiritus perseverat, et a præcedentibus mendaciis subsequens impietas non recedit: quam prorsus vera ratio reprobat, et incunctanter sana doctrina condemnat. Quia omnibus quidem a fide ad infidelitatem, a sanctitate ad turpitudinem relapsis, et ante finem vitæ nulla emendatione purgatis, nihil aliud quam mors æterna debetur: sed nefas est Deo ascribere causas talium ruinarum; qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid uniuscujusque meritis retributurus sit; nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo a justitia et pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus sanctus: nec tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit, cujus opere multos scimus ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulsos.

## CAPITULUM XIV.

OBJECTIO.

*Quod magna pars illa Christianorum catholicorum fidelium atque sanctorum quæ ad ruinam et perditionem prædestinata est, etiam si petat a Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit: eo quod mutari non potest divina prædestinatio, quæ illos prærodinavit, præparavit, præaptavit ut caderent.*

RESPONSIO.

Ad prævaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscumque peccati, nulla omnino est prædestinatio Dei: nec fieri potest ut per quem a talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in sanctitate vivitur, [f] si in vir-

[a] Correctus locus ex manuscripto Remigiano et Joliensi et edit. sancti Augustini. Alias editi, *talium criminum patratorem, de ipsorum voluntate vinceret.*
[b] Ita ms. Remig. Alias editi, *nec illam animam.*
[c] In ms. Remig. omittitur hic vox, *Dei.*
[d] Ms. Joliensis, *templum sint.*
[e] Ante hac editi, *templum sit.*
[f] Prius editi, *si in virtutem.* Mss. Remig. et Jol. cum edit. Oper. S. Aug., *in virtute.*

Digitized by Google

tute proficitur, si in bonis studiis permanetur; mani- A festum munus est Dei, sine quo nullus boni operis fructus acquiritur : si autem ab his receditur, et ad vitia ac peccata transitur, **238** nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, et recessurum non deserit ante quam deseratur; et facit plerumque ne deserat, aut etiam, si discessit, ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat; nec possibile est comprehendere, nec licitum [a] vestigare; cum scire sufficiat, et ab illo esse quod statur, et non ab illo esse quod ruitur.

## CAPITULUM XV.

OBJECTIO.

*Quod omnes illi fideles et sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, postea quam ceciderint, sic a Deo dispensentur, [b] ut nec possint nec velint per pœnitentiam liberari.* B

RESPONSIO.

Non veraciter, nec sapienter hoc dicitur. Qui enim a fide et sanctitate exciderunt, sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non surgunt, et dominatum concupiscentiarum, quibus succubuerunt, sponte patiuntur. Si qui autem captivitatem suam gemunt, et judicantes semetipsos, ad misericordiam Dei mutato corde confugiunt, non sine spiritu divinæ visitationis hæc faciunt. *Hæc* [c] enim *mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11); qui innumeris lapsis dat pœnitentiam, ut *resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem* (I *Timot.* II, 26). Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. Quia qui se a Deo avertit, ipse et velle quod bonum est, et posse sibi sustulit. Non est C ergo consequens, sicut putant qui talia objiciunt, ut Deus quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit et quos non levarit, alliserit : cum aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est a Deo; aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.

## CAPITULUM XVI.

OBJECTIO.

*Quod magna pars illa fidelium atque sanctorum quæ ad æternam mortem prædestinata est, quando dicit Deo in oratione Dominica*, Fiat voluntas tua, *nihil aliud quam contra se petat, id est, ut cadant et ruant : quia voluntas Dei hæc est ut æterna morte pereant.*

RESPONSIO.

Non hoc Veritas dicit, quod hæc sit voluntas Dei ut fideles et sancti a fide atque innocentia ruant, et pereant in æternum : sed Veritas dicit (*Joan.* VI, 39) : *Hæc est voluntas* **239** *ejus qui me misit Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quidquam, sed resuscitem illud in novissimo die.* Quod ergo Pater Filio dedit, Filius omnino [d] non perdit. Idem enim dicit (*Joan.* VI, 37) : *Omne quod dat mihi Pater,* [e] *ad me veniet, et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Quod si per generalitatem vocationis, et per abundantiam bonitatis Dei, etiam non perseveraturi perseveraturis admixti sunt; hi cum a pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate deficiunt; nec impelluntur ut cadant, nec ejiciuntur ut deserant; casuri tamen et recessuri ab eo qui falli non potest præsciuntur. Quamdiu itaque in oratione Dominica dicunt : *Fiat voluntas tua;* non hoc contra se petunt, quod Deus nullo modo ulla ratione facturus est, id est, ut cadant et ruant; [f] ipsorum enim hoc nequitia, ipsorum est consummatura libertas. Sed **240** plane illud contra se petunt, quod divinæ voluntatis esse non dubium est; ut scilicet, cum venerit Filius hominis in majestate sua, et sederit super thronum gloriæ suæ, congregentur ante eum omnes gentes, [g] et separet eos ab invicem, alios ad dextram, alios statuens ad sinistram, et audiant C eum dextri dicentem: Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis [h] regnum a constitutione mundi (*Matth.* XXV, 34) : audiant et sinistri, Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus (*Ibid.*, 41). Igitur qui facturi non sunt voluntatem Dei, et petunt ut fiat voluntas Dei, in eo quod Dei voluntate faciendum est [i] audiuntur, ut imitatores diaboli cum diabolo judicentur. Qui ENIM voluntatem Dei spreverunt invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem.

[a] Mss. Joliensis, *investigare.*

[b] Ita ms. Joliensis. Alii omnes, *ne possint vel velint.*

[c] Verbum substantivum *est*, hic addit ms. Joliensis.

[d] Ms. Joliensis, *non perdet.*

[e] Hæc verba, *ad me veniet, et eum qui*, quæ aberant ab editis omnibus, restituimus auctoritate mss. Remig. et Joliensis. Antea editi. *Omne quod dat mihi* D *Pater, venit ad me, et non ejiciam foras.*

[f] Sic legitur in mss. Remig. et Joliensi. In prius editis vero, *hoc enim ipsorum nequitia*, etc.

[g] Ms. Joliensis, *ut separet.*

[h] Sic ms. Jol. Ms. Remig. et edit. S. Aug., *paratum vobis regnum :* editi anteriores, *regnum paratum vobis.*

[i] Ms. Joliensis, *audiunt.*

# ADMONITIO

## IN PROSPERI PRO AUGUSTINO RESPONSIONES AD EXCERPTA GENUENSIUM.

*Non ex eadem intentione, Augustini doctrinam scilicet elevandi aut infamandi, ex qua anteriora prodierant, nata etiam credimus inferius posita Genuensium presbyterorum Excerpta, ad Prosperum nostrum eo tantum fine directa, ut quas illi ex librorum sancti Augustini de Prædestinatione sanctorum et de Dono Perseverantiæ lectione dubitationes patiebantur, in quibus se insolita nonnulla et minus clara deprehendisse significabant, sanctus Augustini discipulus, tamquam doctrinæ illius sublimioris et a communis intelligentiæ finibus remotioris particeps, pro sua erga omnes humanitate, dissolveret : cum hoc solum rogarent, ut quo intellectu vel quo judicio ista acce-*

Digitized by Google

*posset eis aperire dignaretur. Qua quidem agendi ratione virorum illorum modestia in eo elucet, quod cum essent sacerdotes in urbe non ignobili forte ex primariis, virum ( ut verisimilius videtur ) laicum de tantis rebus consulere non reformident (In præfat. hujus operis). Quo fit ut sanctus Prosper humilitati adeo laudandæ vicem rependens, hoc respondeat : id quod a se postulabant debuisse illos sibi præstare, sedula locorum Augustini meditatione, et confidenti fusa oratione ad Patrem luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum (Jac. I, 17), et a quo datur Spiritus sapientiæ et intellectus. Hinc non quasi magister discipulos instituens, sed ut veritatis discipulus, humilitatisque et obedientiæ sectator, superioris sibi ordinis viris obtemperare suscipit, ejus auxilio confisus qui sapientiam præstat parvulis (Psal. XVIII, 8); et Excerpta ab ipsis ex duobus supradictis sancti Augustini libris loca fusiori oratione exponere, atque ad rectos sensus, ex collatione, quam urget ubique, cum antecedentibus et subsequentibus locorum unde ducebantur reducere, et a pravo in omnibus intellectu sarta et tecta ostendere aggreditur : humiliter petens, ne ubi erat in ipso simplicitas obedientiæ, ibi præsumptionem putarent esse doctrinæ. Quod quidem egregie conficit tum Scripturæ sacræ auctoritate in medium adducta, tum maxime aliorum sancti Augustini Operum locis, cum his qui scrupulum fecerant comparatis; eodem semper, ut alias, tenore doctrinæ prædicans, et gratuitam omnimodis gratiam Dei, et fidem ipsam ab eadem Dei gratia et misericordia sumere principium : nec tantum boni omnibus promiscue conferri, nec ullum omnino opus bonum, si divinum non affuerit auxilium, posse a quoquam præstari.*

*Civitatem autem ex qua illi libellum hunc suum ad Prosperum direxerant Vir eruditus vult esse non Genuam, urbem Italiæ primariam, quæ ab elegantioribus ædificiis Superbæ cognomen accepit; sed Genevam, quæ et Gebenna et Aurelia Allobrogum nominatur. Cui eo difficilius est ac in re assentiri, quod ubique presbyteri illi non Genevenses sed Genuenses legantur appellati.*

*De tempore denique quo hæc contigerunt si quæratur, conjicimus scriptum horum hujusque rescriptum paulo post superiora, certe autem post obitum sancti Augustini, in lucem prodiisse.*

# S. PROSPERI

## AQUITANI

# PRO AUGUSTINO RESPONSIONES [a]

## AD EXCERPTA GENUENSIUM.

### Præfatio.

CAMILLO [b] et THEODORO venerabilibus presbyteris, A PROSPER.

241 In libris beatæ memoriæ Augustini episcopi, quorum titulus est, *de Prædestinatione Sanctorum*, quædam sanctitatem vestram vel insolita aut minus, clara moverunt, quæ ad humilitatem meam, de contextu disputationis excerpta, misistis : ut quo intellectu, [c] quove judicio ea acciperem, nosceretis: quasi plus in me quam in vobis ad hæc introspicienda esset ingenii; ac non magis in hoc examine vestræ facultatis [d] debueritis exercere mensuram, et si aliqua vos morabatur obscuritas, decurrere ad Patrem luminum, a quo descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jac.* I, 17), et a quo datur Spiritus sapientiæ et intellectus. Verumtamen præceptis vestris obsequium 242 meum non subtraham, et [e] adjuvante Domino, qui sapientiam præstat parvulis (*Psal.* XVIII, 8), de capitulis istis, quid cum sanctis et eruditis fratribus sentiam, breviter indicabo; petens ne ubi est simplicitas obedientiæ, præsumptionem putetis esse doctrinæ. De excerptis itaque hæc prima proposuistis, in quibus verba sunt sancti Augustini episcopi.

[a] Scriptum est hoc opus eodem forte tempore cum superioribus, post Augustini mortem.

[b] Remensis codex Remigianus, *Theudulo*. Ms. Ecclesiæ Parisiensis Joliensis, *Camyllo et Theodulo*. Editio opusculorum S. Prosperi de Gratia et Libero Arbitrio Venetiis procurata anno 1538, *Camillo et Theodolo*.

[c] Ita mss. Remig. et Joliensis cum edit. Oper. S. August. Editi, *aut quo judicio ea acceperim.*

[d] Ms. Jol. solus, *debueratis.*

[e] Ms. Jol., *adjuvante Deo.*

# LIBER RESPONSIONUM.

### EXCERPTUM PRIMUM.

(Aug. lib. I de Prædest. Sanct. c. 3.) *Jacob dilexi, Esau* [a] *autem odio habui. Ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem : Non ergo elegit Deus opera cujusquam quæ ipse daturus sit, sed fidem elegit in præscientia; ut quem sibi crediturum esse præsciret,* B [b] *ipsum elegerit, cui sanctum Spiritum daret; ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligentius quæsieram, nec adhuc inveneram qualis esset electio gratiæ.*

[a] Ms. Joliensis addit *autem*, ut in loco libri de Prædest. Sanct. habetur. Editi non habebant hanc particulam.

[b] Ms. Joliensis, *ipsum eligeret.*

Digitized by Google

**243** EXCERPTUM II.

[a] *Item verba ejusdem.*

(Ibid.) *Ac deinde subjunxi : Quod ergo credimus, nostrum est; quod autem bona operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum.* [b] *Quod profecto non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri,* [c] *quæ dantur in eodem Spiritu* (I *Cor.* XII, 6). *Utrumque ergo nostrum est, propter arbitrium voluntatis; utrumque tamen datum est, propter spiritum fidei et charitatis.*

EXCERPTUM III.

*Item verba ejusdem.*

(Ibid.) *Ac per hoc, quod etiam postea dixi : Quia neque velle possumus, nisi vocemur; et cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra et cursus noster, nisi Deus et vires credentibus præbeat, et perducat quo vocat; ac deinde subjunxi : Manifestum est ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse quod bene operamur; omnino verissimum est : sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei; non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantum electorum.*

RESPONSIO AD HÆC TRIA.

In his tribus capitulis, licet divisa sint [d] a disputationis corpore, et eo ipso obscuriora sint facta, quod et præcedentibus, et mediis, et subsequentibus non cohærent; intelligendo tamen quod unam [e] atque eamdem causam scriptor exsequitur, de eis loquens qui dicebant eum primo conversionis suæ tempore meliora sensisse, quando æstimabat, quod fides qua Christiani sumus, non esset ex gratia, nec ex dono haberetur Dei, sed esset ex ipso homine, et ex arbitrii libertate; modo autem errare eum, [f] quia assereret ipsam etiam fidem Dei esse donum, et ad hanc quoque pertinere quod dictum est (I *Cor.* IV, 7): *Quid autem habes quod non accepisti?* neque recte eum nunc electionem Jacob ad propositum Dei referre, quam prius ad præscientiam retulisset. Ad hanc ergo objectionem **244** respondet, se antequam cognosceret gratiæ veritatem, et antequam regendæ præponeretur Ecclesiæ, in hac opinione ignoranter errasse : sed in ipso episcopatus sui exordio, [g] a sanctæ memoriæ Simpliciano Mediolanensi antistite, de Jacob electione et de Esau rejectione consultum, totam quæstionem ad hos geminos pertinentem, sagaciore diligentia ventilasse; et omnibus ratiocinandi viribus hoc indubitanter agnovisse, quod electionem gratiæ nulla merita humana

A præcedant, et quod fides, unde incipiunt omnia merita, donum sit Dei; ne gratia non sit gratia (*Rom.* XI, 6), si aliquid eam propter quod tribuatur antevenit. Itaque in eo quid dictum est, *Jacob dilexi*, ostensum esse quid homini donaretur : et in eo quod dictum est : *Esau autem odio habui* (*Rom.* IX, 13), ostensum esse quid homini deberetur. Hoc autem se in libro Retractationum secundo suo opere studiose recoluisse (*Cap.* 1) : et cum omnes opiniones suas censoria gravitate discuteret, istam, quam obtrectatores ejus eligunt, improbasse, quam ante Pelagianæ hæresis ortum futuro errori amicam esse prævidit, et revelata sibi gratiæ veritate rejecit. Quæ igitur ratio est, ut hanc viri hujus professionem non approbemus, qua nos ad castigandas opiniones nostras,
B si quas forte imprudenter incidimus, exemplo suæ correctionis instituit; [h] et qua docet a Deo nos accipere, quod ut accipiamus jubemur orare?

Si enim consideremus Pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere quam ut videatur gratia Dei secundum merita nostra dari, ut in eo ipso in quo gratiam necessariam confitetur, meritis eam humanæ voluntatis enervet? Quam perversitatem omnino incurrit qui fidem ad Dei munera non putat pertinere : aut ideo eam se jactitat ad Deum referre, quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilem inseruit libertatem, per quam unusquisque et credere et non credere in sua habeat potestate; et de hoc naturali bono [i] quod nullis præcedentibus meritis, cum crearetur, accepit, cætera dona mereatur. Hoc
C autem qui asserit, fatetur, credo, nobiscum quod in primo Adam omnium hominum natura vitiata sit; nec negat eam in illo lapsu suas amisisse virtutes, quas nisi per gratiam recipiat, habere non possit. Quid est autem quod eidem naturæ solam fidem non vult esse præreptam, quam nisi primam amisisset, cæteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam **245** diabolo, non credidit Deo : et cum spiritu superbiæ inebriatus esset, discessit a Domino cor ejus; et factus est servus apostatæ, dum liber vult esse justitiæ. Cum itaque non haberemus continentiam, nisi Deus daret (*Sap.* VIII, 21); nec haberemus dilectionem sanctam, nisi charitas Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5); cum postremo nemo
D haberet sapientiam et intellectum, consilium et fortitudinem, scientiam et pietatem, ac timorem Domini

[a] In ms. Joliensi in titulis Excerptorum, seu, ut alias editi præferebant, Dubiorum, hic et deinceps, *Item verba ejusdem.* Editi, *In verbis ejusdem.* Editio append. Oper. S. Aug. hæc prætermisit.

[b] Ms. Joliensis cum Lugd., Lovan. et Venet., omisso *quod, profecto non dicerem.*

[c] Ms. Jol., *quæ dantur,* ut in libro Augustini : editi omnes cum Remig., *quæ datur,* et paulo post idem. ms. Jol. addit *ergo.*

[d] Editi omnes *a disputatione corpora.* Emendamus ex ms. Joliensi, cui suffragatur. ms. Remens. et edit. append. August.

[e] Ms. Jol., *unam eamdemque.*

[f] Editio append. August. ex ms. Remig., *qui assereret.*

[g] Antehac editi legebant, omissa præpositione : *sanctæ memoriæ Simpliciano Mediolanensi antistite.... consulto.* Correctum ex ms. Remig. in edit. append. Aug. et a nobis ex ms. Joliensi. Quia certum est non Simplicianum ab Augustino, sed Augustinum a Simpliciano consultum, duas quæstiones ex Epistola Pauli ad Romanos tractandas suscepisse : quarum posterior est de Jacob electione et Esau rejectione. Patet ex epistola 37, tom. II nov. edit. Oper. Aug.

[h] Ms. Joliensis, *et quam docet.* Sed minus recte, ut videtur.

[i] Editi, *qui nullis :* melius ms. Jol. et ex ms. Remig. append. Aug., *quod nullis.*

Digitized by Google

mini (*Isai.* xi, 2), nisi has virtutes Spiritus sanctus daret; quomodo fides in Adam perdita in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem Spiritus, qui omnia in omnibus operatur (I *Cor.* xii, 6), infunderet? Unde si quod Adam perdidit posteritas non amisit, ipsum solum læsit peccatum ejus, et non genus humanum. Sed omnes in uno peccaverunt (*Rom.* v, 12), et prævaricationis merito tota ejus propago damnata est. Omnes igitur quod Adam perdidit perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem; quam omnes, quia primum potuimus amittere, primam [a] egemus accipere. Placeat ergo nobis hæc gratiæ prædicatio, qua fides donum Dei esse defenditur; et in nullo nobis [b] poterit Pelagianus error illudere, qui, ut gratiam persuadeat debitam, fidem non vult esse donatam. Quia ergo [c] nec justa, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, qui hujus viri scientiam tot incrementorum profectibus ædificatam, tot annorum studiis expolitam, ad adolescentiæ rudimenta revocabant, ut magis suffragaretur hæreticis quod inter initia conversionis suæ imperite senserat, quam prodesset catholicis quod pontificali diligentiæ veritas revelarat; merito illos hoc præjudicio utentes, et in his quæ dudum abdicata fuerant immorantes, pii doctoris gravitas notat; quod qui curaverunt omnes sensus ipsius indagare, noluerint cum ejus eruditione proficere.

Sed jam consideremus quale sit, quod de subsequentibus annotastis.

## EXCERPTUM QUARTUM.

(Ibid. c. 5, n. 10.) *Non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas a Domino.*

## RESPONSIO.

Jungamus quod sequitur, ut quod propositum est de connexo sermone sit clarius. *Ideo ad ipsam quoque fidem* [d] *quæ in voluntate est pertinet,* **246** *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti* (I Cor. iv, 7)? *Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino,* [e] *discutiendum est utique quid veniat de misericordia, quid de judicio. Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est* (*Isaiæ* vi, 9), *Dedit illis spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant usque in hodiernum diem. Et David dicit* (*Psal.* lxviii, 23), *Fiat*

A *mensa eorum in laqueum, et in venationem, et in scandalum, et in retributionem illis: obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (*Rom.* xi, 7). [f] *Ecce misericordia et judicium: misericordia in electionem, quæ consecuta est justitiam Dei; judicium vero in cæteros, qui excæcati sunt: et tamen illi quia voluerunt crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur et judicium in ipsis voluntatibus facta sunt.* [g] *Electio quippe ista gratiæ est, non utique meritorum. Superius enim dixerat, Sic enim in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* xi, 5). [h] *Gratis ergo consecuta est quod consecuta est electio. Non præcessit eorum aliquid quod priores darent, et*
B *retribueretur illis: pro nihilo* [i] *salvos fecit eos* (*Psal.* lv, 8). *Cæteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est. Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* xxiv, 10). *Investigabiles sunt autem viæ ipsius* (*Rom.* xi, 33). [j] *Investigabilis igitur misericordia qua gratis liberat, et veritas qua juste judicat.*

Hæc omnia apud pium catholicumque lectorem, quid offensionis pariunt? quid contradictionis incurrunt? Numquid falsum est, [k] quod præparatur voluntas a Domino (*Prov.* viii, *sec. LXX*)? Numquid non quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei (*Rom.* viii, 14)? Numquid hominem ab homine natura discernit, ac non potius gratia ab infideli fidelem? Numquid potest ullus dicere habere se quod
C non accepit, aut quasi de non accepto sed proprio gloriari; quod si non accepisset, utique non haberet? Numquid dubium est, cum verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? Sed cum illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de judicio. Post commemorationem autem apostolicæ sententiæ (*Rom.* xi, 7), quam propheticis testimoniis astruit quod justitiam Dei, quam **247** Israel quærens consecutus non est, electio sit consecuta per gratiam, cæteris ex retributione cæcatis, numquid non verissime dictum est: *Ecce misericordia et judicium: misericordia in electionem quæ consecuta est justitiam Dei; judicium vero in cæteros, qui excæcati sunt?* Et paulo post:
D *Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio. Non præcessit aliquid eorum quod priores darent, et retribueretur illis: pro nihilo salvos fecit eos. Cæteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in*

[a] Editi, *primam habemus accipere.* Ms. Jol., *egemus accipere,* cum edit. append. Aug. ex ms. Remig.

[b] Editiones omnes, *potuerit.* Ms. Jol., *poterit,* et ex Remig. edit. August. append.

[c] Edit. Duac. et Colon. omiserunt hæc, *nec justa.* Reliqui codices non omiserunt.

[d] Ms. Jol. non habet, *quæ in voluntate est.*

[e] Sic editi omnes et mss. Remig. et Jol. Apud Augustinum vero legitur, *discernendum:* quod pro conjectura in margine notarant omnes editiones, et inferius etiam legitur in eumdem sensum.

[f] Editi, *Ecce misericordiam et judicium: misericordia in electione.* Emendamus ex libro Augustini: per vocem enim electionis, electos intelligit, non actum quo elegit Deus.

[g] Ita mss. Joliensis et Remig. cum edit. August., ubi cæteri codices, *Electio quippe istis.*

[h] Sola edit. append. Aug. *Gratia ergo.*

[i] Hic additur *enim* in edit. Lovan., Duac. et Colon.

[j] In libro ipso Aug., *Investigabiles igitur sunt et misericordia,* etc. Favet ms. Remig. ubi habetur vox hæc, *Investigabiles,* et locus ipse, ut repetitur infra.

[k] Ms. Remig. *Quod præparatum est ita a Domino.*

Digitized by Google

*retributione factum est.* Quis hic locus querimoniæ, nisi apud inimicos gratiæ; qui nisi ad retributionem referatur quod gratis datur, ad iniquitatem volunt pertinere quod redditur? Deinde quod de propheticis intulit verbis, *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10), quis negavit? Aut quod de apostolico annexuit sensu (*Rom.* XI, 33), *Investigabiles sunt autem viæ ipsius? Investigabiles igitur sunt, et misericordia qua gratis liberat, et veritas qua juste judicat.* Non est ergo sanarum mentium ista reprehendere; et investigabiles vias Domini, hoc est, dona misericordiæ et judicia veritatis Pelagianorum elationi penetrabilia deputare. Quia secundum ipsos non latet consilium Dei, nec in occulto est divinæ ratio voluntatis, si erga omnem hominem tam gratia Dei [a] quam et ira de merito est.

Post hæc posuistis quod infra dictum est.

## EXCERPTUM QUINTUM.

(Ibid. c. 8, n. 4.) *Fides igitur et inchoata, et perfecta, donum Dei est: et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari non dubitet qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare.*

## RESPONSIO.

Hoc qui non recipit, cujus videtur esse sententiæ, nisi dicentis: Fides per quam justificor, ex me est; et hoc bonum, ex quo justus vivit (*Habac.* II, 4), non accepi per gratiam, sed habeo per naturam? Si ergo fides donum Dei non est, frustra Ecclesia pro non credentibus orat, ut credant, et sufficit impiis magisterium legis adhiberi, de qua dictum est (*Gal.* II, 21), *Si ex lege est justitia, ergo Christus gratis mortuus est:* quod similiter dici potest etiam de natura. Frustra etiam Apostolus (II *Thess.* II, 12) gratias agit Deo pro his qui Evangelium receperunt, cum hoc secundum Pelagianos non Dei sit præstitum munere, sed ex sola habeatur hominum voluntate; et frustra quibusdam precatur idem Apostolus (*Ephes.* VI, 23), ut sit eis pax et charitas cum fide, a Deo Patre et Domino Jesu Christo, ut jam non solum de fide, sed etiam pace et charitate, superbia hæreticorum convincatur dicere, **248** de proprio se has habere virtutes. Quod si hæc ex homine sunt, quid obest ut non ex semetipso habeat et cætera bona quæ inferiora sunt; cum audeat sibi deputare quæ summa sunt, et sine quibus alia, quamvis multa et clara, non prosunt? Non potest itaque merito refutari quod dictum est: *Fides igitur et inchoata, et perfecta, donum Dei est:* quia eadem et Apostoli vox est dicentis (*Ephes.* II, 8): *Gratia salvi facti estis per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur;* et (*Philip.* I, 29): *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo:* et iterum (*Hebr.* XII, 1): *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.* Quibus et plurimis aliis testimoniis divinarum Scripturarum indubitanter agnoscitur quoniam, sicut ab hoc viro definitum est, *Fides et inchoata, et perfecta, donum est Dei; et hoc donum*, inquit, *quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino* [b] *non dubitat, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare;* non putemus hoc veraciter dictum, si omnes homines fideles sunt: sed cum alii credant, alii vero non credant, dicatque Apostolus (II *Thess.* III 2), *Non enim omnium est fides;* quis non videat fidem, quam acceperunt qui habent, non accepisse qui non habent?

## EXCERPTUM SEXTUM.

(Ibid.) Deinde ait: *Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes isse in condemnationem* (*Rom.* V, 12) *sine dubitatione justissimam; ita ut nulla esset Dei justa reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Unde constat magnam esse gratiam quod plurimi liberantur, et quid sibi deberetur in eis qui non liberantur, agnoscunt; ut* [c] *qui gloriatur, non in suis meritis, quæ paria videt esse damnatis, sed in Domino glorietur. Cur autem istum potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius* (*Rom.* XI, 34). *Melius enim et hic* [d] *audimus aut dicimus: O homo, tu quis es qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 20)? *quam dicere audeamus, quasi noverimus quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid injustum velle non potuit.*

## RESPONSIO

Hæc omnia si non recte dicta sunt scrutabilia sunt judicia Dei, et vestigabiles viæ ejus; nec occultum est quare ille potius quam iste salvetur; et in se non in Domino gloriabitur, qui, aliis vitio suo pereuntibus, electione dignus inventus est. Ac sic justitia quidem erit quod plurimi damnantur: sed non **249** erit gratia quod plurimi liberantur. [e] Absint hæc a catholicis cordibus, absit talis impietas, ut quemquam putemus meritis suis erui de potestate tenebrarum, et in regnum Filii Dei debita, non gratuita, adoptione transferri. Magno peccato periit Adam, et in illo omnes perierunt. [f] Quia omni homini damnata nativitate genito, hoc in Adam debetur ut pereat. Et sicut non possumus conqueri de eo quod in præteritis sæculis dimisit omnes gentes ingredi vias suas: ita justam non haberemus querelam, si cum eis, cum quibus nobis fuit causa communis, cessante adhuc gratia, periremus. Quæ tamen sicut tunc de omni mundo eruit paucos; ita nunc de universo genere hominum salvat innumeros, non secundum opera nostra, sed se-

[a] Editi, *quam et ira merito est.* Mss. Jol. et Remig. ex quo correctum in Aug. ut in textu posuimus.

[b] Edit. Venet., *non dubitet.*

[c] Editi Lovan., Duac. et Colon. hæc habent in plurali, *qui gloriantur non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur.* Mss. Jol. et Remig. cum edit. August., Lugd. et Venet., in singulari exhibent.

[d] In mss. Remig. et Joliensi, *audiemus*, nec addunt, *aut dicimus.*

[e] Sic ms. Joliensis. Alii, *Absit hæc*, etc.

[f] Ms. Joliensis, *Quia omni homini damnata nativitate in genitore, hoc est, in Adam, debetur.*

Digitized by Google

cundum suum propositum, et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora æterna (II *Tim.* I, 9).

Subnexuistis etiam quod post multa disserens ait.

### EXCERPTUM SEPTIMUM.

(Ibid. c. 16, n. 2.) *Est ergo in malorum potestate peccare : ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras, et ordinantis eas : ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.*

### RESPONSIO.

Quod cum sit apertissimæ veritatis, miror inter obscura decerptum : quasi non ex cohærentibus potuerit omnis hæsitatio lectoris absolvi. Inspicite ergo quod sequitur (*Ibid.*) : *Legimus*, inquit, *in Actibus Apostolorum* (*Act.* IV, 13 *et seq.*), *quod cum dimissi a Judæis apostoli venissent ad suos,*[a] *et indicassent quanta eis sacerdotes et seniores fecerunt, levaverunt illi vocem unanimes omnes ad Dominum, et dixerunt, Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri David sancti pueri tui dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania; astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 2)? *Convenerunt enim in veritate, in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes et Pilatus, et populus Israel, facere quanta manus tua et consilium prædestinavit fieri.* Si ergo quæ per os patris nostri David Spiritus sanctus prophetavit, aliter intelligi ullo modo quam ab apostolis sunt intellecta **250** non possunt, et Herodes ac Pilatus et populus Israel fecerunt quanta manus Dei et consilium prædestinavit fieri; quid inconveniens ait admirabilis disputator? *Est*, inquiens, *in malorum potestate peccare : ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras et ordinantis eas : ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* [b] Male enim velle facillimum est malis : et eorum damnabilem voluntatem non dubium est a Dei potestate concludi, ut effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non possint. Uti autem sapientiam et justitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia et judicia sua, nullus vel tenuiter secundum pietatem doctus ignorat; qui videt Dei Patris optimam voluntatem non parcentis Filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima [c] traditoris Judæ et Judæorum voluntate completam : et qui in evangelicis paginis legit, dicente Pilato ad Jesum (*Joan.* XIX, 10) : *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittendi te?* respondisse Dominum, *Non haberes in me potestatem ullam, nisi esset tibi* [d] *data desuper.* Dividit itaque Deus inter lucem et tenebras : nec ideo inculpabiles sunt tenebræ, quia eis bene utitur Deus, qui etiam de opere [e] ipsarum, quod filiis lucis in bonum procederet, ordinavit : tantum progredi sinens malitiam nocere cupientium, quantum eam sanctis suis vel castigandis novit utilem, vel probandis; ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.

Sequitur deinceps quod in libro invenitur secundo.

### EXCERPTUM OCTAVUM.

(Ibid. c. 14, n. 35) *An quisquam dicere audebit Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam* (*Joan.* XVIII, 9)? *Quæ utique si præscivit, profecto beneficia sua quibus nos dignatur liberare præscivit.* [f] *Hæc est prædestinatio sanctorum, nihil aliud : præscientia scilicet, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Cæteri autem, ubi, nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur, ubi Tyrii relicti sunt et Sidonii, qui etiam credere potuerunt,* **251** *si mira illa Christi signa vidissent* (*Matth.* XI, 21) : [g] *sed quoniam ut crederent non eis erat datum, etiam unde crederent est negatum.*

### RESPONSIO.

Qui istis resistunt, hoc sentire apertissime probantur, quod fides non sit donum Dei; et quod gratia non præveniat liberum arbitrium, sed sequatur; et quod gratia Dei secundum merita nostra detur. Nam si aliquid conferri homini per gratiam confitentur, et id non accipit nisi fides, quæ accepta non est; in ipsa est meritum, cui non donum datur, sed debitum redditur. In hac sententia positi, consequenter sapiunt eos esse prædestinatos in vitam æternam, quos per liberæ voluntatis arbitrium fideles futuros præscierit Deus; ut ipsa electorum prædestinatio non sit nisi retributio : atque ita in his qui prædestinati sunt secundum propositum ejus qui universa operatur, non operetur Deus fidem; nec ulla sint hominis merita, si Deus operatur universa. [h] Vere qui ista sentiunt, fidem non acceperunt, aut quam acceperant perdiderunt, sequendo

[a] Ms. Joliensis, *indicassent eos quanta illis*. In eodem desunt hæc, *in veritate*, legiturque infra, *Pontius Pilatus*.

[b] Mss. Remig. et Jol., *Mala enim velle*.

[c] Editi, *traditorum*. Melius Remigianus codex, *traditoris*.

[d] In edit. August. ex ms. Remensi, *datum desuper*.

[e] Editi, *ipsorum*. Melius mss. Jol. et Remig., et ex hoc Aug. editio, *ipsarum*, scilicet tenebrarum · qua voce quidem malos intelligit; sed cum allusione ad tenebras ipsas quarum filii dici possunt.

[f] In edit. Ven. et Lugd., *Hæc est prædestinatio sanctorum, nihil aliud, præscientia scilicet*. Idem præfert ms. Joliensis. Aliæ editiones, *Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quam præscientia scilicet*.

[g] Edit. Ven. et Lugd., *sed quomodo*.

[h] Ms. Joliensis omittit hanc vocem, *vere*.

Digitized by Google

vanissimam Pelagianorum superbiam, et in se, [a] non in Domino, gloriando, qui operatur omnia in omnibus (I *Cor.* xii, 6), bona profecto, non mala : et si omnia bona, utique et fidem, sine qua nemo potest placere (*Hebr.* xi, 6), et quæ est virtutum omnium fundamentum. Quale est autem, ut cum Dei sit ædificatio, et nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborent qui ædificant eam (*Psal.* cxxvi, 1) ; aut nolint isti fundamentum ad ædificium pertinere, aut se velint inchoare quod Dominus possit exstruere? Non erit ergo illis principium Filius Dei, non fundabuntur in ipso angulari lapide Christo Jesu, nec de eis dictum est : *Firmum autem fundamentum Dei stat* (II *Tim.* ii, 19); quia [b] totam electionem suam solubili arenæ et succiduo cineri superponunt.

Agnoscamus itaque sapienter, pieque fateamur, præscisse incommutabiliter Deum quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam : et si hæc præscivit, beneficia sua illum quibus nos dignatur liberare præscisse; et hanc esse prædestinationem sanctorum, [c] præscientiam scilicet et præparationem gratiæ Dei, qua certissime liberantur. [d] Cæteros autem quicumque non liberantur, quos a generali perditione humani generis **252** gratia non exemit, justo noverimus judicio non exemptos : et quid nobis remissum sit, in eis discamus de quorum queri damnatione non possumus. Non est enim iniquitas apud Deum (II *Par.* xix, 7), neque quisquam sub judicio ejus innocens perit. Sicut enim hic ipse insignis gratiæ prædicator alibi ait (*Aug. lib. de Grat. et Lib. Arb. cap.* 23) : [e] *Reddit omnino Deus et mala pro malis, quoniam justus est; et bona pro malis,* [f] *quoniam bonus est; et bona pro bonis, quoniam justus et bonus est : tantummodo mala pro bonis non reddit, quoniam injustus non est. Reddit ergo mala pro malis, pœnam pro injustitia; et reddit bona pro malis, gratiam pro injustitia; et reddit bona pro bonis, gratiam pro gratia.* Cum aliqui pereunt, non dubitemus ipsorum meritis deputari quod pereunt; quos utique posset Deus misericorditer liberare, si vellet. [g] Et cum aliqui liberantur, non audeamus definire, quod digni fuerint liberari; quos utique posset Deus juste damnare, si vellet. Quare autem non omnes, aut quare illos potius [h] quam illos liberet, nec necessarium est quærere, nec possibile reperire; cum, omissis discretionis istius causis, scire sufficiat quod nec misericordia justitiam, nec justitia auferat misericordiam apud eum a quo nemo nisi juste damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur.

De Tyriis vero et Sidoniis quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa Veritas dicit, si talia qualia apud non credentes facta sunt virtutum signa vidissent (*Matth.* xi, 21; *Luc.* x, 13)? Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur : et ostendant cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit, [i] et apud eos quibus erant profutura non fecerit. Nos etiam si rationem facti, et profunditatem judicii ejus penetrare non possumus, manifestissime tamen scimus, et verum esse quod dixit, et justum esse quod fecit; et non solum Tyrios et Sidonios, sed etiam Corozain et Bethsaida potuisse converti, et fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari. Neque enim ulli falsum videri potest quod Veritas ait : *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo* (*Joann.* vi, 66); et (*Matth.* xiii, 11) : *Vobis datum est nosse mysterium* [j] *regni cœlorum, illis autem non est datum;* et (*Ibid.* xi, 27), *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare;* et (*Joan.* v, 21), *Sicut Pater vivificat mortuos, ita et Filius quos vult vivificat :* et (I *Cor.* xii, 3), *Nemo potest dicere* **253** [k] *Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* His divinarum vocum auctoritatibus eruditi gratias agamus Deo, qui dedit nobis spiritum fidei et virtutis, continentiæ et charitatis, sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, ac timoris sui. Quæ bona si non dedisset nobis, qui omnia operatur in omnibus (*Ibid.*), prorsus non haberemus in nobis : et cum his, qui non cognoverunt Dominum, aut cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed hoc ipsum suæ sapientiæ, deputantes stulti facti, [l] et obscurato corde evanuerunt in cogitationibus suis (*Rom.* i, 21); cum his, inquam, sederemus in tenebris et in umbra mortis, nec querelam habentes de pœna, nec excusationem de ignorantia, nec præsidium de natura.

[m] Nunc jam quod sequitur quale sit videamus.

## EXCERPTUM IX.

(Aug. lib. iii de Dono Persever. cap. 16.) *Sed aiunt, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis : Ita se habet de prædestinatione definita*

[a] Editi hactenus, *et in se et in Domino*, manifesto errore, quem corrigunt mss. Joliensis et Remig., ex quo edit. August.

[b] Mss. Joliensis et Remigianus, *totam elationem suam*. Edit. Col., *ejectionem suam;* sed male.

[c] Mss. Remig. et Jol., *prædestinationem scilicet.*

[d] Forte hic addendum, *quicumque liberantur :* quæ verba nec in mss. nec in editis hactenus reperiuntur, nisi in Lugd. recentiori.

[e] Edit. Lov., Duac. et Colon., *Reddet omnino.*

[f] Editi hic et ter in sequentibus, *quomodo;* ubi in mss. Joliensi et apud August., *quoniam justus est,* et sic de cæteris partibus hujus sententiæ.

[g] Ms. Joliensis cum edit. Lugd., *et cum alii.*

[h] Ms. Joliensis, *quam istos.* Reliqui, *quam illos.*

[i] Hæc verba, *et apud eos quibus erant profutura non fecerit*, quæ omittebantur in editis omnibus, restituta habes ex ms. Joliensi, et antea ex ms. Remigiano in append. August.

[j] Ms. Joliensis, *regni Dei.*

[k] Ms. Joliensis, *Dominus Jesus.*

[l] Ms. Joliensis, *et obscurati corde.*

[m] Ms. Joliensis, *Nunc etiam.*

Digitized by Google

[a] *sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis* [b] *de infideli-* A *tate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel accepta perseverantia, permaneatis in fide; cæteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit. Verumtamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam qua velitis et sitis electi; et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur* [c] *obediendi vires, ut obedire cessetis.*

RESPONSIO.

Stupeo sanctitatem vestram, objectionem calumniantium a persona defensoris gratiæ non potuisse discernere, et verba obtrectantium ei ipsi qui obtrectatoribus suis respondet aptasse. Hæc enim de doctrina catholici viri quidam nequiter et nugatorie B jactitabant, quod qui talem Dei gratiam prædicaret, ut fides et obedientia, cæteræque virtutes, et in eis usque in finem perseverantia, non nisi ex dono Dei haberi posse credantur; consequens esse ut talibus verbis uteretur ad populum, et hujusmodi denuntiationibus omnem liberi arbitrii evitaret industriam. Quod quia piissimus doctor litteris eorum ad quos scribit agnoverat, [d] ideo **254** dicit, *Sed aiunt, ut scribitis;* et postea, *Ista cum dicunt.* Ex hoc potuistis advertere, non ipsum hæc dicere, sed eos de quibus dixit : *Sed aiunt, ut scribitis;* et , *Ista cum dicunt.* Quod similiter et Apostolus ait (*Rom.* v, 8) : *Sicut aiunt nos quidam dicere, Faciamus mala, ut veniant bona.* Inferius autem, ubi plenius ad ista respondet, multo manifestius patet [e] quam hæc ab ipso num- C quam taliter dicta sint, et quantum ei hujusmodi prædicationis forma displiceat; quam corrigens et mundans atque emendans, tolerabiliorem audientibus facit; quæ vera sunt temperans, quæ falsa sunt resecans, et post multa adjiciens (*Idem lib. de Dono Persever. cap.* 22) : *Jam vero quod illis verbis* [f] *connectitur, miror si ullo modo potest in populo Christiano quisquam infirmus patienter audire, cum dicitur eis, Et si qui obeditis,* [g] *si prædestinati estis rejiciendi,* [h] *subtrahentur obedientiæ vires, ut obedire cessetis. Hoc enim dicere, quid videtur aliud esse quam maledicere, aut mala quodam modo prophetare?* Et post hæc cum diceret qualiter de his loquendum esset in populo, proprii sensus verba connexuit dicens (*Ibid.*) : *Illum etiam modum, quo* [i] *utendum esse in præde-* D *stinationis prædicatione nos diximus, loquenti ad populum non existimo debere sufficere, nisi hoc vel aliquid hujusmodi addat, ut dicat : Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jac.* I, 17), *sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere : atque hoc faciendo confidere non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos;* [j] *quia etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur. Absit autem a vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine* (*Jerem.* XVII, 5) ; *et, Bonum est confidere in Domino* [k] *quam confidere in homine* (*Psal.* CXVII, 8); [l] *quoniam beati omnes qui confidunt in eum.* [m] *Hanc spem tenentes, servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). *Quoniam de vita æterna, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram; sed* [n] *faciet nos perseverare in se usque ad hujus vitæ finem, cui quotidie dicimus : Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 13).

Videtisne, obsecro, quantum distet hic sermo ab eo quem composuit malignitas obloquentium; qui studuerunt etiam ea quæ **255** recte dicit exquisita verborum fraude corrumpere? De quo [o] idem doctor rectissime ait (*Aug. lib. de Dono Persever. c.* 22) : *Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit.* Et iterum de simili ineptia (*Ibidem*) : *Nempe,* inquit, *hoc verissimum est : ita sane, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum;* [p] *non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.* Non igitur necesse est de his rationem reddere, quæ et ab aliis dicta, et ab ipso ostendimus improbata; ita tamen, ut nihil sibi per falsorum admixtionem præripi pateretur ex veris. Quamvis enim numquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, et id quod mendax obtrectatio ineptissime finxit [q] horruerit; pia tamen constantique doctrina abundanter probavit, prædicandam esse Ecclesiæ et prædestinationem, in qua est gratiæ **256** præparatio; et gratiam in qua est prædestinationis effectus; et præscientiam Dei, qua ante sæcula æterna quibus esset collaturus sua dona præscivit. Cujus prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor.

Hoc autem quod in [r] fine posuistis, superiori ca-

[a] Editi, *scientia.* Mss. Jol. et Remig. cum Aug. libro, *sententia.*

[b] Hæc verba, *de infidelitate,* absunt a mss. Jol. et Remig.; leguntur in editis omnibus, et in libro S. August de Dono Persever.

[c] Edit. Venet. et Lugdun., *obedientiæ vires.*

[d] Sic ms. Jol. Alias editi, *ideo ait.*

[e] Ms. Joliensis, *quod hæc ab ipso.*

[f] Ms. Jol., *annectitur.*

[g] Edit. Lov., Duac. et Colon. habebant, *si præsciti estis.* Mss. Jol. et Remig. cum Lugd., Venet. et edit. Aug., *prædestinati estis.*

[h] Mss. Jol. et Remig. cum Lugd., *subtrahuntur,* et antea, codex Joliensis *obedistis.*

[i] Ms. Jol., *utendum esset loquendo ad populum* Aug. lib. de Dono Persev., *apud populum.*

[j] Ms. Jol., *qui etiam hoc.*

[k] In ms. Jol. desunt hæc, *quam confidere in homine.*

[l] Editi, *quia beati.* Mss. Jol. et Remig. cum Venet., *quoniam beati.* Lugd., *quam beati.*

[m] Edit. Lov., Duac. et Colon., *Et hanc spem.*

[n] Mss. Jol. et Remig., *faciet nos perseverare.* Abest vox hæc, *nos,* ab editis.

[o] Ms. Joliensis, *idem auctor.*

[p] Ita mss Jol. et Remig. cum edit. Oper. August. Editi vero nostri omnes, *non falsum eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis appositum.*

[q] Ms. Joliensis, *inhorruerit.*

[r] Editores Lovanienses, et qui hos sunt secuti

pitulo, ubi Tyriorum et Sidoniorum mentio facta est, debuit copulari; quia etiam in libri corpore eidem causæ, sine cujusquam diversæ disputationis interjectione, connexum est. Unde et responsio, quam præcedentibus subdidi, potest etiam [a] ad ista sufficere, in quibus nulla est obscuritas, si de fide prædestinationis et gratiæ Dei, ex qua est omnium bonorum origo, perseverantiaque meritorum, hoc teneatur quod habet veritas.

hic in margine observant quod quibus respondet hoc libro S. Prosper *aliquid posuerant quod hic non ponitur, ex cap. 14 libri de Dono Perseverantiæ Augustini, et hoc sic incipiebat, Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio*, etc.

[a] Editi habebant *ad istas*, errore manifesto, qui emendatur ex mss. Joliensi, et ex Remig.; emendatus fuerat in edit. Aug.

# ADMONITIO

## IN LIBRUM CUI TITULUS,

## PRÆTERITORUM SEDIS APOSTOLICÆ EPISCOPORUM AUCTORITATES

## De Gratia et Libero voluntatis Arbitrio.

*Epistolæ Cœlestini papæ ad episcopos Galliarum per Prosperum et Hilarium transmissæ subjici solet collectio quædam anteriorum sedis apostolicæ pontificum auctoritates de gratia et libero arbitrio complexa: cui interseruntur etiam nonnulla ex Africanis conciliis hac de re statuta, a Romanis pontificibus approbata. Quæ quidem in hunc usum destinata non dubitatur, ut Semipelagianis, qui solis sedis apostolicæ decretis se manus daturos erant professi, esset responsum. Huic vero collectioni hunc titulum imposuerunt:* Præteritorum sedis apostolicæ episcoporum auctoritates (*seu* sententiæ), de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio. *Ab aliis quoque vocatur hoc opusculum:* Regulæ apostolicæ sedis, *quomodo designatur in ultimo capitulo; denique* Compendiosus indiculus *dicitur in præfatiuncula, citaturque ab aliis sub nomine* Decretorum, *vel* Epistolæ Cœlestini papæ ad Gallos; *ab aliis* Capitula *generaliori vocabulo appellatur. Quod quidem opusculum sub Cœlestini nomine citatum legitur ineunte sexto sæculo. Nam pontificis istius decretis annexum est a Dionysio Exiguo, et circa idem tempus a Petro diacono aliisque qui in causa fidei ex Oriente Romam missi sunt, libro de Incarnatione et Gratia D. N. Jesu Christi, ad Fulgentium, capite octavo, et nono, tamquam Cœlestianæ epistolæ ad Gallos pars quædam citatum reperitur. Exin a Cresconio episcopo Africano in fine suæ collectionis canonum circa annum Christi 690 emissæ, eidem pontifici ascriptum legitur. Tum denique posterioribus sæculis a Floro magistro, Ecclesiæ Lugdunensis nomine scribente adversus Scotum Erigenam; ab Hincmaro Remensi, lib. de Prædestin. cap. 22; Lupo Ferrariensi abbate in Collectaneis quæst. 2; Remigio Lugdunensi, in libro de Tribus Epistolis cap. 23; Yvone Carnot. et aliis plurimis hæc Capitula Cœlestino papæ inveniuntur fuisse adjudicata.*

*His omnibus testimoniis abunde probatum videbatur hocce opusculum Cœlestini esse agnoscendum. Quæ tamen opinio tot conjecturis obviantibus impugnatur, ut ab omnibus fere criticis jam ab ea discessum esse agnoscamus. Et 1° quidem ex styli eorum disparitate, ab eo qui in epistola Cœlestini elucet, ejusdem esse negatur. 2° Judices advocantur Joannes Vuendelstinus, qui codicem Canonum et Decretorum Pontificiorum edidit Moguntiæ anno 1525; Crabius qui anno 1538 prioris censuram aliquo modo temperatam in Conciliorum Collectionibus transcripsit; item alii qui idem præstarunt, Surius anno 1551, et Nicolinus anno 1581. Cœlestino pariter abjudicant eminentissimi doctissimique cardinales Antonius Carafa, et Cæsar Baronius, quibus adde Franciscum Suarezium in Prolegom. 6 de Gratia, cap. 1, num. 11; Jacobum Sirmondum in notis ad tom. I Concil. Galliæ, et Gerardum Vossium lib. I Hist. Pelag. cap. 3, qui tamen ultimus partim Cœlestini, partim Gallorum S. Augustini discipulorum esse putat Capitula; quia videlicet ab his collecta oblataque Cœlestino, hujus nomine et auctoritate postea publicata sint. 3° Si Cœlestini essent, et ab eodem epistolæ suæ ad Gallos fuissent subjecta, quomodo circumferebantur hactenus, aliquam procul dubio eorum mentionem ipse habuisset, cum tamen illorum nullatenus ibi meminerit. Non etiam hanc epistolæ apposuisset clausulam:* Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi, *quæ finem epistolæ Cœlestianæ demonstrat.*

*4° Cum S. Prosper Collatorem exagitans omnia adversus eum, tum Conciliorum, tum pontificum Romanorum suffragia aggerat, eumdemque urgeat auctoritate non solum Innocentii, Zosimi, Bonifacii, sed et ipsius Cœlestini; nefas est suspicari quidquam ab eo auctore omittendum fuisse e decretis a sede apostolica contra adversarios gratiæ promulgatis. Cœlestini porro unicam commemorat, quæ est ad Gallos, epistolam: quæ ut auctoritatem doctrinamque Augustini de gratia Christi mirum quantum efferat, de doctrinæ tamen ipsius articulis probationibusque prorsus silet.*

*5° Vincentius Lirinensis presbyter et monachus plurimum laudans eamdem Cœlestini epistolam, Commonitorii sui adversus hæreses cap. ult., sed et Photius patriarcha Constantinop. longe posterior eam in Bibliotheca recensens, pari uterque silentio præterit dicta Capitula. Quod argumento est neutri fuisse comperta, saltem ut Cœlestini Papæ opus. Num credibile quoque eadem epistola usum fore Vincentium, ad tuendas Semipelagianorum partes, si tam evidenter damnatos in Capitulis annexis agnovisset.*

*6° Non eum loquendi modum hujus compilationis auctor, nec eam auctoritatem usurpat, quæ summum pontificem præ se ferant. Pluries enim allegans Romanæ Ecclesiæ præsules, Innocentium puta et Zosimum, nusquam eos prædecessores suos appellat. Deinde ita passim loquitur, ut pontificum Romanorum, et scriptorum etiam aliorum se prodat discipulum, nedum pontificem Romanum. Exempli gratia:* Nos piissimi Patres docuerunt; Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt; Magistris nostris obloquuntur. *Et alibi:* Sacratissima beati Apostoli sedes, per ministerium præsulum suorum, etc. Rectores Ecclesiæ Romanæ; Apostolici antistites.

*7° Erroris occasionem dedit Dionysius Exiguus, cum epistolæ Cœlestini annexuit capitula. Ex ipso enim Cresconius, Petrus Diaconus, omnesque noni sæculi scriptores qui pro Christi gratia decertarunt. At si inspiciatur curiosius Codex Dionysii, nihil deprehendetur ex quo statuere liceat, Capitula ista partem esse epistolæ S. Cœlestini: e contra vero hoc fuisse Dionysii consilium, ut unum ab altero discerneret, clamant ipsius codicis series, et affectatæ discriminis notæ, quæ in eo conspiciuntur. Quoties enim unius pontificis scripta ab alterius scriptis secernere vult, hunc semper titulum initio primi decreti seu epistolæ præponit,* Incipiunt Decreta N.

papæ, *quem non repetit initio subseqentium ejusdem pontificis decretorum, seu epistolarum. 1° Hanc porro distinctionis notam legere est in fronte Auctoritatum de gratia :* Incipiunt Præteritorum sedis apostolicæ episcoporum Auctoritates de gratia Dei. 2° *Initio cujusque ejusdem pontificis epistolæ auctoris nomen numquam omittitur: Cœlestini autem nomen in capite Sententiarum de gratia non apparet : ex quo conjicitur auctoris nomen vel ignorasse Diönysium, vel ex consilio omisisse.* 3° *Majorem etiam discriminis notam huic scripto apposuit, quam aliis diversorum Pontificum epistolis. Legimus enim in fine capitulorum hanc clausulam* : Expliciunt auctoritates, etc., *omisso ubique Cœlestini nomine. Quæ clausula similisve, nec in fine totius Codicis reperitur : ut videatur omnem erroris viam circa sententias illas præcludere voluisse : nec aliam ob causam commonitorium istud epistolæ Cœlestini annexuisse, quam quia noverat occasione hujus epistolæ fuisse exaratum, simulque Prospero traditum.*

8° *Codex Romanus antiquus, cum omnes seu dogmaticas seu decretales Pontificum Romanorum Epistolas, et inter alias quæ Cœlestini papæ sunt, collegerit, epistolam ad Gallos omisit, non alia certe ratione, nisi quia nihil dogmatis continebat : continuisset autem plurimum, si pars epistolæ essent Capitula. Non igitur pro Cœlestini decreto agnita est hæc collectio Leonis tempore, a quo prædecessorum suorum decreta codici inserta probabile.*

*Hæc autem momenta antea allatorum pro Cœlestini partibus efficaciam in dubium adducunt. Unde factum est, ut alium ab illo Pontifice auctorem investigare nisi fuerint quidam critici ; cumque nemini probabilius tribui posse hoc opus judicarent, quam S. Prospero, ei assignare non dubitaverint, deficientibus licet cum antiquorum suffragiis, tum manuscriptorum testimoniis. In hanc vero opinionem adducti videntur, 1° Ex quæstionum quæ a Prospero, et ab auctore Capitulorum ventilantur affinitate, atque ex ipso etiam tractandi modo. 2° Adducitur in testem Hincmarus, qui in libro quem scripsit,* de non Trina Deitate, *allegat* Decreta Cœlestini papæ, ex cujus delegatione beatus Prosper hinc exortam hæresim per auctoritatem Scripturarum et doctrinam beati Augustini revicit et compressit in Galliis. *Unde hujus suspicionis auctor discrimen excogitavit, inter opera quæ privato zelo ipsemet Prosper aggressus est, et quæ ex delegatione summi pontificis exaravit. In illis videlicet abstrusiores quæstiones fusius expendisse, in his perpauca, eaque omnibus obvia vix attigisse, ne ab ea brevitate, quæ fidei professionem decet maxime, longius discederet.*

*Verum etsi in confesso esset (ut opinantur nonnulli) Prosperum a sede apostolica delegatum esse ad propugnandam Ecclesiæ catholicæ de gratia Christi doctrinam ; nimis tamen constringetur ista delegatio, si ad pauca hæc brevissimaque capitula fuerit coarctata ; ita ut in ea opinione pene certum sit, quidquid scriptorum de gratia evulgavit sanctus Prosper, saltem post Romanam profectionem, id omne ex Romanorum pontificum præscripto ab ipso editum esse, et quasi fidei portionem assertas ab eo esse propositiones illas, quas libris suis adversus Semipelagianos defendit : ad quod probandum adducitur locus Prosperi in responsionibus ad objectiones Vincentianas, ubi sic ait :* Propositis sigillatim sedecim capitulis, sub unoquoque eorum sensus nostri, et FIDEI QUAM CONTRA PELAGIANOS EX APOSTOLICÆ SEDIS AUCTORITATE DEFENDIMUS (*Præfat. Resp. ad Object. Vincentianas*). *Ex quibus evanescit discrimen supra invectum. Qua de re consuli potest admonitio prævia supradictis objectionum Vincentianarum responsionibus.*

*Deinde ad Hincmarum quod attinet, nec in eo quidem loco, qui profertur, delegationem Prosperi ad Capitula ista vel scribenda vel promulganda refert, sed ad ea potius omnia quæ reversus in Galliam vel scripsit vel disseruit. De his enim loquitur Hincmarus, in quibus Prosper* hæresim per auctoritatem Scripturarum et doctrinam beati Augustini revicit et compressit in Galliis. *At nullo e Scripturis, nullo ex Augustini doctrina sumpto argumento pugnat auctor capitulorum de gratia, sed ex sola Ecclesiæ Romanæ auctoritate, partim in pontificum decretis, partim in Africanis decretis, quæ sua approbando fecerat, partim denique in solemnibus ejusdem precibus cærimoniisque contenta. E contra vero pluribus aliis locis de Prosperi delegatione ita sermonem facit, ut numquam eum non legati persona indutum, numquam non legationis jure et auctoritate scribentem inducat. Denique nec isto loco, nec ullo alio Hincmarus ascribit prospero Capitula : quæ sexcentis locis inter decreta Cœlestini ab eo numerantur, eoque nomine laudantur.*

*Quod vero priori loco de styli, conceptuum, doctrinæ, vocumque ipsarum cum Prosperianis operibus conformitate objicitur, longiusque deductis Tabulis ab Antelmio ob oculos statui intenditur : cum ab aliis, ut a Quesnellio, eadem de Leonini styli cum Capitulorum genio affinitate, etiam allatis locorum plurium comparationibus, statuantur ; idque ab utroque præstitum sit, post mature perpensa utriusque opera : verius forte censebit, qui in opere tam brevi, cujus partes omnes tam parum aliæ aliis annexæ videntur, nihil certi ex sola styli comparatione statui posse pronuntiabit.*

*Hanc eamdem collectionem denique Quesnellius, quam nec Cœlestino nec Prospero convenire contenderat, suo tandem Leoni assignavit, quem jam duorum de Vocatione Gentium librorum parentem asseruerat : ab illo autem compactum esse compendiosum hunc indiculum existimat, non ex quo ille pontificatum gessit, sed dum diaconi fungens munere, Cœlestino papæ ministraret : in utroque enim opere idem ingenium consiliumque, stylum eumdem deprehendisse se profitetur.* 1° *Quia utriusque scripti idem scopus ; ut quid præcise ab homine catholico credi oporteat, circa prædestinationis gratiæque divinæ mysterium, sepositis abstrusioribus quæstionibus, fixum habeatur.* 2° *In utroque opere Semipelagiani magis quam Pelagiani impugnantur, sed eadem sobrietate eademque modestia.* 3° *Uterque sancti Augustini nomen auctoritatemque reticet ; idque ex consilio, eo quod Semipelagiani Augustinum suggillarent, tamquam qui necessarium modum de gratia disputans excessisset.* 4° *Idem argumentum ab ecclesiasticis precibus, si non iisdem terminis, eodem tamen ingenio et contextura sermonis assumitur. Cætera legi possunt in eodem S. Leonis Operum editore et illustratore, a pagina* 399 *ad* 405.

*Jam vero quo tempore et qua occasione conscripta fuerint hæc Capitula, unde Cœlestino tributa, ejusque annexa epistolæ, sic conjectare fas est. Cum post S. Augustini mortem, quæ anno Christi* 430 *mense Augusto contigit, Gallicanorum presbyterorum nonnulli, episcopis suis conniventibus, adversus sanctissimi gratiæ doctoris scripta vehementius insurrexissent ; Prosper et Hilarius Romam se contulerunt, sedis apostolicæ opem auctoritatemque imploraturi. Romæ sedebat Cœlestinus, cui Leo archidiaconus egregiam in administrandis rebus ecclesiasticis navabat operam. Exposita Prosper profectionis suæ causa, litteras accepit a Cœlestino ad episcopos Gallicanos deferendas, quibus mirum in modum commendantur S. Augustini memoria et doctrina, atque ab adversariorum calumniis vindicantur. Porro Gallicani illi presbyteri ex eo maxime S. Augustini doctrinam impetebant, quod Romanæ sedis doctrinæ adversaretur. Hæc causa Prospero fuerat Romam petendi, ut satis ipsæ pontificis litteræ innuunt. Ille autem hoc unum agit in epistola, ut Gallos doceat nihil esse in Augustini scriptis, quod ab apostolicæ sedis doctrina discrepet ; immo eum a Romanæ sedis episcopis semper inter optimos Ecclesiæ doctores habitum. Quin et scrinia sedis apostolicæ diligenter investigari jussit Cœlestinus, ut inde quidquid ad repellendam Gallorum proterviam poterat inservire depromeretur, tradereturque Prospero Romam ea de causa profecto. Leoni forte tum Diacono, hanc provinciam cessisse ex multis probatur. Ex his memorialem indiculum con-*

Digitized by Google

*texuit Leo, quem et Prospero, cum aliis ejusmodi scriptis tradidit, ut illi ad refellendas Massiliensium objectiones usui esset.*

*Ex his omnibus verosimilius nobis videtur hoc commonitorium ex Cœlestini imperio a Leone forte concinnatum, et Prosperi usibus contraditum : eodem ergo tempore cum epistola superiori, id est anno Christi* 431.

# S. PROSPERI

## AQUITANI

### LIBER CUI TITULUS

# PRÆTERITORUM SEDIS APOSTOLICÆ EPISCOPORUM AUCTORITATES,

## DE GRATIA DEI ET LIBERO VOLUNTATIS ARBITRIO [a].

## Praefatio.

### *Alias* CAPUT III.

**271** Quia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu pravitate, sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt; et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quæ sacratissima beati apostoli Petri sedes contra inimicos gratiæ Dei, per ministerium præsulum suorum sanxit, et docuit : necessarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ, de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicarint, et contra nocentissimos A liberi arbitrii defensores, quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint : ita ut etiam Africanorum conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt apostolici antistites, [b] cum probarunt. Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant, instruantur, constitutiones sanctorum Patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat et dicat :

[a] Collectæ circa annum Christi 431.

[b] Editi Mogunt., Lovan., Duac. et Colon., *dum illas comprobarent.* Edit. append. Aug. ex mss. Corb. et Leonis operum, editio Quesnelli, ut in textu.

# *INCIPIT LIBER.*

### CAPITULUM I. *Alias* CAPUT IV.

*Quod Adam omnes homines læserit, nec quemquam, nisi Christi gratia posse salvari.*

In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius **272** ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit : pronuntiante beatæ memoriæ papa Innocentio, atque dicente in epistola ad Carthaginense concilium (*Vide inter epist. Innoc. tomo nostro* XX) : [a] *Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est; et nihil, quemadmodum exinde surgere posset invenit : suaque in æternum* B *libertate deceptus,* [b] *hujus ruinæ latuisset oppressu nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem,* [c] *omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit.*

### CAPITULUM II. *Alias* CAP. V.

*Quod nemo sit bonus suis viribus, nisi participatione ejus qui solus est bonus.*

Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus : quod in eisdem scriptis ejusdem pontificis sententia protestatur dicens (*Vide ubi supra*), [d] *Nam quid nos de eorum posthac rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant* [e] *debere quod boni sunt, nec illum considerant*

[a] Editio Leonis novissima, *Libero enim arbitrio ille perversus.* Nostram lectionem margini inscripsit, quæ est etiam editionum Prosperi et Augustini.

[b] Sic mss. et editio anni 1524 Mogunt., et apud August. tomo II, et append. tomi X. In Leone novo, *hujus ruinæ subjacuisset oppressus*. Aliæ Prosperi editiones, *ruina jacuisset oppressus.*

[c] In mss. Corb., *præteriti vitium.*

[d] Editio Mogunt., *Numquid nos.* Apud Aug. tom. II, *de his posthac rectum mentibus.*

[e] Editi Prosperiani omnes, *deberi.*

Digitized by Google

*cujus quotidie gratiam consequuntur,* [a] *qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?*

### CAPITULUM III. *Alias* CAP. VI.

*Quod nisi gratia Dei continua juvemur, insidias diaboli superare non possumus.*

Neminem etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et [b] ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit : quod ejusdem antistitis in iisdem paginis doctrina confirmat dicens (*Vide ubi supra*) : *Nam quamvis hominem* [c] *redemerit a præteritis ille* **273** *peccatis; tamen sciens illum iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit:* [d] *quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

### CAPITULUM IV. *Alias* CAP. VII.

*Quod per Christum libero bene utamur arbitrio.*

Quod nemo, nisi per Christum, libero bene utatur arbitrio, idem magister in epistola ad Milevitanum concilium data prædicat, dicens (*Vide ubi supra*): *Adverte tandem, o pravissimarum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem præsumptione* [e] *concideret, nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus.*

### CAPITULUM V. *Alias* CAP. VIII.

*Quod omnia sanctorum merita dona sint Dei.*

Quod omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit. In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis papæ Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius orbis episcopos ait (*Non exstat hæc epistola*), *Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus.* Hunc autem sermonem sincerissimæ veritatis luce radiantem tanto Afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eumdem virum scriberent (*Neque hæc epistola exstat*): *Illud vero quod in litteris, quas in universas provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens : « Nos tamen instinctu Dei, »* etc., *sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei ad-* A *jutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis,* [f] *velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti; et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti? Ideo u'ique quia præparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse* [g] *tangit corda filiorum. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (*Rom.* VIII, 14): *ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque* **274** *voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.*

### CAPITULUM VI. *Alias* CAP. IX.

*Quod omnis sancta cogitatio et motus piæ voluntatis ex Deo sit.*

B Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cum ad totius orbis episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur : *Quod ergo*, ait (*Ubi supra*), *tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus,* [h] *causisque, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat; clamante Apostolo : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates aeris hujus, contra* C *spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). *Et sicut ipse iterum dicit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24); *et iterum: Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10).

### CAPITULUM VII. *Alias* CAP. X.

*Quod gratia Dei non solum peccata dimittat, sed etiam adjuvet ne committantur, et præstet ut lex impleatur; non sicut ait Pelagius, facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri.*

Illud etiam quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi proprium apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo de- D finitum est (*Vide append. p.* 272) : *Ut quicumque dixerit gratiam Dei, qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad*

[a] Locus hic plenius legitur in epistola inter Augustinianas 181 sic : *Sed jam isti, qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt, quantum vix illi, qui ab illo postulant, accipere promerentur.*

[b] Ita mss. Corb. et editio hujus epist. in append. tomi X August. At editi omnes Prosperiani et Leo novus, *ad evincendas.*

[c] Apud August. tom. II et Leonem, *redemisset.*

[d] Ita legitur in edit. Mogunt. in epistola Innoc. tom. II Oper. August. et in append. tom. X ejusdem. Cæteri codices Prosperiani addunt particulam *atque*. Leo novus, omissa hac particula, *quotidiana præstans ille remedia.*

[e] In epistola Innocentii tom. II August. locus incipit ab his verbis : *O pravissimarum mentium perversa doctrina! Advertat id tandem, quod primum hominem,* etc., *tum conciderit*, ubi alii *concideret*. Idem edit. Leonis, quæ postea habet *potuerit*, pro voce *potuit*, et in fine, *adventu*.

[f] Edit. Mogunt., *velut cursum transiens.*

[g] Editi, *tangat corda fidelium.* Aptius ex mss. Edit. append. tomi X August., *tangit corda filiorum.*

[h] In Leone, *causis, cogitationibus;* nec male.

Digitized by Google

*adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Et A iterum quarto capitulo : *Ut quisquis dixerit, gratiam Dei per Jesum Christum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia* [a] *per ipsum nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus, Scientia inflat, charitas vero ædificat* (I *Cor.* VIII, 1), **275** *valde impium est ut credamus, ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, et ad eam quæ ædificat non habere; cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus, ut ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, Qui docet hominem scientiam* (*Psal.* XCIII, 10), B *ita etiam scriptum est : Charitas ex Deo est* (I *Joan.* IV, 7). [b] Item quinto capitulo*: Ut quisquis dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum* [c] *jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tamquam si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficilius potestis facere : sed ait, Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5).

## CAPITULUM VIII. *Alias* CAP. XI.

*Quod præter statuta sedis apostolicæ, omnes orationes Ecclesiæ Christi gratiam resonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur.*

Præter beatissimæ et apostolicæ sedis inviolabiles C sanctiones, quibus nos piissimi patres, [d] pestiferæ novitatis elatione dejecta, et bonæ voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab apostolis tradita, in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appa- D reat, ut hæretici catholicæ fidei [e] perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique, catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus : quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate **276** tenebrarum transferat in regnum Filii charitatis suæ (*Coloss.* I, 13), et ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ (*Rom.* IX, 22). Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio, pro illuminatione talium vel correctione referantur.

## CAPITULUM IX. *Alias* CAP. XII.

*Quod gratiam Dei etiam baptizandorum testetur instituta purgatio, cum exorcismis et exsufflationibus spiritus ab eis abiguntur immundi.*

Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras (*Joan.* XII, 31), et quomodo prius alligetur fortis, et deinceps vasa ejus diripiantur (*Matth.* XII, 29; *Marc.* III, 27), in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem (*Psal.* LXVII, 19), et dat dona hominibus (*Ephes.* IV, 8).

His ergo ecclesiasticis regulis, et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino, conformati [*Forte* confirmati] sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, et omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei [f] ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult et velimus et agamus; nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit; ut et nos cooperatores simus gratiæ Dei; ac si quid nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicite recurramus, *qui sanat omnes languores nostros, et redimit de interitu vitam nostram* (*Psal.* CII, 3), et cui quotidie dicimus: *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo* (*Matth.* VI, 13).

[a] Concilium Carthagin. et editio Leonis Operum, *per ipsam.*

[b] Sic. edit. append. t. X Op. August. ex mss. Corb. et Leonis edit. Cæteri, omisso, *Item, In quinto capitulo.*

[c] Ita ex mss. Corb. edit. August. Operum. Cæteri vero, *jubeamur;* et post aliquot lineas, *sine me nihil difficilius.* Sed minus recte, excepto quod prioris loco etiam in Leone habetur, *jubemur*, non *jubeamur.*

[d] Edit Duac. et Colon. cum Leonis Oper., *pestifera novitatis elatione.*

[e] In mss., *perfectione.*

[f] Sic edit. append. t. X Oper. Aug. ex mss. Corb. et edit. Op. Leonis. Editi Prosperiani minus bene, *attenditur*, sine his, *ad Deum.*

Digitized by Google

## 277 CAPITULUM X. *Alias* CAP. XIII.

*Quod profundiores quæstiones nec contemnendæ sint, nec penitus asserendæ.*

ª Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, 278 sicut non audemus con- A temnere, ita non necesse habemus astruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.

ª Hæc postremi capituli verba multam disputationis materiem eruditis præbuerunt, ut statuatur quid intelligi debeat per *profundiores* illas *difficilioresque partes incurrentium quæstionum,* quas *nec audet contemnere, nec necesse putat asserere*, collectionis hujus auctor. Nec forte valde necessarium duci debet magna contentione investigare, quid significare intenderit qui aperte loquendum sibi non credidit, nec ex loco obscuro ullam difficultatem elucidari posse est censendum. Unde notat vir eruditus in omnibus disputationibus, quæ nono sæculo exstiterunt, de gratia Christi, neminem hoc loco ad ullam opinionem refutandam esse usum; cum nec ipsi Semipelagiani illum in suas partes trahere umquam tentasse legantur. Hoc solum pro certo ipse articulus operis hujus convincit, nihil inde erui posse, ut gratiæ operi quidquam subtrahatur. Nec etiam hoc loco impugnari valet eorum aliquid quod tota collectionis hujus serie, aut in ipsa Cœlestini epistola stabilitur, nec etiam quod cum his connexionem necessariam habere probetur. Non etiam est quod suspicari possit aliquis, hoc loco agi de initio fidei, aut sanctorum prædestinatione. Si quidem de hoc ipso Prosperum inter et Semipelagianos tota erat disputatio, et manifestissime apparet a Cœlestino ita probari doctrinam Prosperi, sicut reprobantur placita Semipelagianorum. Et si vero circa præsentem articulum aliquis superesset scrupulus, hoc solo discutitur quod declarat Hormisdas pontifex in epistola ad Possessorem, quam citant episcopi Africani in B Sardinia exsules. Epist. inter Fulgentianas 15 : *De arbitrio et gratia Dei, quid Romana, hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, in variis libris Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium*, *abunde* posse *cognosci;* qui sunt ipsissimi ejus libri de Prædestinatione sanctorum. Sed de hac re fusius disserentes consulere licet tum editorem et illustratorem Operum S. Leonis t. II, pag. 407 et seq., tum auctorem Biblioth. novæ Ecclesiasticorum auctorum t. IV, p. 90 et 91.

# ADMONITIO

## IN LIBRUM S. PROSPERI CONTRA COLLATOREM.

*Inter reprehensores doctrinæ a sancto Augustino in libris contra Pelagianos, et præcipue in postremis propugnatæ, celeberrimus doctissimusque erat Joannes Cassianus, presbyter et abbas Massiliæ in Galliarum civitate non ignobili. Is, ut verisimilius apparet, e minori Scythia, quæ una erat ex Thraciæ provinciis, oriundus, circa annum forte 350 aut 360, et in uno ex monasteriis quæ præsepi Bethleemitanæ erant proxima educatus, et in humanioribus litteris non mediocriter eruditus, quem Prosper noster disputandi usu inter eos quibuscum degebat Massiliæ, excelluisse agnoscit; post peragratam Ægyptum, auditosque præstantes Ægypti solitudinum incolas, cum ipse quoque aliquamdiu anachoreticam vitam duxisset, Constantinopolim profectus, a S. Joanne Chrysostomo in diaconum assumptus, tum ab ipso ad presbyterii honorem sublimatus, adita Roma, anno Christi 405, deinde circa annum saltem 415 Massiliam se recepit. Qua in urbe duo monasteria, virorum unum, mulierum alterum ædificans, in priori sancti Victoris nomine ex tunc ad hæc tempora insignito, monachis præfuit. Quo in loco degens, rogante Castore episcopo Aptensis Ecclesiæ in secunda Narbonensi, institutiones conscripsit regendis cœnobitis a Castore institutis accommodatas. Has autem tum temporis scriptas patet, cum fervérent adhuc circa gratiam disputationes, quandoquidem jam tum Augustini doctrinæ minus omnino quam par esset favere animadvertatur, erroneo hoc principio præventus, salutis nostræ opus a nobis sumere initium, per bonæ voluntatis meritum; quod subinde a Deo ad consummationem perducatur : hoc est discerni nos a nobis ipsis, habere aliquid quod non acceperimus, et proinde posse non in Domino, sed in nobis ipsis gloriari. Sed hæc ab eo ante Innocentii aut Zosimi in Pelagianos latas sententias prolata merito conjicias, post quorum damnationem, non ausus fuisset cum hujusmodi hæreticis affirmare, nihil aliud quam legem gratiæ divinæ auxilium dici posse.*

*Eodem auctore et oratore, etiam collationum spiritualium, quas cum Orientalibus monachis habuerat, seriem stylo committere suscepit. Harum decem primas, defuncto citius Castore amico suo, Leontio episcopo Forojuliensi, et Helladio nondum episcopo, nuncupavit. Septem sequentes precibus sanctorum Honorati Arelatensis et Eucherii Lugdunensis postea episcoporum victus composuit, anno serius 426. Quibus in Collationibus, inter multa ædificationi Lirinensium monachorum, quorum usibus destinabantur, utilissima, et iis laudibus, quibus a multis viris doctis et sanctis decoratus est Cassianus, dignissima, plura etiam sparsim, et maxime tota fere collatione decima tertia sancti Augustini circa gratiam doctrinæ adversa leguntur.*

*Qua in re Cassianus periculosius errabat quam in cæteris, tum propter materiæ dignitatem, tum propter temporum circumstantias. Pelagianorum enim errata Romæ primum anno 418 damnata fuerant, tum statim a multis Orientalium partium conciliis, cum ille anno serius 426 collationem hanc decimam tertiam luci commisit : in qua quidem idem error specialius continetur, cujus jam in tertia collatione satis evidens vestigium deprehendebatur. Viro ergo tantæ auctoritatis quantæ Cassianus habebatur, in ipso disputationum fervore novum dogma inferente, quod quidem, observante Prospero, nec damnatæ ab Ecclesia hæresi usquequaque conforme, nec doctrinæ S. Augustini, qui Pelagianorum damnationis pars maxima fuerat, omni ex parte consentiens foret, fieri omnino non poterat, quin inde turbatio non modica enasceretur. Nec enim erat quod errores in collatione insertos in Chæremonem abbatem, quem loquentem induxerat, rejiceret, quos ipse totis ulnis amplecti se ac probare testabatur. Id autem ei in votis erat cum Collationes evulgaret, ut proprios sensus suis depromeret, cum eorum quibus docendi munus commisisse simulabat doctrinam magnis præconiis extolleret. Aliis quoque ex locis satis manifeste deprehendebatur, probata ab eo omnia Chæremonis abbatis pronuntiata; quod quidem satis præstasse se ostendit, cum hanc doctrinam nec improbarit, nec objectione vel minima in dubium revocari posse demonstrarit.*

*Hinc contigit ut multi in Galliis nostris, maxime inter servos Dei, quo nomine solent designari monachi, qui Massiliæ degebant, in Augustini doctrinam insurgerent; nec dubium istos Cassiani auctoritate in errores, cum*

Digitized by Google

*aliis sui sequacibus inductos. Erant autem isti Massilienses monachi viri clari, et in omnium virtutum studio egregii, quorum apud plerosque tanta erat de probitatis contemplatione reverentia, ut hoc tutissimum sibi æstimarent, quod audirent eos, quorum auctoritatem sine judicio sequebantur, asserere. Hos inter eruditissimus habebatur Cassianus, qui etiam solus cogitata sua scriptis publicare non timuerat.*

*Hi autem in principio cautius agentes, tarditatem suam culpare maluerunt, quam non intellecta in Augustini elucubrationibus reprehendere; quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem ejus expositionem voluerunt postulare. Patuit tamen postea non minus ex superbia, cui, omnium maxime patent quorum virtutes apud homines in pretio habentur quam ex naturali ignorantia aut infirmitate natas horum tenebras. Cum enim fortuito allatus esset in Gallias liber de Correptione et Gratia, quem instruendis Adrumetinis monachis anno 427 Augustinus destinaverat, quo in libro omnibus Massiliensium objectionibus, quasi ex industria respondebatur, cum ergo illi lucem hoc in libro affulgentem ad profectum suum convertere debuissent, et omnium dubitationum suarum nebulas disjicere; majori in veritatem quam antea exarserunt odio, hoc inter cætera objicientes, a nemine ecclesiasticorum tractatorum ante Augustinum Pauli loca ad sensum prædestinationis applicata: quod nulli magis competit quam Cassiano Græcorum libris innutrito, ex quibus potior objectionis hujus nasci poterat occasio. Qua de re Prosper et Hilarius cum ad S. Augustinum litteras dedissent circa annum 428 aut 429, ille respondit libris de Prædestinatione Sanctorum et de Dono Perseverantiæ. Quo animo libri illi a Gallis suscepti fuerint non patet; patet vero his non statim sopitas talium dissidiorum turbas.*

*Superstite adhuc Augustino, Rufino epistolam scripsit S. Prosper, in qua testatur se hoc de divitiis misericordiæ Dei sperare, quod quos tunc libero falli arbitrio suo et ab humilitatis via patiebatur evagari, non usquequaque, neque in finem esset intelligentia fraudaturus, sed hunc ipsum in longinquiora progressum ideo ab eo tardius revocari, ut opus gratiæ ejus majore gloria celebraretur, cum sibi etiam adversantium corda subdidisset, quibus de virtutum studio exortum erat periculum, et de morum probitate discrimen. Quod quidem postremum, an de Cassiano intelligi non debuerit merito dubitatur, quem cæteris longius a vero aberrare, si non dogmatibus, saltem tuendorum dogmatum suorum modo, constabat.*

*Augustino autem inter beatos assumpto, Prosper et Hilarius Cœlestinum pontificem adierunt, delaturi querelas suas contra quosdam presbyteros qui dissensiones moverant in Galliis adversus doctrinam S. Augustini, nec ejus etiam famæ parcentes. Unde in celebri illa responsione sua, quæ supra edita legi potest, arguit Cœlestinus, quod qui solo presbyteratus gradu eminebant, doctrinam Ecclesiæ pro libito dijudicare non verentur, et id sibi auctoritatis quod solis episcopis competeret arrogarent. Quibus forte verbis notabatur speciatim Cassianus: quod eo magis pronum est conjicere, quod primus inter episcopos ad quos dirigebatur hæc epistola legatur Venerius Massiliensium episcopus ex Gennadio.*

*Nec tamen Cœlestini litteris sedatæ turbæ, paxque reddita Ecclesiis Provincialium. Cum ergo Cœlestino successor datus fuisset Xistus seu Sixtus III, quod contigit 26 Aprilis 432, ex Baronio, aut paucis post mensibus, necesse fuit S. Prosperum iterum stylo defensionem Augustini doctrinæ, quæ in odium adduci calumniosis scriptis non desinebat, suscipere. Et ut omnibus pateret quos in errores laberentur qui tanto doctori adversabantur, decimam-tertiam Cassiani collationem evertere suscepit: qui quidem omnes Augustini adversarios doctrina superabat, nec scripta a se publicata diffiteri poterat. Hunc tamen ex nomine proprio indigitare noluit, sed libro titulum fecit* Contra Collatorem, *id est, contra auctorem Collationum. In vivis tunc superstitem fuisse Cassianum constat.*

*Hæc vero maxime docuerat Cassianus, initium bonæ voluntatis fideiquè aliquando ex Deo, aliquando vero ex homine ortum habere; agnoscenda in nobis virtutum semina; liberum arbitrium naturaliter posse ad bonum inclinari; hoc quidem aliquando a gratia præveniri, ab ejus autem sæpe motibus gratiæ dona antecedi. Quæ omnia sanctus Prosper Pelagianorum dogmatum consequia esse probat. Inde enim sequi gratiam secundum merita hominum dari; nec læsam peccato Adæ hominum naturam; tales errores dudum cum Pelagianis dogmatibus in variis episcoporum synodis, et summorum pontificum epistolis decretisque in eos latis esse proscriptos; a sancto denique Augustino in scriptis plurimis a fundamentis evulsos et dissipatos. Unde Cassiani scripta apocryphis accensuit Gelasius papa circa annum 494, in concilio episcoporum Romæ habito.*

*Ut ergo tanta lux concilietur tam egregio Prosperi nostri operi, quanta omnino potest; utile fore lectoribus visum est, si ipsam Cassiani collationem decimam tertiam (a) Prosperi responsioni totam præire curaremus. Sine periculo enim, immo etiam non sine aliquo emolumento legetur opus se solo alias periculosum, si cum tam invicta eximii doctoris responsione conferatur.*

(a) Hanc Collationem Cassiani cum jam inter ipsius auctoris opera ediderimus, minime de novo recensendam eam putamus. Videsis igitur, lector, tomo nostro paulo superiori XLIX, ubi habetur cum aliis Collationibus. Edit.

---

# S. PROSPERI

## AQUITANI

## DE GRATIA DEI ET LIBERO ARBITRIO ª

# LIBER CONTRA COLLATOREM,

ID EST,

## PRO DEFENSIONE S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI,

### CONTRA CASSIANI PRESBYTERI LIBRUM, QUI TITULO DE PROTECTIONE DEI PRÆNOTATUR.

Excutit duodecim definitiones Joannis Cassiani, de gratia et libero arbitrio, contentas collatione ipsius tertia decima, easque, una excepta prima, omnino a catholica veritate dissidere docet: demonstrans Augustini reprehensores, et vana

ª In antiquissimo Corbeiensi codice ante annos fere nongentos scripto, titulus opusculi hujus est, A *Liber sancti Prosperi pro prædicatoribus gratiæ Dei contra librum Cassiani presbyteri, qui prænotatur de*

Digitized by Google

objicere, et recta impugnare, et prava defendere, ipsisque Pelagianorum jam peremptorum armis intestinum bellum moventes, Scripturis divinis simul, et ecclesiasticis imperatoriisque constitutionibus rebellare.

**307** CAPUT I.

*Calumniatores doctrinæ sancti Augustini eo ducunt, ut inimici gratiæ credantur ab Ecclesia injuste damnati. Unde oriatur major necessitas eos refellendi.*

Gratiam Dei, qua Christiani sumus, quidam dicere audent a sanctæ memoriæ Augustino episcopo non recte esse defensam, librosque ejus contra errorem Pelagianum conditos immoderatis calumniis impetere non quiescunt. Quorum intus interstrepens domestica malignitas non minus spernenda esset, quam foris latrans hæretica loquacitas; nisi ejectis extra ovile Dominicum lupis, **308** [a] qui sub nomine ovium sunt (*Matth.* VII, 15) suffragarentur, essentque ejusmodi [b] ut nec ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda videantur. Siquidem habentes speciem pietatis (II *Tim.* III, 5) in studio, cujus virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se multos ineruditos, et non habentia [c] spirituum discretionem corda conturbant; atque [d] in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, ut dum nostros affirmant non veraciter pro gratia [e] fuisse locutos, inimicos gratiæ persuadeant injuste esse damnatos. Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis [f] parvisque seminibus augetur quotidie, et ab ortu suo latius longiusque distenditur; sed studendum est, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocrisis detegatur, qui ex ipsa injuriæ magnitudine, quam in uno [g] cunctis, ac

A præcipue apostolicæ sedis [h] pontificibus intulerunt, ab **309** indoctis et parum cautis excellentioris scientiæ judicantur, et misero perversoque successu [i] facilem mendacio consensum eliciunt, quia reverentiam sibi præsumptione pepererunt. Nec enim, cum sint bonæ opinionis viri, creduntur ullo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate judicii, [j] in superfluæ querelæ conclamationem potuisse prorumpere; ac non potius magno ingenio et vehementi [k] studio laborasse, ut subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis, censura [l] nunc districtior et inspectio sagacior inveniret, quod antea securus favor et benignitas incuriosa non viderat.

2. Unde ergo [m] hæc diligentia tam severi emersit examinis? Unde in hanc austeritatem [n] supercilium
B se tetricæ frontis armavit, ut mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator eventilet, magnumque se aliquid [o] conficere præsumat, si catholico prædicatori notam erroris affigat? Quasi incognitum aliquod opus, et [p] quod hactenus latuerit, impetatur: ac non illa his morsibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, et diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit. [q] Viginti et eo amplius anni sunt, quod contra inimicos gratiæ Dei catholica acies, hujus viri ductu pugnat et vincit. [r] Et vincit, dico, quia non patitur respirare quos vicit, et in quorum excidium, unam cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit. Pulsi pontificio et

*Protectione Dei*. In ms. Joliensi annorum ferme 500: *Incipit liber Prosperi contra librum Cassiani presbyteri, qui prænotatur de Protectione Dei*; id est, contra collationem tertiam decimam, habitam cum abbate Chæremone. Editio Lugd. an. 1539: *De Gratia Dei, divi Prosperi contra Cassianum Collatorem liber*. Mogunt. anni 1524, et aliæ subsequentes: *Liber sancti Prosperi* [Ven. *Aquitani*] *de Gratia Dei et Libero Arbitrio, pro defensione*, etc. Ven., *cui est de Protectione Dei titulus*. —Scriptus est liber contra Collatorem circiter annum Christi 432.

[a] Sic mss. Corb. Remig. et Jol. cum edit. Mogunt. Veneta, et app. Op. S. Aug.; editiones autem Lugd., Lov., Duac. et Colon., post vocem *lupis*, *sub nomine ovium suffragarentur*.

[b] Mss. Remig. et Jol. cum edit. antiquioribus Mogunt. et Ven., *ut nec ordo eorum, nec ingenia in Ecclesia despicienda videantur*. Sola Lugdun., *nec corda eorum in Ecclesia*.

[c] Sic ms. Joliensis. At Lovaniensis editio, Antuerpiensis, Lugd., Duac. et Colon., *spiritum discretionis*. Moguntinensis vero omnium prima, quæ anno 1524 ex ms. exemplari Benedictinorum montis S. Jacobi prodiit, habet *spirituum discretiones*; nec aliter ms. Corb. et edit. Ven. Alludit S. Prosper ad I Cor. XII, 10. Locum aliter legere est in Lugd. edit. et ms. Remig.: *despicienda videantur; si quidem habentes speciem pietatis in studio . . . trahant ad se multos . . . conturbent: atque in eum statum . . . moliantur*.

[d] Ms. Remig., Mogunt. et Ven., *in eo statu*.

[e] Ms. Jol. cum Mog. et Ven. addit vocem *fuisse*.

[f] Sic mss. Jol. et Corb. cum Mogunt., et Ven., et Aug. edit. nova. Alii, *pravisque*. Lov., Duac. et Colon., in margine, *alias parvis*.

C [g] In ms. Joliensi his verbis, *in uno*, subjicitur, *id est, beato Augustino, quem summi pontifices laudaverunt*. Sed suspicamur merum esse glossema scribæ amanuensis.

[h] Lugd. editio, *pontificatui*.

[i] Ms. Remig. ac edit. Mog. et Ven., *facili mendacio*. Ms. Jol., *facile* pro *facilem*, aut *facili*.

[j] Edit. Mog. et Ven., *insuper suæ querelæ conclamationem*. Nec bene, ut videtur. Lugd. omisso *in*, *superfluæ querelæ conclusione*.

[k] Lugd. omittit vocem hanc, *studio*.

[l] Edit. Mogunt. et Ven., *censura tunc districtior et*. Hæc omnia non leguntur in Lugd. edit.

[m] Lugdun. editio, *hæc sententia*.

[n] Sic August. append. cum ms. Corb. ac Mogunt. et Ven. Lugd., *supercilium tam tetricæ frontis armavit?* Lovan., Duac. et Colon., *supercilium tam tetricæ frontis se armavit*. Ms. Jol., *supercilio se tetricæ frontis armavit*.

D [o] Ms. Joliensis, *facere præsumat*.

[p] Edit. Ven., *quo hactenus*.

[q] Ita ms. Jol. Item ms. Corb. Mogunt. edit. et Ven. exceptis his, *et eo*. At posteriores editiones habent, *Viginti annis amplius*; et omittunt, *sunt quod*. Augustinus porro contra Pelagianam hæresim pugnare anno Christi 412 cœpit, scriptis ad Marcellinum libris de peccatorum Meritis ac de Baptismo parvulorum. Iste ergo S. Prosperi liber viginti et amplius ab hinc annis editus, merito refertur in annum circiter 432.

[r] Sic Mogunt. Ven. et append. Aug., ex ms. Corb. Lugd., omisso *Et*, ut posteriores quoque omittunt, *Vincit dico, quia non patitur respirare quod vincit: et in quorum excidium unum, cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit*.

Digitized by Google

communione privati, [a] querantur de felicitate nostræ victoriæ, et arment in nos linguas suas, qui exsulare a veritate, quam cives esse Ecclesiæ maluerunt: nostri autem concorporales [b] et comparticipes gratiæ **310** Christi, cur de his armis quibus communis fides est defensa, causantur (V. *Constitutionem Valentiniani; infra append. pag.* 272)? Cur bellum confectum retractant, et munitiones securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, et victi placent; tantaque insolentia damnati foventur errores, ut pravitatis invidia, et [c] auctores nostri pulsentur et judices? An vero ita se [d] novorum censorum norma exactior temperavit, [e] ut et nulla eorum quæ excisa sunt, [f] asserat, et quædam ex his quæ defensa sunt, respuat? Ecce salva catholicæ pace victoriæ, salva indissolubilium reverentia decretorum, parati sumus patronos doctrinæ emendatioris audire, et circumcisas ab omni errore lineas [g] subtilissimæ discretionis agnoscere. Constituatur [h] in medium, quod [i] de novis emersit ingeniis.

## CAPUT II.

*Cur aggrediatur unius Cassiani potissimum definitiones. Cassiani prima definitio catholica. A quo postea incipit introduci definitio, qua docetur multos ad gratiam venire sine gratia.*

1. Et ne ad obscurandam scientiam doctiorum, ea exagitare videamur, quæ vulgus ignobile et procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit; unius potissimum definitiones, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum Scripturarum studio præsta-

A re, referemus. [j] Quas etiam ob hoc solum interim in disceptationem oportet [k] assumere, quia utrum ita se habeant, non potest dubitari. [l] Scriptæ enim sunt, et auctoris sui editione publicatæ: nec jam, an sint, quærendum est; sed quid doceant, demonstrandum. Igitur **311** in libro cujus prænotatio est, *de Protectione Dei*, vir quidam sacerdotalis [m] (*Cassianus*), qui disputandi usu inter eos, [n] quibuscum degit, excellit, abbatem quemdam (*Chæremonem*) introducit de gratia Dei et libero arbitrio disserentem, cujus se per omnia probasse ac suscepisse ostendit sententiam: ut jam non cum illo nobis sit negotium, qui forte tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret; sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei,

B talem studuit proferre doctrinam.

2. [o] Quæ tamen inter initia disputationis a veritatis pietate non dissonat, et justo honorari præconio mereretur, nisi præcipiti [p] lævoque progressu, ab inchoata rectitudine deviaret. Nam post comparationem agricolæ, [q] cui formam sub gratia ac fide viventis aptavit, et cujus infructuosum esse dixit laborem, nisi per omnia Dei auxilio juvaretur, intulit definitionem [r] catholicissimam, dicens: *Quibus manifeste colligitur, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse* [s] *principium: qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*

C (*Jacob.* I, 17): *qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis,* [t] *dicente Apostolo*

[a] Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *quasi de felicitate nostræ victoriæ*. Ms. Joliensis omittit, *quasi*. Editio vero Mogunt. sequentem sententiam cum præcedente, ceu duo unius sententiæ membra, connectit, et loco *querantur. arment;* habet, *queruntur, armant*. Idem exhibet et Veneta editio: at sensum hujus loci a præcedentibus distinguit comate et majori littera initio apposita.

[b] Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *ac participes.... defensata*. Ms. Jol. et Corb., Aug. edit., edit. Mogunt. et Ven. ut in textu.

[c] Sola Lugd. editio, *auctores displicent*, cæteris prætermissis, *tanta insolentia*.

[d] Lugd. edit., *novorum sensuum*.

[e] Mogunt. et Ven. edit., *quod et nulla*.

[f] Ms. Joliensis, *asserant.... respuant*.

[g] Mogunt. et Ven., *subtilissimas*.

[h] Ms. Jol., *in medium*. Mogunt. et Ven., *Constituant in medium;* tum pergunt unius tenore sententiæ, usque ad hæc, *loquacitas intemperanter effudit. Unius*, etc. Eodem modo distinctum legitur in Lov. edit.

[i] Manuscriptus Remigianus, *quod de novis semper emersit*. Jam tum emerserant aliæ contra Augustinum quæstiones, quibus responderat in opusculis supra editis contra Gallos ac Vincentium, et ad excerpta Genuensium. Cum vero Cassiani, Augustini æmulorum antesignani, liber forte nondum ipsi innotuisset, aut meliora de ingenio alias optimo sperasset; nunc tandem refellendas suscipit Cassiani potissimum definitiones quæ stylo editæ in vulgus circumferri jam cœperant, et in quibus nova arte oppugnari videbatur doctrina S. Augustini.

[j] In edit. Mogunt. et Veneta, post *referemus: Cujus decreta ob hoc solum interim oportet in medium adduci, quia utrum*, etc. Hoc ipsum est etiam in ms. Corb., sed insertum post, *oportet assumi:* in eoque codice ante, *Quas etiam ob hoc solas*, præfixa est particula, *alibi:* qua indicatur alterum ex illis duobus dictis aliunde adscitum esse. In ms. Remigiano, *Quarum alibi, quas etiam ob hoc solas interim in disceptationem oportet assumi, decreta ob hoc solum interim oportet in medium adduci*. Ms. Joliensis, *Quarum secreta ob hoc solum interim oportet in medium adduci*.

[k] Apud. Aug. ex ms. Corb., *assumi*.

[l] Mss. Corb., Remig. et Jol., *purgatæ*. Editiones Mog. et Ven., *scripta enim sunt, et actoris sui editione purgata;* referentes ad *decreta*.

[m] Lugd., Lov., Duac. et Colon. addunt, *ordinis*. Aberat a Corb., Mogunt. et Ven.

[n] Ms. Jol., Mog. et Ven., *cum quibus*. Lugd. edit., *quibuscum egit;* aliæ omnes, *quibuscum degit*.

D [o] Editio. append. Aug. tom. X, ex ms. Corb., *Qui tamen, id est, Cassianus*. Aliæ omnes editiones, cum Jol. et Remig., *Quæ tamen:* subaudi, *doctrina*.

[p] Edit. Lugd., *lenique progressu*, minus bene ut videtur.

[q] Ms. Jol., *cujus formam.... viventis*, forte, *viventi*.

[r] Ms. Jol., *definitionem catholicam*.

[s] Ms. Jol., *principia*.

[t] Ms. Jol., *dicente etiam apostolo Paulo, quia qui dat*. Hæc verba, *dicente apostolo* absunt ab edit. Mogunt. et Ven., in quibus continua oratione habetur post, *et consummat in nobis, et panem ad manducandum præstat, et crescere facit fructus justitiæ nostræ*. In edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., paulo aliter distinguitur hæc sententia, scilicet: *Qui dat semen seminanti, et panem ad manducandum; præstabit et crescere faciet fructus justitiæ vestræ*.

Digitized by Google

(II *Cor.* IX, 10), ***Qui dat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et crescere faciet fructus justitiæ vestræ.*** Hic ne quis putaret nihil superesse quod per liberum ageretur arbitrium, non irrationabiliter adjecit quo probaret, non auferri illud his donis, sed potius roborari, nisi [a] revolutum ad iniquitates suas, ab auxilio Dei se [b] mallet avertere. *Nostrum vero est*, inquit, *quotidie attrahentem nos gratiam Dei ut humiliter subsequamur*, [c] *vel certe dura cervice et incircumcisis, ut scriptum est* (*Act.* VII, 51), *auribus eidem resistentes, per Jeremiam mereamur audire*, **312** *Numquid qui cadit non resurget? aut qui aversus est, non revertetur* (*Jerem.* VIII, 4)? *Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem, aversione contentiosa : induraverunt cervices suas, et noluerunt reverti?* [d] Item infra, cum omnia virtutum studia Dei gratia indigere docuisset, probabiliter addidit, dicens (*Collat.* 13, *c.* 6): *Quæ omnia, sicut desiderari a nobis jugiter absque divina inspiratione non possunt*, [e] *ita nec perfici quidem sine ejus auxilio ullatenus queunt.*

3. In septimo autem capitulo (*Nunc est cap.* 8), generalem volens ostendere gratiam Christi, quæ nullum usquequaque [f] hominum prætermittat, et rebelles quoque [g] adversosque non deserat : *Adest igitur*, inquit, *inseparabiliter nobis* [h] *divina protectio*, *tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris*, *ut non solum comitetur eam*, *sed etiam præcedat* [i] *jugiter providentia.* In quo potest videri, ob hoc comitem dixisse providentiam, quia [j] etiam deserentes se plerumque non deserat; vel quia omnes quos prævenit, eosdem subsequatur. [k] Sequitur autem dicens : *Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam* [l], *atque confortat, atque dirigit ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit*, [m] *vel nostro conatu viderit emersisse.* Et hic potest adhuc dicere, illius se ortum bonæ voluntatis significasse, cujus a Deo [n] sint plantata vel inspirata principia : quia ab illuminatis jam cordibus [o] possint salubres prodire conatus, qui ideo ipsius hominis proprii esse dicantur, quia jam bonorum conatuum acceperit facultatem, eorumque semina ad suum referantur auctorem.

[*Alias* CAP. III.] 4. Sed et in capitulo nono subdidit, [p] et dixit : *Unde non facile humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, a quærentibus inveniatur, aperiatque pulsantibus : et rursus inveniatur a non quærentibus se*, [q] *palam appareat inter illos qui illum non interrogabant;* **313** *tota die expandat manus suas ad populum non* [r] *credentem sibi et contradicentem, resistentes ac longe positos vocet* (*Isai.* LXV, 1), *invitos attrahat ad salutem, peccare cupientibus, explendæ copiam subtrahat* [s] *voluntatis, ad nequitiam properantibus benignus obsistat.* Jam hic quasi per inscrutabilem diversitatem introducitur definitio, [t] qua docetur multos ad gratiam venire sine gratia, et hunc affectum petendi, quærendi, [u] pulsandi, habere quosdam de vigilantia liberæ voluntatis; quæ tamen in aliis tanta aversione obcæcata perhibetur, ut nullis cohortationibus sit revocabilis, nisi per vim trahentis invita ducatur. Quasi [v] non toto multiformis gratiæ opere hoc in omnium agatur animis, ut ex nolentibus fiant volentes; aut quisquam ex his qui jam judicio rationis utuntur, possit fidem nisi voluntate suscipere. [x] Unde tam ineptum est dicere, quod quisquam ad participationem gratiæ tendat invitus, quam asserere quod ullus ad eam non Spiritu Dei veniat incitatus.

[a] Sic ms. Joliensis, cum edit. Lovan., Duac. et Colon. et Aug. editio. At vero ms. Remig. cum Mogunt., Ven. et Lugd., *revolutus*. Quod in marginem rejectum in posterius editis, cum hac annotatione, *vel si legas in masculino genere*, *adde*, *homo*.

[b] Sic ms. Jol. cum Mog., Ven. et August. edit. ex ms. Corb. Alii codices, *se malit*.

[c] Sic legitur in ms. Joliensi, et in edit. Mogunt. et Ven. nec non in append. tom. X Aug. ex ms. Corb., excepto quod in Mog. et Ven. legitur *cervices* absque voce hac *suas*. In aliis vero edit. omisso, *vel certe: ne dura cervice et incircumcisis auribus eidem resistentes*, etc.

[d] Sic ms. Jol. cum Mog., Ven. et edit. app. Aug. ex ms. Corb. Reliqui, *Et infra*.

[e] Ita ms. Jol. et edit. Mog. ac Ven. Cæteri, *ita ne perfici*. In eodem ms. Jol. supra omittitur, *dicens*.

[f] Quidam codices, *hominem*.

[g] Ms. Corb., *aversosque*. Edit. Mog. et Ven., *perversosque*.

[h] Hic Lovan., Duac. et Colon. addunt *semper:* quæ vox abest a mss. Jol. Corb. et Remig. ac edit. Mog., Ven. et Lugd.

[i] Ms. Jol. caret hac voce, *jugiter*.

[j] Edit. Lugd., Lov., Duac. et Colon. addunt, *etiam*. Mss. Jol., Remig. et Corb. non addunt, nec edit. Mog. et Ven.

[k] Editiones Mogunt. et Ven., *Sequitur enim*. Alii codices, *autem*.

[l] Sic legitur in mss. Corb., Remig. et Jol. ac in edit. Mog., Ven. et Lugd. At edit. Lugd., Duac. et Colon. addunt hic, *confestim;* deinde habent, *atque confortat, et incitat ad salutem*. Idem habetur etiam in append. August. non omisso, *confestim*.

[m] Editiones Mogunt. et Ven., *vel quæ nostro conatu videtur emersisse*.

[n] Ms. Joliensis, *sunt plantata*.

[o] Sic mss. Corb., Remig. et Joliens., cum edit. Lugdun. et append. August. At vero Mog., Ven., Lov., Duac. et Colon., *possunt.... esse dicuntur*. Edit. Aug., *dicantur*.

[p] Sic mss. Jol., Corb. et Remig. atque edit. Mogunt. et Ven., excepto quod Mogunt. habet *et dicit*. Edit. Lugdun., Lovan., Duac. et Colon., *Sed capitulo nono subdit, et dicit*.

[q] Edit. Mogunt. et Ven., *ut palam appareat inter illos, qui illum non rogabant*.

[r] Edit. Lugdun., *non credentem, sed contradicentem*, absque voce, *sibi; resistentes a longe positos vocet*.

[s] Mss. Corb. et Remig. ac edit. Mogunt. et Ven., *voluptatis*.

[t] Ms. Remigianus, *qua doceatur*.

[u] Ita mss. Corb. et Jol. cum Mog. Ven. et app. tom. X Aug. Alii addunt, *atque*.

[v] Edit. Lugd. sola, *in toto*. Sed male, ut patet ex aliis codicibus et sensu loci totius.

[x] Editiones Mogunt. et Ven., *Sed quid tam ineptum est, quam dicere, quod quisquam ad participationem gratiæ tendat invitus*. Cæteris prætermissis, usque ad, *Cito ergo*.

Digitized by Google

5. Cito ergo hic disputator præmissæ definitionis A oblitus est, cito a sententia sua [a] instabili levitate dissensit. Dixerat enim regulariter, *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium* (*Vide supra, cap.* 2, *n.* 2). Et ne hoc de doctrina extrinsecus adhibita deberet intelligi, vigilanter addiderat: [*Alias* CAP. IV.] *Qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi.* [b] *Omne enim datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur et consummat in nobis.* Doctor catholice, cur professionem tuam deseris? Cur ad [c] fumosam falsitatis caliginem, relicta serenissimæ veritatis luce, devolveris? Quod in petentibus, quærentibus, pulsantibusque miraris, B cur non eidem gratiæ, quæ desideratur, ascribis? Vides bonos conatus, pia studia, et dubitas esse [d] Dei dona? [e] Latuerit opus gratiæ, donec fides insita cogitationis claudebatur arcano: at ubi supplex oratio, ubi diligens inquisitio, ubi [f] apparet crebra pulsatio, quare non ex qualitate operis subministrationem intelligis incitantis?

## 314 CAPUT III.

*Cassianus nec cum Pelagianis, nec cum Catholicis plene concordat: dum errando asserit alios per gratiam, alios per legem et naturam justificari. Definitio tertia Cassiani: Appetitum virtutum habere hominem a se ipso. Refellitur ex antea confessis in prima definitione.*

[*Alias* CAP. V.] 1. [g] Et satis te contra Pelagianorum C calumnias præcavere existimas, si quod in universitate vocatorum sentiendum est, id nobis [h] in portione concedas. Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum catholicis [i] plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus, liberæ voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia: tu informe nescio quid tertium, et utrique parti inconveniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres [*Alias* CAP. VI]. Quomodo autem non advertis, [j] te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari;* cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia: præcipue cum omnes ejusmodi, et accipere et [k] invenire, et intrare dicantur. In quo superfluum, immo impium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere, ut non ex toto verum sit quod ait Dominus, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum* (*Joan.* VI, 44): [l] quod nullatenus diceretur, si cujusquam sine Dei illuminatione esset credenda conversio; aut ullo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere: qui eum vocatum ad Filium [m] trahit; non resistentem invitumque compellit, sed ex invito volentem facit, et quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat; ut cor audientis, obediendi in se delectatione [n] generata, ibi surgat, ubi premebatur; ibi discat, [o] ubi ignorabat; inde fidat, unde diffidebat; inde velit, **315** unde nolebat. Etenim *Dominus dabit* [p] *suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*Psal.* LXXXIV, 12). [*Alias* CAP. VI.] Sed videamus qualia subsequantur (*Collat.* 13, *c.* 9): *Cui autem* [q] *facile pateat, quomodo salutis summa nostro tribuatur arbitrio? de quo dicitur, si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis* (*Isai.* I, 19). *Et quomodo non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16)? *Quid etiam sit illud, quod Deus reddet unicuique secundum opera ejus* (*Matth.* XVI, 17); *et, Deus est qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13): *et hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur?* [r] Et cætera quæ collecta de Scripturis, quasi alterno sibi sensu adversa collegit, ut donis gratiæ studium humanæ

---

[a] Ita ms. Jol. et ex ms. Corb. Aug. edit. cum Mogunt. et Ven. Posteriores editiones, *instabilitate et levitate discessit.*

[b] Edit. Lugd., *Omne enim datum optimum.* Lov., Duac. et Colon. omisso, *enim: Omne datum optimum et donum.* Mss. Jol. et Corb. et edit Mogunt. et Ven. ut in textu.

[c] Sic mss. Corb. et Jol. At editiones omnes, *famosam,* quarum plures in margine ex conjectura notant, *fumosam.*

[d] Lugd. editio sola, *Dei bona.*

[e] Editiones Mogunt. et Ven., *Latuerat.*

[f] Ms. Joliensis omittit verbum *apparet;* deinde post pauca, *quare non ex æqualitate operis.* Melius alii ut in textu.

[g] Sic ms. Remigiano-Remensis, cum edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon. At ms. Corb. et ex eo edit. August. append. item ms. Joliensis cum edit. Mogunt. et Ven., *Et satis te armas contra Pelagianorum calumnias.*

[h] Ms. Joliensis, *importune.*

[i] Editio Lugdun., *plena discordia est.*

[j] Ms. Joliensis, *damnatitium te in illud incidere, quo, velis nolis.*

[k] Edit. Lovan., Duac. et Colon., *et venire.* Melius mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven., *et invenire.*

[l] Hæc verba, *quod nullatenus diceretur,* quæ aberant ab editis omnibus, restituenda credidimus, solius etiam auctoritate ms. Joliensis, loci sensu id exigente.

D [m] Editiones Mogunt. et Ven., post vocem *trahit,* omisso, *non, resistentem invitumque compellit, et ex invito volentem facit.* Ms. Joliensis, *vocatum ad Filium non resistentem trahit, invitumque compellit, si ex invito.*

[n] Ms. Joliensis, *genita.*

[o] Edit. Mog. et Ven., *ubi ignorat,* omittuntque hæc, *inde fidat, unde diffidebat; inde velit, unde nolebat.*

[p] Ms. Remigianus, *benignitatem.*

[q] Ms. Joliensis, *non facile pateat:* melius absque negatione. Editiones Mogunt. et Ven., *Cum autem facile pateat, etc..... Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate nostra, et hoc non ex nobis.* In edit. append. August. ex ms. Corb. legitur, *pro bona voluntate vestra;* et supra edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *reddit unicuique.*

[r] Editio Lovan., *Ecce tamquam collecta de Scripturis, quasi alterno sibi sensu adversa collidit.*

Digitized by Google

committat industriæ; et omnium hominum divisione facta, alii sint quos gratia Dei salvet, alii quos lex et natura justificet. Sed lex potest, ne quid mali fiat, jubere; a malo autem non potest liberare. Notum facit mandatum, sed obediendi non præstat affectum : [a] nisi quod est occidens per imperium litteræ, fiat vivificans per spiritum gratiæ.

[*Alias* CAP. VIII.] 2. Post hæc concludit, dicens (*Ibid.*) : *Nisi quod in his omnibus et gratia Dei, et libertas nostri declaratur arbitrii*, [b] *et quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper vero a Domino indigeat adjuvari*. Et ubi est, quod regulari definitione præmissum est : *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis* (*Vide supra, cap.* 1, *n.* 4)? Ecce hic etiam si bonis cœptis necessarium Dei fateris auxilium : ipsos tamen laudabiles motus appetitusque virtutum, remota gratia Dei, nudæ libertati ascribis arbitrii : ut boni salubresque conatus nequeant quidem proficere, nisi Deus adjuvet; [c] possint tamen, etiamsi non a Deo inspirentur, incipere.

## 316 CAPUT IV.

*Contra Cassianum probatur, nec desiderium sanitatis haberi sine gratia. Quarta Cassiani definitio : Per naturæ bonum aliquando bonarum voluntatum prodire principia. Refellitur, tam ex prima sua definitione, quam ex Apostolo, cujus locus iste,* Velle enim adjacet mihi, *a prava interpretatione vindicatur.*

1. Deinde, ut evidentius definias, quid homo ex libero arbitrio habeat quid sumat [d] ex gratia, addis, et dicis (*Collat.* 13, *c.* 9) : *Nec enim cum voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo, pro arbitrii sui desiderio liberatur*. Doces ergo, non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed habere eum a semetipso desiderium sanitatis; et sua tantum sponte venire ad medicum, non etiam hoc ipsum medici esse, quod veniat. Quasi vero anima ipsa non langueat, et corpori suo

A remedium sana prospiciat. Atqui totus homo ex ipsa et cum ipsa in profundum miseriæ [e] suæ decidit, [f] ubi eam, priusquam a medico notitiam suæ calamitatis accipiat, jacere delectat, amantem [g] semper errores suos, et amplectentem falsa pro veris (*Ibid.*). Cujus prima salus est, ut sibi incipiat displicere, et vetustatem suæ debilitatis odisse : sequens vero est, ut et sanari desideret, et a quo sananda sit, noverit (*Vide respons. ad* 6 *object. Gallorum*). [h] Quæ curationem ipsius sic præcedunt, ut ei ab illo, qui ægram sanaturus est, inserantur : ne, cum [i] ei nullo modo hæc frustra inesse possint, merito videatur salvata, non gratia.

2. Deinde adjicis (*Ibid.*) : *Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris*
B *indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi a Deo dirigantur, ad consummationem* [j] *virtutum pervenire non possunt. Apostolus* [k] *testis est, dicens : Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 18). Falso ergo secundum hanc definitionem ante dixisti, *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium; qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis*. Sed hoc nullo modo ex aliqua parte potest esse falsum : cui nequaquam inferri **317** contraria debuerunt; ut quod recte professus es ex gratia incipere, id postea [l] confirmares per naturæ bonum et per liberum arbitrium nos habere. [m] Dixit quidem beatus Apostolus : *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum*
C *non invenio* (*Rom.* VII, 18). [n] Sed idem dixit : [o] *Non quia idonei simus cogitare aliquid* [p] *a nobis quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II *Cor.* III, 5). [q] Et idem dixit : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle,* [r] *et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13). Non ergo apostolus sibi contrarius est. Sed cum donatum nobis fuerit bonum velle, non statim invenimus et facere, nisi petentibus, quærentibus, atque pulsantibus, qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox [s] namque ista dicentis : *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.*

[a] Mss. Remig. et Joliensis, cum edit. Mogunt. et Ven., *qui est occidens*.

[b] Abest *et* a mss. Corb. et Jol. et edit. Lugd., Mog. et Ven.; quæ duæ posteriores sic habent, *quia etiam suis..... potest extendi, semper vero a Domino indiget adjuvari*. Suffragatur ms. Joliensis.

[c] Editi plerique, *possunt tamen*. Ven., *possint tamen esse, etiamsi non a Deo incipiente inspirentur*.

[d] Ita mss. Corb., Jol. et Remig. cum edit. Mogunt. et Ven., Lugd., Lov., Duac. et Colon., *ex gratia Dei*.

[e] Ms. Jol. omittit hanc vocem, *suæ*.

[f] Moguni et Ven., *ubi eum*; cæteri, *ubi eam*, referentes ad *animam*, non ad hominem, de quo proxime sermo erat.

[g] Edit. Lugd. sola omittit vocem hanc, *semper*.

[h] Ms. Jol., *curationem ejus*. Ms. Remig., *curationem illius*, et paulo post edit. Mog., *quia ægram sanaturus est*; ubi ms. Jol., *qui eum gratia*.

[i] Ita mss. Corb., Remig. et Joliensis, cum edit. Mogunt. et Ven. At posteriores editiones, *cum ei ullo modo hæc inesse possint* : et statim ms. Jol. *merito videatur salvatus*, scilicet, homo.

D [j] Ms. Joliensis omittit hanc vocem, *virtutum*, habetque, *non possint*.

[k] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., cum edit. append. Aug., Mogunt. et Ven. At Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *testatur*.

[l] Edit. Mogunt. et Ven., *firmares*.

[m] Ms. Jol. Mog. et Ven., *Dicit quidem Apostolus*.

[n] Ms. Jol., *sed itidem dixit*. Edit. Mog. et Ven., *sed idem dicit*.

[o] Editi Mogunt. et Ven., *Quia non idonei sumus*. Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *non quod*.

[p] Ms. Jol., *ex nobis quasi ex nobis*. Ms. Remig., *ex nobis, quasi a nobis ipsis*. In Lugd., Lov., Duac. et Colon., *aliquid ex nobis ipsis*.

[q] Ms. Joliensis, *Et iterum*.

[r] Posteriores editiones Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *et perficere* habent, loco, *et operari*. quod legitur in mss. Corb. edit. append. Aug. Mogunt. et Ven. Quæ duæ scribunt *nobis*, pro *vobis*.

[s] Hæc vox *namque* abest a mss. Corb., Remig. et Jol., necnon a Mogunt. et Ven.

Digitized by Google

VII, 18), vocati est, [a] et jam sub gratia constituti: qui condelectatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, sed videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in lege peccati (*Rom.* VII, 22 *et* 23): et quamvis acceperit scientiam recte volendi, virtutem tamen in se non invenit [b] ea quæ optat operandi; donec pro bona voluntate quam sumpsit, mereatur [c] virtutum facultatem invenire quam quærit.

## CAPUT V.

*Definitio quinta Cassiani: Simul suscipiendas esse sententias contrarias; et illam quæ bonam voluntatem nasci ex gratia, et illam quæ ex bona voluntate gratiam pendere dicit. Opinio Cassiani catholicis perinde atque Pelagianis errorem affingit. Refellitur ex definitionibus summorum pontificum et conciliorum.*

[*Alias* CAP. IX.] 1. Post hæc ponis plurima testimonia, quibus nunc validum, nunc infirmum liberum arbitrium demonstretur: quasi quidam sint, qui propriis viribus impleant, quod alii facere, [d] nisi Deo adjuvante non possunt; **318** aut ob aliud homo accipiat præceptum, nisi ut divinum quærat auxilium. Concludis ergo, et dicis (*Collat.* 13, *cap.* 11): ***Et ita sunt hæc quodammodo [e] indiscrete permista atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione volvatur: id est, utrum, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim singula hæc credentes, ac justo amplius asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti.*** Ecce, ut tibi videtur, [f] quæ erant permista, discreta sunt; et quæ explicari non poterant, absoluta. [g] Duos enim esse sibi contrarios definis errores, quibus qui inter liberum arbitrium et gratiam quid tenendum sit nesciunt, implicentur. Et in uno [h] constituis eos qui dicunt, ideo nostri misereri Deum, quia ex nobis præbita sint bonæ initia voluntatis; significans sine dubio Pelagiani dogmatis sectatores, [i] qui dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari: in alio autem illos ponis, qui dicunt, [j] ex misericordia Dei bonarum voluntatum prodire principia; eos intelligi volens, qui inimicos gratiæ debellarunt. Si ergo error est, initia bonæ voluntatis non adjuto divinitus homini ascribere, et error est confiteri quoniam præparatur voluntas a Domino, [k] quo dirigendi sumus, ut utrumque vitemus?

2. *Si utrumque*, inquis, *sequamur, nos nulli errori* [l] *acquiescimus*. Tu nos subdis duobus, et geminas, sicut intelligis, pravitates: dividendo damnas, miscendo justificas. Hac lege, [m] hac regula poteris prædicare, quod tam errent [n] qui dicunt, semper esse fallendum, quam qui definiunt numquam esse fallendum (*Notatur* 17 *Collat. Cassiani, in qua docet quandoque esse licitum mentiri*); sed ut in neutro peccetur, utrumque sectandum: [o] quia nec semper declinanda falsitas, nec semper negligenda sit veritas. Fallit te prorsus opinio tua. De duobus malis unum fieri bonum non potest: unam virtutem duo vitia non gignunt: unum verum duo falsa non faciunt. [p] Quæ enim merito paria sunt, **319** non minuuntur coeundo, sed crescunt. Non itaque oportuit eos, qui bonarum voluntatum initia ex Dei asserunt inspiratione generari, ea sententia reprehendi, qua arguuntur qui ad hæc liberum arbitrium putant sibi sine ope gratiæ posse sufficere. Harum enim definitionum una ab Ecclesia expugnata est, [q] alia defensa: nec eis ullo modo hujus novi fœderis congruit pactum, qua catholica sit corruptior, [r] quam Pelagiana correctior.

[*Alias* CAP. X.] 3. *Multi*, inquis, *singula hæc credentes ac justo amplius asserentes*, [s] *variis sibique contrariis sunt erroribus involuti*. Placet igitur tibi, cum hæreticis catholicos, cum victis damnare victores: et eos erroris nota adurere, qui errorem ab Ecclesia depulerunt. Secundum quippe tuam censuram, qua sanctarum et fidelium voluntatum [t] non in omnibus hominibus ex Deo vis esse principium (quasi multum gratiæ tribuas, si hoc eam in quo-

[a] Hæc verba, *et jam* desiderantur in Lugd., Lov., Duac. et Colon. Leguntur in mss. Corb., Remig. et Jol., nec non in edit. Mogunt. et Ven.

[b] Ita emendamus ex ms. Joliensi. Reliqui omnes, *eorum quas optat operandi*: minus congrue, ut videtur.

[c] Sic legimus in mss. Corb., Remig. et Joliensi, nec non in edit. Mogunt. et Ven. Posteriores autem editiones post, *quam sumpsit*, ferebant, *mereatur invenire qui faciat*.

[d] Sic mss. Corb., Remig. et Jol. cum edit. Mog. et Ven. Editiones Lugd., Lov., Duac. et Colon., *Deo non adjuvante non possunt*.

[e] Editiones Mog. et Ven., *indiscreta, permista, atque confusa*; et post aliquot lineas iidem codices, *Multi enim hæc credentes singula*.

[f] Sola Lugd. editio, *quæ confusa erant*.

[g] Ms. Jol. et edit. Lugd., *Duos enim sibi contrarios definis errores*; tum sola Lugd. editio, *quibus inter liberum arbitrium et gratiam contentiose disputantes, quid tenendum sit, implicentur*.

[h] Ms. Joliensis, *constituisti eos*, etc. Ms. Remig. post pauca, *procul dubio*.

[i] Editio Lugd., *qui dicunt gratiam dari secundum merita nostra*: omissis cæteris omnibus quæ interjacent in aliis codicibus.

[j] Edit. Lugd. sola, *ex misericordia a Deo*.

[k] Ms. Joliensis, *quo dirigendi sumus? Utrumque vitemus*.

[l] Edit. Lov., Duac. et Colon., *acquiescemus*.

[m] Sic mss. Corb., Remig. et Jol. ac editi Mog. et Ven. Alii, *ac regula*.

[n] Ms. Joliensis, *qui dicunt numquam esse fallendum, quam qui definiunt semper esse fallendum*.

[o] Editio Lugd. sola, *quia nec semper declinanda sit severitas*, cæteris omissis.

[p] Editio Lugd., *Quæ enim paria sunt, merito non minuuntur*, etc. Aliæ editiones, *paria sunt merito*. Mog. et Ven., *merito paria sunt*.

[q] Ms. Jol., *altera defensa*.

[r] Ms. Joliensis omittit particulam, *quam*.

[s] Editio Lugdun., *variis sibi contrariis*, omisso *que*.

[t] Ita mss. Corb., Remig. et Jol. cum edit. Mogunt. et Ven., Lov., Duac. et Colon., *asseris non in omnibus hominibus ex Deo esse principium*. Lugdun. vero, *ex Deo habuisse principium*.

Digitized by Google

rumdam operam; mentibus acquiescas), erravit papa INNOCENTIUS [a] et Petri sede dignissimus, qui cum de istis loqueretur qui in libero arbitrio gloriantur: « Nam quid, inquit (*Epist.* 29 *nostro tomo* XX), nos de eorum posthac rectum mentibus æstimemus, [b] qui sibi se putant debere, quod boni sunt? » Et iterum cum de primi hominis scriberet lapsu: « Liberum enim, inquit, arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus [c] est, et nihil quemadmodum exinde surgere posset, invenit; suaque in æternum libertate deceptus, [d] hujus ruinæ jacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia [e] relevasset adventus. » Erraverunt ORIENTALES EPISCOPI, in quorum judicio Pelagius, eos qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, ut catholicus posset videri, anathematizare compulsus est (*Vide lib. de Gestis Pelagii c.* XIV, 33-35). Erraverunt [f] AFRICANA episcoporum CONCILIA, quæ decretis suis constituerunt, utrumque Dei donum esse, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus: ut ædificante charitate, scientia non possit inflare, quia sicut de Deo scriptum est, [g] *Qui docet hominem scientiam* (*Ps.* XCVIII, 10); **320** ita scriptum est (I *Joan.* IV, 7): *Charitas ex Deo est* (*Carthag. concil. can.* 4 *et* 5; *infra app. p.* 272). Erraverunt DUCENTI QUATUORDECIM SACERDOTES, qui in epistola quam suis constitutionibus [h] prætulerunt, [i] ita ad apostolicæ sedis antistitem beatum Zosimum sunt locuti: « Constituimus, in Pelagium atque Cœlestium per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine illa [j] nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Erravit

A sacrosancta beati Petri sedes, quæ ad universum orbem papæ ZOSIMI ore sic loquitur: « Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur), ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus. » Erraverunt [k] AFRI EPISCOPI ad eumdem papam Zosimum rescribentes, eumque in sententiæ [l] suæ hujus salubritate laudantes, cum aiunt: « Illud vero quod in litteris tuis, quas [m] ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens, Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur), ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus: sic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii B libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse, fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideo utique, quoniam præparatur voluntas a Domino (*Prov.* VIII, *sec. LXX*), et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit [n] corda filiorum. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14). Ut nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, et in bonis quibusque [o] voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus **321** auxilium. » Videsne regulas tuas invictarum constitutionum soliditate confractas, [p] et in fidei structura pravas [q] ri- C mosasque juncturas, velut Jerichuntinos muros, ad sacerdotalium tubarum ruisse concentum (*Josue* VI, 20)?

## CAPUT VI.

*Cum ea quæstio, quæ est de sanctarum origine voluntatum, contra Pelagianos clare definita sit; male Cassianus, errantium arma colligens, contendit*

[a] Edit. Mogunt. et Ven., *beatissimi Petri.*

[b] Edit. Mog. et Ven., *Numquid. . . . qui sibi putant debere.* Ven., *qui sibi putant deberi.* Lugd. et posteriores, *Nam quid, inquit, nos de eorum post hæc rectum mentibus existimemus, qui sibi reputant deberi.*

[c] Has voculas, *est et* ex Innoc. Epistola tom. II operum August. addidimus. Aberant a codicibus Prosperianis, excepta editione Veneta: quæ habet, *surgere possit.*

[d] Mss. Corb. et Jol., *hujus ruinæ latuisset oppressu.* Sic etiam Lugd. edit. Mogunt., *hujus injuriæ latuisset oppressu.* Lugd., Duac. et Colon., *hujus ruina jacuisset oppressus.*

[e] Editi. Mogunt., Ven. et Colon., *revelasset*: minus commode. Lugd. editio, *Nisi eum post sua gratia revelasset divinus adventus.*

[f] Ms. Joliensis, *Africanorum episcoporum concilia.*

[g] Ita. ms. Remig. conformiter textui concilii. In ms. Joliensi omittuntur hæc, *ille est qui docet hominem scientiam, ita de eo scriptum est.* Item in editionibus Mogunt. et Ven. In Lugdun. vero habetur, *Quia sicut de Deo scriptum est: Ille est qui docet hominem scientiam*: cæteris prætermissis. In Lovan., Duac. et Colon. eadem leguntur: cætera ut in textu.

[h] Ms. Corb. et Lugd. editio, *protulerunt.*

[i] Ita mss. Jol., Corb. et Remig. Cæteri codices, *ita apostolicæ sedis, . . . sunt allocuti.* Mog., *sunt locuti.*

[j] Mss. Jol. et Remig., *nihil veræ justæque pietatis.* Edit. Mog. et Ven., *nihil veræ, justæ, sanctæque* D *pietatis.*

[k] Edit. Mog. et Ven., *Africæ episcopi.* Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *Africani.* Ms. Corb., Remig. et Joliensis, *Afri episcopi.*

[l] Ita ex ms. Corb. append. tom. X Aug. et edit. Mog. et Ven. Ms. Jol., *in sententiæ suæ.* Posteriores editiones, *in sententiæ hujus.* Edit. Ven., *in sententiæ suæ hujus, salubritate laudantes dicunt.*

[m] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., cum edit. Mog. et Ven., excepto quod illæ editiones habent, *præmittendas.* Cæteri codices, *ad universos.*

[n] Ms. Joliensis, *corda fidelium.*

[o] Editiones plures, *ac voluntatis.* Particulam *ac* non habent mss. Corbeienses, Remig. et Joliensis, nec editiones Lugd.

[p] Editio Lugdunensis, *et in fido instructore.*

[q] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., cum edit. Mogunt. et Ven. At editiones Lugd., Lovan., Duac. et Corb., *ruinosasque juncturas.*

Digitized by Google

*liberum arbitrium auferri per gratiam : cum per eam potius formetur, regatur et ordinetur.*

[*Alias* Cap. XI.] 1. Cum enim de sanctarum origine voluntatum, et fidei charitatisque principiis, inter nostros et Pelagianos quæstio versaretur, non ancipiti victoria, nec dubio [a] diremptum est fine certamen; ut adhuc nobis de iniquissima [b] hujus fœderis tui pace tractandum sit. Prostrata est inimica acies, bellum [c] confectum est, victores sumus per illum qui fecit potentiam in brachio suo, qui dissipavit superbos mente cordis ipsorum, deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes (*Luc.* I, 52 *et* 53) : per illum, qui faciens misericordiam cum patribus nostris, memor fuit testamenti sancti sui, [d] et jurisjurandi quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi in sanctitate et justitia in conspectu ejus omnibus diebus nostris (*Ibid.*, 71) : per illum, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum (I *Cor.* XV, 57): per illum, a quo non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis (I *Cor.* II, 12). Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere? Quid cineres exstincti dogmatis refovendo, deficientis fumi nidorem in redivivam flammam conaris accendere? [ *Alias* Cap. XII.] Non est periculum [e] liberi arbitrii ex gratia Dei, nec voluntas aufertur, cum in ipsa bene velle generatur. Nam si ideo non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur : spoliantur libertate filii Dei [f] qui aguntur Spiritu Dei (*Rom.* VIII, 14); perdunt vigorem rationalis animi, et omni voluntariæ devotionis **322** laude privantur, quibus datur Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ ac pietatis, et timoris Domini (*Isai.* XI, 2). Prorsus qui his reformationibus se non putant indigere, de veteris morbi consuetudine in phrenesim [g] transierunt : respuunt remedium, clamant, insaniunt, reluctantur; sed si promissionis sunt filii, quiescent, et sanabuntur.

## CAPUT VII.

*Cassianus contrarias definitiones confundens, exemplis colorare nititur quod intendit, hoc posse quosdam per liberum arbitrium, sine adjutorio Dei, quod quidam, nisi Deo cooperante non possint. Refellitur ex Scripturis, et probatur, ut Matthæi et Pauli, sic Zacchæi, et latronis in cruce conversionem esse pariter ex gratia.*

[*Alias* Cap. XIII.] 1. Sed jam videamus quid inferat sobrietas disputantis; qui ut vitium vitio pelleret, [h] et errorem errore curaret, contrarias sibi definitiones nova arte confudit; utque hoc compositionis suæ poculum securis auditoribus propinaret, exemplis voluit colorare quod miscuit. Ait enim (*Collat.* 13, *cap.* 11) : *Si enim dixerimus, nostrum esse bonæ principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? quorum unus cruori ac suppliciis innocentium,* [i] *alius violentiis ac rapinis publicis incubans, attrahitur ad salutem. Sin vero gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus : quid de Zacchæi fide? quid de illius in cruce latronis pietate* [j] *dicimus; qui desiderio suo vim quamdam regnis cœlestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt?*

2. Per istam ergo [k] bonorum principiorum dissimilitudinem probare nititur, hoc posse quosdam per liberum arbitrium, sine adjutorio Dei, quod quidam nisi Deo cooperante, non possint : et hoc vult de quorumdam tardiore obedientia et quorumdam sequaciore consensu intelligi. Quasi ubi dura infidelitas Deo subditur, et Evangelio, quod diu impugnavit, repente succumbit, ibi mutationem hominis dextera operetur Excelsi (*Psal.* LXXVI, 11): ubi autem [l] tranquillam cohortationem solumve rumorem, sine hæsitatione diffidentiæ, docilis auditor amplectitur, bonum talis conversionis **323** humanæ sit tantummodo voluntatis. Quasi vero potentia [m] Dei eos tantum ad Filium attrahat, quos aut voce increpaverit, aut pœna obtriverit, aut terrore tremefecerit; illorum autem mentibus nihil suæ virtutis admoveat, qui ad promissiones Redemptoris sui spe alacri et avido desiderio cucurrerunt. Sed Veritas dicit : *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Si ergo nemo venit, nisi attractus, omnes [n] qui quocumque modo veniunt,

[a] Mss. Remig. et Joliensis, *direptum*.
[b] Editio Lugd. sola, *hujus febris tuæ*.
[c] Editiones Lugdun., Lovan., Duac. et Colon., *confractum est*.
[d] Ms. Remig. cum edit. Mogunt. et Ven., *et jusjurandum*.
[e] Edit. Duac. et Colon. in margine notabant pro lectione diversa, *ex libero arbitrio*. Mss. Remig. et Joliensis cum edit. Lugd. legunt, *gratia Dei*, absque *ex*.
[f] Edit. Lugdun., *quia qui aguntur*.
[g] Edit. Lugd., *transeunt..... sed si repromissionis sunt filii, quiescunt, et sanantur*. Lovan., Duac. et Colon., *transeunt, sed si repromissionis sunt filii, quiescent et sanabuntur*.
[h] Hæc verba, *et errorem errore curaret*, non leguntur in mss. Remig. et Jol. nec in edit. Mogunt. et Ven.
[i] Edit. Mogunt. et Ven. *alter*.
[j] Lugd. et hac posteriores, *dicemus*, cum mss. Remig. et Joliensi.
[k] Loco *bonorum*, quod legitur in mss. Corb., Remig. et Jol., nec non in edit. Mogunt. et Ven. Lovan. et posteriores habent, *quorumdam*. Lugd. vero editio, *horum principiorum*; omittitque hæc, *quorumdam tardiore obedientia*, etc.
[l] Sic mss. Corb., Remig. et Joliensis, cum edit. Mogunt. et Ven. At posteriores Lugd., Lovan., Duac. et Colon. et aliæ, *post tranquillam cohortationem solum, veros mores, sine ulla hæsitatione*. Lugd. tamen supra, pro *Quasi... operetur*, habet *Quod ... operatur*.
[m] Sic mss. Corb., Remig. et Jol. cum Mogunt. et Ven. At his posteriores editiones, *potentia gratiæ Dei eos tantum ad Filium attrahat*. Ms. Jol., *tamen potentia Dei Patris... tremere fecerit*.
[n] Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *omnes quocumque modo veniant, attrahuntur*.

Digitized by Google

attrahuntur. [*Alias* CAP. XIV.] Trahit [a] itaque ad A Deum contemplatio elementorum, omniumque quæ in eis sunt ordinatissima pulchritudo. *Invisibilia enim ejus, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I, 20). [b] Trahunt rerum gestarum relatores; animum audientis inflammant *narrantes laudes Domini et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ facit* (*Psal.* LXXVII, 4). Trahit timor : *Principium* enim *sapientiæ timor Domini* (*Prov.* I, 7; *Psal.* CX, 10). Trahit lætitia, quoniam, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI, 1). Trahit desiderium : quoniam, *Concupiscit et deficit anima* [c] *mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 3). [d] Trahunt delectationes : *Quam dulcia* enim *faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo* (*Psal.* CXVIII, 103). Et quis perspicere B aut enarrare possit, [e] per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, sequatur; quæ oderat, diligat; quæ fastidiebat, esuriat; ac subito commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, [f] fiant aperta; quæ onerosa, sint levia; quæ amara, sint dulcia; quæ obscura, sint lucida? *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.* XII, 11). Quoniam *Deus qui dixit de tenebris* [g] *lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu* (II *Cor.* IV, 6), id est, in manifestatione Filii sui, qui est [h] in gloria Patris.

3. Qui ergo illuxit in corde Matthæi publicani **324** et Pauli tunc Ecclesiam persequentis, ipse et in corde C Zacchæi, et in corde crucifixi cum Domino latronis illuxit : nisi forte otiosa Domini vox fuit, cum Zacchæum, qui quærebat [i] videre Jesum quis esset, compellare dignatus est dicens : *Zacchæe*, [j] *festina, descende; quoniam hodie in domo tua oportet me manere* (*Luc.* XIX, 5); et non [k] sibi præparavit ejus animum, cujus elegit hospitium. Denique cum murmurarent omnes, [l] cur ad virum peccatorem introisset hospitari, et [m] Zacchæus jam pœnitentiam agens, dimidio bonorum suorum in pauperes erogato, redditurum se in quadruplum fraudata promitteret, Dominus ait : *Hodie salus huic domui facta est*, [n] *quia hic est filius Abrahæ*. Et ne lateret causa hujus salutis, adjecit : *Venit autem filius hominis* [o] *quærere et salvum facere quod perierat* : ut quem agnoscebamus salvum factum, [p] sciremus a quærente præventum. In latronis quoque justificatione, etiamsi nulla operantis gratiæ [q] intelligerentur indicia, nonne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum? dicente Domino : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Luc.* X, 22); et, *cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (*Joan.* XII, 32)? [r] Inter omnia autem, hunc vel traditum esse, vel tractum, etiam ipsius confessio docet; qui cum aliquamdiu blasphemasset in [s] Jesum Christum, repente est mutatus, [t] et dixit : *Domine, memor esto mei, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42). Sed unde in uno homine tanta compugnantium vocum sit orta diversitas, instruat nos [u] beatus Apostolus, et dicat : *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu; et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3). Ut non dubitemus in ejusdem hominis voluntate, et de proprio [v] fuisse quod blasphemavit, et de Spiritu sancto fuisse quod credidit. Frustra igitur disputator iste, [x] ad inscrutabilem unius gratiæ, *otiosa vox Domini fuerit*.

[a] Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *igitur*. Edit. Mog. et Ven., *itaque ad Dominum*. Ms. Jol., *Trahit namque*.

[b] Sic ms. Corb. et edit. Mog. et Ven., nisi quod *relationes* habent, non *relatores*. Ms. Jol. sic distinguit, *Trahunt rerum gestarum relatores animum audientis. Inflammant narrantes*. Ms. Remigiano-Remensis, *Trahunt rerum gestarum cognitio, et divinorum operum relatores*. At editi Lugd. et eo recentiores, *Trahit rerum gestarum cognitio, et divinorum operum relaturæ animum audientis inflammant*.

[c] Vocem istam, *mea*, habent mss. Remig. et Jol. cum Mog. et Ven.

[d] Sic ms. Corb. ex quo edit. append. tom. X Aug. ac Mogunt. cum Ven. et ms. Remigiano. At ms. Joliensis, *Trahunt divinæ lectiones*. Editi Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *Trahit delectatio lectionis*. D

[e] Mss. Corb., Remig. et Jol., *per quos affectus*. Mogunt. et Ven., *quo affectu visitatio Dei ducat hominem* : cæteri codices excusi, *per quot affectus*, etc., ut in textu.

[f] Edit. Lugd. et recentiores, *sint aperta*. Mss. tres, cum Mog. et Ven., *fiant aperta*.

[g] Edit. Mog. et Ven., *lucem splendescere, ipse illuxit..... in faciem*. Mss. Corb. et Remig. habent etiam hoc, *in faciem*.

[h] Sic mss. Corb. et Remig. cum edit. Mogunt. et Ven. At ms. Jol. et edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *in sinu Patris*.

[i] Sic mss. Corb., Remig. et Jol. cum edit. Mog. et Ven. Alii codices, *videre eum*.

[j] Ms. Joliensis, *festinans, descende*.

[k] Ms. Joliensis, *sibi præparaverit* : ut supra dixerat, *otiosa vox Domini fuerit*.

[l] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., nec non Mog. et Ven. Aliæ editiones, *quod ad virum*. In ms. Joliensi abest vox hæc, *hospitari*.

[m] Editiones Lugd., Lovan., Duac. et Colon., omisso *et* ante *Zacchæus*..... *cum fraudata promitteret*.

[n] Editio Lugd., *quia ecce hic filius Abrahæ*.

[o] Ms. Jol. conformiter textui sacro, *Venit enim quærere, et salvum facere*. Alii omnes, *Venit autem salvum facere et quærere*, ordine inverso.

[p] Editio Lugd. omittit hæc, *sciremus a quærente præventum*.

[q] Edit. Mog. et Ven. cum ms Remig., *intelliguntur*.

[r] Edit. Mog. et Ven., *Inter omnes autem*. Edit. Lugd. in fine, *doceat*.

[s] Ms. Jol. omittit hic vocem, *Christum*. Lugd., *postea est imitatus*.

[t] Edit. Mog. et Ven., *et dicit*. Ms. Jol., *dum veneris*.

[u] Hæ voces, *beatus apostolus*, leguntur in mss. Corb., Remig. et Jol., nec non in edit. Mogunt. et Ven.

[v] Ita mss. Corb. et Remig. cum Mog. et Ven. In Lugd. utrobique omittitur vox hæc *fuisse*, in recentioribus posteriori loco.

[x] Sic mss. Corb. et Remig. ac edit. Mogunt. et Ven., qui tamen duo pro *varietatem* habent *veritatem*. Lugd. editio cum recentioribus, omisso *ad*, *inscrutabilem unius gratiæ varietatem ad argumentum definitionis suæ voluit aptare*. Editio quædam ex recentioribus, *et augmentum definitionis suæ*, quod simi-

Digitized by Google

tiæ varietatem, argumentum definitionis suæ voluit A
325 aptare; ut portio justificatorum solius voluntatis suæ motibus ad Christum venire credatur, portio autem reluctans [a] trahi, et invita compelli : cum Deus sit qui operatur omnia in omnibus (I *Cor.* XII, 6), sive alios sic, alios autem sic attrahere velit, ad quem nemo, nisi aliquo modo attrahatur, venit.

## CAPUT VIII.

*Definitio sexta Cassiani : Liberum arbitrium et gratiam pariter suscipi debere; id est, ita ut pari modo conferre ad salutem credantur. Divinæ auctoritates de gratia afferuntur : daturque ratio quare voluntas non auferatur per gratiam.*

[*Alias* Cap. XV.] 1. Post hæc [b] subjicit testimonia sacræ Historiæ, quibus ostendit observantiam mandatorum Dei, consummationemque virtutum divinæ B gratiæ deputandam (*Collat.* 13, *c.* 11) : quod et nos promptissime confitemur. Et commemoratis exemplis de Balaam, quem volentem [c] Israeli maledicere Deus in benedictionis verba transtulerit (*Num.* XXIII); et de Abimelech, qui peccare non permissus sit [d] in Rebeccam (*Gen.* XXVI); et de Joseph a fratribus vendito, quorum malam voluntatem in bonum Deus [e] verterit (*Genes.* XXXVII) : recurrit ad confirmationem definitionis suæ, ut liberum arbitrium, quod gratiæ se dicit jungere, a parte quadam humani generis, quantum in ipso est, auferat, et in quadam parte constituat, dicens : *Hæc enim duo, id est*, [f] *vel gratia, vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur adversa; sed* [g] *utraque concordant, et utraque nos pariter debere* [h] *suscipere pietatis ratione colligimus : ne* C *unum horum homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur.*

2. [i] Ecclesiasticæ fidei regula est, prædicante Apostolo : *Nemo potest dicere Dominum Jesum* [j], *nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3). [k] Ecclesiastica regula est : *Quid autem habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7)?

326 *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ecclesiastica regula est : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi; non autem ego, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10) : et, *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (I *Cor.* VII, 25). Ecclesiastica regula est : *Habemus* [l] *autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis sit Dei, et non ex nobis* (II *Cor.* IV, 7). [m] Ecclesiastica regula est : *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur* (*Ephes.* II, 8). Ecclesiastica regula est : *In nullo terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis,* [n] *vobis autem salutis, et hoc a Deo :* [o] *quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo* (*Philip.* I, 28). Ecclesiastica regula est : [p] *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est qui operatur* [q] *in nobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II, 12). Ecclesiastica regula est : *Non quia idonei sumus cogitare aliquid* [r] *a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II *Cor.* III, 5). Hanc regulam firmat [s] Dominus dicens, *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo* (*Joan.* VI, 66) : et, *Omne quod dat mihi Pater* [t] *venit ad me* (*Ibid.*, 37) : et, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5) : et, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Ibid.*, 16) : et, *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27; *Luc.* X, 22) : et, *Sicut Pater* [u] *vivificat mortuos, ita et Filius quos vult, vivificat* (*Joan.* V, 21) : et, *Beatus es, Simon Barjona, quoniam caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 17).

3. Hac regula nulli hominum aufertur voluntas; quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur ut non sint, sed ut ex malis bonæ, et ex infidelibus

liter legere est in Coloniensi. Ms. Jol., *augmentum suæ voluerit definitionis aptare.*

[a] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mog. et Ven. Reliqui, *trahatur, et invita compellatur.*

[b] Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *subjicit.*

[c] Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *Israelitis.*

[d] Ita mss. Corb., Remig. et Joliensis, cum edit. Mogunt. et Ven. Lugd. et hac posteriores, *in Saram.* Idem contigisse narratur Abimelecho erga Saram Geneseos cap. XX, et erga Rebeccam cap. XXVI.

[e] Ms. Joliensis cum edit. Mogunt. et Ven., *vertit.*

[f] Edit. Mogunt. et Ven., *id est gratia et liberum arbitrium.* Lugd. caret voce *id est*, habetque cum cæteris, *vel gratia, vel liberum arbitrium.*

[g] Ms. Joliensis, *utrumque concordat, et utrumque.*

[h] Edit. Duac. et Colon., *suspicere. . . . collegimus:* hoc ultimum cum Lugd. et Lov. commune habentes.

[i] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. At Lugd., Lovan., Duac. et Colon. hic etiam, ut in serie, *Ecclesiastica regula est.*

[j] Mss. Corb. et Remig. cum Mogunt. et Ven. addunt hic vocem *Christum*, quæ abest a cæteris et textu Apostoli Græco et Latino.

[k] Tota hæc sententia : *Ecclesiastica regula est; Quid autem*, etc., usque ad, *quasi non acceperis*, exciderat ab editione Lugd.: legitur in aliis omnibus.

[l] Mss. Remig. et Jol. cum Mogunt. et Ven. addunt *autem*, quod a cæteris aberat. Iidem codices et ms. Corb., *ut sublimitas virtutis sit Dei*, quod legitur in textu : pro quo Lugdun. et eo recentiores, *ut sublimitatis sit virtutis Dei.* Prioribus concinit textus Græcus Apostoli.

[m] Hæc iterum sententia omnis abest a Lugd. In Lovan., Duac. et Colon., abest vox *forte.* Mss. Remig. et Jol. pro *salvati estis*, habent, *salvi facti estis.*

[n] Edit. Lugd., *nobis autem.*

[o] Ita mss. Corb. cum edit. Mogunt. et Ven. Ms. Joliensis, *Vobis enim donatum est pro Christo.* Ms. Remig., *Vobis enim donatum est a Christo.* Lugd., *Vobis datum est per Christum.* Lovan., Duac. et Colon., *Quia vobis datum est per Christum.*

[p] Edit. Mogunt. et Ven., *Cum metu et tremore.* Plures codices, *cum tremore et timore.* Mss. Corb., Remig. et Jol. ut in textu.

[q] Edit. Mogunt. et Ven., *in vobis*, ut apud Apostolum. Alii codices, *in nobis.*

[r] Mss. Jol. et Remig., *a nobis, quasi ex nobismetipsis.* Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *ex nobis, quasi ex nobis ipsis.*

[s] Edit. Mogunt. et Ven., *confirmat Dominus :* et infra, *datum fuerit*; absque voce *ei.*

[t] Ms. Jol. cum edit. Mogunt. et Ven., *ad me veniet.*

[u] Ms. Joliensis addit hic, *suscitat mortuos et.* Cæteri codices non addunt.



Digitized by Google

sint fideles; [a] et quæ ex semetipsis erant tenebræ, A lux efficiantur in Domino; quod mortuum erat vivificatur, quod jacebat erigitur, quod perierat invenitur. [b] Hoc in omnibus prorsus hominibus qui eruuntur de potestate **327** tenebrarum, et transferuntur in regnum Filii dilectionis Dei, sine cujusquam exceptione personæ, agere credimus gratiam Salvatoris. Quia, sicut hic idem probabiliter, sed non stabiliter definivit, dicimus atque defendimus, *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi. Omne enim* [c] *datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17) : *qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur; et consummat in nobis.* B In qua sententia si auctor ipsius permaneret, ecclesiasticam regulam non excederet; neque simul et libero arbitrio [d] infensus, et gratiæ Dei esset ingratus : quorum [e] duorum dum unum in Paulo et Matthæo, aliud in Zacchæo et latrone indicat operatum, non intelligit in illis se liberum arbitrium, in istis gratiam sustulisse.

## CAPUT IX.

*Contra Cassianum probatur ex Scripturis et Ecclesiæ definitionibus, initium bonæ voluntatis esse ex gratia. Primus homo, creatus absque vitio, et potens in bono perseverare, si vellet, libero arbitrio discessit a bono : in quo post peccatum nihil remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam. In quam profundum malum tota humana natura demersa sit illius prævaricatione. Definitio septima Cassiani : Adamum post prævaricationem accepisse scientiam mali, non amisisse scientiam boni. Refellitur.*

[*Alias.* CAP. XVI.] 1. Deinde adjecit : *Nam cum viderit nos* [f] *Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat. Ad vocem enim clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi* (*Isaiæ* XXX, 19) : et, *Invoca me, inquit, in die tribulationis tuæ, et eripiam te, et* [g] *glorificabis me* (*Psal.* XLIX, 15). Quis non videat quod hæc doctrina meritum libero assignat arbitrio, [h] quo præveniatur gratia, quæ ei famuletur reddens debitum, non conferens **328** donum? Quæ definitio in episcoporum Palæstinæ synodo, etiam [i] Pelagio anathematizante damnata est. [j] In eo enim qui bonum incipit velle, et cupit ab iniquitate atque errore discedere, gratiam Dei hoc ipsum profitemur operari. Quoniam *a Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet* (*Ps.* XXXVI, 23); et, [k] *Omnis vir videtur sibi justus, dirigit autem corda Dominus* (*Prov.* XXI, 2); et, *A Domino diriguntur gressus viri; mortalis autem quomodo intelligit vias suas* (*Prov.* XX, 24)? [l] Et quod ait Apostolus : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem;* [m] *sed accepistis Spiritum adoptionis* [n] *filiorum, in quo clamamus, Abba Pater* (*Rom.* VIII, 15).

[*Alias* CAP. XVII.] 2. Post hæc [o] sequitur, et dicit (*Collat.* 13 *c.* 12) : *Nec enim talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec velit umquam, nec possit bonum. Alioquin nec liberum ei permisit arbitrium, si* [p] *ei tantummodo malum ut velit et possit, bonum vero nec velle nec posse concessit. Et quomodo stabit illa Domini post prævaricationem primi hominis lata sententia, Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum et malum* (*Gen.* III, 22)? *Non enim talis ante fuisse putandus est, qui boni esset prorsus ignarus. Alioquin velut quoddam irrationabile* [q] *atque insensatum animal eum fatendum est fuisse formatum : quod satis absurdum, atque a catholica fide* [r] *omnimodis alienum est. Quin immo secundum sententiam sapien-* C *tissimi Salomonis, fecit Deus hominem rectum* (*Eccli.* VII, 30) : *id est, ut tantum boni scientia jugiter frueretur : sed ipsi quæsierunt cogitationes multas. Facti enim sunt, ut dictum est, scientes bonum et malum. Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali; boni vero, quam acceperat, scientiam non amisit.*

[*Alias* CAP. XVIII.] 3. Rectum [s] atque omni vitio

[a] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., cum edit. Mogunt. et Ven. At Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *et qui ex semetipsis erant tenebræ, lux efficiantur in Domino : quod mortuum erat vivificetur, quod jacebat erigatur, quod perierat inveniatur.*

[b] Editiones Mogunt. et Ven., *Hoc in omnibus invenitur prorsus hominibus, qui eruuntur .... dilectionis Dei. Hoc sine cujusquam exceptione personæ*, etc.

[c] Mss. Corb., Remig. et Jol., *datum bonum.* Ita et supra, cap. 2; cæteri, *datum optimum.*

[d] Editiones Lugdun. et ea posteriores, *offensus.* Melius mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven., *infensus :* qui videlicet liberum arbitrium, quantum in ipso est, auferre videatur.

[e] In edit. Lugd. non legitur vox *duorum.* In eo et Lov., Duac. et Colon., pro *dicit operatum*, legitur *judicat operatum* In eodem Lugd., *in illo se liberum arbitrium. in isto gratiam sustulisse.*

[f] Mss. Corb., Remig. et Jol., omittunt *Deus;* postea habent *velle flectere.* Ita etiam edit. Mog. et Ven.

[g] Mss. Corb., Remig. et Jol., *magnificabis me.* Edit. Mogunt. et Ven., *honorificabis me.*

[h] Editiones Mogunt. et Ven., *quod præveniat gratiam, unicuique famuletur*, pro, *cuique famuletur*, ut mss. Remig. et Jol., et edit. Ven. Lugd. vero, *quod præveniatur gratia, eique famuletur.*

D [i] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. Lugd. vero et recentiores illa, *a Pelagio anathemate damnata est.*

[j] Ms. Jol., *eo enim quod bonum quis incipit velle*, etc.

[k] Edit. Mogunt. et Ven., *Omnis via viri recta sibi videtur.*

[l] Lugd., *Et quomodo ait Apostolus.*

[m] Editiones omnes cum ms. Jol., *in timore.* At mss. Corb. et Remig., *in timorem*, juxta Græc. εἰς φόβον.

[n] Hæc vox *filiorum* abest a mss. Remig. et Jol., nec non ab editis Mogunt. et Ven.

[o] Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *persequitur.*

[p] Ita mss. Corb., Remig. et Joliensis, cum edit. Mogunt. et Ven.; at Lugdun. et posteriores, *si ei tantummodo malum et velle et posse.*

[q] In mss. Remig. et Jol., item in edit. Mogunt., Ven. et Lugd., hæc verba non habentur, *atque insensatum.* Ms. Jol., *velut irrationale quoddam animal eum fecisse credendus est.*

[r] Edit. Mogunt et Ven., *omnibus modis.* Lugd., Lovan. et Duac., *omnimode.* Colon., *commode*, sed errore typographi.

[s] Lugd. edit., *Rectum namque et omni.* Quasi series esset verborum Collatoris, sed male.

Digitized by Google

carentem creatum esse primum hominem, in quo A omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est; eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Deum [a] non desereret, [b] posset in bonis quæ naturaliter acceperat, perseverare quia vellet; et merito voluntariæ perseverantiæ in eam beatitudinem [c] pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset. [*Alias* CAP. XIX.] Sed ipso libero arbitrio, quo quamdiu voluit bonus mansit, **329** [d] a proposita sibi lege discessit; nec denuntiatæ sibi mortis supplicium formidavit, deserens Deum, et sequens diabolum, rebellis Domino [e] servatori, et inimico obediens peremptori. « Fuit ergo Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et in illo perierunt omnes (*Ambr. lib.* VII *in Lucæ c.* XV). » Quod ita non falso dixit beatus Ambrosius, sicut non falso B ipsa Veritas ait, [f] *Venit Filius hominis quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). Naturæ enim humanæ, in illa universalis prævaricationis ruina, nec substantia [g] erepta est nec voluntas; sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est. Perditis autem per quæ ad æternam atque inamissibilem corporis [h] animique incorruptionem poterat pervenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota est damnationis et pœnæ? Propter quod natos in Adam renasci oportet in Christo, ne in illa quis inveniatur generatione quæ periit. Nam si posteri Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent natura filii iræ (*Ephes.* II, 3), [i] non essent tenebræ (*Ephes.* V, 8), nec sub potestate tene- C brarum (*Coloss.* I, 13), Salvatoris denique gratia non egerent; quia non frustra boni essent, nec justitiæ præmio fraudarentur; habentes ea bona quorum amissione primi patres de paradiso exsulare meruerunt. Nunc autem, cum sine sacramento regenerationis æternam mortem nemo possit evadere, nonne ex ipsius remedii singularitate apertissime patet in quam profundum malum totius humani generis natura demersa sit, illius prævaricatione in quo omnes peccaverunt (*Rom.* V, 12), et quidquid ille perdidit perdiderunt? Perdidit autem primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientia et intellectu, caruit consilio et fortitudine; et impie altiora sectando, a veritatis scientia, et obedientiæ pietate dejectus est: nec ipso saltem timore sibi [j] reliquo, ut ab interdictis vel metu caveret pœnæ, qui [k] non abstineret amore justitiæ. Liberum ergo arbitrium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum quæ acceperat fastidivit, et vilescentibus sibi felicitatis suæ præsidiis, insanam cupiditatem ad experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, et totam naturam hominis [l] intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. Inde priusquam edendo carnem **330** Filii hominis, et bibendo sanguinem ejus, lethalem digerat cruditatem, [m] labat memoria, errat judicio, nutat incessu; neque ullo modo idoneus est ad illud bonum eligendum et concupiscendum, quo se sponte privavit: quia non sicut potuit Deo non impellente corruere, ita potest Deo non erigente consurgere.

[*Alias* CAP. XX] 4. Non igitur recte dictum est: *Nec enim talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec velit umquam nec possit bonum.* Quasi nos istam hominis debilitatem a Creatore dicamus conditam, et non peccati merito ab homine contractam. Qui ergo putat consequens esse ut si liberum arbitrium [n] obcæcatum esse dicatur, obcæcatio ipsa ad naturæ referatur auctorem, vult persuadere quod tam sanum sit in Adæ posteris liberum arbitrium, quam in Adam fuit ante peccatum: [o] quod satis alienum a catholica fide ducimus. Quid enim peccato læsum est, si id læsum non est unde peccatum est? Nisi forte dicatur in Adæ posteros pœnam transisse, non culpam: quod [p] omnimodo falso dicitur, et ob hoc forte non dicitur. Nimis enim impium est hoc de Dei sentire justitia, quod a prævaricatione liberos cum reis voluerit esse [q] damnatos. Patet ergo culpa ubi non latet pœna, et societas peccati convincitur de communione supplicii; ut quod est humanæ miseriæ, non de institutione Creatoris, sed de retributione sit judicis.

[*Alias* CAP. XXI.] 5. Illud enim inepte positum est, et [r] contra sensum omnium tractatorum, quod ad probandam liberi arbitrii incolumitatem connexuit, dicens: *Et quomodo stabit illa Domini post prævaricationem primi hominis lata sententia, Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum et malum* (*Genes.* III, 22)? Quasi diabolus Adæ vera promiserit, et Adam transgrediendo mandatum Dei, profe-

[a] Edit Mogunt. et Ven., *Dominum non deseruisset.* D Alii, *Dominum non desereret.*

[b] Edit. Lugdun., *possent in nobis.*

[c] Ms. Jol. cum edit. Ven. et Lugd., *perveniret*; qui pro *eam beatitudinem* habet *eamdem beatitudinem.*

[d] Ms. Joliensis, *ab apposita.*

[e] Ms. Joliensis, *salvatori.*

[f] Ms. Joliens., *Venit enim.*

[g] Edit. Lugd., *prærepta est.*

[h] Plures codices, *animæque*; et post pauca ms. Remig. et edit. Mogunt., *et pœna.*

[i] Ms. Joliensis, *nec essent tenebræ.*

[j] Mss. Remig. et Joliensis, *sibi relicto.*

[k] Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *qui abstinebat amore justitiæ*, absque negante particula. Mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven., *qui non abstineret*, etc.

[l] Editiones Mogunt. et Ven., *intemperantia sua madefecit.*

[m] Lugd. et hoc recentiores, *labitur.* Mss. Corb. et Remig., Mogunt. et Ven., *labat memoria.*

[n] Mss. Remig. et Jol., Mogunt et Ven., *ut liberum arbitrium sic cæcatum esse dicatur, ut obcæcatio ipsa.*

[o] Ms. Jol., *quod a catholica fide dicimus alienum.* Edit. Mogunt. et Ven., *quod omnimodo satis alienum a catholica fide dicimus.*

[p] Ms. Corb., *quod omnino falsum.* Mogunt et Ven., *quod omnimodo falsum dicitur.* Ms. vero Joliensis, *quod omnino falsum est.*

[q] Ms. Joliensis, *damnandos.*

[r] Edit. Mogunt. et Ven., *contra omnium sensum tractatur*; tum, *ad probandum*; in hoc ultimo conveniunt mss. Joliensis et Remig.

Digitized by Google

cerit in similitudinem Dei, et [a] hoc ei fuisse colla- A tum pronuntiaverit Deus : cum in his verbis [b] significatum sit potius quid non fuerit assecutus, qui superbiæ ingressus viam, quod habebat amisit, dum quod non acceperat concupivit. Non minus autem in ipsa hujus sensus conclusione peccatum est, dum dicitur : *Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali; boni vero,* [c] *quam acceperat, scientiam non amisit.* Scientiam boni Adam tunc habebat, quando bonum sanctumque mandatum Dei fideli corde **331** servabat, et erat justus manens in imagine Creatoris sui, legisque ejus non obliviscens. Postquam autem se, hoc est, imaginem et templum Dei deceptori suo [d] vendidit, perdidit boni scientiam, quia perdidit bonam conscientiam. Justitiam enim iniquitas depulit, humili- B tatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captivitas abstulit libertatem : nec potuit ulla illic portio residere virtutum, quo tanta irruperat turma vitiorum. *Nemo* enim *potest duobus dominis servire* (*Luc.* XVI, 13); et: *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34): et, *A quo quis superatus est,* [e] *ei et servus addictus est* (II *Petr.* II, 19). Nemo autem servit, nisi cum aliqua libertate; et nemo [f] liber est, nisi cum aliqua servitute, dicente Apostolo (*Rom.* VI, 20), *Cum enim servi essetis peccati,* [g] *liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc,* [h] *in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Dei, habetis fructum in sanctificatione, finem vero vitam æternam.* Qui ita- C que servit diabolo, liber est a Deo; qui autem [i] liberatus servit Deo, liber est a diabolo : ut appareat malam libertatem potuisse haberi ex humanæ voluntatis defectu; [j] bonam autem libertatem non potuisse recipi sine liberatoris auxilio.

## CAPUT X.

*Exponitur et vindicatur locus Apostoli* Rom. II, 14, *de gentibus sine lege facientibus quæ legis sunt. Sapientia quædam in infidelibus ex naturæ a Deo conditæ reliquiis: nullus vero bonæ voluntatis motus, nisi ex Spiritu sancto.*

[*Alias* CAP. XXII.] 1. Sed ne hæc primi hominis calamitas in progeniem ejus transisse videatur, [k] quam integro sit omnium hominum natura judicio, exemplo gentium probaturus hic doctor [l] addit et dicit (*Collat.* 13 *cap.* 12) : *Denique non amisisse genus humanum post prævaricationem Adæ scientiam boni, etiam Apostoli sententia evidentissime declaratur, qui dicit* (*Rom.* II, 14), [m] *Cum enim* **332** *gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt; hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia* [n] *ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die quo judicabit Deus occulta hominum.*

2. Si de his [o] Apostolus loquitur qui ex præputio sunt vocati, et cum essent longe, [p] facti sunt prope (*Ephes.* II, 13), credentes in eum qui, quorum aliquando non misertus est, nunc autem miseretur (I *Petr.* II, 10), et justificans circumcisionem ex fide, et præputium per fidem (*Rom.* III, 30), duos condidit in semetipso, destructoque pariete inimicitiæ (*Ephes.* II, 14) Judæorum et gentium, in uno novo homine fecit pacem ; concludens omnia in incredulitate, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus (*Galat.* III, 22) : si, inquam, de his Apostolus loquitur in quorum cordibus Deus digito suo, id est, Spiritu sancto scribit novum testamentum, ut legis plenitudinem et opera charitatis naturaliter exsequantur, reformata scilicet renovataque natura; [q] quid hinc superbissimi sensus novitas adjuvatur, cum reconciliatio inimicorum non possit nisi gratiæ Mediatoris ascribi? *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* III, 23). Ergo gratia gloria est Dei, non meritum liberati. Quis enim prior dedit ei, [r] ut retribueretur illi? Nihil boni operis ex mortuis, nihil justitiæ procedit ex impiis : [s] omnis ipsorum salus gratuita est; et ideo gloria Dei est, ut qui gloriatur, in illo cujus gloria eguit glorietur (*Rom.* XI, 35).

[a] Ms. Joliensis, Mogunt. et Ven., *hoc ei fuisset collatum quod pronuntiavit* (editi duo, *pronuntiaverit*) *Deus*.

[b] Edit. Mogunt. et Ven., *significaverit*, sc. Deus.

[c] Mss. Jol. et Remig., Mogunt. et Ven., *quam habuerat*.

[d] Ita mss. Corb., Remig. et Jol.; posteriores editi, D *subdidit*.

[e] Ms. Joliensis, *ejus et servus est*.

[f] Mss. Corb. et Jol., Mogunt. et Ven. edit., *nemo libertate liber est, nisi*, etc. Ms. Remig. omittit hæc, *et nemo liber est nisi cum aliqua servitute*.

[g] Mss. Remig. et Joliensis, *liberi eratis*.

[h] Editiones Lugd., Lovan., Duac. et Colon., omittunt *in illis*. Mog. et Ven. exhibent. Postea vero quatuor prædictæ editiones, *Nunc autem liberi a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem*.

[i] Lugd., *libertus*. Duac. et Colon., *liberatur*.

[j] Mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven., *bonam autem voluntatem*.

[k] Ms. Joliensis solus, *quam suo intra se sensit omnium hominum natura judicio*.

[l] Edit. Lugdun. et illa posteriores, *addidit et dixit*.

[m] Mogunt., Ven. et Lugdun. edit., *Quoniam gentes... ea qua legis sunt*.

[n] Hoc pronomen, *ipsorum*, non legitur in ms. Remig. nec in edit. Mogunt. et Ven.

[o] Ms. Joliensis hic addit, *secundum Evangelium meum, per Jesum Christum Dominum nostrum*. Cæteri codices hæc non addunt.

[p] Lugdun. edit., *facti sunt prope credentes in eum. Quorum aliquando non misertus, et justificans circumcisionem ex fide, et præputium per fidem, duos condidit in semetipso. Et utrumque parietem inimicitiæ Judæorum et gentium, in uno novo homine solvens, fecit pacem*, etc.

[q] Edit. Lugdun., *quid hujus superbissimi sensus novitas adjuvatur?*

[r] Ms. Joliensis, *et retribuetur illi?*

[s] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt et Ven. edit. At Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *tota ipsorum salus gratia est*.

Digitized by Google

3. Sin autem (quod magis vult hic disputator intelligi) de illis ista dicuntur qui, alieni a gratia Christiana, quædam ad similitudinem legalium mandatorum proprio judicio [a] sanciebant, intelligentes mores civitatum concordiamque populorum non posse aliter contineri, [b] nisi et recte factis præmia, et peccatis pœnæ decernerentur, [c] sicut dictum est ab ipsa Sapientia Dei, *Ego ex ore Altissimi prodivi, et in omni gente primatum tenui; requiem quæsivi in Jacob et inveni* (*Eccli.* xxiv, 5). Ergo quis ambigat, hanc sapientiam humano **333** generi ad temporalis vitæ utilitatem [d], ex naturæ a Deo conditæ superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed exstincta natura. Quæ tamen etiamsi excellentissimis artibus [e], et cunctis mortalium eruditionum polleat disciplinis, justificari ex se non potest: quia bonis suis male utitur, in quibus sine cultu veri Dei impietatis [f] immunditiæque convincitur, et unde se defendi æstimat, accusatur. Cum ergo Paulus definiat, quod non ex operibus legis [g] justificatur omnis caro (*Rom.* III, 20); et quoniam in Christo neque circumcisio, neque præputium valeat aliquid, sed nova creatura (*Galat.* v, 6); [h] quid iste impiam infidelium libertatem naturalibus instruit bonis, et propriis vult justificare principiis? Quid ad renovationem [i] lacessitæ vetustatis, idoneam definit prævaricatricis scientiæ nuditatem? Quasi ista scientia vel ex naturæ opibus residua [j] consecuta, vel ex legalis doctrinæ eruditione quæsita, possit sui perceptione præstare ut quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus: aut ullus sit bonæ voluntatis motus, nisi quem creaverit diffusæ per Spiritum sanctum charitatis [k] afflatus. *Sine fide* enim *impossibile est* [l] *placere* (*Hebr.* XI, 6): et, *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23): et, *in Christo Jesu* A *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* v, 6).

## CAPUT XI.

*Liberum arbitrium nec voluntatem boni, nec possibilitatem habere, nisi per gratiam. Cur homini imperentur ea quorum facultatem non invenit in sua natura. Definitio octava Cassiani: Naturæ humanæ non id solum ascribendum quod malum est. Merita hominum nulla nisi ex gratia.*

[*Alias* Cap. XXIII.] 1. Post hæc, in conclusione testimoniorum quibus probare voluit, quod hi qui per increpationem propheticam surdi appellantur **334** et cæci, possint ex facultate naturæ et aures suas aperire ad audiendum, et oculos [m] suos ad videndum (quasi non de iisdem dicat Dominus, *Et dabo eis cor aliud, et spiritum novum dabo eis; et evellam* B *cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum; ut in præceptis meis ambulent, et justificationes meas observent, et faciant eas* (*Ezech.* XI, 19, *et* XXXVI, 26); [n] addit et dicit (*Collat.* 13, *cap.* 12): *Denique ut possibilitatem boni eis inesse* [o] *significaret, increpans eos, Quid autem, inquit, etiam ex vobismetipsis non judicatis quod justum est* (*Luc.* XII, 57)? *Quod utique non eis dixisset, nisi eos judicio naturali quod æquum est scisset posse discernere.* Jam non solum voluntatem boni, sed etiam possibilitatem libero ascribit arbitrio: tamquam ideo [p] ab eis exigatur intelligentia, ideo justitia reposcatur, quia possint hæc sine Dei donis de naturæ proferre bonis. Imperantur autem ista homini, ut ex ipso præcepto, [q] quo ei hoc quod accepit indicitur, [r] agnoscat id se suo vitio perdidisse; C et non ideo iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet idoneus non est; [s] sed a littera occidente confugiat ad spiritum vivificantem, et facultatem quam [t] non invenit in natura, quærat ex gratia. Quod si facit, magna est misericordia [u] Dei: si non facit, justa est pœna peccati.

[a] Edit. Mogunt. et Ven., *sentiebant*.

[b] Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *nisi ut*; melius, *nisi et*, ex mss. tribus ac Mogunt. et Ven.

[c] Hanc auctoritatem ex Ecclesiastici libro allatam prætereunt Lugdun., Lovan., Duac. et Colon.; habent mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. In Mogunt. tamen et Ven. legitur, *ab ipsa sapientia Deo*. In ms. vero Remig., *in omnem gentem primatum tenui*: et in ms. Joliensi desunt postrema hæc verba, *requiem quæsivi in Jacob, et inveni. Ergo*.

[d] Edit. Lugdun., *ex natura a Deo condita superesse reliquum*.

[e] Ms. Joliensis, *moralibus eruditionum*. Lugd. et ms. Remig., *moralibus eruditionum*.

[f] Lugdun. edit., *immutatæ æque convincitur:* tum pro *æstimat*, habet, *existimat*. Conformiterque ipsa recentiores et Ven. editio.

[g] Ms. Joliensis, *non justificabitur*.

[h] Lugd. edit., *quid est quod impiam infidelium libertatem naturalibus instructam bonis, propriis vult justificare principiis?*

[i] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. At posteriores editiones, *miseræ vetustatis*: et post pauca ms. Joliensis, *scientiæ libertatem*.

[j] Verbum, *consecuta* hic adjicitur ex mss. Corb., Remig. et Jol. et edit. Mogunt. et Ven.

[k] Lugd. editio, *affectus*.

[l] Lugd. et posteriores editiones, *placere Deo*. Abest, *Deo*, a mss. Corb., Remig. et Jol., et edit. Mogunt. et Ven.; soletque interdum ab Augustino præteriri, nec est Græcæ dictionis Apostoli.

[m] Hoc pronomen, *suos*, non habetur in mss. Remig. et Jol., nec in edit. Mogunt. et Ven.

[n] Edit. Lugd., Lov., Duac. et Colon., *addidit et dicit*.

[o] Edit. Lugdun. et ea recentiores, *designaret, increpans Pharisæos dixit: Quid autem ex vobis ipsis, inquit, non judicatis quod bonum est?* Lectionem nostram præfert ms. Joliensis cum Mogunt. et Ven. Nec ab ea dissentiunt mss. Corbeiensis et Remig., excepto quod pro voce *eos*, habent *Pharisæos*: cum tamen turbas alloqueretur Christus hæc dicens, non D specialiter Pharisæos. Habent insuper pro, *quod justum est*, *quod bonum est*: prius tamen textui Apostoli est conformius.

[p] Mss. Remig. et Jol. cum edit. Mog. et Ven., *ab eo exigatur... de naturæ proferri bonis*.

[q] Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon. addunt, *Dei*. Lugd. tamen postea a cæteris dissimilis, *hoc quod accepit judicetur*, forte pro *indicetur*.

[r] Mss. Corb. et Remig. cum Mogunt. et Ven., *seipsum id suo vitio*. Lugd., *Ignorat id se suo vitio perdidisse*.

[s] Ms. Joliensis, *nisi a littera*.

[t] Hoc loco Lugdun. et posteriores editiones addunt *ante*: sed hac particula carent mss. Corb., Remig. et Jol., nec non Mogunt. et Ven. editi.

[u] Lugd. et recentiores, *Domini*.

Digitized by Google

[*Alias* Cap. XXIV.] 2. Deinde ad plenitudinem A præmissæ disputationis, [a] regulari sententia pronuntiat, dicens (*Collat.* 13, *cap.* 12): *Unde cavendum nobis est, ne ita* [b] *ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi id quod malum atque perversum est humanæ ascribamus naturæ.* Quid evidentius, quid expressius secundum Pelagii Cœlestiique commentum ab ullo [c] eorum discipulo potuit definiri? Illi dicunt, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari;* [d] et iidem dicunt, *Gratiam Dei non ad singulos actus dari:* hic intra unam sententiam blasphemiam utramque conclusit dicens, *Cavendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi quod malum atque perversum est humanæ ascribamus naturæ.* Vult ergo esse multa propria hominum merita, quæ non sint **335** gratiæ largitate B collata, quibus ad augendas naturales divitias quædam desursum munera debeantur. Vult nos gratiam Dei non ad singulos actus accipere, ac [e] proinde non pro omni opere bono semper orare. [f] Atque ita consequens erit ut in Dei muneribus nullum meritum esse credendum sit, quando quidem sine merito sit quem Deus semper in omnibus adjuverit: aut si etiam in his quæ Deus tribuit, aliqua merita collocantur, constet etiam ipsa propria acquiri [g] facultate potuisse; et ideo in aliquibus [h] oporteat nos adjuvari, ut possibilius fiat per gratiam, quod non erat impossibile per naturam. Ecce jam in ista paucorum brevitate verborum, non duarum tantum, sed multarum impietatum numerosa connexio est: quæ si scrupulosioris diligentiæ discretione tractetur, in C nullo a damnati erroris catena absoluta monstrabitur.

## CAPUT XII.

*Demonstratur uberius sententiam Cassiani esse, cogitationes pias et sancta consilia absque inspiratione Dei concepta, de naturali posse prodire sapientia. Adversus quem, loci quo abutebatur expositione et aliorum adjectione ostenditur, cogitationes pias ex libero arbitrio, sine Dei inspiratione non oriri. Bona voluntas hominis sic ejus propria est, ut non nisi Deo inspirante concipiatur. Conversio quoque hominis, licet non sine ipso, non tamen ab ipso incipit.*

[*Alias* Cap. XXV.] 1. Sed ne suspicionibus agere videamur, et latebras sensuum ultra verba rimari, quid adcrescat cognitis, doceant quæ sequuntur. Qui ergo inter principia disputationis suæ dixerat, D *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium; qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi:* nunc volens probare, quod religiosæ cogitationes et sancta consilia, nulla Dei inspiratione concepta, de naturali possint prodire sapientia, ponit verba Salomonis, dicentis: *Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel: et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans; verumtamen* **336** *non tu ædificabis domum nomini meo* (III *Reg.* VIII, 17). Deinde, ut ostendat quomodo hoc intelligendum sit, infert [i] ipse tractator (*Collat.* 13, *cap.* 12): *Hæc ergo cogitatio, atque iste tractatus regis David, utrumne bonus et ex Deo, an malus et ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona et ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo a quo inspirata est, eidem negatur effectus? Si autem mala, et ex homine fuit, cur laudatur ab Domino? Restat ergo ut et bona, et ex homine fuisse credatur. In quem modum etiam nostras quotidie cogitationes possumus judicare. Neque enim aut soli David bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis,* [j] *ne quid boni umquam sapere aut cogitare possimus naturaliter, denegatur.*

2. Nullo modo hoc testimonio atque argumento [k] probari potest, quod piæ cogitationes ex solo libero arbitrio, et non ex Dei inspiratione nascantur. Non enim ideo voluntas David, quæ utique bona erat, non ex Deo fuisse credenda est, quia templum sibi Dominus non ab eo ædificari, sed a filio ipsius voluit. Quærendum ergo est, de quo spiritu processerit affectus [l] istius voluntatis, nempe de illo [m] Dei, in quo dicebat, *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum* [n] *stratus mei, si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob* (*Psal.* CXXXI, 3). Quod cum Propheta concupisceret, non ignorabat verum illud perfectumque templum ab illo esse condendum, qui cum esset Filius Dei, factus est etiam filius David; [o] quique cum videret templum a Salomone constructum, dicebat, *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud. Dicebat autem de templo corporis sui* (*Joan.* II, 19 *et* 21). Ut ergo hoc templum præfi-

[a] Editiones Mogunt, et Ven., *regulam sententia pronuntiat.*
[b] Edit. Lugdun. et ea recentiores, *ad Dominum.*
[c] In Lugd., Lovan., Duac. et Colon., desideratur pronomen, *eorum.*
[d] Editiones Lugdun. et posteriores, *et ideo dicunt.*
[e] Mss. Corbeiensis et Remig. ac Mogunt. editio, *ac perinde.*
[f] Edit. Lugdun., *Atque ita sentit, ut in Dei muneribus nullum meritum esse credendum sit, quem Deus semper adjuverit.*
[g] Ms. Joliensis, *potestate.* Editio Lugdun. totum locum aliter habet: *aut si etiam in his quæ Deus tribuit, aliqua merita esse loquantur, constet etiam,* etc.
[h] Edit. Lugd., *oportet nos juvari... quod non erat possibile.* Sed contra sensum auctoris nostri, et cæterorum codicum auctoritatem.
[i] Ms. Joliensis non habet, *ipse tractator.*
[j] Editiones Mogunt. et Ven., *ne bonum umquam.*
[k] Edit. Lugd. et eo posteriores, *probare potest.*
[l] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. Lugdun., Lovan., Duac. et Colon., *ipsius voluntatis.*
[m] Vox hæc, *Dei,* habetur in mss. Corb. et Remig. et ex Mogunt. et Ven. editionibus.
[n] Sola Ven. editio, *strati mei.*
[o] In ms. Joliensi solo post hæc, *filius David,* omissis quæ interjacent, statim additur, *Unde ait Evangelista, Dicebat autem de templo corporis sui.*

Digitized by Google

gurareretur, quod in Christo et in Ecclesia disponebatur, merito ad [a] instructionem ejus non David eligitur, sed filius David : ut per filium hominis [b] significaretur Filius Dei et hominis, et per templum dissolubile indicaretur tabernaculum incorruptibile; ad cujus condendam imaginem et voluntas David probata est, et opus in eum translatum est cujus persona magis eidem imagini congruebat. [c] Atque ita et ex Deo erat hoc velle David, et ex Deo erat hoc facere Salomonem.

3. Quod ut exemplis magis elucescat, requiramus **337** ubi fieri Deus [d] noluerit, quod homines facere Deo volente voluerunt. Dominus [e] præcepit apostolis, dicens, [f] *Euntes ite, et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et docentes eos servare omnia quæcumque* B *mandavi vobis* (*Matth*. xxviii, 19). Quod cum apostoli [g] audirent, sine dubio non verba nuda per corporales sonos exterioribus tantum auribus acceperunt, sed virtute [h] viventis verbi accensa est in cordibus eorum inexstinguibilis flamma charitatis, qua ardentissime vellent Evangelium Christi omnibus gentibus prædicare. [i] Sed cum vetiti sunt loqui verbum in Asia, et cum tentarent ire in Bithyniam, prohibiti sunt ab Spiritu Jesu (*Act*. xvi, 6 *et* 7) : numquid non ex Deo hanc voluntatem habebant, quod etiam istorum optabant ad fidem corda convertere, quos occulto judicio Deus Evangelium tunc nolebat audire? Aut quod Ecclesia quotidie pro inimicis suis orat, id est, pro his qui [j] necdum Deo crediderunt, numquid non ex Spiritu Dei facit? Quis hoc dixerit, nisi C qui hoc non facit, aut qui putat fidem non esse Dei donum? [k] Et tamen quod pro omnibus petitur, non pro omnibus obtinetur. Nec est iniquitas apud Deum, qui sæpe postulata non tribuit, quæ [l] postulare donavit.

[*Alias* Cap. XXVI.] 4. Bonam igitur voluntatem, eam scilicet [m] qua adhæretur Deo, nec negandum A est hominis esse propriam, et confitendum est Deo inspirante conceptam. Nam cum nemo sit bonus, nisi solus Deus (*Luc*. xviii, 19), quale erit bonum quod auctorem non habet bonum? Naturæ quippe humanæ, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, et sensus, et ratio, cæteraque corporis atque animi bona, quæ etiam malis vitiosisque non desunt : [n] sed non in his habet veri boni perceptionem, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam autem conferre non possunt. Neque enim ignotum est, [o] quantum Græcæ scholæ, Romana eloquentia, et totius mundi inquisitio, circa inveniendum summum bonum, acerrimis studiis, et excellentissimis ingeniis laborando nihil egerint, nisi ut evanescerent in cogitationibus suis, et obscuraretur cor insipiens eorum (*Rom*. i, 21), qui [p] ad cognoscendam veritatem **338** semetipsis ducibus utebantur. Si ergo quis de ærumnosis vanitatibus et insaniis fallacibus erubescens, tenebras esse et mortem quidquid pro lumine et vita amplectebatur intelligit, et ab his se conatur abstrahere; non est ab ipso, quamvis non sine ipso sit, ista conversio; nec propria virtute ad principia salutis enititur : sed agit hæc occulta et potens gratia Dei, quæ, [q] remotis terrenarum opinionum et operum mortuorum favillis, torrem obruti cordis excogitat, et desiderio veritatis inflammat : non ut invitum hominem subigat, sed ut subjectionis cupidum faciat; nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem sequentemque præcedat. Manens enim liberum arbitrium, [r] quod utique cum ipso homine Deus condidit, a vanitatibus et cupiditatibus suis, in quas neglecta Dei lege [s] defluxit, non a seipso, sed a Creatore mutatur ; ut quidquid in eo [t] in melius reficitur, nec sine illo sit qui sanatur, nec nisi ab illo sit qui medetur; cujus sumus nova creatura novumque figmentum, creati in Christo Jesu in operi-

[a] Editiones Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *ad exstructionem*. Corbeiensis et Remigianus mss. cum edit. Mogunt. et Ven., *ad instructionem*. Jolianus vero codex manu exaratus, *ad constructionem*.

[b] Hæc verba, *significaretur Filius Dei et hominis*, absunt a Lugdunensi codice.

[c] Editio Lugd., *Atque ita hoc ex Deo erat velle David, et ex Deo erat hoc ferri a Solomone*. Quæ editio, ut veteres passim, *Solomonem* legit, pro *Salomone*.

[d] Editi Mogunt. et Ven., *voluerit*, sed male. Item ms. Jol., *Deo nolente :* nec forte melius. Lugd. editio, *ubi facere Deus voluerit, quod omnes facere Deo volente voluerunt :* ubi *voluerit* pro *noluerit* potuit irrepsisse.

[e] Edit. Lugd. et posteriores, *apostolis suis præcepit*.

[f] Ms. Joliensis, Mogunt. et Ven. edit., *Euntes docete*. Idem ms., *baptizantes eas*.

[g] Ms. Joliensis, *audissent.... perceperunt*.

[h] Sic mss. Corb., Remig. et Jol. nec non Mogunt. et Ven. At Lugdun. et quæ secutæ sunt editiones, *jubentis verbi*.

[i] Sic ms. Corb. et ex eo edit. hujus libri in append. tomi X. Augustini operum., cum Lovan. et recentioribus. Ms. Remig., *Sed cum vetiti sunt verbum in Asia loqui, et ire in Bithyniam prohibiti sunt*. Ms. Jol., *sed cum voluissent loqui verbum in Asia, et* D *ire in Bithyniam, prohibiti sunt a Spiritu Jesu*. Edit. Mogunt. et Ven. accedunt ferme ad ms. Corb. et textum nostrum, omisso *cum* ante *tentarent*. Lugd. vero, *Sed cur vetiti sunt loqui verbum in Asia, et ire in Bithyniam? Prohibiti sunt a Spiritu Jesu*.

[j] Lugdun. et posteriores, *qui nondum crediderunt*.

[k] Sola Lugdun. editio, *et tunc cum pro omnibus petitur*.

[l] Ms. Joliensis, *postulari donavit*.

[m] Edit. Lugd., *qua adhæret Deo*.

[n] Ita ms. Corb. Remig. et Jol. Edit. Mogunt. et Ven., *sed in his non habet veri perfectionem*. Lugd., *sed non in aliis*. Lovan., Duac. et Colon., *sed non in illis veri boni perceptio est*.

[o] Mogunt. et Ven. editi, *quod Græcæ scholæ*. Mss. Corb. et Remig., Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *quantum Græciæ scholæ, quantum Romana eloquentia*, etc. Ms. Jol., *Romanaque eloquentia*.

[p] Lugd., *ob noscendam;* Lovan. et recentiores illa, *ad noscendam*.

[q] Edit. Lugd. et recentiores, *dimotis*. Idem Lugd. codex, *terrorem*, ubi alii, *torrem*. præter ms. Remig., qui habet *scintillam;* ms. Jol., *torrem mortui cordis*.

[r] Mss. Corb., Remig. et Jol.; Mogunt. et Ven. edit., *quod unicuique*.

[s] Lugdun. editio, *fluxerat*.

[t] Ms. Joliensis omittit hæc, *in melius*.

Digitized by Google

bus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus (*Ephes.* II, 10).

## CAPUT XIII

*Definitio nona Cassiani: Omni animæ inesse naturaliter virtutum semina, a Creatore inserta. Refellitur, quia peccatum originale evertit. Virtutes in impiis veras non esse, sed omnia opera eorum immunda. Virtutum sive meritorum principia nulla in nobis ante gratiam. In ingeniis impiorum, licet multa laudabilia, non tamen veræ virtutes. Confutat id quod ex Pastoris libro apocrypho probare voluerat Collator, Hominem, etiam ante gratiam, ad bonum et malum æqualiter se habere.*

[*Alias* CAP. XXVII.] 1. Nunc jam videamus quo disputantis progrediatur intentio. *Dubitari ergo*, inquit (*Collat.* 13, *c.* 12), *non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris* B *inserta. Sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire: quia secundum beatum Apostolum, neque qui plantat est* **339** *aliquid, neque qui rigat*, [a] *sed qui incrementum dat Deus. Adjacere autem homini in quamlibet partem arbitrii libertatem, etiam liber ille qui dicitur Pastoris, apertissime docet: in quo duo angeli unicuique nostrum adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus; in hominis vero optione consistere, ut eligat quem sequatur. Et idcirco manet in homine liberum semper arbitrium*, [b] *quod gratiam Dei possit vel negligere vel amare.* Si dubitari non potest, *inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta:* solus Adam prævaricatus est, et in peccato ejus nemo peccavit; in nullis iniquitatibus concepti sumus, et in nullis nos matres C nostræ peperere delictis (*Psal.* L, 7); non fuimus natura filii iræ, nec fuimus sub potestate tenebrarum (*Ephes.* II, 3; *Coloss.* I, 13); qui, manentibus in nobis naturaliter virtutibus, filii potius nati sumus pacis et lucis. Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cum vitiis habitare non possunt. *Quæ enim participatio*, inquit Apostolus, *justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras* (II *Cor.* VI, 14)? Virtus namque principaliter Deus est: cui non aliud est habere virtutem, quam esse virtutem. Hujus cum participes sumus, [c] habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus et Dei sapientia (I *Cor.* I, 24); habitat fides, spes, charitas, continentia, intellectus, consilium, fortitudo cæteræque virtutes. Cum vero [d] ab hoc bono recedimus, omnia nobis D e contrario oriuntur ex nobis. Discedente enim pulchritudine, quid succedat nisi deformitas? abeunte A sapientia, quid resideat nisi insipientia? non regnante justitia, quid dominetur nisi iniquitas?

2. Virtutum itaque semina, quæ beneficio Creatoris inserta sunt, prævaricatione primi parentis eversa sunt; nec haberi queunt, nisi eo restituente qui dederat. Reformabilis enim est natura humana [e] formatori suo, et eorum bonorum quæ habuit, capax est: ut per mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, in eo ipso quod ei remansit, possit recuperare quod perdidit. Remansit autem ei rationalis animus, qui non virtus, sed virtutis habitaculum est. [f] Ex participatione enim sapientiæ, et justitiæ, et misericordiæ, non sapientia, neque justitia, neque misericordia; sed sapientes, et justi, et misericordes sumus. Quæ bona, quamvis rationale nostrum vitiis occupatum sit, et prævaricantibus nobis Dei templum spiritus immundus invaserit, possunt tamen rursus in ipsum rationale **340** confluere, per eum qui mundi principem foras mittit (*Joann.* XII, 31), et ligans fortem, vasa ejus rapit (*Marc.* III, 27), fugatoque mundi hujus spiritu, [g] dat Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis (I *Cor.* II, 12). *Qui* autem *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9).

[*Alias* CAP. XXVIII.] 3. Puto autem istum veri similitudine decipi, et in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis [h] æstimat reperiri; ideo scilicet, quia multi eorum sint justitiæ, temperantiæ, continentiæ, et benevolentiæ sectatores: quæ omnia non frustra quidem, neque inutiliter habent, multumque ex eis in hac vita honoris et gloriæ consequuntur: sed quia in iis studiis non Deo, sed diabolo serviunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam [i] tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. [j] Et ita manifestissime patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem, sed animalem; non cœlestem, sed terrenam; non Christianam, sed diabolicam; non a Patre luminum, sed a principe tenebrarum; [k] dum et ipsa quæ non haberent nisi dante Deo, subdunt ei qui primus recessit a Deo.

4. Qui ergo dicit, sine ullo opere gratiæ, *naturaliter omni animæ semina inesse virtutum*, quid laborat ostendere, nisi de istis seminibus [l] quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum?

[a] Hæc verba, *quia secundum..... sed qui incrementum dat Deus*, omissa fuerant in ms. Remigiano et Joliensi: in editionibus quoque Mogunt., Ven. et Lugd. Supra vero vox *Dei*, post *opitulatione*, non legitur in Remig. et Jol. mss., nec in Mogunt. et Ven. edit.

[b] Ms. Joliensis, *quo gratiam Dei possit negligere.*

[c] Edit. Mogunt. et Ven., *habitat in nobis qui est*, absque voce, *Christus.*

[d] Edit. Mogunt. et Ven., *ab hoc honore cedimus.*

[e] Editi Mogunt. et Ven., *a formatore suo.*

[f] Ms. Joliensis omittit præpositionem *ex.*

[g] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. At Lugd. et illo recentiores, *largitur nobis Spiritum.*

[h] Editi Lugdun., Lovan., Duac. et Colon., *existimat.*

[i] Editiones Mogunt. et Venet. carent hac particula, *tamen.*

[j] Editiones Mogunt. et Ven., *etiam.*

[k] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., cum editis Mogunt. et Ven. At Lugdun. et posteriores edit., *dum per ea ipsa quæ non haberent nisi dante Deo, subduntur ei*, etc.

[l] Mss. Corb., Jol. et edit. Mogunt. et Ven., *quædam semina.*

Digitized by Google

Denique ut videretur aliquid gratiæ tribuisse: *Ad perfectionis*, ait, *incrementum semina hæc pervenire non poterunt, nisi opitulatione Dei fuerint excitata:* ut scilicet opitulatio Dei sit cohortatio atque doctrina, mens autem, quæ virtutum est opulenta seminibus, utatur facultate quam possidet; ad hoc tantum juvanda, ut earum virtutum apprehendat culmina, quarum sibi scit inesse principia. [*Alias* CAP. XXIX.] Igitur [a] secundum istum humana anima sic ædificabitur in Dei templum, ut non accipiat fundamentum præter quod aliud nemo potest ponere, quod est Christus Jesus (I *Cor*. III, 11). Quando autem hoc fundamentum [b] incipitur, nisi quando fides in audientis corde generatur? Quæ si naturaliter inerat, non cœptum ibi est aliquid, sed [c] superstructum. Superflue ergo infidelis videbatur, qui fidem habebat antequam crederet. Hoc autem et de aliarum virtutum principiis potest dici, quas gratia augere debeat quia sunt, non donare **341** quia desunt. Sed aliud nos omnia sanctarum Scripturarum eloquia docent. Legimus principium esse sapientiæ timorem Domini (*Prov*. I, 7), et legimus donum Dei hanc esse virtutem (*Ibid*. IX, 10). *Timor*, [d] inquit, *Dei super omnia se superposuit:* [e] *beatus homo cui donatum est habere timorem Dei* (*Eccli*. XXV, 14 *et* 15). Cum ergo timor Dei principium sit sapientiæ, quæ virtus haberi potest sine sapientia, [f] cui ex timore principium est? Beatus apostolus Petrus, *Gratia vobis*, inquit, *et pax adimpleatur* [g] *in recognitione Domini nostri Jesu Christi, qui nunc omnia nobis divina virtute sua, quæ ad vitam et pietatem pertinent, donavit* (II *Petr*. I, 2). Numquid ait, Qui virtutum semina, quæ naturaliter habebamus inserta, opitulatione sua excitavit in nobis? [h] Sed ait, *Qui nunc omnia nobis quæ ad vitam et pietatem pertinent, donavit*. [i] Quod dicendo, cujus virtutis initium in natura posuit, quod non ab eo collatum sit qui cuncta donavit? Propter quod et beatus Paulus: *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor*. IV, 7)?

5. Ergo omnia quæ ad vitam et pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata est, habemus; [j] sed per gratiam, qua natura reparatur, accepimus. Nec ideo [k] æstimare debemus in naturalibus thesauris principia esse virtutum, quia multa [l] laudabilia reperiuntur etiam in ingeniis impiorum. Quæ ex natura quidem prodeunt; sed quoniam ab eo qui naturam condidit recesserunt, virtutes esse non possunt. Quod enimvero illuminatum est lumine, lumen est; et quod eodem lumine caret, nox est. [m] Quia *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (I *Cor*. III, 19). Ac sic vitium est quod putatur esse virtus, quando quidem stultitia est quod putatur esse sapientia. [n] Quando autem fieri potest, ut qui in naturalium virtutum seminibus, quæ iste magnificat, gloriantur, ipsas virtutes suas ei doctrinæ subjiciant provehendas, quæ dicit, *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat*, **342** *ut sit sapiens* (I *Cor*. III, 18); et, *Quia in sapientia Dei non cognovit hic mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (I *Cor*. I, 21)? Quid illa [o] scientiæ sapientiæque præsumptio magis ineptum esse censeat magisque ridendum, nisi Spiritus Dei aspernationem subegerit superborum, rationesque illas quæ ignotæ veritati canina facundia repugnabant, gratiæ suæ virtute destruxerit: ut semen verbi præsulcata cordis terra concipiat, et dignos æternis horreis fructus Dei agricultura producat?

[*Alias* CAP. XXX.] 6. [p] Post illud autem nullius auctoritatis testimonium quod disputationi suæ de libello Pastoris inseruit, ex quo ostendere voluit, inter boni et mali angeli contrarias suasiones, ita omnem hominem naturali judicio et propriæ discretioni esse commissum, ut ei non plus a Deo præsidii, quam a dia-

[a] Edit. Lugd. et posteriores, *secundum istud*.
[b] Editiones Mogunt. et Ven., *accipitur*.
[c] Lugdun. et eo recentiores, *superinstructum*.
[d] Ms. Joliensis, *Timorem*, inquit, *Dei super hæc omnia posuit*. Lugd. editio, *Timorem Domini*, inquit, *super omnia posui*. Lov., Duac. et Col., *Timor Domini*, inquit, *super omnia se superposuit*.
[e] Mss. Corb. et Remig., *beatus homo*. Hanc vocem *homo* parenthesi incluserant Lovan., Duac. et Colon., ut dubiæ auctoritatis: omittunt Mogunt., Ven. et Lugd. Ms. Jol., *beatus vir*. Pro *timorem Dei*, mss. Jol., Lugd. et eo posteriores habent, *timorem Domini*.
[f] Lugd. et posteriores, *cujus*.
[g] Editi Mogunt. et Ven., *in cognitione..... omnia in nobis*.
[h] Lugdun. editio, *an quæ ad vitam et pietatem pertinent donavit*, cæteris omissis.
[i] Hæc phrasis tota omittitur in Mogunt, et Ven. In qua edit. Colon., pro *collatum sit*, habet, *collocatum sit*.
[j] Edit. Mogunt. et Ven., *sed per naturam, quæ gratia reparatur, accepimus:* quam partem præterit omnino editio Lugdun.
[k] Lugd. et posteriores, *existimare*.
[l] Lugd. et recentiores, *laudanda*.
[m] Ms. Joliensis, *Quid sapientia hujus mundi? Stultitia est*. Editiones Mogunt. et Ven., *Ac sic vitium est quod putatur esse sapientia, quando stultitia est quod putatur esse virtus*.
[n] Ita legunt uniformiter. Mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. edit. At Lugdun., Lovan., Duac. et Colon., *Quomodo autem fieri potest, ut is qui in naturalium virtutum seminibus exuberare se putat, quas ipse magnificas esse gloriatur* (Lov., Duac. et Colon. in margine, *quæ iste magnifica gloriatur*)..., *subjiciat?*
[o] Ita hunc locum exhibent mss. Corb. et Remig., nec non edit. Mogunt. et Ven.; quæ editiones pro *præsulcata*, habent *præsulcati cordis*. At Lugd. et ea recentiores, *Quid illa scientia, scientiæque præsumptio, magis ineptum cernat..... quæ ignotæ virtuti?* Ms. Joliensis, *Quid illa inscientius sapientia, quid illa præsumptione magis ineptum, magisque ridendum, nisi*, etc., *ignitæ veritati... præsulcati cordis?*
[p] Ita legimus in mss. Corb. et Remig. nec non in edit. Mogunt. et Ven. Ms. Joliensis sic habet locum istum, *Illud autem nullius est auctoritatis testimonium quod..... ex quo ostendere voluit inter boni et mali angeli..... Postea vero addidit definitionis suæ regulam*. Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *et quo ostendere voluit, inter boni et mali contrarias suasiones*, etc., *addidit*, etc. Vide supra initio capitis hujus.

Digitized by Google

bolo sit periculi, addidit [a] definitionis suæ regulam, dicens : *Et idcirco manet in homine liberum semper arbitrium*, [b] *quod gratiam Dei possit vel negligere, vel amare.* In qua sententia etiam hoc quod ait, [c] in homine remanere semper liberum arbitrium, ex aliqua parte non constat : si quidem multa millia infantium in regnum Dei assumptorum, aut a regno Dei extraneorum, sine ullius suæ voluntatis arbitrio gratiam Dei aut accipiant, aut amittant; multique excordes ad omnia prorsus et fatui, per sacramentum regenerationis ab æternæ mortis vinculis eruantur. Accipiamus tamen ita hoc dictum, ut ad eos proprie pertineat hæc definitio, qui uti possunt libera voluntate. Itane libera est ista libertas, [d] ut quantum ex se habeat fastidii ut negligat gratiam Dei, tantum ex se habeat delectationis ut diligat? Itane illum [e] vetustæ infidelitatis glacialem rigorem nullus meridiani caloris spiritus relaxavit, et torpor mentis obstrictæ de suo algore concaluit; [f] et dicente Domino, *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49), **343** nulla ad cor frigidum scintilla pervenit, et cinis mortuus a semetipso in flammam charitatis exarsit? Nihil tale [g] in istis gratiæ amatoribus factum est, quale illi experti sunt, qui dicebant, *Nonne cor nostrum erat ardens* [h], *cum essemus cum illo in via, et aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)? Sed nec illud in eisdem actum est quod [i] in Lydia, civitatis Thyatirorum purpuraria, quæ inter mulieres, quibus illic Apostolus prædicabat, sola tunc ostenditur credidisse, *Cujus*, inquit, *cor aperuit Deus, ut intenderet his quæ a Paulo dicebantur* (*Act.* XVI, 14). Et tanta est secundum istum liberi arbitrii [j] incolumitas et facultas, ut charitatem, quæ in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeant voluntate. Quid ergo in anima a suo ædificatore [k] reparatur? aut qua largitate gratiæ fiet ornatior, si illa sunt ei propria, sine quibus non possunt prodesse donata? Sed Apo-

A stolus, qui profitetur, sine charitate non operationes miraculorum, non scientiam, non fidem, non prophetiam, non erogationes divitiarum, non ipsam sævissimorum suppliciorum prodesse tolerantiam (I *Cor.* XIII, 2 *et* 3), unde habeatur ipsa charitas non tacet : *Quoniam charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5) : et, [l] *Pax*, inquit, *fratribus cum charitate et fide, a Deo Patre et Domino Jesu Christo* (*Ephes.* VI, 23). Sanctus etiam Joannes apostolus instruat nos, unde hujus boni cœperimus esse participes. *Charissimi*, inquit, *diligamus nos invicem, quia dilectio ex Deo est* (I *Joan.* IV, 7). Et ne [m] possemus opinari ideo dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic [n] satus esset affectus, paulo post ait, *Non quod nos dilexe-*
B *rimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos* (*Ibid.*, 10): et iterum, *Nos diligamus Deum*, [o] *quia prior dilexit nos* (*Ibid.*, 19). Agnoscat ergo humana egestas, hoc quod de quibuslibet bonis recte dicitur, multo rectius sibi dici de eo sine quo bona cuncta non prosunt; [p] *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)?

## 344 CAPUT XIV.

*Cassianus liberi arbitrii vigorem demonstrare aggressus. Definitio decima Cassiani : Job suis viribus vicisse diabolum, non auxilio gratiæ : nisi quatenus Deus non majorem tentatori dedit potestatem, quam illi noverat inesse virtutem. Cassiani fraus : catholicam sententiam de gratia in disputationis principio prædicat, et eamdem postea impugnat. Ad præcipitia Pelagiana gradatim decurrit.*

C [*Alias* CAP. XXXI.] 1. Post hæc [q] autem, cum tantum homini tribuisset ante gratiam, quantum ei fructuosissimum est habere per gratiam, addidit quædam perplexa atque confusa, ad vigorem liberi arbitrii demonstrandum; et de his quæ jam donatis sibi [r] viribus facit, vult illa munire quæ ei naturaliter

[a] Mss. Corb., Lugd. et posteriores editiones, *definitioni suæ*. Mss. Remig. et Jol., ut edit. Mogunt. et Venet., *definitionis suæ*.

[b] Edit. Lugdun. et posteriores, *quo gratiam Dei possit*.

[c] Sic mss. Corb. et Remig. et Joliensis. Edit. Mogunt. et Ven., *remanere in homine liberum semper*. Lugd. et recentiores, *manere in homine liberum semper arbitrium*.

[d] Mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven., *ut tantum ex se habeat*, etc. Editiones Lugd., Lovan. Duac. et Colon., ut in textu. Lugd. pro *delectationis* habet *dilectionis* : idemque in marginem conjecerunt Duac. et Colon.

[e] In ms. Joliensi abest, *vetustæ*. In Remigiano legitur, *itane vetustæ ullum*.

[f] Sic mss. Corb., Remig. et Jol. cum Mogunt. et Ven. At vero Lugd. et posteriores, *ut dicente Domino..... scintilla pervenerit.... in flammam charitatis exarserit*.

[g] Editiones Lovan., Duac. et Colon., *in istius gratiæ damnatoribus* : in margine, *in istis*. Mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. et antiqua Lugdun., *in istis gratiæ amatoribus*; quæ ad oram libri notatum præfert., *Forte legendum est, in istis gratiæ damnatoribus*. Mss. et antiquiorum ex editis lectio præferenda visa est : in qua hanc sententiam et proxime sequentes, non simpliciter, sed figurate accipiamus per interrogationem ex judicio eruditissimorum virorum qui operum S. Augustini editionem ultimam procurarunt.

[h] Editiones Mogunt. et Ven. addunt, *in nobis*. Alii codices nostri minime.

[i] Ms. Corb., Lugd. et posteriores editiones, *de Lydia*. Idem ms. cum Remig. et Joliensi, *cor aperuit Deus*. Alii, *cor aperuit Dominus*.

[j] Editi Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *Vel incolumitas vel facultas, ut..... habeat*. Lugd. *habeant* : cum mss. Corb., Remig. et Jol., et Mogunt. et Ven.

[k] Lugdun. et illo recentiores, *parabitur*.

D [l] Editiones Mogunt. et Ven. conformiter textui Apostolico, *Pax, inquit, fratribus, et charitas cum fide*.

[m] Ms. Remig. cum Lugdun. et posterioribus editis, *possimus*.

[n] Ms. Remig., *hic salutis esset affectus*. Ms. Jol., *hic esset affectus*. Ms. Corb., *hic saltus*. Edit. Lugd. *hic salvus esset effectus*.

[o] Ms. Joliensis, *quoniam ille prior*. Posterior hic Scripturæ locus aberat ab editione Lugdunensi.

[p] Hic locus desideratur in ms. Joliensi.

[q] In ms. Joliensi ac Mogunt. et Ven. deest *autem*. Post pauca Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *quantum ei fuerat fructuosissimum, addidit quædam perplexe atque confuse*. Mog. et Ven., *addit* : cætera ut in textu.

[r] Edit. Mogunt. et Ven., *virtutibus*. Idem margini

Digitized by Google

inesse definit; ut quod est per adjutorium Dei perfecisse, hoc sit ex liberi arbitrii libertate cœpisse. Verum hæc ut tolerabilia transeamus: quia et nos liberum arbitrium ideo dicimus, bonæ voluntatis affectum fideique principium, operante gratia concepisse, ut per hæc quæ illi nullo merito præeunte donata sunt, ea quæ [a] operaturo sunt promissa mereatur; ab illo semper petens posse aliquid boni facere, qui ait, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). [*Alias* CAP. XXXII.] His itaque prætermissis, id quod de sancti Job passionibus posuit, retractemus. Ait enim (*Collat.* I, *c.* 14): *Quod etiam in Job probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetisset ad singulare certamen, divinam legimus providisse justitiam. Si enim contra inimicum, non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, et absque ulla virtute* [b] *patientiæ suæ, divina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles et exitia pertulisset, quomodo non illam calumniosam diabolus, quam prius emiserat vocem, adversus eum justius iterasset, Numquid Job gratis* [c] *colit Deum? Nonne tu vallasti eum,* [d] *ac domum ejus, et universam substantiam ejus per circuitum? Sed aufer manum tuam, hoc est, sine eum suis mecum viribus decertare,* **345** *nisi* [e] *in faciem tuam benedixerit tibi* (*Job.* I, 9). *Sed cum nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam et illum resistendi noverat habere virtutem: non eum ab illius impugnatione sic protegens, ut nullum virtuti humanæ relinqueret locum; sed hoc tantum procurans, ne violentissimus inimicus animam ejus amentem faciens* [f] *et impotem sensu, impari eum atque iniquo certaminis pondere prægravaret.*

[*Alias* CAP. XXXIII.] 2. Quis hæc prædicari [g] a catholicis inter catholicos crederet, nisi quæ in collocutionibus domesticis sæpe defensa sunt, etiam scripta legerentur? Itane in omnibus hominibus intelligentiæ caligat obtutus, et a cunctis Ecclesiæ filiis spiritus scientiæ et pietatis abscessit, ut non [h] erubescant ingerere se judiciis legentium tam inhonesta menda-

A cia? Vir gravis, doctor sapiens, verax magister, redde nobis catholicam definitionem, qua inter initia disputationis tuæ aures nostras mentesque cepisti. Pronuntiaveras [i] fidem Christiana voce ecclesiasticam, *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium* (*Supra, c.* 2, *n.* 2): *qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jacob* I, 17); *qui et inspirat quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis* [j]: et hujus sententiæ soliditate omnia hostilium reliquiarum machinamenta confregeras. Cur professione mutata, quod destruxisti ædificas, quod tuebaris impugnas? Cur invictissimæ
B veritatis [k] arce deserta, gradatim ad præcipitia Pelagiana decurris? Qui enim definieras, neque sanctarum cogitationum, neque piarum voluntatum, neque bonorum actuum ex nobis esse principia; sed inspiratione Dei gratiæque ejus auxilio bona in nobis cuncta generari, et ad profectum perfectionemque perduci: paulo post cœpisti donis gratiæ liberi arbitrii æquare conatus; ut principia quæ Deo assignaveras, posse hominem a semetipso habere monstrares, dicendo (*Supra, c.* 3, *num.* 3), *Quia etiam suis interdum motibus homo* **346** *ad virtutum appetitus* [l] *possit extendi, semper vero a Domino indigeat adjuvari:* et iterum dicendo (*Supra, c.* 4, *num.* 2), *Etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire*
C *principia: quæ tamen nisi a Domino dirigantur,* [m] *ad consummationem virtutum pervenire non possint.* Et post hæc, ut quosdam præveniri [n] a gratia ostenderes, in quorumdam autem præeuntibus meritis causam percipiendæ gratiæ collocares, dixisti (*Supra, c.* 5, *num.* 1), *Quid ex quo pendeat dubitari: id est, utrum, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium?* Quas duas regulas ne in ambiguo relinqueres, [o] utramque exemplis, ut tibi visum est idoneis, munire curasti; unam de Pauli et Matthæi coactitia conversione confirmans, [p] aliam de Zacchæi et latronis volun-

apposuere Lovan., Duac. et Colon. Postea Mogunt., *vult illa unire.* Ven., *venire.* Deinde iidem codices, *arbitrii libertate:* ubi Lugd. et posteriores, *per arbitrii libertatem.* Mss. tres, *ex arbitrii libertate.*

[a] Editio Lugdun. et posteriores, *operaturis.*

[b] Edit. Mogunt. et Venet., *sapientiæ suæ..... et exitium pertulisset.*

[c] Lugdun. et recentiores, *colet Deum.*

[d] Hæc verba, *ac domum ejus*, non legimus in mss. Remigiano et Joliensi, nec in Lugd.

[e] Ms. Jol., *in faciem*, absque pronomine, *tuam.* Ven. editio, *maledixerit tibi.*

[f] Ms. Joliensis, *et impotem sensus.*

[g] Edit. Mogunt. et Ven., *catholicis*, sine præpositione *a*: et infra pro *collocutionibus*, Lugd. et recentiores illo habent, *colluctationibus*; nec dissentit ms. Joliensis.

[h] Lugdun. et Lovan., *ut non erubescant ingerere judiciis legentium tam inhonesto mendacio.* Edit. Mogunt. et Venet., *ut non erubescat ingerere judicio legentium tam inanes fabulas, tam inhonesta mendacia vir gravis*, etc. Ms. Jol., *ut non erubescant..... tam inanes fabulæ, tam inhonesta mendacia? Vir gravis*, etc. In ora Duac. et Colon., qui legunt ut Mog. et Ven., post *tam inhonesta mendacia*, apposito comate, *Vir gravis*, etc.

D [i] Ita mss. Corb. et Remig. cum edit. Mogunt. et Ven. At Lugdun. et illo recentiores editiones, *fidem Christianam, voce ecclesiastica.* Ms. Joliensis, *fide Christiana, voce ecclesiastica.*

[j] Ms. Joliens., *hujus enim.*

[k] Ms. Joliensis, *arce destructa.*

[l] Lugdun. et posteriores, *posset extendi, semper vero a Domino indiget adjuvari.*

[m] Ms. Joliensis, *ad consummationem pervenire*, omissa hac voce, *virtutum.*

[n] Ms. Rem. et edit. Lugdun., *ad gratiam.*

[o] Editiones Mogunt. et Ven., *utrumque.*

[p] Ms. Jol., Lugd. edit. et posteriores, *alteram.*

Digitized by Google

tria fide roborans; quorum desiderium [a] tam violentum dicis fuisse (*Supra, c. 7, num. 1*), *ut ad invadendum regnum cœlorum specialia vocationis* [b] *monita prævenirent*. Deinde progressu disputationis, ut incolumitatem interioris hominis patefacias (*Supra, c. 9, num. 2*); ipsum *Adam concepisse quidem, quam non habebat*, [c] *scientiam mali; sed quam acceperat boni scientiam, non amisisse* confirmas. Cumque hoc etiam ex comparatione impiorum probare voluisses, in id usque prolapsus es, ut proclamares (*Supra, c. 11, num. 2*), *Cavendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi quod malum est humanæ ascribamus naturæ*. Et ne hanc [d] naturam ullas in prævaricatione Adæ crederemus amisisse virtutes, definisti tam incolumes esse omnium hominum animas naturaliter, quam fuit primi hominis ante peccatum, dicendo (*Supra, c. 13, num. 1*), *Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta*. Consideratis ergo his definitionibus tuis, non est occultum, quantum ab illius sententiæ sanitate desciveris, in qua quod tribuendum erat gratiæ fallaciter prædicando, catholicarum tibi aurium judicia conciliare voluisti, quibus de [e] præmissæ professionis fronte securis, facile sequentia irreperent, si prima placuissent.

## 347 CAPUT XV.

*Libero arbitrio quantas vires tribuat Cassianus. Job in conflictu cum diabolo sua ipsius virtute vicisse putat. Contra probatur Job vicisse auxilio Dei. Tolerantiæ fortitudo non nisi ex gratia Dei. Cassiani error, virtutem resistendi habuisse Job ex libero arbitrio, non ex gratia.*

[*Alias* Cap. XXXIV.] 1. Sed hactenus ne in totum videreris a præfixa regula discrepare, ita virtutum meritorumque principia [f] a libero arbitrio ad gratiam transtulisti, [g] ut ipsos bonorum desideriorum voluntarios motus sine auxilio Dei nec provehi fatereris posse, nec perfici: nunc vero remoto longius Deo, et a sustentatione hominis separato, tantam libero arbitrio [h] potentiam tribuis, ut non solum amissionem multiplicium facultatum, et totius simul familiæ ac necessitudinum acerbissimum finem constanter æquanimiterque suscipiat; sed ipsius quoque corporis proprii ineffabiles cruciatus proposito nudæ voluntatis evincat. Et ut dubitari hinc disputante te

A nequeat, sancti Job constituis exemplum, qui adversus illam insignem diabolicæ sævitiæ crudelitatem sine Dei præsidio decertarit: et argumento probare niteris, quod ipse cruentissimus inimicus confessus sit, non Domini, sed Job se virtute superatum, in eo quod sibi in graviore conflictu gratiam Dei obstitisse non dixit: quasi vir ille in damnis atque orbitatibus debuerit superna protectione circumtegi, in carnis autem suæ animæque tormentis non eguerit adjuvari. Si ergo hac magnitudine animi, [i] quam illata per singulos omnesque artus tot mortium pœna non superat, [j] nihil inter sanctorum palmas memorabilius, nihil invenitur illustrius, [k] eamque asseris ex humana tantum virtute subsistere: quid erit laudis ac meriti, quod inter studia quietis et pacis nequeat arbitrii obtinere libertas, quam in tanti fine
B certaminis de suis viribus coronasti?

2. Quæro igitur abs te, videaturne tibi vir iste, cum illis quæ legimus suppliciis probaretur, habuisse [l] in se Spiritum sanctum? Si habuisse dicis, certum est quia Deus quem non deseruit, adjuvit. Si autem recessisse ab eo Spiritum 348 sanctum dixeris; propheticus te ejusdem sermo convincit, dicentis, *Scio enim quod Redemptor meus* [m] *vivat, et in novissimo die de terra surrecturus sim, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo* [n] *Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo* (*Job.* XIX, 25). Quod si de incarnatione Domini nostri Jesu Christi, ac resurrectione ejus qui est
C primitiæ dormientium, et de spe redemptionis, quæ in ipso reposita est omnibus sanctis, recte intelligitur prophetatum; manifeste apparet non discessisse a templo suo gratiam Dei, et fecisse jam tunc Dominum [o] in hoc sancto suo, quod postea in apostolis et martyribus suis spondebat esse faciendum, dicens, *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 19). Quid cum idem sanctus ineptis consolatoribus responderet, [p] nonne in Dei fidebat auxilio, dicens, *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Dominum, et exaudiet eum* (*Job.* XII, 4)? Aut nesciebat [q] ex illo se habere quod habebat, de quo ait, *Apud*

[a] Editiones Mogunt. et Ven., *tam volens*.
[b] Ms. Joliensis, *merita*.
[c] Editio Lugd., *conscientiam mali; sed quod acceperat, etiam boni scientiam non amisisse*.
[d] Editio Lugd., *naturas ullas*. Edit. Mogunt. et Ven., pro *animas*, habent *animos*.
[e] Mss. Corb. et Remig., edit. Mog. et Ven., *præmissæ promissionis*.
[f] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., cum edit. Mogunt. et Ven. Lugdun. vero et posteriores, *ad liberum arbitrium a gratia transtulisti, ut ipsos*, etc.
[g] Ms. Joliens., *ut ipsorum bonorum voluntarios motus*, omissa voce, *desideriorum*. Posteriores editiones, Lugd. et aliæ, paulo post, *patereris* habent, ubi mss. et antiquiores Mogunt. et Ven., *fatereris*.
[h] Ms. Joliensis, *potentiam tribuisti*.
[i] Ms. Jol., *qua illata*, etc., ut in textu. Edit. Mo-
D gunt., *qua illata*. Ven., *qua illatam..... mortium pœnam superat*.
[j] Mss. Corb. et Remig., *nihil plus intra* (Remig. *inter*) *sanctorum palmas*, etc.
[k] Edit. Mogunt. et Ven., *cumque*. Lugd., *eaque*.
[l] Ms. Joliensis caret his, *in se*: tum vero *dicens, Scio quod*.
[m] Edit. Mogunt. et Ven., *vivit, et in novissimo de terra surrecturus sum*.
[n] Ms. Joliensis, *Deum salvatorem meum.... reposita est spes mea*, omisso pronomine *hæc*.
[o] Edit. Mogunt. et Ven., *in sancto suo*.
[p] Edit. Colon., *non in Dei*, et post pauca edit. Mogunt. et Ven., *invocabit Deum*. Ms. Remig., *et ipse exaudiet*.
[q] Ms. Joliensis, *ab illo*: cæteri, *ex illo*.

Digitized by Google

*ipsum* [a] *sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et* A *intelligentiam* (*Job* XII, 13) : [b] et de quo dicit, *In cujus manu anima omnis viventis et spiritus universæ carnis hominis* (*Ibid.*, 10): et iterum, *Exspecto*, inquit, *donec veniat immutatio mea : vocabis et ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram : tu quidem gressus meos dinumerasti,* [c] *sed parcis peccatis meis : signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* Non ergo [d] deseruerat Dominus quem curabat : neque opem suam abstulerat ab eo cui purificatoria remedia, quibus clarius nitesceret, admovebat.

[*Alias* CAP. XXXV.] 3. Ad hanc [e] passionum tolerantiam, in qua hic sanctus emicuit, etiam ille erat præparatus a Domino, qui dicebat, *Nam etsi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal.* XXII, 4) : et illud, [f] *Salus justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis* (*Psal.* XXXVI, 39). Ad hanc tolerantiam etiam ille [g] erat præparatus a Domino, qui et credere in Christum, et pro Christo pati referebat ad Christum, dicens : *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum* **349** *nostrum Jesum Christum; per quem et accessum habemus* [h] *per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei : non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 1). Et iterum (*Rom.* VIII, 35), *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die,* [i] *æstimati sumus ut oves occisionis* (*Psal.* XLIII, 22) : [j] *sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos.* Hujus tolerantiæ fortitudo [k] unde descenderit, beatus Petrus, et in illo omnis Ecclesia, Veritatis ipsius voce discebat, dicentis (*Luc.* XXII, 31) : *Ecce Satanas postulavit* [l] *ut cerneret vos velut triticum ; ego autem rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.* Quisquis igitur [m] in tribulationibus non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant, [n] *Ne inferas nos in tentationem, sed libera nos a malo* (*Matth.* VI, 13): quoniam [o] *Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatorum liberabit eos* (*Psal.* XCVI, 10).

4. Quod autem dicis : *Gratiam Dei ab Job ex eo* [p] *intelligendum non penitus recessisse, quod tentatori ejus tantam Deus* [q] *tentandi dederit potestatem, quantam et illum resistendi noverat habere virtutem :* nonne rectius veraciusque loquereris, si ubi dixisti, *Quantam et illum resistendi noverat habere virtutem ;* [r] diceres potius, quantam et illi resistendi noverat se dedisse B virtutem? [s] In ejus enim verbi correctione, totam istam gloriam quam humanis viribus assignare voluisti, sobrietate aliqua temperasses : ut illa mirabilis in tanta afflictione patientia, [t] et Dei adjutorio et libero hominis ascriberetur arbitrio. Sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem, si ei profitereris a Deo datam esse virtutem. [u] Ideo conflictus illius atque victoriæ non vis credi cooperatorem Deum fuisse, sed tantummodo spectatorem : ut cui [v] persuadere poteris per naturalem liberi arbitrii facultatem tam arduum certamen evictum, **350** dubitare non audeat in levioribus causis multo liberiores esse bonæ voluntatis effectus, atque ita [x] in illius damnatæ sententiæ foveam cadat, qua dicitur ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum C jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam ; tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus, etiam sine illa, implere divina mandata. Quod quia catholici pontifices dignum anathemate censuerunt; utendum nobis est eo quo usi sunt testimonio, dicentes (*Carthag. conc. can.* 5 *seu* 6 ; *vid. append. p.* 272) : « De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, [y] Sine me difficilius potestis facere; sed ait, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). »

[a] Ms. Remig., *fortitudo et sapientia.*
[b] Lugd. et posteriores editi, *et quod dicit.*
[c] Mss. Corb. et Remig. cum Mogunt. et Ven., *parcens.* Ms. Joliensis, *parces.*
[d] Ms. Joliensis, *deseruerat Deus.*
[e] Editiones Mogunt. et Ven. non habent vocem hanc *passionum.* Lugdun. editio paulo post, *in qua hic spiritus emicuit.*
[f] Ms. Joliensis, *Salus autem justorum.*
[g] Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *erat paratus.*
[h] Hic editiones Mogunt. et Ven. addunt hæc, *per fidem :* quæ habentur et in textu Apostoli. Lugdun. et posteriores, *in gratia ista.* Colon., *in gloria ista.*
[i] Lugd. et recentiores, *existimati sumus.*
[j] Ms. Joliensis, *et in omnibus.* Ms Remig., *et in his omnibus.*
[k] Lugd. et posteriores, *unde descenderet.*
[l] Mss. Remig. et Jol., *ut cribraret vos.*
[m] Lugd. et recentiores, *in tribulatione.*
[n] Mss. Remig. et Jol., cum edit. Mogunt. et Ven., *Ne nos inducas.*
[o] Edit. Lugd. cum posterioribus, *custodit Deus.*
[p] Lugd. et posteriores, cum mss. Corb. et Remig., *intelligendam.*
[q] Edit. Lugd. et recentiores, *tantam Deus tribuit potestatem.* Lugd. omittit vocem hanc, *Deus ;* ms. Jol., particulam *et* ante *illum.*
[r] Ms. Jol., *potius affirmares.*
[s] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., cum editis Mogunt. D et Ven. Lugd. et reliqui codices, *unius enim verbi correctio.... temperasset.*
[t] Ms. Remig. omittit particulam *et* ante vocem *Dei.*
[u] Ms. Jol. cum Lugd. et posterioribus, *Itaque idem.* Ms Jol., *credere.*
[v] Edit. Lugd. et posteriores, *persuadere poterit.... evictum.* Mogunt. et Ven., *tam arduo certamine victum.* Eadem Lugd. et recentiores omittunt vocem *liberi* ante *arbitrii.*
[x] Mogunt. et Ven., *in illius damnatam sententiam cadat.* Ms. Jol., *in jus damnatæ sententiæ cadat.*
Hic editiones Mogunt. et Ven. solæ primo inserunt hunc Evangelii locum : *Sine me nihil potestis facere,* quem post pauca cum cæteris codicibus iterum repetunt.

Digitized by Google

## CAPUT XVI.

*Quod supra docuerat Cassianus centurionis evangelici exemplo confirmare nititur; cujus definitio undecima est : Nullius laudis ac meriti esse, si id in eo Christus quod ipse donaverat prætulisset. Contra probat S. Prosper, quod laus et meritum per gratiam non auferatur; fidei quoque et bonis operibus laudem ac meritum tribui sine præjudicio gratiæ.*

[*Alias* Cap. XXXVI.] 1. His autem definitionibus tuis, quas credidisti idonea auctoritate munitas, tamquam de consensu legentium securus, adjungis, Solere interdum Deum ad fidem nostram probandam plus offerre quam sufficit, ut [a] quam firma sit credentium fides possit agnosci. Et hoc exemplo illius centurionis ostendis, qui cum pueri sui [b] posceret curationem, Dominusque se ad domum ejus iturum esse promitteret, [c] responderit, *Non sum dignus ut* B *intres sub tectum meum, sed dic tantum verbo, et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII, 8). In quo eum Dominus tali admiratione laudaverit, ut pronuntiaret non se invenisse tantam fidem in Israel. [d] Et exigua conclusione pene totum Pelagianum dogma confirmas, dicendo (*Collat.* 13 *c.* 14), *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo* [e] *Christus quod ipse donaverat prætulisset.* Falso ergo scriptum est (*Sap.* VIII, 21), *Quia nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Falso prædicavit Apostolus, cum de eadem virtute loqueretur, **351** dicens (I *Cor.* VII, 7), *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum; sed unusquisque proprium habet donum a Deo, alius sic,* [f] *alius vero sic.* Falso docuit et ille qui dixit (*Jac.* I, 5), *Si quis indiget* [g] *sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei.* Nec secundum veritatem dictum est (*Ibid.*, 17), *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*; et (*Joan.* III, 27), *Nemo potest accipere quidquam, nisi ei datum fuerit de cælo.* An dicendum est omnes quidem virtutes inter Dei dona numerandas; sed in illis hominem quas de proprio habuerit esse laudabilem, et ibi esse merita ubi Dei dona non fuerint? Igitur secundum regulam tuam, quibus donatum est ut non solum crederent in Christum, sed etiam ut paterentur pro ipso, et laudem et meritum perdiderunt; nec habent veram gloriam qui non in se, sed in Domino, gloriantur. Sed rectius [h] audimus prophetam dicentem (*Jerem.* XVII, 5), *Maledictus homo qui spem habet in homine, et firmat carnem* [i] *brachii sui, et a Domino discedit cor* D

A *ejus*; et illum qui ait (*Psal.* XVII, 1), *Diligam te, Domine, virtus mea*; et (*Psal.* XXXIII, 3), *In Domino laudabitur anima mea;* [j] et (*Psal.* CXVII, 14), *Fortitudo mea et laudatio mea Dominus.* [k] Ut manifestissime noverimus, nec laudem eos ullam habere, nec meritum, [l] in quibus non inveniuntur quæ, nisi Dominus dederit, non habentur.

2. Sic autem putasti de testimonio laudatæ fidei præjudicium donis gratiæ posse generari; quasi fides, ubi ostenderetur laudata, non doceretur esse donata. Laudat Apostolus Romanorum fidem, et pro hoc bono [m] eorum agit gratias Deo, dicens (*Rom.* I, 8), *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Ad Corinthios quoque simili B scribit affectu, dicens (I *Cor.* I, 4), *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu; quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia.* Numquid agendo gratias Deo, credentibus [n] sustulit laudem? aut laudando credentes, meriti negavit auctorem? De Ephesiorum etiam fide quid sentiat audiamus. *Propterea*, inquit (*Ephes.* I, 15), *et ego audiens fidem vestram, quæ est in* [o] *Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus* **352** *illuminatos oculos cordis vestri.* Habebant ergo isti fidem, habebant et opera charitatis, quæ nec laude C poterant carere, nec merito; sed pro his virtutibus Apostolus gratias Deo agere non cessat, sciens a Patre luminum hæc dona venisse; a quo se etiam petere protestatur, ut quibus dedit fidem, quæ per dilectionem operatur, det Spiritum sapientiæ et intellectus : [p] et inde se Ephesii noverint accepisse quod habeant, a quo discunt sperare quod non habent. Pro Philippensibus quoque similes Deo gratias agit, et meritum eorum laudemque [q] non supprimit, dicens (*Philip.* I, 3), *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens*, [r] *super communicatione vestra in Evangelio, a prima die usque nunc : confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Chri-* D *sti.* [s] Cujus hic humanæ laudis ac meriti nunc in

[a] Lugd. et ea posteriores, *quam infirma sit.* Castigantur ex mss. Corb., Remig. et Jol., nec non edit. Mogunt. et Ven.

[b] Ms. Joliensis, *quæreret curationem.*

[c] Ita mss. Corb. et Remig., Mogunt. et Ven. editi. At ms. Jol., Lugd. editio et recentiores, *respondit.*

[d] Edit. Lugd. et posteriores, *At exigua conclusione pene totum tu.*

[e] Ms. Joliensis, *Dominus.*

[f] Editio Lugd. et quæ post eam, *alius autem sic.*

[g] Edit. Mogunt. et Ven., *sapientiam postulet a Deo.*

[h] Ms. Remig., *audivimus.*

[i] Ms. Joliensis, *brachium suum.*

[j] Hæc quæ sequuntur non legimus in ms. Joliensi.

[k] Ms. Joliensis, *ut manifeste noverimus.*

[l] Edit. Mogunt. et Ven., *in quibus ea inveniuntur.* Sed minus recte, ut videtur.

[m] In edit. Lugd. et posterioribus deest *eorum.* In ms. Joliensi, ac Mogunt. et Ven., non legitur vox hæc, *Deo.*

[n] Ms. Joliensis. *abstulit laudem.*

[o] Ms. Joliensis, *in Christo Jesu.* Et infra, *in agnitione ejus* habet cum mss. Corb. et Remig., ubi editi omnes, *in agnitionem ejus.*

[p] Lugd. editio cum ea recentioribus, *ut inde....... quod habebant a quo discunt et sperare.*

[q] Ms. Joliensis, *non omittit.*

[r] Lugd. et posteriores, *super communicationem vestram.* Mogunt. et Ven. post pauca, *qui cœpit in nobis opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.*

[s] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. edit. At Lugdun., Lov., Duac. et Colon., *cujus*

Digitized by Google

Deo causa suspensa est? Quid virtutis [a] aut pietatis exceptum est, quod non ex gratiæ fonte profluxerit, ubi ab initio [b] usque ad finem, et inchoatio et perfectio boni operis Domino deputatur? Cui canitur de sanctis suis (*Psal.* LXXXVIII, 16, 17), *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es* [c].

## CAPUT XVII.

*Quantum Cassianus in supra refutatis adjuvet Pelagianos, dicentes, Gratiam Dei secundum merita nostra dari; quos tamen profanæ opinionis arguit, in quo sibimetipsi contrarius esse convincitur. Salus omni modo, nisi ex fide esse non potest.*

[*Alias* CAP. XXXVII.] 1. Considerandum sane est in hac sententia tua, quantum adjuves eos qui dicunt *Gratiam Dei secundum merita nostra dari;* quos [d] tamen, ut catholicæ fidei defendaris umbraculo, profanæ opinionis esse profiteris, dicens : *Nemo autem* [e] *æstimet hæc a nobis ob hoc fuisse prolata, ut nitamur astruere summam salutis in nostræ fidei ditione consistere, secundum quorumdam profanam opinionem, qui, totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari secundum meritum uniuscujusque definiunt.* Sed miror valde quomodo **353** non vides, aut ab aliis æstimas non videri, quod te ipsum tuo ore condemnas. Dicendo enim quod *centurio, cujus fides Domini voce laudata est, nullius laudis esset ac meriti,* [f] *si id in eo quod ipse donaverat prætulisset,* definisti centurionem illum non donatam fidem habuisse, sed propriam; ac perinde nihil ejus principiis collatum fuisse per gratiam; in eadem autem fide causam fuisse et laudis et meriti, quorum neutrum haberet, si id cui et laus debetur et meritum Dominus contulisset. Frustra ergo, ut invidiam damnati erroris evadas, summam salutis negas in fidei nostræ ditione consistere, cum omni modo salus [g] nisi ex fide esse non possit. *Justus* enim *ex fide vivit* (*Rom.* I, 17; *Habac.* II, 4). Quoniam Veritas dicit, *Amen, amen, dico vobis, quoniam qui audit verbum meum, et credit in eum qui me misit,* [h] *habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transibit de morte ad vitam* (*Joan.* VI, 24). Et iterum, [i] *Hæc est voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* VI, 40). [j] Et iterum, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Cum itaque huic fidei, quam ideo meritis et laudibus honorasti, quia mavis eam inter liberi arbitrii bona quam inter Dei dona numerari, æternam beatamque vitam constet [k] esse præparatam, quomodo hoc vulnus declinabis, [l] quo te ipsum configis, pronuntiando eos profanos qui gratiam dispensari secundum merita humana definiant, et asserendo quod nec laudem constet habere, nec meritum eos qui ex dono gratiæ sint fideles? Quoquoversum ergo te conferas, a temetipso [m] et vinceris, et vinciris. Si enim gratiam merita non præcedunt, et fides non potest esse sine meritis, fides gratiam [n] non præcedit, et omni modo [o] ex gratia habetur quidquid illud est ex quo meritum nascitur, quod ante gratiam non habetur.

## 354 CAPUT XVIII.

*Cassianus inconvenientia miscere conatur, et fideles in duo genera dividit, quibus contraria accommodet. Definitio duodecima Cassiani : Deum in salutis negotio aliis esse salvatorem, aliis susceptorem tantum. Contra probat S. Prosper, Christum omnium qui salvantur esse salvatorem. Placita Cassiani de gratia et libero arbitrio horrescunt evangelicæ apostolicæque doctrinæ discipuli.*

[*Alias* CAP. XXXVIII.] 1. Ut igitur definitionum tuarum absurditas non sibi repugnare videatur, [p] inconvenientia miscere conaris, et unitatem membrorum corporis Christi in duobus generibus fidelium nova præsumptione constituis : in uno scilicet, ad quod pertineat illud quod [q] in principio dixisti (*Collat.* 13 *cap.* 3), *Non solum actuum,* [r] *sed etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis;* in alio autem, cui congruat regula ista, qua dicis *centurionem nec laudem ullam* [s] *habiturum fuisse nec meritum, si id in eo Dominus quod ipse donaverat prætulisset.* Et licet totum disputationis tuæ textum ad has duas formulas, quæ nullo modo conformes possunt esse, produxeris, nunc tamen distinctius

*humanæ laudis ac meriti non hic causa suspensa est?*

[a] Ms. Jol. cum Lugd. et posterioribus, *ac pietatis.*

[b] Edit. Mogunt. et Ven., *usque in finem.*

[c] In Ms. Jol. adduntur hic sequentia, *et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.*

[d] Edit. Lugd. et posteriores omittunt, *tamen.*

[e] Ms. Jol., Ven., Lugd. et recentiores editi, *existimet.* Infra vero idem ms. cum mss. Corb. et Remig. ac Mogunt. edit., *æstimas,* ubi cæteri codices *existimas* habent.

[f] Ms. Joliensis, *si id in eo Dominus;* cæteri, *Deus:* et paulo post idem ms., *centurionem ipsum.*

[g] Lugdun. et posteriores, *cum omnino :* idem habet et ms. Joliensis, qui subdit, *salus nonnisi ex fide esse possit.*

[h] Editiones Mogunt. et Ven., *habet vitam, et in judicium non venit, sed transit de morte in vitam.* Ms. Jol. ut supra; at *sed transiet,* etc., habet pro *transibit,* et *in vitam.* Ms. Remig., *sed transit.*

[i] Ms. Joliensis, *Hæc est enim.* Ms. Corb., *Hæc est autem;* et post pauca mss. Corb. et Remig., *et ego resuscitem eum.* Cæteri codices ut in textu.

[j] Ms. Joliensis, *Ac rursus.*

[k] Editiones Lugd., Lov., Duac. et Colon., *esse partam.*

[l] Lugd. edit., *quod ipse cogis.*

[m] Ms. Remig., *et vincaris.* Editiones Mogunt. et Ven. omittunt hæc, *et vinciris.* Lugdun. et recentiores, *et vinciris et vinceris.*

[n] Editi Mogunt. et Ven., *non præcedet.*

[o] Ms. Remig., *per gratiam habetur.* Ms. Joliensis cum Mogunt. et Ven. edit., *pro gratia habetur.* Idem ms. Jol. deinde, *ex quorum merito nascitur,* et postea Mog. et Ven., *quod ante gratiam non habet.*

[p] Ms. Remig., *inconvenientiam.*

[q] Editi, Lugd. et illo recentiores, *quod inter principia.*

[r] Ms. Joliensis, *verum etiam.*

[s] Edit. Lov., Duac. et Colon., *habiturum esse.*

Digitized by Google

atque expressius quid volueris firmare pronuntias, A dicens : *Per hæc igitur exempla quæ de Evangelicis protulimus* [a] *monumentis, evidentissime poterimus advertere, diversis atque innumeris modis, et inscrutabilibus viis, Deum salutem humani generis procurare; et quorumdam quidem volentium ac sitientium cursum ad majorem* [b] *incitare flagrantiam, quosdam vero etiam nolentes invitosque compellere : et nunc quidem,* [c] *ut impleantur ea quæ utiliter a nobis desiderata conspexerit, adjuvare; nunc vero etiam ipsius sancti desiderii inspirare principia; et vel initium boni operis, vel perseverantiam* [d] *condonare. Inde est quod orantes, non solum protectorem* [e] *ac salvatorem, sed etiam adjutorem ac susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim, quod prior advocat, et ignorantes nos, atque invitos attrahit ad salutem, protector atque salvator* [f] B *est : in eo autem quod annitentibus* **355** *nobis opem ferre,* [g] *refugientesque suscipere ac munire, consuevit, susceptor ac refugium nominatur.*

2. Hac ergo [h] discretione præscripta erit, ut definis, in una Ecclesia ista diversitas, ut Dominus noster Jesus Christus, de quo dictum est (*Matth.* I, 21), *Et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; et de quo dictum est (*Luc.* I, 32; *Act.* IV, 12), *Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; non omnium Christianorum, sed quorumdam salvator, quorumdam vero susceptor sit : ut hi tantum salvati, quos ad [i] suscipiendam gratiam Deus aversos reluctantesque compulerit; hi autem suscepti sint, qui vocationem spontanei cursus fervore C [j] prævenerint; et illis quidem conferatur [k] gratuitum donum, istis vero debitum præmium rependatur; illi nullius sint laudis ac meriti, qui nihil boni habeant, nisi quod acceperint; isti autem et gloria abundent, et remuneratione ditescant, qui propria facultate devoti, quod non acceperant obtulerunt : atque ita Jesus Christus alios [l] liberatos invenerit, alios liberarit; et non ad omnes pertineat [m] quod ait (*Joan.* XV, 16), *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, si sunt a quibus, cum eos non elegisset, electus est; non ad omnes pertineat, [n] *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo* (*Ibid.*, VI, 66), si sunt qui non dante Patre ad Filium venire potuerunt; non ad omnes pertineat quod ait Evangelista (*Ibid.*, I, 9), *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, si sunt qui aut ita in hunc mundum venerunt, ut non essent tenebræ; aut ita lux esse cœperunt, ut illuminatione veri luminis [o] non egerent : nec de omnibus adoptatis accipiendum sit quod ait Apostolus (*Coloss.* I, 13), *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ;* si quidem ipsi [p] rumpant vincula sua, et, jugo veteris captivitatis excusso, a dominatione diaboli in regnum Dei libera alacritate transcurrant. Hæc si possunt intra unam Ecclesiam prædicari, ut neutra opinio alteri cedat, sed invicem sibi utraque succumbat, potest fieri ut recipiamus quod Pelagiani tenent, et Pelagiani recipiant quod tenemus. Sed hoc modo non tam illi catholici quam nos erimus (quod absit) Pelagiani. Contrariorum enim permixtio meliorum **356** defectio est; quia cum virtus vitium recipit, non a vitio, sed a virtute disceditur.

3. Nullo igitur modo christiana corda suscipiunt quod persuadere conatus es, eos qui gratia Dei sunt quod sunt, nec laudem ullam habere, nec meritum; et ab eo qui venit salvare quod perierat partem Christianorum salvatam, partem vero esse susceptam; quoniam discipuli evangelicæ apostolicæque doctrinæ, non alta sapientes, sed humilibus consentientes, [q] insaniam istam superbæ elationis horrescunt. In toto quippe Ecclesiæ corpore, atque in singulis membris, quod mortuum erat vivificatum est, quod captivum erat redemptum est, quod cæcatum erat illuminatum est, quod perierat quæsitum est, [r] quod errabat inventum est. Nec secundum novam [s] istam partitionem, aliorum salvator, aliorum susceptor; sed omnium usquequaque fidelium et salvator et susceptor est Christus. Nec merito [t] ac laude privantur qui unde æterna bona mereantur accipiunt; tantoque beatiores fiunt, quanto pauciora habuerint quæ ipsorum sunt, et quanto plura quæ Dei sunt. Non enim conturbat nos superbientium inepta querimonia, [u] qua liberum arbitrium causantur auferri, si et principia, et profectus, et

[a] Ms. Joliensis, *monimentis*.

[b] Ms. Joliensis, *excitare*.

[c] Editiones Mogunt. et Ven. omittunt hæc, *ut impleantur*.

[d] Mss. Corbeiensis et Remig., *donare*; cæteri codices, *condonare*.

[e] In mss. Remigiano ac Joliensi, item in editionibus Mog., Ven. et Lugd., non leguntur hæc verba, *ac salvatorem*, neque ista, *adjutorem ac*.

[f] Lovan., Duac. et Colon. addunt hic pronomen *noster*.

[g] Ms. Joliensis, cum Mogunt. et Ven., *fugientesque*.

[h] Mss. Remig. et Jol., edit. Mogunt. et Ven., *præscriptione*.

[i] Lugdun. et posteriores, *ad percipiendam*; et paulo post, pro *aversos*, mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven., habent *adversos*.

[j] Ms. Joliensis cum Mogunt. et Ven., *prævene-* D *runt*.

[k] Edit. Colon., *gratiarum donum*.

[l] Ita mss. Corb., Remig. et Jol. At Lugd. habent *liberos*.

[m] Editiones Mogunt. et Ven., *qui ait*.

[n] Sic mss. Corb., Remig. et Jol., nec non Mog. et Ven. At Lugd. cum posterioribus, *Nemo venit ad me*.

[o] Editiones Mogunt. et Ven., *Non egeant*.

[p] Lugd. et posteriores, *rumpunt . . . transcurrunt*. Ms. Joliensis, *ruperant . . . . . . transcurrerant*.

[q] Edit. Lugd. et posteriores, *insaniam superbæ elationis*, absque hac voce, *istam*.

[r] Lugd. et recentiores, *quod erraverat*.

[s] Edit. Lugd. et posteriores non habent, *istam*.

[t] Ms. Remigiano-Remensis *nec laude*.

[u] Ms. Joliens., *quæ liberum... causatur auferri*. Lugd. et posteriores, *quia liberum... causantur auferri*.

Digitized by Google

perseverantia in bonis usque in finem Dei dona esse dicantur. Quoniam [a] OPITULATIONES DIVINÆ GRATIÆ STABILIMENTA SUNT VOLUNTATIS HUMANÆ. Volentes oramus; et tamen misit Deus [b] Spiritum in corda nostra clamantem: Abba, Pater (*Gal.* IV, 6). Volentes loquimur; et tamen, si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed Spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis (*Matth.* X, 20; *Marc.* XIII, 11). Volentes operamur salutem nostram; et tamen [c] id ipsum velle atque operari Deus est qui operatur in nobis (*Philip.* II, 13). Volentes diligimus Deum et proximum; [d] et tamen *charitas* ex Deo est (I *Joan.* IV, 7), *diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia conjugali, hoc de continentia virginali, omnibusque virtutibus sine exceptione profitemur; [e] quod nisi donatæ essent nobis, non invenirentur in nobis: [f] et quod liberum arbitrium naturaliter homini inditum maneat in natura; sed qualitate et conditione mutata per Mediatorem Dei et **357** hominum, hominem Christum Jesum: qui ipsam voluntatem ab eo quod perverse volebat, avertit, et in id quod ei bonum esset velle, convertit; ut delectatione affecta, fide mundata, [g] spe erecta, charitate accensa, liberalem susciperet servitutem, et servilem [h] abjiceret libertatem.

## CAPUT XIX.

*Recapitulat S. Prosper duodecim Cassiani definitiones: ut pateat facilius quid de gratia sentirent qui gratiæ defensoribus obloquebantur, et pacem Ecclesiæ, resumptis de Pelagianorum schola quæstionibus, inquietabant.*

[*Alias* CAP. XXXIX.] 1. [i] Ex his igitur definitionibus quas hactenus, quædam [j] prætermittendo, discussimus, non obscurum [k] atque ambiguum est [l] quid de gratia Dei sentiant qui sincerissimis ejus defensoribus obloquuntur, et pacem victricis Ecclesiæ, resumptis de damnatorum schola quæstiunculis, inquietant: quas si, ut audivimus, retexamus, fiet A sermonis nostri immoderata prolixitas: cum ex his [m] quæ de ipsorum stylo innotuerunt, facile pius lector intelligat, ad quæ præcipitia perveniatur his callibus, [n] et in istam lutulentorum rivorum cœnosam uliginem, cujus voraginis humor exsudet. Necessarium sane [o] æstimo, ante conclusionem voluminis, ea quæ ostendimus non congruere [p] catholicæ veritati, breviter conjunctimque digerere: ut quæ interjectis responsionibus nostris, [q] possent recordationem legentis effugere, facilius simul decursa recolantur.

PRIMA ERGO DEFINITIONE DICTUM EST:

*Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse* [r] *principium: qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportu-* B *nitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, et omne* [s] *donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum: qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis*

Quod et nos [t] valde amplectimur, catholicumque esse profitemur.

**358** SECUNDA DEFINITIONE DICTUM EST:

*Adest igitur inseparabiliter nobis divina protectio; tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris, ut non solum comitetur eam, sed etiam præcedat jugiter providentia: quam expertus Propheta confitetur, dicens: Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11). *Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam atque con-* C *fortat, et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse.*

Jam hic a præmissa definitione disceditur, et quod totum gratiæ datum fuerat, ex parte nunc libero arbitrio deputatur.

TERTIA DEFINITIONE DICTUM EST:

*Nisi quod in his omnibus, et gratia Dei, et libertas* [u] *declaratur arbitrii, qua etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper*

[a] Edit. Coloniensis, *opitulationis divinæ gratiæ.*

[b] Ms. Joliensis, *Spiritum suum.*

[c] Lugd. et posteriores, *ipsum velle*, etc. Mogunt. et Ven., *idipsum velle atque operari Dei est, qui operatur in nobis.*

[d] Mss. Remig. et Jol., *sed tamen.* Idem ms. Jol., *a Deo est diffusa*, etc.

[e] Mss. Joliensis et Remigianus, *quæ nisi donata essent nobis.*

[f] Ms. Remig., *eo quod.* Ms. Joliensis, *non quod liberum arbitrium.... non maneat.*

[g] Ms. Remig. cum Mog. et Ven., *spe recta.*

[h] Lugdun. editio cum posterioribus, *amitteret:* melius alii, *abjiceret libertatem.*

[i] Sic legitur in mss. Corb. et Remig., nec non in Mogunt. et Venet. Ms. Joliensis, *Restat igitur ex definitionibus.* Lugd. editio cum illa recentioribus, *Reseratis igitur definitionibus.*

[j] Ms. Joliensis, *præmittendo*, omisso *quædam.* Edit. Colon., *permittendo.*

[k] Ita mss. Corb., Remig. et Jol., cum Mogunt. et Ven. Lugd. vero et posteriores, *neque ambiguum est.*

[l] Mss. Corb. et Remig. cum edit. Mogunt. et Ven., *quod de gratia dissentiant.*

[m] Mss. Corb., Remig. et Jol., *quæ de ipsorum stylo* (id est scriptæ) *innotuerunt.* Jol. solus habet, *ex his*, pro *de his.* Ita quoque edit. Mogunt. et Ven. Lugdun. autem cum aliis posterioribus, *quæ ipsorum scholæ innotuerunt.*

[n] Ms. Joliensis, *et in ista lutulentorum rivorum cœ-* D *nosa molagine* (forte pro *uligine*), *cujus voraginis humor exsudat.* Concinit editio Lugd., pro *molagine*, *moligine* habens; et antea pro, *his callibus*, vel, ut alii, *hisce callibus*, præfert, *hisce collibus.*

[o] Lugd. et recentiores, *existimo.*

[p] Ms. Joliensis omittit hanc vocem, *catholica.*

[q] Ita ms. Joliensis. At mss. Corb. et Remig., Mogunt. et Ven., *possint... fidelius decursa.* Lugdun. cum recentioribus, *possunt recordationem legentium effugere, fidelibus simul recursa.*

[r] Ms. Joliensis, *principia.*

[s] Editio Colon., *datum perfectum.*

[t] Deest *valde* in Lugd. et posterioribus: quæ habent deinde *confitemur*, loco *profitemur.* Ms. Jol. omittit *esse*, ante *confitemur.*

[u] Lugd., Lov., Duac. et Colon. hic addiderant *nostri.*



Digitized by Google

*vero a Domino* [a] *indigeat adjuvari. Nec enim cum voluerit quis sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur.*

Quasi medicus noster [b] non etiam hoc donet morbidis, ut et veram desiderent sanitatem.

QUARTA DEFINITIONE DICTUM EST :

*Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi a Domino dirigantur,* [c] *ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens : Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 18).

Quasi Apostolus ex naturali affectu, et non ex gratiæ dono bonam habeat voluntatem, qui profitetur ex Deo sibi esse sufficientiam etiam cogitandi (II *Cor.* III, 5).

QUINTA DEFINITIONE DICTUM EST :

*Et ita sunt hæc quodam modo indiscrete permista atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione volvatur : id est, utrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri* [d] *Deus, an quia Deus miseretur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim singula hæc credentes, ac justo amplius asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti. Si enim dixerimus, nostrum esse* **359** *bonæ principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? quorum unus cruori ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubans* [e] *attrahitur ad salutem. Sin vero gratia* [f] *Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zacchæi fide? quid de illius in cruce Latronis pietate dicemus? qui desiderio suo vim quamdam regnis cœlestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt.*

In errore esse dicitur et is qui ex gratia nasci bonam asserit voluntatem, et is qui dicit gratiam ex bona voluntate pendere : et tamen utraque sententia suscipienda [g] decernitur, dum unius in Paulo et Matthæo, alterius in Zacchæo et Latrone forma præfigitur.

SEXTA DEFINITIONE DICTUM EST :

*Hæc ergo duo, id est, gratia vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur adversa; sed utraque concordant, et* [h] *utraque nos pariter debere suscipere pietatis ratione colligimus : ne unum horum homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur.*

Quasi ita utrumque recipiendum sit, ut in aliis [i] hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præveniat voluntatem : et non ita ut in omnibus voluntas gratiam subsequatur. Quoniam secundum ipsos, si aufertur liberum arbitrium cum gratia prævenitur, aufertur gratia cum libero arbitrio [j] prævenitur.

SEPTIMA DEFINITIONE DICTUM EST :

*Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali : boni vero quam acceperat, scientiam non amisit.*

Cum utrumque sit falsum : quia et a quanto malo [k] Adam cavere deberet, Deo monente prædidicit; et in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est. Sicut autem pessima scientia mali est, [l] malum esse; ita pessima ignorantia boni est, bonum non esse.

OCTAVA DEFINITIONE DICTUM EST :

*Unde cavendum nobis est, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi id quod malum est humanæ ascribamus naturæ.*

Quasi natura ante gratiam non sit in damnatione, non sit in cæcitate, non sit in vulnere : aut non gratis justificati sint, quorum [m] inde sunt merita, unde justitia.

NONA DEFINITIONE DICTUM EST :

*Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter* **360** *virtutum semina, beneficio Creatoris inserta : sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.*

Quasi de spiritalibus [n] bonis nihil Adam prævaricando perdiderit; et virtus non ut habeatur danda, sed [o] ut facilius perfectionem apprehendat, hortanda sit.

DECIMA DEFINITIONE DICTUM EST :

*Quod etiam in Job probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetiisset ad singulare certamen, divinam legimus providisse justitiam. Si enim contra inimicum, non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, et absque ulla virtute patientiæ suæ, divina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas, ac tota inimici crudelitate quæsitas, tentationum moles et exitia pertulisset; quomodo non illam calumniosam diabolus, quam prius emiserat vocem, adversus*

[a] Ms. Joliensis, cum Mogunt. et Venet., *quia etiam... indiget adjuvari.* Mog. et Ven., *indigeat adjuvari.*

[b] Lugd. et posteriores, *non jam etiam... ut verum.* Mss. Corb., Remig. et Jol., Mog. et Ven. edit. omittunt *jam*, et addunt *et*.

[c] Ms. Joliensis, *ad perfectionem virtutum*; idemque post aliquot verba, *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non.* Ubi mss. Corb. et Remig., Mogunt. et Venet. editi *non possum* habent, pro *non invenio.* Iidem editi omittunt pariter *enim* post *velle*.

[d] Lugdun. et recentiores, *Dominus*, *aut quia Deus misereatur.*

[e] Lugd. et posteriores, *trahitur*

[f] Vox hæc *Dei* abest a Lugd. editione et illa posterioribus. In ms. Remig., *per gratiam.*

[g] Ms. Joliensis pro *decernitur*, habet hic, *dicitur.*

[h] Editio Lugd. et posteriores, *utrumque.* Ms. Jol. supra, *vel gratia, vel liberum arbitrium.*

[i] Ms. Joliensis caret hac voce, *hominibus.*

[j] Lugd. et recentiores, *a gratia*; et infra, *a libero arbitrio.*

[k] Ms. Joliensis non habet hanc vocem *Adam.* Mogunt. et Ven., *dum diabolo credit*, pro *credidit.*

[l] Ms. Joliensis, *malum atque perversum est.*

[m] Editio Lugd. et posteriores, *inde sint merita.*

[n] Hic *bonis* restituimus ex mss. Corb., Remig. et Joliensi, nec non ex Mogunt. et Ven. editis.

[o] Ms. Joliens. caret hoc adverbio, *facilius.*

Digitized by Google

A *eum justius iterasset : Numquid Job gratis* [a] *colit Deum? Nonne tu vallasti eum* [b] *ac domum ejus, et universam substantiam ejus per circuitum. Sed* [c] *aufer manum tuam, id est, sine eum suis mecum viribus decertare, nisi* [d] *in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cum nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum* [e] *audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sint, quæ tantam tentatori* [f] *tentandi tribuit potestatem, quantam et illum resistendi noverat habere virtutem.*

[g] Si Deus scivit tantummodo quid Job posset, non etiam donavit ut posset; testis patientiæ ejus, non auxiliator fuit. Et in quo erit necessarium gratiæ adjutorium, si humanis solis viribus tanta illa est parta victoria? B

UNDECIMA DEFINITIONE DICTUM EST DE CENTURIONIS FIDE :

[h] *Miratur eum Dominus atque collaudat, cunctisque illis qui ex Israelis populo crediderant, præfert, dicens, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus quod ipse donaverat prætulisset.*

Impius sensus, qui putat beatiorem esse hominem cui Deus nihil dederit, quam cui universa contulerit.

DUODECIMA DEFINITIONE DICTUM EST :

*Inde est, quod orantes, non solum protectorem, sed etiam susceptorem Dominum proclamamus. In* **361** *eo enim quod prior advocat, et ignorantes nos atque invitos attrahit ad salutem, protector atque salvator est : in eo autem quod annitentibus nobis opem ferre,* C *refugientesque suscipere ac munire consuevit, susceptor ac refugium nominatur.*

Huic sententiæ is potest præbere consensum, qui se a Christo non vult esse salvatum.

## CAPUT XX.

*Errores in Cassiani definitionibus contenti summatim colliguntur.*

[*Alias* CAP. XL.] 1. His itaque definitionibus hoc docetur, hoc scribitur, hoc editis disputationibus prædicatur : Quod Adam peccante, anima ejus læsa non fuerit, sanumque in eo manserit, unde peccavit : si quidem scientiam boni quam acceperat, non amiserit; [i] nec potuerint posteri ejus id perdere, cujus damnum nec ille pertulerit. Inesse autem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta, D ut possit qui voluerit, judicio naturali Dei gratiam prævenire, et adjutorium ejus, quo facilius ad perfectionem perveniat, promereri : quia nullius sit laudis ac meriti, qui donatis bonis, non propriis adornatur. Cavendum quoque esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referantur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa humana natura : cum tanta sit virium ejus integritas, ut contra ipsum diabolum, sævitiamque ejus usque ad extrema supplicia, sine auxilio Dei valeat dimicare. Hanc autem possibilitatem [j] in omnibus esse hominibus naturalem, sed non omnes [k] ingeneratis sibi uti velle virtutibus. Tantam autem circa universos homines bonitatem esse Creatoris, ut alii ab eo quia sponte veniant, suscipiantur laudati; alii [l] quia resistunt, attrahantur inviti : [m] atque ideo volentium susceptor, nolentium vero salvator sit. Et cum pars Ecclesiæ ex gratia, pars autem ex libero justificetur arbitrio, gloriosiores sint quos natura provexerit, quam quos gratia liberarit : quia ad omne opus bonum tam libera sit voluntas in Adæ posteris, quam [n] in Adam fuerit ante peccatum.

## 362 CAPUT XXI.

*Redit ad susceptam initio defensionem Augustini, quem præcipue Semipelagiani impetebant, eadem in illum jactitantes quæ alias Pelagiani, et Julianus maxime. Illos ergo iisdem armis impugnandos quibus Pelagiani victi sunt, auctoritate scilicet Ecclesiæ : cum Augustini adversarios damnatione Pelagianorum prostraverit Innocentius, eosdemque damnarint Palæstina synodus, Africana concilia, Zosimus, Bonifacius, et Cœlestinus. Quorumdam adversus Cœlestini testimonium cavillatio refellitur. Augustini doctrina ejusdem tenoris ubique demonstratur. Votum S. Prosperi, ut Xistus pontifex occultos gratiæ inimicos repellat.*

[*Alias* CAP. XLI.] 1. En cujus dogmatis sunt magistri, qui, ut catholicarum mentium castitatem, [o] gratiæ defensoribus calumniando corrumpant, præcipuum nostro tempore in doctrina ecclesiastica virum rabido ore [p] discerpunt, creduntque se omnia auctoritatum munimina posse convellere, si hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsaverint. *Firmum quidem fundamentum Dei stat* (II Tim II, 19) : sed congruenter isti non desunt partibus suis. Dignum quippe est, ut quorum sequuntur sententiam, imitentur insaniam. Nec enim possunt alia dicere quam quæ damnatorum querelis, et [q] procacissimi Juliani sunt vulgata conviciis. Paria sunt unius seminis germina, et quod latebat in radicibus, manifestatur in fructibus. Non ergo cum istis nova acie dimicandum est, nec

[a] Editio Lugd. cum recentioribus, *colet Deum.*

[b] Hæc verba *ac domum ejus*, quæ hic leguntur in edit. Colon. et supra capite 14, omittuntur hic loci in mss. Corb. Remig. et Jol. et cæteris editionibus.

[c] Ms. Joliensis, *aufer ab eo manum tuam.*

[d] Ms. Joliensis, *in faciem*, absque pro nomine, *tuam.*

[e] Lugd. et posteriores, *ausit iterare.*

[f] Vocem hanc *tentandi*, non habent Lugdun. et posteriores.

[g] Editi recentiores, *si ipse Deus scivit tantummodo quod Job posset.... si humanis solum viribus.* Ms. Joliensis, *scivit tantum.* Cætera cum mss. aliis duobus et Mogunt. et Ven. editio Colon. legerat, *non ut auxiliator.*

[h] Editio Colon., *Miratur enim.*

[i] Aliqui codices, *ne potuerunt.*

[j] Ms. Joliensis, *omnibus inesse hominibus.*

[k] Mss. Remig. et Joliensis, *ingenitis sibi.*

[l] Ms. Remig., *quia resistant.*

[m] Ms. Remig., *atque adeo*, etc. Idem post pauca, *Ut cum pars Ecclesiæ.*

[n] Lugdun. et posteriores, *quam in Adam fuit.*

[o] Mogunt. et Ven., *gratiæ defensores calumniando.*

[p] Mss. Corbeiensis et Remig., Mogunt. et Ven. edit., *concerpunt.*

[q] Edit. Lugd. et posteriores, *procacissimis.*

Digitized by Google

quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda A certamina. Tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbiæ [a] suæ sociis ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit : quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam, Palæstinorum episcoporum synodus [b] coarctavit : quando Africanorum conciliorum decretis beatæ recordationis papa Zosimus sententiæ suæ robur annexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum : quando sanctæ memoriæ papa Bonifacius piissimorum imperatorum catholica devotione gaudebat, et contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis ; et quando idem, cum esset doctissimus, adversus libros tamen **363** Pelagianorum beati Augustini episcopi responsa poscebat.

2. Unde et venerabilis memoriæ pontifex Cœlestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solum [c] pœnitentiæ remedium esse præstandum : Cœlestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi : [d] adeo et præcessorum suorum statuta et decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec vero segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, et ordinato Scotis episcopo [*scilicet* Palladio], dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbaram Christianam. Per hunc virum etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis antistiti, gloriosissimo fidei catholicæ defensori [e] ad exsecandam Nestorianam impietatem, apostolico auxiliatus est gladio; quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur. [*Alias* CAP. XLII.) Per hunc virum intra Gallias istis ipsis qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, [f] maleloquentiæ est adempta libertas; quando [g] consulentium actione suscepta, et librorum qui errantibus displicebant pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate sentiri, sancto manifestavit eloquio, evidenter pronuntians, quantum sibi præsumptionis istius novitas displiceret, qua auderent quidam adversum antiquos magistros insolenter insurgere, et indisciplinata calumnia prædicationi veritatis obstrepere : « [h] AUGUSTINUM, inquiens (*Epist. Cœlestini ad Gal. ep.*), sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque pro meritis, in nostra semper [i] communione habuimus; nec umquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper [j] decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt; ut pote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori. »

B **364** [*Alias* CAP. XLIII.] 3. Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, et perspicuæ sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? ut scilicet quia in epistola papæ, librorum pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eo appareat non probatos, et istam [k] in sanctum Augustinum laudationem [l] pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam. Maneat plane, maneat ista conditio, ut horum librorum (*Lib. de Præd. Sanct. et de Dono Persever.*) novitas repudiata videatur, si in eadem causa [m] ejusdem viri dissentit antiquitas; et [n] aut inutile aut incongruum judicetur, quod ab his quæ contra Pelagianos condidit dissonans C invenitur. Ut itaque omittamus ea volumina in quibus ab exordio episcopatus sui, multo prius quam impugnatores gratiæ exsurgerent, pro gratia disputavit, legantur tres ad Marcellinum ipsius libri (*De Pecc. Meritis*). Ad sanctum Paulinum Nolanum [o] episcopum epistola (*Epist.* 186) retractetur. [p] Ad beatissimum quoque apostolicæ sedis tunc presbyterum Xystum, nunc vero pontificem emissæ paginæ (*Epist.* 194) recurrantur. Ad sanctum Pinianum (*De Gratia Christi et de Peccato Origin.*), ad Valerium comitem (*De Nuptiis et Concupiscentia*), ad servos Christi Timasium et Jacobum (*De Natura et Gratia*), distinctim edita volumina revolvantur. Sex libri priores contra Julianum, unus ad sanctum Aurelium

[a] Participium hoc *suæ* ex mss. Corb., Remig. et D Jol., nec non ex Mogunt. et Ven. edit. huic loco restituimus.

[b] Mogunt. et Ven. editiones, *cohortatus est*.

[c] Mss. Corb. et Jol., editiones Mogunt. et Ven., *sententiæ remedium*; et in sequente versu, *non discussi negotii*. Ms. Remig., *non discussi ingenii*. Lugd. editio, *non examen judicii solum, sed pœnitentiæ remedium esse præstandum*.

[d] Lugd. editio, *ab eo et præcessorum suorum*, etc.

[e] Ms. Remig. et Mogunt. edit., *ad excusandum*. Male omnino. Melius vero mss. Corb. et Jol., cum Lugd. et Lovan., *ad excidendam*, aut Duac. et Colon., *ad exsecrandam*, aut denique editio Veneta, *ad exstirpandam*.

[f] Ms. Remigianus, *malæ eloquentiæ*.

[g] Lugd. et illo posteriores, *consultantium*.

[h] Ms. Joliensis, *Ait enim, Augustinum*.

[i] Sola editio Veneta, *commendatione*.

[j] Lugd. et eo posteriores, *prædecessoribus*; et infra, *senserant*.

[k] Ms. Joliensis, *sancto Augustino*

[l] Sola Lugd. editio, *pro autoramentis*; sed quid hæc sibi velint hic loci, non facile dixerim.

[m] Edit. Mogunt et Ven. obscure et confuse, *ejusdem viridis sentit*, aut *sentiat antiquitas*.

[n] Ms. Joliensis cum Lugdun. et posterioribus, *et ut inutile*.

[o] Ms. Joliensis non habet, *episcopum*.

[p] Ms. Joliens., *Ad beatum quoque sedis apostolicæ... Sixtum*. *Sixtum* scribunt mss. Corb., Remig. et Jol., *Xistum* vero editi omnes. Sic scribi magis placet viro doctissimo : tum quia sic scribi soleat a veteribus, tum quia Sixti nomen quod usu invaluit, nec Græce nec Latine quidquam significet.

Digitized by Google

a Carthaginis episcopum de gestis Palæstinis : alius ad A Paulum et Eutropium sacerdotes, contra Pelagii et Cœlestii quæstiones (*De Perf. justitiæ*) : et ad beatæ memoriæ papam Bonifacium [b] quatuor volumina (*Contra duas epistolas Pelagianorum*) recenseantur. [c] Et si in his omnibus operibus, multisque aliis, quæ enumerare longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem prædicationis forma præcessit; agnoscant calumniatores, superfluo se objicere, quod his libris non speciale, neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim [d] sedes quod a præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, et quod judicio jungit, laude non dividit. Qui ergo hos proxime [e] editos libros refutant, anterioribus acquiescant, et iis quæ pro gratia Christiana prius sunt scripta con- B sentiant. Sed [f] non faciunt : sciunt enim omnia [g] Pelagianis esse contraria, et nihil sibi posse competere **365** ad consequentium resolutionem, si confiteantur in præcedentibus consistere veritatem.

[*Alias* Cap. XLIV.] 4. Igitur hujusmodi hominum pravitati, non tam disputationum studio quam auctoritatum privilegio resistendum est : [h] ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. Quia notum est ita falsitatis istius [i] haberi versutias, ut si senserit, prætenta correctionis imagine aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se velit ex sui parte minima reparare. Ubi enim non aliud habet summa quam portio, non est devotionis dedisse prope totum, sed fraudis [j] retinuisse vel minimum. Quod C ne hypocritarum obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cœlestino, operetur in [k] Xysto : et in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic [l] reservata pastori, ut sicut illi lupos [m] abegere manifestos, ita hic depellat occultos : illo auribus suis doctissimi senis insonante sermone, quo collaborantem secum hortatus est, dicens : « [n] Sunt enim quidam qui justissime damnatas impietates adhuc liberius defendendas putant : et sunt qui occultius penetrant domos; et quod in aperto clamare jam metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omnino siluerunt, magno timore compressi, sed adhuc corde retinentes quod ore jam proferre non audent : qui tamen esse fratribus possunt ex priore ipsius dogmatis [o] defensione notissimi. Proinde alii severius [p] coercendi, alii vigilantius [q] vestigandi; alii tractandi quidem lenius, **366** sed non segnius sunt docendi : ut si non timentur, ne perdant, non tamen negligantur, ne pereant (*Aug. ep.* 19 *ad Xyst.*).

## CAPUT XXII.

*Conclusio operis. Etsi Augustini reprehensores satis sint convicti, tamen tolerandi sunt, nec de correctione eorum desperandum est. Interim amandi quidem semper, sed vitandi : Deusque orandus, ut in omnibus nostris primas teneat.*

Sufficienter, ut arbitror, demonstratum est, reprehensores sancti Augustini et vana objicere, et recta impugnare, et prava defendere; peremptorumque armis intestinum bellum moventes, [r] dictis divinis, atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen, dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio, quam desperanda correctio : ut donec Dominus per Ecclesiæ principes, et legitimos judiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam et quorumdam imperitiam sunt turbata, componat; nobis Deo adjuvante sit studium, [s] quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere, et ineptorum vitare conflictus, veritatem non deserere, nec cum falsitate certare; semperque a Deo petere ut in omnibus cogitationibus, in omnibus voluntatibus, in omnibus sermonibus atque actionibus nostris,

[a] Lugd. et posteriores, *Carthaginiensem*, seu *Carthaginensem*.

[b] Lugd. editio et recentiores, *libri quatuor explicentur*.

[c] Editio Lugdun. cum illa posterioribus, *Ac sic;* Lovan., Duac. et Colon., *in omnibus operibus*. Colon. deinde omittit, *aliis;* phrasimque comate finiunt ante *agnoscant*.

[d] Editio Colon. habet, *fides*.

[e] Vox hæc, *editos*, deerat in Lugd. et illo recentioribus.

[f] Ms. Joliensis, *non facient*.

[g] Lugd. et posteriores, *Pelagiana sibi esse contraria*. Emendantur ex Corb. Remig. ex Joliensi, Mss. et edit. Mogunt. et Ven.

[h] Lugd. editio, *ut prostrati dudum corporis dogmata, in corpore nullum membrum sinant assurgere*.

[i] Locum alias obscurum, cui lux ex aliis codicibus nostris non accedebat, sic emendavimus auctoritate ms. Joliensis. Mss. Corb. et Remig. cum edit. Mogunt. et Ven., *ita falsitatis istius haberi versutias, ut si ei liceat prætenta correctionis imagine, aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare*. At Lugd. et eo posteriores, *ita se falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat prætentæ correctionis imagine, aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare*.

[j] Ms. Jol. cum Mogunt. et Ven., *restituisse*. Melius, *retinuisse*, ut alii codices.

D [k] Mss. tres ut supra, *in Sixto*. Xystus vero sive Syxtus Cœlestino successit anno Christi 431, die 26 Aprilis.

[l] Mss. Corb. et Remig., *servata*. Alii omnes, *reservata*.

[m] Ms. Joliensis, *ejecere. . . . expellat*. Edit. Mogunt. et Ven., *abjicere*.

[n] Editiones Lugd. et ea recentiores, *Sunt enim quidam justissime damnati, qui impietates adhuc liberius defendendas putant*.

[o] Ms. Joliensis. *impietate*.

[p] Lugdun. et posteriores, *sunt coercendi*.

[q] Ita Mss. Corb., Remig. et Jol., cum edit. Mogunt. et Ven. et epistola 194 August. At Lugdun. et recentiores, *investigandi . . . . ut si non timent ne perdunt*.

[r] Ms. Joliensis, *divinis atque humanis constitutionibus*.

[s] Hæc verba, *quieta modestaque patientia* absunt a ms. Joliensi.

Digitized by Google

ipse teneat primatum, qui dixit se esse principium. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : A ipsi gloria in sæcula, [a] Amen [b]. (*Joan.* VIII, 23; *Rom.* XI, 36)

[a] Mss. Corb. et Remig. omittunt hic *sæculorum*, juxta lectionem loci apostolici ad quem respicere videtur S. Prosper. Cæteri codices habent : *in sæcula sæculorum. Amen.*

[b] In vetere Corbeiensi exemplari subjicitur : *Explicit liber sancti Prosperi contra librum abbatis quondam Cassiani, qui prænotatur, de Protectione Dei; sive adversus dogma Pelagii et Cœlestii, nefandi dogmatis repertores ac defensores, et inimicos gratiæ Dei et Domini nostri Jesu Christi, et defensionem sanctorum Romanorum episcoporum et sancti episcopi Augustini, asserens veritatem de libris ejus contra supra dictos hæreticos. Deo gratias.* Ms. vero Joliensis habet, *Explicit liber Prosperi contra librum Cassiani Presbyteri, qui prænotatur De Protectione Dei.* Editiones denique Mogunt. et Ven., *Finis libri sancti Prosperi adversus librum Joannis Cassiani monachi, quem de Protectione Dei Casianus ipse inscripsit.*

# ADMONITIO

## IN S. PROSPERI PSALMORUM A C USQUE AD CL EXPOSITIONEM.

*De Psalmorum Davidicorum excellentia non est nostrum hic aliquid præfari. Hunc enim Scripturæ sacræ librum præ omnibus aliis SS. Patres, et laudibus extulerunt, et enarrationibus sermonibusve ad populum habitis, rudiorum intellectui accommodatum esse curaverunt. Sufficiat hic locum sancti Ambrosii in præfatione Psalmorum loquentis legentium oculis subjicere.* Licet omnis Scriptura divina Dei gratiam spiret, *inquit sanctus antistes Mediolanensis* (*Præfat. in Psal.* I), præcipue tamen dulcis Psalmorum liber : quandoquidem ipse Moyses, qui plano gesta majorum sermone descripsit, ubi tamen per mare Rubrum populum patrum memorabili admiratione transduxit, demersum aspiciens regem Pharaonem cum suis copiis, in majora ingenium attollens suum (quia majora viribus suis fuerat assecutus), canticum Domino cecinit triumphale...... Delectatur igitur cantico Deus non solum laudari, sed etiam reconciliari...... At vero David principaliter a Domino ad hoc munus electus est, ut quod in aliis rarum præeminere reliquo opere videtur, in hoc juge et continuum refulgeret.... Historia instruit, lex docet, prophetia annuntiat, correptio castigat, moralitas suadet : in libro Psalmorum profectus est omnium, et medicina quædam salutis humanæ.... In Psalmis itaque nobis non solum nascitur Jesus; sed etiam salutarem illam suscipit corporis passionem, quiescit, resurgit, ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Patris. Id quod nemo præsumpserat hominum dicere, hoc solus hic propheta annuntiavit, postea Dominus in Evangelio prædicavit.... Psalmus benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætitiæ resultatio. Ab iracundia mitigat, a sollicitudine abdicat, a mœrore allevat. Nocturna arma, divina magisteria, scutum in timore, festum in sanctitate, imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiæ, citharæ modo ex diversis et disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus psalmum resultat, psalmum resonat occasus. Mulieres Apostolus in Ecclesia tacere jubet, psalmum etiam bene clamant : hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus est sexui.... Magnum plane unitatis vinculum, in unum chorum totius numerum plebis coire! Dispares citharæ nervi sunt, sed una symphonia. In paucissimis chordis sæpe errant digiti artificis : sed in populo Spiritus artifex nescit errare. Psalmus nocturni operis commercium, divinæ requiei stipendium, institutio incipientium, perfectorum confirmatio. Angelorum ministerium, militia cœlestis, hostia spiritalis. Psalmum et saxa respondent : psalmus canitur, et ipsa etiam saxosa pectora molliuntur. Videmus flere præduros, flecti immisericordes. Certat in psalmo doctrina cum gratia simul. Cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem.... Quid est quod non tibi occurrat psalmos legenti.... Quid igitur psalmus, nisi virtutum est organum, quod sancti Spiritus plectro pangens Propheta venerabilis, cœlestis sonitus fecit in terris dulcedinem resultare? etc. *Augustinus vero in libro* XVII *de Civitate Dei cap.* 14, *de Psalmorum scriptore sacro disserens, ait :* Erat autem David vir in canticis eruditus, qui harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexerit, eaque Deo suo, qui verus est Deus, mystica rei magnæ figuratione servierit. Diversorum enim sonorum rationabilis moderatusque concentus concordi varietate compactam bene ordinatæ civitatis insinuat unitatem. *Denique omnis fere prophetia ejus in Psalmis est. Quorum etiam salutarem spiritalemque efficaciam, proprio experimento edoctus, testatur in libro* IX *Confessionum capite* 4. Quas tibi, Deus meus, *ait*, voces dedi cum legerem Psalmos David, cantica fidelia, et sonos pietatis excludentes turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo.... Quas tibi voces dabam in Psalmis illis, et quomodo in te inflammabar ex eis, et accendebar eos recitare si possem toto orbe terrarum, adversus typhum generis humani? Et tamen toto orbe cantantur, et non est qui se abscondat a calore tuo, *etc. Et enarratione 4 in psalmum* XXX, *rem conficit paucis, cum dicit circumstanti et auscultanti se populo :* Si orat psalmus, orate; et si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete; et si sperat, sperate; et si timet, timete. Omnia enim quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. *Hæc pauca ex multis. Quæ certe attendens sanctus Prosper, et hunc inter omnes Augustini in Psalmos librum in compendiosum quemdam indiculum redigens, suæ et fratrum qui sua legissent profectui promovendo inserviit.*

*Cur autem quod in unum et quinquaginta postremos psalmos, hoc idem et in cæteros omnes non præstiterit, non facile est conjicere. Aut enim id totum forte præstiterat, nec operis ejus ad nos nisi tertia pars ex temporum injuria potuit pervenire; vel certe eodem modo erga scribendos libros affectus quo cæteri sancti Patres et Ecclesiæ magistri, nullum ad opus unquam, nisi charitate imperante, aut necessitate urgente, se accingens, non vero ulla conciliandæ sibi famæ intentione ductus, hos solum quos certa aliqua, Deo procurante providenteque, nata occasio suggesserat, stylo prosecutus facile creditur.*

*Priori conjecturæ favet re vera quod de Psalmo centesimo septimo nihil se scripturum monens :* Psalmus centesimus septimus, *ait ibi*, prætermissus est quia in postremis quinquagesimi sexti, et in quinquagesimi noni videtur expositus. *Unde consequens esse nemo dubitet, in citatos psalmos scriptam ab ipso nonnullam expositionem.*

*Cum autem in psalmum centesimum quadragesimum quartum disserendo expresse impugnet errorem illum qui duplicem in Christo Jesu personam fingebat, de quo nihil omnino in eadem Augustini enarratione legitur, patet id ab eo dictum, propter natam jam, immo et damnatam hæresim Nestorii. Quo fundamento nixi id ove-*

Digitized by Google

*ris Prosperiani anno citius 434 assignavimus. Hoc in libro facile animadvertas eloquentiam illam validam et concisam, qua ut charactere proprio Prosper dignoscitur; observesque sanctum nostrum non in sola circa gratiam Christi doctrina tradenda, sed etiam in aliis omnibus magni Augustini se exhibuisse discipulum.*

*Quo in opere legendo, ne idem quod de Sententiarum Breviorum libro dicturi sumus contingat, ut scilicet ex brevitate locorum quorumdam nonnullis supersit obscuritatis querela, et quia plerisque in locis quidem ipsa verba Augustini nihil mutando descripsit, in aliis autem voces diversas substituens, sensus dumtaxat sanctissimi sui magistri secutus videtur; ideo nos lectorum commodo consulentes, ea quibus opus esse videbatur loca fusius ex Augustini ipsius Enarrationibus legenda, in appendicis nostræ secunda parte exhibebimus, apposita in margine sequentis operis nota,* Vide, *quæ locum ibi exhibitum indicabit.*

---

# S. PROSPERI

## AQUITANI

# EXPOSITIO [a] PSALMORUM

## A CENTESIMO USQUE AD CL.

371 PSALMUS C.

(Vers. 1.) *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Psalmus iste [b] de primo versu toto intelligendus est corpore, et confitendum Deo quoniam universæ viæ ejus misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10): ut quælibet se nostris cogitationibus [c] de rerum veritate ingerant causæ, non in aliquam moveamur querelam; sed misericordiam et judicium Domino pia confessione cantemus. Ad resolvendas enim universas quæstiones quas contra providentiam Dei exercere audet mundi hujus stulta sapientia, invictissima est ratio, per quam intelligitur, inter præsentis vitæ inæqualitates, nec a justitia Dei misericordiam, nec a misericordia abesse justitiam; donec peractis temporalibus, justo judicio fiant utraque perpetua, cum pro qualitate gestorum dextros gloria, sinistros pœna susceperit (*Matth.* XXV, 34 *et seqq*).

(Vers. 2.) *Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* In hac, inquit, confessione boni intellectus ero; et per immaculatam conversationis meæ viam ad me venire te sentiam. Cum enim sine te bonus esse non possim, si recta sunt quæ ago, te mihi inesse non dubito. *Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Innocentia vera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet (*Sent.* 1 *in lib. Sent.*). Quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Ps.* X, 6). Deambulare in latitudine animæ suæ, id est, in habitaculo cordis sui, non potest quem angustat reatus, et vita illicitæ actionis accusat. Pia autem et impolluta conscientia liberis intra se utitur spatiis, et quæ integros habet suæ ædificationis recessus, in appetitus non evagatur alienos.

(Vers. 3.) *Non proponebam ante oculos meos rem* A *malam.* Ante oculos habemus quæ diliguntur, et 372 in quibus delectatur animus, in his moratur aspectus. A re ergo mala oculos avertere, est quidquid Deo displicet non amare. *Facientes prævaricationes odio habui.* Diligendi sunt [d] homines, ut odio habeantur prævaricationes (*Sent.* 2): quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt.

(Vers. 4.) *Non adhæsit mihi cor pravum: declinantem a me malignum non agnoscebam.* Pravo, inquit, cordi consensum non præbui: et ab immaculata via declinantem malignum non cognoscebam, hoc est, propter dissimilitudinem non probabam.

(Vers. 5.) *Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar.* Bona persecutio quæ non hominem sed peccatum hominis insectatur. *Superbo oculo et* B *insatiabili corde, cum hoc simul non edebam.* Superbia fomes invidiæ est, quæ numquam nisi maligna est, et malis non satiatur alienis. Cum his igitur qui tali delectabantur veneno, non convescebar: quia cibum iniquitatis ipsorum, quo incessabiliter replebantur, horrebam. *Beati* enim *qui esuriunt justitiam: quoniam saturabuntur* (*Matth.* V, 6).

(Vers. 6.) *Oculi mei super fideles terræ, ut simul considerent hi mecum.* Vox Domini dicentis imitatoribus suis: *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28).

(Ibid.) *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Mihi* ait, non sibi; multi enim non sinceri prædicatores Evangelii sibi ministrant, sua quærentes, non quæ Jesu Christi (*Philip.* II, 21).

C (Vers. 7.) *Non habitavit in medio domus meæ faciens superbiam.* Non habitavit in corde justi, quæ est domus ejus, injustus: quia semper a se dissimilitudo longinqua est. *Loquens iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.* Iniquorum iter non est

[a] Scripta, ut videtur, non ante annum 434.

[b] Id est, ut ait Augustinus in capite enarrationis suæ in hunc eumdem psalmum, *Psalmus iste centesimus quod habet in primo versu, hoc in toto corpore quærere debemus.*

[c] Ita quidem editi omnes nostri: scilicet Lugd., Lovan., Duac. et Colon. Tamen legendum suspicamur, *de rerum varietate.* Deficientibus autem mss. codicibus, nihil immutavimus; licet conjecturam nostram firmet quod post pauca dicitur, *inter præsentis vitæ inæqualitates.*

[d] Editio Colon., *diligendi sunt omnes.* Aliæ, *homines.*

Digitized by Google

directum : et diversum longe est ab illa via cui A oculi Domini **373** præsident, et per quam ad suos venit.

(Vers. 8.) *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ : ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Diem judicii sui denuntiat Dominus, qui loquitur in Propheta : quoniam secundum veritatem in principio psalmi dictum est, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Nam quia tempus hujus sæculi tempus est noctis, et ignorantiæ, et tribulationis, nec cuiquam patet in quem finem sit quisque venturus : dat locum pœnitentiæ misericordia Dei, et diversis modis agit, ut proficiant justi, ut erigantur lapsi, ut convertantur aversi. Sed hæc patientia, manente adhuc nocte, præstatur. Ubi autem illuxerit dies, et omnia occulta fuerint revelata B (I *Cor.* IV, 5), discretis impiis a societate justorum; non ultra parcetur malis, sed interficientur omnes peccatores terræ : in illo mane, quo declarabitur quid quisque mereatur.

## PSALMUS CI.

(Vers. 1.) Psalmi hujus titulus est, *Oratio inopis cum angeretur, et in conspectu Domini* [a] *effundit precem suam.* Iste ergo pauper Christus est, qui formam servi accipiens, nostra indutus est paupertate : et cum sit mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5), idem est in humilitate corporis, qui est in gloria Patris, ut quorum suscepit naturam, exsequatur et causam.

(Vers. 2.) *Exaudi, Domine, orationem meam, et clamor meus ad te perveniat. Ne avertas faciem tuam a* C *me : in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Quod est, *Exaudi orationem meam,* hoc idem est, *et clamor meus ad te perveniat.* Sed geminata petitio ostendit petentis affectum. *Ne avertas* autem *faciem tuam a me*, dicit pro humilitate membrorum. Nam quando Pater a Filio, quando Deus [b] averteretur a Christo ? Et ideo petit se in quacumque die tribularetur, exaudiri : quia pietas capitis cum omni corporis portione compatitur ; et labor omnium, qui et locis et temporibus variatur, numquam sine illo est, qui omnium miseretur.

(Vers. 3.) *In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.* Cito obtinentur quæ bono desiderio postulantur : nec differentur preces, quæ hoc petunt, quod vult ille qui petitur. Velox itaque exauditio D est, cum ipsa primitus exauditur oratio ; nec tardat auxilium, qui dedit votum.

(Vers. 4.) *Quia defecerunt sicut fumus dies mei.* Dies primi hominis, quem suscepit secundus, fumo in sua elatione deficienti aptissime comparantur. Et quia nemo in novitatem **374** Christi, nisi ex Adæ vetustate transfertur, gemit in his quos reparat ipse reparator. *Et ossa mea sicut in frictoriolo confrixa sunt.* Ossa dicuntur hi qui sunt in Christi corpore fortiores, quorum firmitate omnium compago membrorum munitur ; dicente osse fortissimo Paulo, *Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 29) ?

(Vers. 5.) *Percussum est sicut fenum, et aruit* [c] *cor meum.* Omne humanum genus in Adam, a quo est universalis propago, percussum est : et de illius vulnere gemunt qui spe salvantur in Christo (*Rom.* VIII, 24), non sine miseriis mortalitatis inde contractæ. *Quoniam oblitus sum manducare panem meum.* Acceperat primus homo panem verbi in lege mandati : sed vetitum cibum sumens, panis illius de quo vivebat, oblitus est : et ob hoc, sicut percussum fenum, cor ejus exaruit. Modo ergo reviviscat, et edat panem quem fuerat oblitus ; qui jam in corpore est dicentis, *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* 6, 51).

(Vers. 6.) *A voce gemitus mei adhæserunt ossa mea carni meæ. A voce*, inquit, *gemitus mei*, non a voce gemitus illorum de quibus gemo quod non recte gemunt, quod carnalia cupiunt, quod corporalia concupiscunt. Sed quia non desunt validiora membra quæ curam habeant infirmorum, nec ab affectu capitis discrepent ; voce gemitus mei erudiuntur ossa, id est, fortiora corporis ; ut adhæreant carni meæ, id est, infirmioribus meis, secundum quod scriptum est, *Debemus enim nos firmi infirmitatem infirmorum portare* (*Rom.* XV, 1).

(Vers. 7, 8.) *Similis factus sum pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in parietinis. Vigilavi, et factus sum sicut passer singularis in tecto.* Omnis strenuus et devotus Evangelii prædicator, his tribus, quæ commemoratæ sunt, avibus comparabilis invenitur, secundum eorum formam quibus verbum veritatis annuntiat. Si enim infidelibus loquitur, in solitudine est, tamquam pelicanus, nec fastidit deserta et inculta : quia etiam in talibus facit sibi Spiritus sanctus habitaculum. Si autem his prædicat qui acceptam gratiam perdiderunt, fit quodammodo nycticorax in parietinis, non deserens eos qui corruunt, ut ædificii bene fundati et stabilitatem recipiant et decorem. Si vero eos cohortatur qui, cum videantur fideles, tepidi tamen sunt atque carnales, fit sub tecto positis, id est, sub carnis infirmitate viventibus, quidam passer, increpans eos atque incitans, ut in tecto sint potius quam sub tecto, hoc est, ut subjectam sibi carnem habeant, non ut ipsi ei subjiciantur. *Qui* enim *in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo* (*Matth.* XXIV, 17) ; *et quod in aure auditis*, **375** *prædicate super tecta* (*Ibid.*, X, 27). Sed harum affectionum sedulitatem nemo magis quam Dominus Jesus Christus, voluntarius pauper, exsequitur : qui veniens peccatores salvos facere, omnium labores infirmitatesque suscepit. Quia *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19) : ut et solitudo Gentilis acciperet notitiam veritatis : et obcæcatis Judæis, ac sua prævaricatione ruinosis, et lux, et stabilitas præstaretur : dum ille

[a] Apud Augustinum legitur, *effudit.*
[b] Editio Colon., *avertetur.* Lugd., Lovan. et Duac., *averteretur.*

[c] Hæc verba, *cor meum*, exciderant ab edit. Duac. et Colon., legebantur in Lugd. et Lov. et in Augustino.

Digitized by Google

qui tenebrarum illuminator est, per Apostolum dicit, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Idem vero a tenebris, quas dilexit, occisus vigilavit, id est, surrexit; et factus est sicut passer singularis in tecto, id est, in cœlo, quo adhuc nemo ascendit, nisi qui de cœlo descendit (*Joan.* III, 13), qui est *primitiæ dormientium* (I *Cor.* xv, 20), et *primogenitus ex mortuis* (*Coloss.* I, 18; *Apoc.* I, 5).

(Vers. 9.) *Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversum me jurabant.* Ea significantur quæ in tempore passionis gesta sunt. Exprobratur Domino, quod qui alios salvat, seipsum supplicio eruere non possit (*Matth.* XXVII, 42); et qui fuerant falsi laudatores, in occisione ipsius conspirabant.

(Vers. 10.) *Quoniam cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum lacrymis miscebam.* Ostenditur sacramentum misericordiæ Salvatoris, qui etiam eos membra sua facit, quibus talis congruit medicina; et personæ suæ eorum copulat causam, in quibus se cinerem dicit sicut panem manducasse, et potum eum lacrymis miscuisse: quod quidem infideles opprobrio deputant, dicentes spem remissionis fomitem esse peccandi.

(Vers. 11.) *A facie iræ tuæ et indignationis tuæ, quoniam elevans allisisti me.* Ipsa est ira quam Adam meruit, et in qua omnes nati sumus: secundum quam dicit Apostolus, *Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3), non ex conditione Dei, sed ex judicio. Et ideo *natura* filii iræ dicimur, quia ita ipsis nostris principiis insedit, ut ab illa, præter Dominum nostrum Jesum Christum, nullius hominis natura sit libera. Elevatus est autem homo, quia rationalis et ad imaginem Dei factus est: elisus vero est, quia suæ dignitatis oblitus est; sicut scriptum est, *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus* (*Psal.* LXVIII, 13 *et* 21).

(Vers. 12.) *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fenum arui.* Recessi ab æterno die per peccatum, et in dies transitorios decidi per judicium: et quia sicut fenum arui, per eum qui inter mortuos liber est, spe salvus fio. *Sicut* enim *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* xv, 22).

(Vers. 13.) *Tu autem, Domine, in æternum permanes, et* **376** *memoriale tuum* [a] *in generatione et generationem.* Temporalem, inquit, servet æternus: non enim quia cecidi, [b] tu senuisti: qui eras ad me humiliandum, ipse es ad me liberandum, et promissionum tuarum non obliviceris.

(Vers. 14.) *Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus ut miserearis ejus.* Quod tempus, nisi de quo

A dicitur, *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (*Galat.* IV, 4 *et* 5).

(Vers. 15.) *Quoniam beneplacitum habuerunt servi tui lapides ejus, et pulveris ejus miserebuntur.* In Sion multi sunt lapides, et plerique sunt pulvis. In lapidibus gaudium sanctorum est, in pulvere miseratio. De Sion sancti patriarchæ, sancti apostoli, et prædicatores Evangelii: hi omnes lapides electi, et probati; cæteri autem, qui istis non sunt connexi, pulvis sunt, quos auferet ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4); nisi agnoscant se, et dicant, *Memento, Domine, quod pulvis sumus* (*Psal.* CXII, 14).

(Vers. 16.) *Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam.* Hoc fundaB mento posito in Sion, et hac misericordia pulveri ejus impensa, veniet etiam de gentibus alius paries, qui angulari lapidi coaptetur, et duo in uno condantur, qui facit utraque unum (*Ephes.* II, 20).

(Vers. 17.) *Quoniam ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.* Crescit quotidie Ecclesia in templum Dei, et ab ipso capite totum corpus exstruitur. Et apparebit Jesus Christus in gloria sua, cum venerit judicare mundum, a dextris et sinistris alios assumpturus in regnum, alios in supplicium detrusurus (*Matth.* XXV, 33).

(Vers. 18.) *Respexit in orationem humilium Dominus, et non despexit precem eorum.* Hæc est ædificatio Sion, et structura ejus. Sic vivi lapides instruuntur: quia ad compagem decoris ejus, non nisi
C per humilitatem et orationem, per gemitus et lacrymas pervenitur: ne perfecta et dedicata domo, frustra pulset [c] qui secus advenerit.

(Vers. 19.) *Scribantur hæc in generatione altera: et populus qui creabitur laudabit Dominum.* Scribuntur hæc in veteri Testamento per prophetiam pertinentem ad novi Testamenti generationem, hoc est, ad populum qui creandus erat in Christo, de quo Apostolus dicit, *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt* [d] *nova. Omnia autem ex Deo* (II *Cor.* v, 17 *et* 18). Hoc est, vetera et nova: quoniam per unam fidem uterque populus accepit justificationem.

(Vers. 20, 21.) *Quoniam prospexit ex alto sancto suo, Dominus* **377** *de cœlo in terram prospexit. Ut*
D *videret gemitus compeditorum, ut solveret filios mortificatorum.* Prospiciente in terram Deo, hoc est, misericordiam suam hominibus tribuente, tam fortia facta sunt vincula charitatis, ut ea non potuerit vincere violentia persecutionis. Per timorem enim Dei superaverunt martyres timorem mundi; et compedes fidei continuerunt eos ab excessu transgressionis: qui labor perseverantiæ transiit in liberta-

[a] Apud August., *in generationem et generationem.*

[b] Coloniensis editio, *tu tenuisti.* Melius Lugd., Lovan. et Duac. et in Augustino, *tu senuisti.*

[c] Rectius haberetur, ni fallimur, *qui serius advenerit*, etsi *secus* scribatur in Lugd., Lovan., Duac. et Colon. Nam locum Augustini respicere videtur num. 18, dicentis, *Dei facto ædificio, et dedicata domo, quid curris, sero quæsiturus, inaniter petiturus, frustra pulsaturus, foris remansurus cum quinque virginibus fatuis?*

[d] Apud Augustinum legitur, *omnia nova:* ut in textu Apostolico tam Græco quam Latino.

Digitized by Google

tem gloriæ; ut gemitus verterentur in gaudia, et A compedes in coronas. Solvuntur autem etiam filii mortificatorum, id est, martyrum, qui eadem inflammati fide, sæcularium cupiditatum vinculis liberati possunt dicere, *Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* cxv, 16 *et* 17).

(Vers. 22.) *Ut annuntietur in Sion nomen Domini, et laus ejus in Jerusalem.* Ut solutis vinculis peccatorum, libera charitas serviat Deo, et laus Domini multiplicetur in Sion, id est, in specula, quæ est Ecclesia, quæ non præsentia diligens, sed futura prospiciens, in spe promissionum lætatur.

(Vers. 23.) *In conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino.* Factum est sanguine martyrum et gemitibus compeditorum, ut exauditis illis qui erant in gemitibus et pressura, hanc nostris B temporibus haberet Ecclesia libertatem, qua omnium gentium populi in fidei coeant unitatem, et regna quæ persequebantur Christianos, jugo Christi subjecta sint.

(Vers. 24.) *Respondit ei in via fortitudinis suæ.* Sive Sion, sive Jerusalem, quæ est Ecclesia, in qua laus Domini celebratur, respondit ei, quem per fidem laudat, per spem, per charitatem. Nam vocationi ejus respondere, est credere atque obedire, et in præceptis ipsius ambulare. *In via fortitudinis:* quia ab ipso est ut perseveretur inter omnes illecebras et labores. *Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi.* Exiguum est omne quod finitur et transit; vita enim temporalis in comparatione æternitatis exigua est: cujus dies ideo sibi [a] annuntiari Ecclesia C postulat, ut noverit se usque in finem sæculi esse mansuram, donec veniant illi dies qui nec numerum poterunt habere, [b] nec terminum.

(Vers. 25.) *Ne revoces me in dimidium dierum meorum.* Non imminuantur, inquit, dies mei, quousque in consummationem sæculi spopondisti: donec plenitudo gentium introeat (*Rom.* xi, 25), et omnis Israel salvus fiat. *In generatione et generationem anni tui.* Ab initio usque ad consummationem sanctos Dei diversa sæcula, alios et alios protulerant: quorum justificatio non est nisi in Christo, **378** per quem omnium generationum una generatio est, quam Deus æternitatis facit esse participem: ut absque commutatione sit omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28).

(Vers. 26, 27, 28.) *Principio, Domine, terram* D *fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu idem ipse es, et anni tui non deficient.* Vera æternitas, et vera immortalitas non est, nisi in Deitate Trinitatis, cui quod est esse, perpetuum est: et neque per initium, neque per incrementum, neque per defectum ullam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem, etiam illæ quibus æternitatem Creator dedit, vel daturus est, non penitus carebunt fine, dum illis finis est ipsa in augmentum facta mutatio (*Sentent.* 3). Et terra ergo, quam tu, Domine, fundasti, et cœli, qui opera sunt manuum tuarum, sicut vestimentum et opertorium veterascent et peribunt: non ut non sint, sed ut aliter sint; novatione scilicet substantiæ, non defectione naturæ. *Tu* autem *idem ipse es*, nec ab alio in aliud transis; quia tu es qui vere es, et qui in gloria tua nec minor potes esse, nec major; dans filiis servorum tuorum, ut ad non deficientes annos tuos valeant pervenire.

(Vers. 29.) *Filii servorum tuorum inhabitabunt, et semen eorum in sæculum dirigetur.* Filii servorum Dei, sunt filii justorum, filii patriarcharum, prophetarum, apostolorum, et martyrum; filii postremo totius Ecclesiæ, quæ corpus est Christi, et quæ mater est omnium patrum, omniumque filiorum (*Ephes.* v, 23; *Gal.* iv, 26). Ili ergo in æternitate annorum Dei habitabunt, et semen eorum in æternum dirigetur. Semen autem eorum recte intelligitur opus justitiæ ipsorum, quod debet unumquemque præcedere: quoniam sterilem et infructuosum illa æternitatis beatitudo non recipit.

## PSALMUS CII.

(Vers. 1.) *Benedic, anima mea, Dominum: et omnia interiora mea nomen sanctum ejus.* Tota Ecclesia cum suo capite, quod est Christus (*Ephes.* v, 23), unus est homo: cujus proprium officium est in omni tempore benedicere Dominum, seque in laudem ejus, quem ex tota virtute sua diligit, cohortari. *Interiora* autem ejus sunt ratio intelligentiæ, spes fidei, humilitas timoris, fortitudo charitatis; et si quæ sunt aliæ affectiones quibus mens in admirationem sui auctoris erigitur.

(Vers. 2.) *Benedic, anima mea, Dominum: et noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Iterata cohortatio docet, numquam a Dei benedictione cessandum. Erit autem perseverans **379** benedictio, si retributionum ejus nulla umquam subrepat oblivio. Quæ retributiones non secundum merita humana sunt factæ. Nam damnatio peccatoribus debebatur; sed gratia præstita est malis, et salus perditis. Quoniam *Filius hominis venit quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* xix, 10); *et non venit vocare justos, sed peccatores* (*Luc.* v, 32). Benedicendus ergo est qui non solum non plectit malos, sed etiam bona pro malis reddit, et bonos facit.

(Vers. 3, 4, 5.) *Qui propitius* [c] *fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos. Qui redimet de corruptione vitam tuam, qui coronat te in*

[a] Sic excusum legimus in recentioribus codicibus, cum editiones veteres quatuor illæ jam sæpe citatæ habeant *annuntiare;* minus congrue, ut videtur. Augustinus enim enarrat. 2, in hunc eumdem psalmum, num. 9, dicit, *Quærit a Deo (Ecclesia) ut exiguitatem dierum suorum annuntiet sibi.*

[b] Editi omnes in margine indicant aliter legi in aliis libris, scilicet, *nec imminui.*

[c] Omnes editiones, *propitius fuit.* At in explicatione paulo post, *propitius sit*, forte utroque loco pro, *propitius fit;* ut apud Augustinum legitur. Ubi inf a, *Qui redimit*, pro eo quod codices nostri habent *redimet*, recentioribus exceptis.

Digitized by Google

*miseratione et misericordia. Qui satiat in bonis desiderium tuum : renovabitur sicut aquilæ juventus tua.* Enumeratio retributionum Dei ostendit per quos gradus gratiæ anima humana salvetur. *Qui propitius fit*, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis.* Non ait, Omnibus virtutibus tuis : quæ utique nullæ ei inessent, nisi fieret remissio peccatorum. Quæ ne rursus exsurgant, *Sanat*, inquit, *omnes languores tuos.* Qui autem sunt isti *languores*, nisi concupiscentiæ malæ, desideria carnalia, et morbi omnium vanitatum ? De qua *corruptione* redimitur vita infirmorum : quia corpus mortis nostræ corpus factum est ipsius vitæ, ut coronaret nos *in miseratione et misericordia :* sicut scriptum est, *Miserebor cui misertus ero ; et misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero* (*Rom.* IX, 15) : ut intelligamus, per eamdem misericordiam dari coronas meritorum, per quam data sunt merita coronarum. Deinde additur. *Qui satiat in bonis desiderium tuum.* His enim curationibus perducta est anima ad desideria bona, ut spretis et abjectis carnalibus atque terrenis, spiritalia et cœlestia concupiscat : quoniam *Beati qui esuriunt justitiam, quia ipsi satiabuntur* (*Matth.* v, 6). *Renovabitur* ergo *sicut aquilæ juventus tua*, hoc est, a vetustate in novitatem, et in juventam a senectute mutaberis : ad similitudinem aquilæ, quæ depositis alis rostroque mutato, in novas vires redivivo vigore juvenescit.

(Vers. 6.) *Faciens misericordias Dominus, et judicium his qui injuriam accipiunt.* Novit Dominus, quod in hac vita servi ipsius laboribus injuriisque subjecti sunt; sed vult eos esse mites, esse patientes; quia sicut misericors est ad liberandum, ita etiam justus ad judicandum. Dicens enim omnibus injuriam accipientibus, *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Rom.* XII, 19), non denegat opem qui denuntiat ultionem. Facit ergo Dominus misericordiam, **380** facit et judicium. Sed perfectorum est, etiam his qui injuriam fecerint, misericordiam magis quam optare vindictam.

(Vers. 7.) *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.* Magnum mirandumque mysterium est, ideo datam legem, ut crescente peccato (*Rom.* v, 20 ; *Galat.* III, 22) humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur. Istæ sunt viæ occultæ quas notas fecit Moysi, per quem legem dedit, quia peccatum [a] non haberet, ut superabundaret gratia : quam utique veri Israelitæ intellexerunt, et [b] a Deo revelante viderunt, quæ ratio dispositionum, quod consilium divinarum fuerit voluntatum.

(Vers. 8.) *Miserator et misericors Dominus : longanimis et multæ misericordiæ.* Quid tam longanimum, quid tam abundans [c] quam Deus, qui in misericordia *pluit super justos et injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* v. 45) ? Parcit contemptus, parcit negatus, et mavult vitam peccatoris quam mortem. Quoniam omnis longitudo patientiæ ejus, eruditio est pœnitudinis, et oblatio correctionis ; nec ulla opera ipsius misericordia vacant, quando homini et mansuetudine consulit, et flagello (*Sentent.* 4).

(Vers. 9.) *Non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur.* Divina bonitas ideo irascitur, ne irascatur (*Sentent.* 5); et misericorditer adhibet temporalem severitatem, ne æternam [d] referat ultionem.

(Vers. 10, 11, 12.) *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, confirmavit Dominus misericordiam suam super timentes se.* Sicut cœlum, inquit, protegit terram, sic timentes se protegit Deus, *Quantum distat Oriens ab Occidente, longe fecit a nobis peccata nostra.* Regenerationis hæc virtus est, quæ homines exuit peccatis et gratiæ induit donis ; ut vetustas occidat et veritas oriatur. Facta enim mutatione status, innocentia constituitur in oriente, peccata remanent in occasum.

(Vers. 13, 14.) *Sicut miseretur pater filiorum, ita misertus est Dominus timentium se. Quia ipse cognovit figmentum nostrum : memento quod pulvis sumus.* Qui personam suscipere dignatus est patris, nihil circa filios non misericorditer facit. Flagellet adoptatos, potius quam deserat abdicandos. Novit autem ipse quod nos fecerit, **381** et de quo lapsu in quem statum reformaverit, quantumque nos pulvis terrenæ fragilitatis infirmet. Petitur ergo Deus, ut meminerit conditionis humanæ, id est, ut misereri ipsius perseveret. Quoniam non ipse obliviscitur, sed ut nos gratiæ ejus non obliviscamur facit.

(Vers. 15.) *Homo tamquam fenum dies ejus, et sicut agri flos ita florebit.* Non superbiat homo, cujus dies sunt sicut fenum paululum florens, et mox arescit : sed non desperet homo, cujus infirmitas a Dei virtute suscipitur. *Verbum* enim *caro factum est* (*Joan.* I, 14), ut flos qui in Adam erat caducus, in Christo esset æternus.

(Vers. 17, 18.) *Misericordia autem Domini a sæculo et in sæculum super timentes eum : et justitia ejus in filios filiorum.* Timentibus Dominum æterna gaudia promittuntur. Et quia timor obedientiam parit, obedientia autem mandatorum gignit effectus; ideo ju-

[a] Ita editi nostri omnes. Forte tamen melius legeretur, *ut peccatum abundaret ;* tum quia sequitur : *ut superabundaret gratia ;* tum quia apud Augustinum id indicatur, cum dicitur, *Quia nolebant se confiteri homines peccatores, addita lege facti sunt et prævaricatores. . . Abundavit ergo peccatum, ut superabundaret gratia. Ergo, ut dicere cœperam, quia hoc est in lege magnum mysterium, ideo eam datam, ut crescente peccato humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur : istæ sunt viæ occultæ quas notas fecit Moysi.*

[b] Non male forte omitteretur præpositio *a*, quæ legitur in omnibus libris nostris.

[c] Intellige *in misericordia :* quod exprimitur in Augustino.

[d] In libro Sententiarum habetur *juste inferat*, pro quo hic editi omnes Prosperianæ, omisso *juste*, scribunt *referat.*

Digitized by Google

stitia Dei, hoc est, retributio super filios filiorum: A qui melius intelliguntur in germine bonorum operum, quam in prole natorum; quos multi justi non habuisse noscuntur; et qui habuerunt, non omnes sunt, aut in omnibus gloriati. *Custodientibus testamentum, et memoria retinentibus mandata ejus, ut faciant ea.* Ille mandata Dei memoriter tenet, qui quod mandatis Dei continetur, operatur: nec falli potest in latitudine præceptorum, cum in duobus mandatis tota Lex pendeat et Prophetæ (*Matth.* XXII, 40).

(Vers. 19.) *Dominus in cœlo paravit thronum suum: et regnum ejus omnium dominabitur.* Quid aliud significatur, nisi Domini descensio, et ascensio, et assumpti hominis in paterna sede consessio? cui genu omne flectitur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitetur, quoniam Dominus Jesus Christus in gloria Patris est (*Philip.* II, 10 *et* 11).

(Vers. 20.) *Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, potentes virtutes, facientes verbum ejus ad audiendam vocem sermonum ejus.* Potentes sunt verbo, qui verbi famulantur imperio: quia ipsius implentur virtute, cui serviunt.

(Vers. 21.) *Benedicite Dominum, omnes virtutes ejus; ministri ejus facientes voluntatem ejus.* Vera est confessio benedicentis, cum idem sonus est oris et cordis. Bene autem loqui et male vivere, nil aliud est quam sua se voce damnare (*Senten.* 6). Benedicendus ergo est Dominus ipsis maxime operibus, quibus sic debet uti conscientia, ut de ipsis in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31).

(Vers. 22.) *Benedicite Dominum, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus.* Sicut nullus est locus qui non dominationi ejus **382** subjiciatur, ita nullus est locus in quo ejus debeat cessare benedictio. *Benedic, anima mea, Dominum.* Ipso versu psalmus conclusus est quo inchoatus: ut intelligamus perseverari in Dei benedictione debere, quæ vere continuatur, si sine cessatione bene vivitur.

PSALMUS CIII.

(Vers. 1.) *Benedic, anima mea, Dominum.* Sicut in præcedente psalmo, ita etiam in isto, qui sequitur, vox est membrorum corporis Christi. Unus est homo, et cujus in una fide unum cor, et anima una est, cohortans et excitans se in laudem Dei: ut in contemplatione creaturarum magnificetur Creator. [a] *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.* Magnitudini D Dei nec accedere aliquid, nec decedere potest: qui quod est, incommutabiliter semper est. Magnificatur ergo non sibi, sed nobis, tanto vehementius, quanto magis se intellectui nostro innotescere facit: ut non illius gloria, sed admiratio nostra proficiat. *Confessionem et decorem induisti.* Induit se Dominus Deus noster confessionem et decorem, id est, induit se Ecclesiam, quæ per confessionem deposuit fœditatem, et accepit decorem; ipsa enim confessio peccatorum decus est recte factorum.

(Vers. 2.) [b] *Circumamictus lumine, sicut vestimento.* Ipsa est vestis ejus, non habens maculam, neque rugam, et splendida facta per gratiam, quæ et lux vocatur, dicente Apostolo, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8).

(Ibid.) *Extendens cælum sicut pellem.* Si facturam cœli secundum litteram cogitemus [c] in similitudinem pellis extensæ, celeritas quædam demonstrata est, qua sine ulla difficultatis mora opus suum Creator B explicuit. Dixit enim, *Fiat firmamentum inter aquam et aquam, et factum est sic* (*Genes.* I, 6). *Quoniam verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXI, 6). Si autem figuratam significationem annitamur inspicere, invenimus extendisse Deum cœlum sicut pellem, cum intelligimus sanctam Scripturam cœlum appellatam, [d] cujus auctoritatem primo quasi firmamentum in Ecclesia sua posuit, et quam super omnem orbem terrarum per ministeria prædicantium, quasi pellem extendit. Pellis autem nomine significata est mortalitas ministrorum, manente ipsorum opere, per quod ubique veritas innotescit et invisibilitas **383** Dei per visibilia litterarum elementa intellecta conspicitur (*Rom.* I, 20).

(Vers. 3.) *Qui protegis in aquis superiora ejus.* Et C hoc secundum litteram bene intelligitur; quia jussit Deus ut fieret firmamentum inter aquas et aquas, factumque est sic (*Gen.* I, 6); et pars aquarum resedit in terram, pars autem est cœlo superposita, remota ab aspectu nostro, et fidei commendata. Secundum vero figuram, [e] qua Scripturam sanctam divina auctoritate firmamentum cœlum accepimus, quod super orbem terræ, sicut pellis per famam prædicationis extenditur; superiora cœli protegi aquis in eo intelligamus, quod in hoc cœlo, id est, in eloquiis præceptisque divinis, nihil est sublimius charitate, quæ inter Dei omnia dona supereminet. *Diffusa est enim in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Quæ diffusio [f] aquas sonat de quibus dicitur, *Et in plateis tuis discurrent aquæ; nemo alienus communicet tibi* (*Prov.* V, 16). Hæc quippe aqua, id est, charitas Dei et proximi, propria et specialis virtus est piorum atque sanctorum: cum cæteræ virtutes et bonis et malis possint esse communes (*Senten.* 7). Superiora itaque cœli his aquis

[a] Edit. Duac. et Colon., *Dominus Deus meus.*

[b] Editiones Duac. et Colon. habent, *circumamictis.* Apud Augustinum, *circumamictus lucem velut vestimentum.* Unde forte legendum esset hic, *lumen* pro *lumine*, quod præferunt codices nostri.

[c] Forte *in similitudine* legeretur, prævia virgula quæ in Lugd. notatur.

[d] Ita Lugd. et Lovan. editi. At Duac. et Colon., *cujus auctorem.* Aug., num. 8: *Hanc auctoritatem* Scripturæ) *primo posuit Deus in Ecclesia sua.* Quod favet prioribus codicibus.

[e] Colon. editio cum recentioribus illa, *quia.* Aliæ, *qua.*

[f] Ita Lugd. et Lovan., conformiter textui Augustiniano: *Jam nomine diffusionis intellige aquas in charitate Spiritus Sancti. Hæ sunt aquæ de quibus dicitur in quadam Scriptura: Et in plateis tuis discurrent aquæ tuæ.* Posteriores editiones Duac. et Colon., *aquas sanat.*

Digitized by Google

proteguntur, quia præceptum charitatis super omnes cœlos, id est, super omnes [a] libros est, cui militat omnis lingua et omnis doctrina sanctorum. Protectio autem hujus aquæ subjectum cœlum Scripturarum [b] non erat, sed suspendit: quia in gemino charitatis præcepto tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* xxiv, 40).

(Ibid.) *Qui ponis nubes ascensum ejus.* Impletum est hoc visibiliter, cum in conspectu discipulorum Dominus nube susceptus, ascendit in cœlum (*Act.* i, 9): et de resurrectione Apostolus loquens, dicit, *Deinde nos qui vivimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo, et ita semper cum Domino erimus* (I *Thess.* iv, 15, etc.). Sed videndum est quæ sint illæ nubes, quibus in cœlum divinarum Scripturarum ascenditur. Prædicatores utique veritatis, qui corda audientium a terrenis sensibus erigunt, et ad sublimitatem cœlestis intelligentiæ subvehunt. Ab istis nubibus verbum Dei diffundentibus vinea Domini sabaoth, quæ est Ecclesia, fecundatur: ut accepta pluvia, edat fructum, et edat uvas, non spinas; et non sit talis vinea de qua dicit Dominus per Prophetam, *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam* (*Isai.* v, 6); et qualis illa, cui dixerunt apostoli, *Ad vos missi eramus; sed quia repulistis verbum Dei, imus ad gentes* (*Act.* xiii, 46).

(Ibid.) *Qui ambulat super pennas ventorum.* **384** Potest ad litteram ita accipi, ut velocitatem verbi omnia pervagantis in hoc intelligamus, quod super ventorum pennas dicitur ambulare: quia velocius nihil novimus ventis, quorum celeritas significata est nuncupatione pennarum: sed his pernicior est veritatis annuntiatio, quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* viii, 1). Per figuratam autem significationem, ventorum nomine non absurde animæ intelliguntur: non quia ejusdem naturæ sint, sed quia similiter invisibiles. Quarum pennæ sunt duo præcepta charitatis, quibus ad Dominum tendunt. Sed quia major et sublimior est Dei charitas qua dilexit nos, quam in eumdem nostra dilectio; ideo super pennas ventorum, hoc est, super charitatem animarum dicitur ambulare: quia charitatem nostram supergreditur charitas Dei: qui ipsam charitatem qua diligimus, diffudit *in cordibus per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5).

(Vers. 4.) *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem* [c] *urentem.* Secundum litteram non dubitamus esse spiritus nobis invisibiles ministros Dei, qui ab officio quod agunt, angeli nuncupantur. Spiritus enim naturæ nomen est, angelus actionis. Hos itaque ministros suos Deus facit etiam ignem urentem, sive flagrantem: sicut legimus, ignem in A rubo apparuisse; et missum ignem desuper, et implesse quod præceptum est ministerio executionis angelicæ (*Exod.* iii, 2; *Gen.* xix, 24; *Levit* x, 2, *et alibi*). Figurate vero spiritales quique in Ecclesia spiritus appellantur: qui fiunt angeli cum fiunt prædicatores et nuntii veritatis. Idemque sunt ignis, cum fervent spiritu, et eos quos exhortantur accendunt: duplicem habentes efficientiam, ut et illustrent animas, et adurant; cum eadem vi et ardorem virtutis injiciunt, et peccatorum spinas tribulosque consumunt.

(Vers. 5.) *Fundavit terram super firmitatem ejus: non inclinabitur in sæculum sæculi.* De terra ista laboriose asseritur, quod non inclinanda sit in sæculum sæculi, cum dictum sit, *Cœlum et terra transibunt* B (*Matt.* xxiv, 35). Nam fundatam eam super firmitatem suam possumus ita intelligere, ut illa vis qua sustentatur et continetur firmitas ipsius dicta sit: quæ licet abscondita a nobis sit, tamen recte creditur in sapientia et virtute Creatoris, qui omnia in se firmavit, in quo et omnia condidit (*Hebr.* xi, 10; *Coloss.* i, 16). Mystico vero intellectu accepimus terram Ecclesiam, cujus firmitas et fundamentum ejus, super quod fundata est terra, Christus est. *Fundamentum* **385** autem *nemo potest ponere præter quam quod positum est, quod est Christus Jesus* (I Cor. iii, 11). A quo fundamento non recedens, non inclinabitur in sæculum sæculi.

(Vers. 6.) *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus: super montes stabunt aquæ.* Terræ nomine Ecclesiam C intelleximus prophetatam, quæ Christum habens fundamentum, non inclinabitur in sæculum sæculi. Verumtamen diluvio persecutionum (quæ abyssi et aquarum nomine præsignantur), ita circumtegenda indicatur, ut quasi vestimento ab impugnantibus operienda sit populis: in tantum persecutione crescente, ut etiam super montes, id est, eminentissimos quosque sanctorum, attollenda sit oppressio persequentium.

(Vers. 7.) *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrus tui formidabunt.* Factum est hoc, cum Deus conterruit gentes increpationis suæ tonitru. Cessaverunt enim impii Ecclesiam premere, et montes Dei, quorum sublimitas aquis superstantibus obtegebatur, iisdem aquis recedentibus, receperunt eminentiam. D Tonante enim Domino, formidaverunt aquæ, et montes a diluvio exuti sunt.

(Vers. 8.) *Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis.* Montes elationes aquarum sunt, id est, fluctus persequentium populorum: qui cum sævirent, montes erant; sed increpati quieverunt, et campi facti sunt, fundato ipsis loco in quo

[a] Codices Duac. et Colon., *liberos*. Melius leges, *libros*, autoritate Lugdun. et Lovan., cui favet locus Augustini. *Ergo præceptum charitatis: super cœlos, super omnes libros; et enim subduntur libri, ei militat omnis lingua sanctorum... Supereminens est ergo via, et merito protegit in aquis superiora cœli, quia nihil invenis eminentius charitate in divinis libris.*

[b] Ita quidem in omnibus nostris codicibus. At merito suspicamur legi debuisse, *non onerat*, ex sensu loci ipsius, et auctoritate operis Augustini. *Non enim sic Deus protegit, ut quasi sustentetur ab eo quem protegit: sublevat quem protegit, non onerat*, etc.

[c] Editiones omnes in ora libri notant alias legi, *flagrantem*; sicque habetur apud Augustinum; et utramque lectionem insinuat paulo post ipse S. Prosper.

Digitized by Google

cohiberentur. Qui locus intelligitur quædam mensura formidinis, intra quam sævientium corda conclusa sunt; ut etiamsi adhuc retineant infidelitatis suæ amaritudinem, super dulces tamen aquas, id est, fideles populos nequeant elevari, neque revertentur tegere terram fluctus illi magni et amari. Acceperunt modum, quem non transgredientur, neque poterunt Ecclesiæ inferre diluvium.

(Vers. 10.) *Qui emittit fontes in convallibus.* Super humilem et quietum requiescit Spiritus Dei (*Isai.* LXVI, 2): et, *Qui credit in me* (inquit), *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 37). Convalles ergo humilitatem significant, quæ numquam sine fonte gratiæ est. Non est autem insolens, ut qui montes sunt propter sancti Spiritus magnitudinem, convalles sint propter sui spiritus humilitatem: B sicut apostolus Paulus mons erat, dicendo: *Non autem ego;* et habebat fontem, dicendo: *Sed gratia Dei mei mecum* (I *Cor.* XV, 10).

(Ibid.) *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Montes sunt prædicatores magni, qui de **386** humilitatis convallibus aquas veritatis emittunt. De qua abundantia nihil sibi ascribunt, nihil quasi proprium vindicant; sed communis et media est emanatio spiritalium fluentorum. [a] Aut de aquis, id est, de prædicatione, nulla sit discordia montium, sed pax consensionis et societas charitatis faciat unum, et commune quod profluit.

(Vers. 11.) *Potabunt omnes bestiæ silvæ.* Vidimus quidem hoc etiam in ista creatura, bestias silvæ bibere de fontibus, et de rivis inter montes currentibus. C Sed quia per hæc quæ omnibus nota sunt, quædam significantur abscondita, quibus inventis studia spiritalium gaudeant; bestias silvæ gentes intelligimus; quoniam sæpe inveniuntur in Scripturis sanctis gentes indicatæ nomine bestiarum. Sicut congregatæ in arca Noe totius generis bestiæ (*Gen.* VII, 2, 14), et discus quatuor lineis in visione Petri apostoli demissus de cœlo, omnium plenus animalium (*Act.* X, 13), non aliud declaratur quam universi generis homines in unitate Ecclesiæ congregandos. [b] De his ergo aquis in medium montium pertranseuntibus, id est, de doctrina apostolica in medio fluente propter concordiam communionis omnis bestiæ silvæ. Omnes enim erant in arca, omnes in disco. Pertranseuntes autem sunt aquæ istæ, quia omnis doctrina quæ in D hoc tempore dispensatur, transit; dicente Apostolo: *Et scientia destruetur, et prophetia evacuabitur. Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur* (I *Cor.* XIII, 8 *et seq.*).

(Ibid.) *Suscipient onagri* [c] *sitim suam.* In onagris A majores fortioresque bestiæ nominantur, quæ de aquis prætereuntibus tantum suscipiunt quantum sitiunt. Sunt enim aquæ istæ ita sufficientes, ut et parva et magna animalia, quantum ex eis desideraverint, hauriant. Doctrina quippe apostolica, tam salubris, tamque vitalis, ut pro capacitate utentium neminem sui dimittat exsortem: quia sive parvuli, sive magni, sive infirmi, sive fortes, habent in ea unde alantur, unde satientur (*Sent.* 8).

(Vers. 12.) *Super illos volatilia cœli inhabitabunt: de medio petrarum dabunt vocem suam.* Sunt quædam volatilia quæ non habitant nisi super montes: et horum nomine spiritales animæ significantur, aere libero, et cœli serenitate gaudentes: quibus tamen habitatio et pastus in montibus est. Montes enim sunt B prophetæ, montes apostoli, montes omnes prædicatores veritatis, et sublimes quique doctores, a quibus qui spiritalis est non aberrat; sed in eis et cibum sumit et requiem. **387** Tales ergo aves in montibus, in quibus habitant, inveniunt petras, firmamenta quædam præceptorum. Sicut enim una illa petra Christus Verbum Dei (I *Cor.* X, 4), sic multa verba Dei, multæ petræ: de quarum medio dant vocem suam, et illis sonantibus respondent et resultant petræ, cum disputationibus consonant testimonia Scripturarum.

(Vers. 13, 14.) *Rigans montes de superioribus suis.* Montes isti, quidquid de convallibus suis aquarum fundunt, quidquid vocum de medio dant petrarum, desuper acceperunt, et divina gratia sunt rigati, ut C et aquis et vocibus abundarent: quibus et sitientes implerent, et audientes delectarent, ea proferentes quæ unicuique secundum mensuram capacitatis suæ congruerent. *De fructu operum tuorum satiabitur terra. Producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum.* Nemo glorietur in operibus suis, quasi de proprio habeat quod habet, sed *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31); quia non meritorum suorum, sed gratiæ fructus est unde satiatur. Terra igitur justificata, et supernis rigationibus fecundata, producit *fenum jumentis, et herbam servituti hominum*; ut agri Dominici cultoribus semen verbi seminantibus necessaria præbeantur, et qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant. Perceptores enim spiritalium, debitores sunt carnalium, quæ feni et herbæ D nomine significata sunt. *Nam quis umquam militat suis stipendiis? aut quis plantat vineam, et de fructu ejus non edet? vel quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit* (I *Cor.* IX, 7)? Præbenda ergo sunt pabula præsidentium servituti. Quoniam prædicatores verbi, et jumenta, et servi sunt: et *qui suscipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Qui*

[a] Conjicimus legi debere, *ut de aquis.* Non mutavimus tamen, deficientibus libris antiqnis.

[b] Hic locus, cujus obscuritas editionum auctoritate discuti non potuit, plenæ luci redditur, si addas hic verbum, *bibunt.* Quod patet inspecto Augustini ipsius loco, qui talis est, serm. 2, num. 11: *De illis aquis inter medium montium pertranseuntibus, in illa doctrina apostolica fluente in medio propter concordiam communionis, omnes bestiæ silvæ bibunt. Omnes enim erant in arca, omnes in disco.* Ex quibus facile intelligas, quid corrigendum aut quid intelligendum foret in textu Prosperi nostri.

[c] In Augustino legimus, et hic legendum vix dubitamus cum præpositione, *in sitim suam:* etsi in editis nostris omnibus desit præpositio.

Digitized by Google

*suscipit prophetam in nomine prophetæ*, *mercedem prophetæ accipit; et qui dederit calicem aquæ frigidæ uni ex his minimis, tantum in nomine discipuli*, *amen dico vobis*, *non perdet mercedem suam* (*Matth.* x, 41, etc.).

(Vers. 15.) *Ut educat panem de terra, et vinum lætificet cor hominis.* Terra fenum producit, ut panem de terra producat: plebes scilicet sanctæ pie servientibus sibi serviunt; et præbentes carnalia, accipiunt spiritalia a prædicatoribus verbi Dei (I *Cor.* IX, 11), qui est panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 41): per quos adhuc in terra ambulantes, et terrenum corpus portantes, propter quod et ipsi terra dicuntur, calix præclarus et inebrians ministratur (*Psalm.* XXII, 5): ut bibentes sancti Spiritus lætitia repleantur. *Ut exhilaretur facies in oleo.* Gratia quædam, quæ est hominum ad homines, præcipua ad conciliandum sanctum amorem, oleum dicitur; in nitore divino, quo totum ungitur corpus Christi, qui principaliter unctus, et fons hujus est olei. *Et panis cor hominis confirmat.* Manifestavit de quo pane loqueretur. Panis enim **388** visibilis ventrem satiat, stomachumque confirmat. Iste autem cibus, cordis est et animæ fortitudo, de quo ipse Dominus dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41).

(Vers. 16.) *Saturabuntur ligna campi.* De ista gratia saturabuntur ligna campi, id est, plebes Judæorum. *Et cedri Libani, quas plantasti.* Satiabuntur hac gratia non solum humiles hujus mundi, sed etiam nobiles atque sublimes; qui propter excellentiam suam dicuntur cedri: sed quas plantavit Dominus, qui etiam de divitibus et illustribus, multos justificavit.

(Vers. 17.) *Illic passeres nidificabunt: fulicæ domus dux est eorum.* In istis cedris Libani, quas gratia Dei plantat et satiat, nidificabunt passeres: hi scilicet qui elegerunt humilitatem, et relictis quæ habebant, aut venditis, nihil sibi in hoc sæculo reservarunt; sed divitum Christianorum domibus agrisque suscepti, necessariis solatiis adjuvantur. Qui tamen, licet in cedrorum altitudine requiescant, non ipsis cedris ducibus utuntur; sed *fulicæ domus dux est eorum.* Domus autem fulicæ, quæ marina est avis, non est in terræ foraminibus, neque in ramis arborum; sed in petra, quæ aquis sit circumdata. Petra vero intelligitur Christus (I *Cor.* x, 4), qui exemplum patientiæ præbuit humilibus et passeribus: quorum ipse est fortitudo, ut circumfrementibus fluctibus non moveantur; et si quid in cedris Libani offenderit, fulicæ domum sequantur.

(Vers. 18.) *Montes altissimi cervis, petra refugium hericiis.* Cervi sunt magni et præcipui spiritales, qui mandatorum Dei sublimissima quæque sectantur, et in montibus habitant Scripturarum. Sed et qui ex-

A celsa tenere non possunt, habent humilitatis suæ refugium; ac licet sint minutis quibusdam peccatis hispidi et spinosi (quod significatum est hericiorum nomine), tamen et ipsi suscipiuntur a petra, quæ sive in montibus, sive in mari, sive in convallibus, omnium est ubique præsidium.

(Vers. 19.) *Fecit lunam in tempore.* Fundavit Dominus Ecclesiam, quæ per temporalia transit ad æterna; et quamvis ad claritatem destinata sit perpetem, mutationibus tamen, dum hic degit, obnoxia est. *Sol cognovit occasum suum.* Christus agnovit passionem suam. Occasus Christi, passio Christi est. Sed numquid sol sic occidit, ut non oriatur? *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat* (*Psal.* XL, 9)? Quid est autem: *Agnovit occasum suum* (*Isai.* LIII, 7),

B nisi, placuit ei ut moreretur? Voluntate enim suscepit crucem et mortem; et sicut aliena sunt ab ejus notitia quæ ipsi non placent, ita ea quæ voluntati ipsius congruunt novit atque cognoscit.

(Vers. 20, 21.) *Posuisti tenebras, et facta est nox.* Cum passus esset Dominus, conturbata sunt tenebris formidinis corda apostolorum: et quædam illic nox facta est, cum occisus est **389** qui Redemptor omnium videbatur. *Ibi pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Catuli leonum rugientes ut rapiant, quærentes a Domino escam sibi.* In hac nocte desperationis, et in his tenebris ignorantiæ insidiabantur bestiæ silvæ, id est, maligni spiritus; et catuli leonum, hoc est, sæviores quique dæmonum, furentes ad rapiendos in escam suam, quos in tenebris infidelitatis invenerint. Qui-

C bus tamen nihil [a] noxie inferre possunt, nisi Deus permiserit: et ideo ab ipso petunt rapiendi potestatem, cujus judicio homo inimicis suis aut castigandus traditur, aut probandus.

(Vers. 22.) *Ortus est sol, et congregati sunt: et in cubilibus suis* [b] *collocabuntur.* Ortus est sol, quia occidit sol: id est, Christus mortuus surrexit, et universum mundum claritatis suæ manifestatione implevit: et quamvis in cordibus infidelium tenebræ perseverent, Ecclesia tamen toto orbe terrarum, cui sol est ortus, in lumine est. Unde illi spiritus, qui ad persequendos Christianos impiorum animos incitant, in tanta luce ubique receptæ veritatis sævire non audent, in sua cubilia congregati, intra infidelium corda cohibentur.

D (Vers. 23.) *Exivit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.* Quia modo in pace Ecclesiæ homo Dei, justitiæ Dei serviens, libere agit, et ad profutura sibi opera securus egreditur usque ad vesperam. In fine enim mundi erit quædam contenebratio persecutionis [c] externæ.

(Vers. 24.) *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti.* Admiratio hæc, qua magnificentia stupetur operum divinorum, ad utramque conditionem pertinet, id est, et mundi hujus, et

[a] Lugd., *nihil noxæ.* Duac. et Colon., *nihil noxiæ.* Lovan., *nihil noxie.*

[b] Editiones omnes pro varia lectione assignant in margine, *cubabunt:* quæ vox habetur in Augustini enarratione hoc loco serm. 3, num. 23 et 24.

[c] Sic Lugd. editio. Lovan., Duac. et Colon., *externa;* forte pro *extremæ* aut *extrema.*

Digitized by Google

Ecclesiæ. Quia temporalium pulchritudo gloriam A significat æternorum, et per visibilia, ea quæ non apparent intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20; *Heb.* I, 10; *et* II, 10; *Coloss.* I). *Omnia* autem *in sapientia fecisti*, id est, in Christo facta sunt, qui est Dei virtus et Dei sapientia. *Repleta est terra creatura tua.* Late oculis apparet, et multipliciter spectabilis est pulchritudo mundana, quæ sapientiam et virtutem sui testatur auctoris. Sed illam magis creaturam debemus attendere, de qua dicit Apostolus, *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt* [a] *nova* (II *Cor.* V, 17). Venit enim qui renovaret opus suum, qui conflaret argentum suum, qui formaret monetam suam. Et videmus plenam terram Christianis in eum credentibus, et ad spem novi sæculi, relicta præterita vanitate, currentibus. B

**390** (Vers. 25, 26.) *Hoc mare magnum, et spatiosum; illic repentia, quorum non est numerus.* Licet ad novum sæculum nova creatura pertineat, in hac tamen vita peregrinatur, et non potest ad patriam suam, nisi per hoc magnum et inquietum mare inter pericula navigare : insidiante innumerabilium repentium dolo, hoc est multarum tentationum incursu : a quibus cavendum est, ne dum repunt, subrepant; et non recedendum a ligno crucis, in quo hoc sævum mare sub Christi gubernaculis transeatur. *Animalia pusilla et magna; illic naves commeabunt.* In hoc mari sunt infideles; et inter aquas amaras sterilesque versantur pusilli et magni, id est, et infirmi, et primates istius sæculi : qui licet Christianæ religioni adversentur, tamen inter ipsos tutus est nostrarum navium commeatus; hoc est, inter procellas C et fluctus maris, gubernante Christo, Ecclesiarum tutus est cursus. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.*

In mari isto magno, ubi sunt repentia, quorum non est numerus, ubi animalia pusilla et magna, ubi etiam nostrarum navium commeatus; ibi est et draco, qui de summis in ima dejectus judicio Dei, ad hoc ex angelo diabolus factus est, ut malitiæ et nequitiæ ipsius a sanctis illuderetur. Qui etsi indesinenter habet nocendi cupiditatem, nemini tamen plus tentationum potest inferre quam sinitur.

(Vers. 27, 28, 29.) *Omnia a te exspectant, Domine, ut des illis cibum in tempore opportuno. Dante te, illi colligent.* Universis repentibus, cunctis animalibus, D atque ipsi draconi non suppetit cibus, nisi quem Dominus dederit. Quamvis enim draco semper sit cupidus ad vorandum, vorare tamen non potest, nisi quod Deus justus ciborum omnium distributor esui ejus addixerit. Est autem esca ipsius terra (*Genes.* III, 14). Non igitur edendus dabitur, qui terra non fuerit, hoc est, qui non se terrenis cupiditatibus actibusque dediderit. *Aperiente te manum tuam, universa replebuntur bonitate. Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur.* Apertio manus Dei revelatio est Christi. Manus enim Domini Christus est. *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? Quod cui revelatur, illi aperitur; et cui aperitur, bonitate impletur. Utque hanc bonitatem desuper accepisse se noverit, nonnumquam Dominus avertit faciem suam : et qui videbatur plenus bonitate, turbatur; ut per subitam **391** inopiam intelligat, illam boni abundantiam non sibi fuisse de proprio. *Auferes spiritus eorum, et deficient; et in pulverem suum revertentur.*

Qui in se gloriabantur, docentur detumescere : aufertur ab eis spiritus superbiæ, ut convertantur in pulverem suum, agnoscentes quod terræ sint, et pœnitentes quod superbierint, ut rursus bonitate repleantur.

(Vers. 30.) *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Ipsius enim sumus figmentum*, dicit Apostolus, *creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* (*Ephes.* II, 10). A Spiritu Dei accepimus gratiam, ut justitiæ vivamus. Deus enim justificat impium, et renovat faciem terræ, condens in toto mundo novam creaturam per spiritum gratiæ, ut deposito vetere homine, in novitate vitæ ambulemus.

(Vers. 31.) *Sit gloria Domini in æternum : lætabitur Dominus in operibus suis.* Deo ergo sit gloria, Deus lætetur in operibus suis. Quia si quid laudandum, si quid lætandum ab homine agitur, opus Dei est, et munus gratiæ ejus, qui aufert spiritum superbum, et dat Spiritum sanctum.

(Vers. 32.) *Qui aspicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigabunt.* Hæc opera Dei convertentis aversos, ut aspiciat ad terram præfidentem sibi, ac de suis viribus præsumentem, et faciat eam tremere, et hanc sibi esse causam tremoris agnoscat, quia Deus [b] in ipso operatur ut bona sit, quo se avertente defecerat. Eodem autem opere tanguntur et montes, id est, sublimiores quidam, et potentiores hujus sæculi : *et fumigabunt*, id est, dabunt Deo confessionem, et preces ipsorum ad Deum, qui illos tetigit, quasi fumus ascendit.

(Vers. 33.) *Cantabo Domino in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu sum.* Omnia, inquit, ad laudem Dei referam, et Dominum in omnibus operibus suis sine fine laudabo.

(Vers. 34.) *Suavis sit ei disputatio mea; ego autem jucundabor in Domino.* Suavis est Domino disputatio illius qui per humilem confessionem se indicat scienti Deo, et cui se indicat nescienti Deus. De hac autem tali disputatione oritur delectatio : quia confessio non in se gloriantis, in agnitionem Dei proficit.

[a] Hic recentiores editiones addiderunt vocem *omnia* quæ abest a quatuor veteribus, et quam abesse solere a mss. notatum legimus in Augustino hic loci, et supra jam non semel omissi observavimus.

[b] Forte, *in ipsa*; scilicet terra, *ut bona sit*. Quod si de nomine illa terra notato primo sensu exponi deberet, dixisset certe, *in ipso operatur ut bonus sit*. Editiones nostræ ad hoc dubium solvendum nihil conferunt.

Digitized by Google

(Vers. 35.) *Deficient peccatores a terra, et injusti, ita ut non sint.* Iracundiæ et odii videtur esse vox A ista : sed est præcipuæ charitatis. Hoc enim ait quod et supra, ut auferatur spiritus superborum, et deficiant : et mittatur in illos Spiritus **392** Dei, ut fiat nova creatura, deficiente malitia, non pereunte substantia. Qui enim, cum esset impius justificatus est, non erit impius, sed erit justus. *Benedic, anima mea, Dominum.* Benedicat anima fidelis in omnibus Deo, et *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31).

## PSALMUS CIV.

*Primus hic psalmus prænotatur* HALLELUIA, *quod est,* [a] *Laudate Dominum : ideo a laude cœpit.*

(Vers. 1.) *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.* Laudate, inquit, Dominum, et invocate; semper enim invocationem debet præire laudatio, quæ B hic dicta confessio est. *Annuntiate in gentibus opera ejus.* Evangelistis hoc dicitur in propheta, ut universo mundo Christus annuntietur.

(Vers. 2, 3, 4.) *Cantate ei, et psallite ei.* Hoc est, verbo et opere prædicate : quoniam ore canitur, manibus autem psallitur. *Narrate omnia mirabilia ejus. Laudamini in nomine sancto ejus.* Opera, inquit, Dei confitendo narrate : et in operibus vestris sic estote laudabiles, ut Deus laudetur in vobis. *Lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, et confirmamini.*

Dominum quærens, gaudium quærit : sic ergo quæratur, ut non de se, sed de Deo gaudeat et confortetur. Accedendo enim ad Dominum, et illuminabitur ignorantia, et corroborabitur infirmitas; C data sibi et intelligentia qua videat, et charitate [b] qua ferveat (*Sent.* 9). *Quærite faciem ejus semper.* Facies pro præsentia ponitur, sicut facies venti (*Psal.* XVII, 43), et facies ignis (*Psal.* LXVII, 3). Præsentia ergo Dei semper quærenda est : et perseveranti studio agendum ut qui præsentem se tribuit, non recedat. Hoc autem in ista vita fides quærit, spes invenit, charitas vero obtinet in vita æterna, ubi amor veræ præsentiæ nec minuitur, nec finitur.

(Vers. 5, 6.) *Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus et judicia oris ejus. Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus.* Quia multum est paucisque possibile est, secundum id semper Deum quærere, quod ipse de se ait, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14); secundum id saltem a parvulis est D quærendus, quod ipse ait, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, hoc mihi nomen est in æternum* (*Ibid.*, 15). *Mementote* ergo *mirabilium ejus quæ fecit*, qui **393** semen estis Abrahæ; et filii ejus Jacob quem elegit Deus. Ut si altius Deum non potestis desiderare, vel secundum ea quæ cum patribus vestris operatus est, præsentiam ipsius expetatis.

(Vers. 7.) *Ipse Dominus Deus noster, in omni terra judicia ejus.* Manifestavit quod hi essent filii Abraham, qui essent filii promissionis (*Rom.* IX, 8), dicendo, *In omni terra judicia ejus :* quia in toto mundo fuerant filii Abrahæ, quos nunc sermo propheticus cohortatur ut meminerint mirabilium Dei.

(Vers. 8-11.) *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes; quod disposuit Abraham, et juramenti sui ad Isaac. Et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum, dicens, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.* Per ea quæ transierunt, significantur ea quæ manebunt; et per imaginem veteris testamenti, confirmata est promissio hæreditatis æternæ, per verbum *quod mandavit Deus in mille generationes*, hoc est, in omnes. Nam ut nihil vacui prætermitteret, eum numerum posuit generationum, quem constat nec ab ipso Adam usque ad finem mundi posse compleri, donec omnes generationes finiantur, quæ ex abundanti millenario numero comprehensæ sunt. Verbum mandati permanet : id est, verbum fidei, cui promissa est hæreditas æterna. Quod enim ait, *Tibi dabo terram Chanaan*, non mandatum est, sed promissum : mandatum autem est, ut justus ex fide vivat (*Habac.* II, 4), cui patria æterna promittitur nomine cujusdam terræ, cujus dum non est perpetua possessio, certum est quia alia significatur.

(Vers. 12-15.) *Cum essent numero brevi, paucissimi, et incolæ in ea*, id est, in terra Chanaan, *transierunt de gente in gentem, de regno in populum alterum. Non reliquit hominem nocere illis, et corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite* [c] *malignare.* Quando, inquit, in terra Chanaan habitaverunt patres Abraham, et Isaac, et Jacob, peregrini erant illic, prius quam illam acciperent in hæreditatem : et *cum essent paucissimi, transierunt de gente in gentem* sine noxa. Non enim permisit Deus ut quisquam illis noceret : ita ut ipsa protectio Dei dicere [d] videretur, *Nolite tangere christos meos*, et cætera. **394** Quæ verba etsi non sunt in historia, fuerunt tamen in ipso rerum effectu : cum divinitus hoc ageretur in cordibus alienigenarum, ut electi Dei essent illæsi. Qui ideo jam tunc christi dicti sunt, cum adhuc in usu chrisma non esset : quia et ipsi in ea vivebant fide quæ erat novissimis temporibus revelanda. Ab initio enim omnibus sanctis non nisi in Christo, justificatio fuit.

(Vers. 16, 17.) *Et vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit. Misit ante eos virum, in servum venumdatus est Joseph.* Per hanc dispositionem factum est ut transirent de gente in gentem, [e] de regno in populum alterum. Quod autem vocavit famem, non sic accipiendum quasi fames

[a] Seu potius, ut apud Augustinum hic loci, *Laudate Deum.*

[b] Editio Lugdun., *qua serviat.*

[c] Editi nostri ad unum omnes habent, *malignare :* pro quo in Augustini enarratione, ut in Vulgata nostra, legitur, *malignari.*

[d] Editi veteres, *dicere videtur.* Posteriores, *videretur;* nec male emendatum.

[e] Ita Lugdun. et Lovan. editi, ut supra legitur. Duac. et Colon., *et regno.* Posteriores, *et de regno.*



Digitized by Google

aliqua persona sit, vel res substantialis et vivens, quæ imperio vocantis acta sit, cum fames nihil aliud sit quam ex inedia contracta pernicies : sed vocata dictum est, pro facta. *Vocat* enim *Deus quæ non sunt, tamquam quæ sint* (*Rom.* IV, 17); quæ non ideo vocata sunt quia erant, sed ideo [a] erunt quia vocata sunt : id est, existere jussa sunt per eum *qui fecit quæ futura sunt* (*Isai.* XLV, 11, *sec. LXX*). In eo vero quod *misit ante eos virum, in servum venumdatus est Joseph*, diligens inspectio necessaria est, qua videamus quomodo malis operibus hominum bene utatur : cum homines bona opera Dei ad instrumentum malitiæ suæ transferant.

(Vers. 18, 19.) *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus : ferrum pertransivit animam ejus; Donec veniret verbum ejus, eloquium Domini inflammavit eum.* Compedes quidem Joseph accepisse non legimus, sed dubitandum non est de eo, quod licet historia prætermiserit, tamen propheta non tacuit. In ferro autem, quod pertransiisse animam ejus dixit, tribulationem duræ necessitatis debemus accipere. Quæ tribulatio tam diu mansit, donec implerentur somnia, quæ verbo ipsius fuerant interpretata, et per quæ commendatus est regi, ut etiam ipsi futura prædicaret (*Gen.* XLI, 25, etc.). Ne quis autem hæc homini tribueret, non gratiæ Dei, congruenter adjectum est, *eloquium Domini inflammavit eum;* ut etiam ipse intelligatur sancto Spiritu [b] feruisse.

(Vers. 20.) *Misit rex et solvit eum, princeps populorum, et dimisit eum.* Ipse est *rex*, qui *princeps populorum : solvit* eum compeditum, *dimisit* inclusum.

(Vers. 21, 22.) *Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ; ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et seniores ejus prudentiam doceret.* **395** Ne hoc quidem in illa sublimitate Joseph historia refert, quod Ægyptios senes sapientia imbuerit spiritali. Sed qui fieri posset ut vir tantus, unius veri Dei cultor, alendis tantummodo Ægyptiorum corporibus, et solis terrenis rebus prospiciendis esset intentus, non autem curaret ut eorum quos habebat subditos etiam animos erudiret?

(Vers. 23.) *Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham.* Quod est Israel, hoc est Jacob; et quod est Ægyptus, hoc terra Cham. De semine enim Cham filii Noe exorta est gens Ægyptiorum, apud quos peregrinati sunt Israelitæ. Si autem quæritur quomodo de regno in populum alterum transiisse dicantur, cum terram Chanaan necdum in regnum accepissent; potest per anticipationem, id est, prolepsim, sic dictum accipi, ut quod futurum erat, quasi factum dictum sit.

(Vers. 24.) *Et auxit populum suum vehementer, et* A *firmavit eum super inimicos ejus.* Quod breviter præmissum est, Firmavit populum suum super inimicos ejus, tamquam quæreremus quomodo factum sit, incipit dicere, donec id etiam narrando determinet.

(Vers. 25.) *Et convertit cor eorum, ut odissent populum suum, ut dolum facerent in servos ejus.* Cor Ægyptiorum non Deus depravavit a recto; sed cum sponte mali essent, et tales ut possent invidere felicibus, in odium illos Hebræorum convertit beneficentia sua, qua populum suum multiplicabat. Benefaciendo autem suis, Ægyptios ad eorum inimicitias incitavit; non ipsos malos faciendo, sed istis bona quæ malos urerent largiendo.

(Vers. 26, 27.) *Misit Moysen servum suum, et Aaron,* [c] *et quem elegit ipsum. Posuit in eis verba signo-* B *rum suorum, et prodigiorum in terra Cham.* Multa sine ullis verbis facta sunt, vel virga, vel manu extenta, vel favilla in cœlum missa. Sed quia illa ipsa [d] sine verbo facta sunt, non erant ab aliquibus significationibus vacua, sicut verba quæ loquitur : ideo etiam ipsa dicta sunt verba, non vocum et sonorum, sed signorum et prodigiorum.

(Vers. 28.) *Misit tenebras, et obscuravit; et non exacerbaverunt sermones ejus.* Id est, Moysen et Aaron Ægyptii, quamvis essent durissimi, patienter tulerunt, donec omnia quæ Deus facere disposuerat complerentur.

(Vers. 29, 30.) *Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.* **396** *Dedit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.* Hyperbolicos dictum C est, tamquam ipsam terram eorum convertisset in ranas.

(Vers. 31.) *Dixit, et venit cœnomyia, et cyniphes in omnibus finibus eorum.* Si quæritur quando dixerit, in verbo ejus erat antequam fieret; et sine tempore ibi erat, quo tempore fieret.

(Vers. 32, 33.) *Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum. Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum.* Hoc vi grandinis et fulminibus factum est. Unde et ignem dixerunt comburentem.

(Vers. 34.) *Dixit, et venit locusta et bruchus, cujus non erat numerus.* Una plaga est locustæ et bruchi; quoniam altera est parens, altera fetus.

(Vers. 35.) *Et comedit omne fenum terræ eorum.* D Etiam fenum fructus est, sicut loqui Scriptura consuevit, quæ etiam segetes frugum fenum appellat.

(Vers. 36.) *Et percussit omnem primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.* Hæc plaga novissima est, excepta morte in mari Rubro. Quæ plagæ cum sint decem, nec omnes commemoratæ sunt, nec eodem ordine quo in Moyse leguntur. Libera

[a] Duac. et Colon. editiones, *erant*. Lugdun. et Lovan., *erunt*.

[b] Lugdun. et Lovan. legunt *feruisse*. Duac. et Colon, *ferbuisse*. Prius a feruo, feruis derivatum notant grammatici. Unde apud Terent. in Adelph. *Sperabam jam deferuisse adolescentiam*.

[c] Lugdun., Lovan. et Duac., *in quem*. Colon. cum posterioribus, *et quem*. Apud Augustinum, *quem elegit*, sine *in*, vel *et*.

[d] Locus hic paucarum vocum additione fieret clarior. Cui rei præstandæ cum non juvarent editi nostri, deficerentque nos mss., ipsum Augustini locum de verbo ad verbum placet transcribere. *Sed quia illa ipsa quæ facta sunt non erant alicujus significationis inania, sicut et verba quæ loquimur, ideo*, etc.

Digitized by Google

est enim prophetica laudatio a lege narrationis A historicæ.

(Vers. 37.) *Et eduxit eos in argento et auro.* Dolus quidem quo Ægyptii decepti sunt ut argentum et aurum Hebræis discedentibus darent (*Exod.* xi, 35), non ad præceptum, nec ad inspirationem Dei referendus est; sed ad promissionem tantum, qua carnales quoque hac decipi cupiditate pateretur. Verumtamen habeat aliquid fraus ista justitiæ, quæ ab iniquis hoc quodammodo abstulit, quod pro mercede multorum operum debebatur. *Et non est in tribubus eorum infirmus.* Etiam hoc magnum beneficium Dei fuit, ut in illa profectione nullus esset infirmus, corpore scilicet, non animo.

(Vers. 38.) *Lætata est Ægyptus in profectione eorum : quia incubuit timor eorum super eos.* Intelli- B gendum quod hoc tunc factum sit, quando oppresso aquis Pharaone cum exercitu suo, residui Ægyptiorum timere potuerunt ne ad delendos eosdem Hebræi reverterentur : quibus profectis in longinquiora, causas habuerunt lætandi.

(Vers. 39, 40.) *Expandit nubem in protectione eorum; et ignem, ut luceret eis per noctem. Petierunt, et venit coturnix.* Quæ utique caro est. [a] Quæ petitio non **397** querulorum, sed electorum præstita est, ad carnalium murmura comprimenda. Quoniam hic psalmus non de eis loquitur in quibus non est beneplacitum Deo; sed de fide filiorum promissionis, propter quos etiam illi juvabantur. *Et pane cœli saturavit eos.* Id est, manna.

(Vers. 41.) *Disrupit petram, et fluxerunt aquæ : C abierunt in sicco flumina.* His omnibus beneficiis Dei, fidei Abrahæ meritum commendatur.

(Vers. 42, 43, 44.) *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod locutus est ad Abraham puerum suum. Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt.* Tamquam quæreremus, [b] cui bono ista data sint : ne hoc ipsum putaretur summum bonum, quod ista felicitas temporalium rerum data est; continuo eam ad aliud retulit, ubi summum bonum oportet inquiri.

(Vers. 45.) *Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.* Ergo intelligendum est, Dei servos, et electos filios promissionis, imitantes fidem Abrahæ, propterea ista bona terrena sumere a Do- D mino, ut non in eis luxu diffluant, sive perversa securitate torpescant : sed ideo habeant hæc omnia ex divina misericordia præparata, in quibus quærendis possent negotiosissimis laboribus occupari; ut ad hoc vacent, unde bonum æternum possit acquiri. Hoc est, *Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.*

## PSALMUS CV.

### HALLELUIA.

(Vers. 1.) *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Duo isti psalmi civ et cv ita inter se conjuncti sunt, ut in uno eorum qui præcedit, commendetur populus Dei in electis ejus, de quibus nulla querela est, et in quibus beneplacitum est Domino (I *Cor.* x, 5) : in isto autem qui sequitur hi commemorantur qui in eodem populo amaricaverunt; nec tamen etiam ipsis misericordia Dei defuit. Dicuntur autem ista ex eorum persona qui veniam conversi precantur; et exempla commemorantur illorum in quos etiam peccatores dives apparuit misericordia Dei. Incipit ergo iste psalmus, sicut ille, *Confitemini Domino;* sed ibi sequitur, *et invocate nomen ejus :* hic autem, *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Confessio igitur peccatorum habet laudationem Dei : quoniam qui indulgentiam petit, cum spe debet orare, et cum **398** laude ejus misericordiæ quam credit æternam.

(Vers. 2.) *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus ?* Quis enarrabit opera omnipotentis misericordiæ Dei, vel poterit facere ut omnes laudes ipsius audiantur? Quia quod ore promitur, et quod opere agitur, in laudem Dei dicendum est, atque faciendum.

(Vers. 3.) *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.* Justitia et judicium tam similia sibi sunt atque vicina, ut quodlibet eorum pro altero poni possit. Verumtamen si proprietas eorum diligentius servanda sit, judicium custodire dicendus est, qui recte judicat; justitiam vero facere, qui recte agit.

(Vers. 4.) *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui.* Id est, ut in eis simus in quibus beneplacitum est tibi : quia non in omnibus illis beneplacitum est Deo (I *Cor.* x, 5). *Visita nos in salutari tuo.* Hoc est, in Christo tuo, in quo peccata dimittuntur, et animæ sanantur, ut custodiant judicium, faciantque justitiam.

(Vers. 5.) *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ.* Visita nos, inquit, ad videndum, id est, illumina nos, ne simus cæci, et extra bonitatem electorum tuorum. Quoniam oculi interiores recta vident, æquitatem vident, bona concupiscunt. In hac ergo bonitate fac et nos videre, et lætari in lætitia populi tui, quæ non est præter te : quia omnes tui non gaudent nisi de te. *Ut lauderis cum hæreditate tua.* Id est, ut omnia bona hæreditatis tuæ, quam elegisti et adoptasti, ad tuam gloriam laudemque referantur. Quia quos visitas in salutari tuo, laudari nisi in tua laude non possunt, qui eos laudabiles facis.

[a] Augustinus hoc loco : *Non coturnicem concupiverunt, sed carnes. Quia vero et coturnix caro est, et in illo psalmo non loquitur de amaricatione illorum, in quibus non est beneplacitum Deo, sed de fide electorum . . . . ipsi intelligendi sunt petisse ut veniret, unde amaricantium murmur opprimeretur.* Ex quibus intelligas necessario substitui debuisse vocem *murmura* in sequentibus, pro voce *munera*, quæ habetur in editis omnibus.

[b] Editiones nostræ legebant, *cui bona ista.* At ex Augustini opere, sensu loci id exigente, corrigere non dubitavimus, *cui bono ista data sint.* Id est, quo fine data, seu cui usui a Deo destinata.

Digitized by Google

(Vers. 6.) *Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.* Dupliciter intelligi potest, quod peccaverint posteri cum patribus suis, tanto antiquioribus : sive quia in lumbis patrum erant, quando illi in Ægypto fuerunt ; quia et Levi cum Abraham decimatus est (*Hebr.* VII) : sive quia imitatores fuerunt per similitudinem contumaciæ, et cum illis peccaverunt, quos suis moribus retulerunt.

(Vers. 7.) *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.* Et intellectum redarguit, et memoriam. Intellectu quippe videre debuerunt ad quorum bonorum æternitatem per illa temporalia vocarentur; memoria vero ad hoc saltem instrui debuerunt, ut mirabilium Dei non obliviscerentur : cum B ad confirmationem **399** eorum multum posset valere beneficiorum Dei fidelis recordatio. *Et irritaverunt, ascendentes in mare, in mare Rubrum.* Ascendentes dictum est pro terræ positione, quæ talis est, ut descensio dicatur in Ægyptum de terra Chanaan, et in eam de Ægypto ascensio.

(Vers. 8, 9.) *Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam. Et increpuit mare Rubrum, et siccatum est.* Non legitur ulla vox facta qua siccaretur mare : potentia ergo qua id factum est increpatio dicta est. *Et eduxit eos in abyssis, sicut in deserto.* Quia siccitate factum erat sicut desertum, ubi fuerunt abyssi.

(Vers. 10.) *Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici.* Quid pretii datum est in C hac redemptione? An prophetia est, quod in figura baptismi hoc factum sit, ubi redimimur de manu diaboli magno pretio, quod est sanguis Christi? Unde convenienter hoc magis mari Rubro figuratum est.

(Vers. 11, 12.) *Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit. Et crediderunt in verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus.* Talis locutio est, cum dicitur, Hanc servitutem servivit, aut, talem vitam vixit. Laudem vero Dei illam dixit quæ cantico Exodi continetur (*Exod.* XV, 1).

(Vers. 13.) *Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus; non sustinuerunt consilium ejus.* Festinaverunt beati fieri temporalibus rebus, et magis concupierunt præsentia quam futura : cum debuerint de tantis erga se beneficiis intelligere, quod ad aliquam sine fine D beatitudinem vocarentur.

(Vers. 14.) *Concupierunt concupiscentias in deserto, et tentaverunt Dominum in inaquoso.* Talis locutio est, Concupierunt concupiscentiam, qualis est superior, Laudaverunt laudem.

(Vers. 15.) *Et dedit eis petitiones eorum, et misit saturitatem in animam eorum.* Animam hoc loco, non A secundum quod rationalis est dixit, sed secundum id quod [a] animatum corpus anima facit : ad cujus animalis sustentationem pertinet cibus et potus.

(Vers. 16, 17.) *Et irritaverunt Moysen in castris, et Aaron sanctum Domini. Et aperta est terra, et deglutivit Dathan, et* [b] *superoperuit super congregationem Abiron.* Quod est *deglutivit,* hoc est, *superoperuit :* amborum autem una erat causa, ob impium schisma.

**400** (Vers. 18.) *Et exarsit ignis in synagoga eorum, et flamma combussit peccatores.* Licet justi quoque et laudabiliter viventes, non sint absque peccato Scriptura tamen peccatores, non levium culparum homines, sed multorum facinorum et profundæ iniquitatis, hoc nomine appellare consuevit.

(Vers. 19, 20.) *Et fecerunt vitulum in Choreb, et* B *adoraverunt sculptile. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum.* Deus erat gloria eorum, si ejus consilium sustinerent; cui dicitur, *Gloria mea, et exaltans caput meum* (*Psal.* III, 4). Istam gloriam suam, id est, Domini, immutaverunt in similitudinem vituli comedentis fenum : ut ab eo comederentur a quo comeduntur qui sapiunt secundum carnem. *Omnis* enim *caro fenum* (*Isaiæ* XL, 6).

(Vers. 21, 22.) *Obliti sunt Deum, qui liberavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.* Quæ sunt mirabilia, eadem terribilia. Nulla quippe est admiratio sine quadam formidine.

(Vers. 23, 24.) *Et dixit disperdere eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu* C *ejus.* Non ita dixit, *in confractione,* quasi ut [c] confrangeret iram Dei : sed in plaga qua erant illi conterendi, in qua Moyses objecit seipsum pro eis. Et demonstratum est quantum pro malis valeat apud Dominum sanctorum intercessio. *Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos : et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, nec crediderunt verbis ejus.* Nullo modo isti culparentur, quia pro nihilo habuerunt terram, cujus temporale regnum etiam nos pro nihilo habere debemus: nisi terra illa quæ dicebatur fluens lac et mel (*Exod.* III, 8), magni sacramenti habuisset significationem. Quod non intelligentes, nec desiderantes, sed in terrenis tantum felicitatem suam constituentes, non crediderunt verbis Dei; et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, id est, æternam D atque cœlestem.

(Vers. 25-29.) *Et murmuraverunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini. Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto : Et dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in gentibus. Et consecrati sunt Belphegor, et manducaverunt sacrificia mortuorum. Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina.*

[a] Fortasse scripserat S. Prosper, ut in Augustino legitur, *secundum id quod animans corpus animal facit :* cum statim de animali subjungens dicat, *ad cujus animalis sustentationem.* Non mutavimus tamen, quia non favebant editi nostri, nec sensus omnis aberat a lectione solita.

[b] Editi simplici verbo, *operuit.* Substitui compositum, *superoperuit,* cogit expositio subsequens.

[c] Sic Lugd., Lovan., Duac. et Colon., pro *confringeret :* cujus loco posteriores editores posuere *frangeret,* quod legitur etiam apud Augustinum.

Digitized by Google

Suspensa fuerat ira justitiæ, et in peccatores dilata vindicta. Sed postea quam consecraverunt se idolis, et manducaverunt sacrificia **401** mortuorum, id est, quæ mortuis hominibus immolabant; fornicationi quoque alienigenarum mulierum miscuerunt, multiplicata est in eis ruina, ut ob augmentum criminum gravius vastarentur. In qua vastatione Dominum Phinees sacerdos placavit: quia masculum et feminam, in complexu adulterino deprehensos, pariter interemit; et deputatum est hoc ei ad justitiam, quia vidit Dominus quod hoc totius populi charitate fecisset.

( Vers. 30-33. ) *Et stetit Phinees, et placavit; et cessavit quassatio. Et reputatum est ei ad justitiam in generatione et generationem, usque in sempiternum. Et irritaverunt eum ad aquam contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos: quia exacerbaverunt spiritum ejus. Et distinxit in labiis suis.* Sanctus Moyses perturbatus murmure populi, non tenuit fiduciam qualem debuit, et dubitanter petram virga percussit, distinguens hoc miraculum a cæteris, quasi non posset, qui cætera fecerat, etiam istud efficere. Hinc ergo meruit prior mori, quam terram repromissionis intraret. Cui tamen Deus tamquam electo suo, etiam post mortem, bonum perhibet testimonium: ut intelligamus eum hujus tantum hæreditatis privatione mulctatum, non autem illius æternæ quam significabat temporalis et terrena possessio.

( Vers. 34-36. ) *Non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis. Commixti sunt cum gentibus, et didicerunt opera eorum: et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.* Illud, quod gentes non disperdiderunt, et quod eis permixti sunt, factum est illis in scandalum.

( Vers. 37-39. ) *Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Historia quidem talium sacrificiorum non meminit; sed nemo dubitet psalmum vera narrare. *Et interfecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum.* Tropica locutio est, qua significatur per id quod continet id quod continetur; sicut dicimus malam domum in qua mali habitant, et bonam in qua boni. ª Interfecta ergo terra in sanguinibus, cum ipsi qui eam habitant, interfecti sunt in animam et contaminati in operibus suis. **402** *Et fornicati sunt in adinventionibus suis.* Non sic dictæ sunt adinventiones ipsorum, quasi ab ipsis repertæ, nullo præcedente, quod sequerentur, exemplo; sed in eo dictæ sunt ipsorum, quia illas suas imitando fecerunt.

( Vers. 40-42 ). *Et iratus est furore Dominus in populum suum.* Perturbatio iræ in Deum non cadit; sed in consuetudine loquendi, potentia vindictæ indeclinabilis hoc vocatur. *Et abominatus est hæreditatem suam; et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos. Et tribulaverunt eos inimici eorum: humiliati sunt sub manibus eorum.* Quando eos hæreditatem Dei vocat, non ad perditionem, sed ad disciplinam hæc abominatio fuit.

( Vers. 43-45. ) *Sæpe liberavit eos: ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo.* Perniciosum consilium est hominis ipsi homini, quo ea quærit quæ sua sunt, non quæ Dei; et ideo exacerbat consilium Dei, qui seipsum suis promittit hæreditatem, ut non temporalibus beati fieri cupiant, sed æternis. *Et humiliati sunt in iniquitatibus suis. Et vidit cum tribularentur, cum audiret orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui; et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.* Pœnituit, dictum est, quia sententiam qua eos puniturus videbatur in misericordiam vertit: quod Deus sine commutatione consilii sui facit. Quia, etsi apud nos quædam ipsius judicia et opera variantur, apud ipsum tamen omnium rerum exitus præscientem, nihil nova dispositione agitur, qui fecit quæ futura sunt. Cum ergo *pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ*, hoc fecit quod disposuerat, ut concederet quod se concessurum esse præscierat.

(Vers. 46). *Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos.* Bene hoc ad omnes filios promissionis referretur, qui redimuntur per sanguinem, et eruuntur de potestate tenebrarum: ut resipiscant de diaboli laqueis, a quo captivati tenentur, ad ipsius voluntatem ( II *Tim.* II, 26 ).

(Vers. 47, 48.) *Salvos fac nos, Domine Deus noster; et congrega nos de nationibus: ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et usque in sæculum;* id est, ab æterno usque in æternum. Quia sine fine laudabitur ab eis de quibus dicitur, **403** *Beati qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te* ( Psal. LXXXIII, 5 ). Tunc enim perficietur quod in primordio psalmi hujus oratum est, *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo: Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.* Non enim de gentibus solas congregat oves quæ perierunt domus Israel ( *Matth.* X, 6 ); sed etiam illas quæ non sunt de hoc ovili (*Joan.* X, 16); ut sit unus grex, ut dictum est, et unus pastor ( *Ibidem*). Judæi vero computant ad suum regnum visibile istam pertinere prophetiam: quia spe invisibilium bonorum gaudere non norunt, in laqueos illius ruituri sunt de quo Dominus ait, *Ego veni in nomine Patris, et non suscepistis me; alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis* (*Joan.* V, 43).

( Ibid.) *Et dicet omnis populus*, id est, omnis electio prædestinatorum, omnes filii promissionis, qui sunt ex circumcisione, et in præputio gens sancta, populus adoptionis. *Fiat, fiat.*

ª Hanc lectionem tuetur sanctus Augustinus hoc loco, his verbis disserens: *Putaremus scriptoris errorem, eumque diceremus pro eo quod est infecta, fecisse interfecta, nisi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas suas in multis linguis esse voluit, atque ita esse scriptum: Interfecta est terra in sanguinibus, inspectis Græcis codicibus videremus.* Græce habetur, ἐφονοκτονήθη.

Digitized by Google

## PSALMUS CVI. A

( Vers. 1. ) *Confitemini Domino, quoniam suavis est, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Confiteri potest suavitatem Domini, qui gustavit. Nam quomodo dicet suave esse quod nescit ? Accedat ergo ad gustandum, ut possit ructare ad confitendum. *In sæculum* autem, id est, in æternum est *misericordia ejus* ; quia æterni erunt quorum in hoc tempore miseretur.

( Vers. 2, 3. ) *Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimicorum, de regionibus congregavit eos. Ab oriente et occasu, ab aquilone et mari.* Redemptus quidem videtur Israel de terra Ægypti, de domo servitutis : sed hic hi vocantur redempti qui in toto orbe terrarum de magna et lata Ægypto, quasi per mare Rubrum, baptismum sacratum Christi B sanguine, liberantur. Dicant ergo Christiani, qui vocati sunt de universo mundo, *quoniam suavis Dominus, et in sæculum misericordia ejus.*

( Vers. 4-8.) *Erraverunt in solitudine, et in siccitate; viam civitatis habitationis non invenerunt. Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.* **404** *Et duxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis. Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.* Quater in hoc psalmo repetuntur hi versus, et miserationum Domini toties facta confessio significat, unumquemque redemptorum, ut perveniat ad perfectam pacem, quatuor tentationum periculis liberari. Nam primum periculum est, devium a C veritate hominem, in ignorantiæ solitudine atque errore versari, et carentem cibo potuque sapientiæ, fame sitique deficere. Sed cum hoc labore fatigatus exclamaverit ad Dominum, deducitur ad viam fidei, per quam incipiat pergere ad civitatem quietis, *et confiteatur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*

( Vers. 9-12. ) *Quoniam satiavit animam inanem, et animam esurientem implevit bonis. Sedentes in tenebris et in umbra mortis, compeditos in mendicitate, et in ferro. Quoniam exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt. Et humiliatum est in laboribus cor eorum; infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret eos.* Sicut prima tentatio fuit erroris et famis in ignorantia, veritatis ita postea quam quis agno- D verit viam Christi, et nosse cœperit quid sibi credendum quidve faciendum sit, laboribus secundæ tentationis excipitur ; ut cum vult quasi viribus suis contra peccata confligere, [a] inveniat cupidatum [b] difficultatibus præpeditum, et non posse viam quam didicit, propter compedes, ambulare. Exclamet ergo et in hac tribulatione, et de gratia Dei poscat auxilium : ut ruptis vinculis impossibilitatis suæ, ad recte agendum accipiat facultatem ; quam utique posset Dominus, remotis obstaculis, sponte prævenire ; nisi utile esset homini experiri infirmitatem suam, et de bonis operibus, non in se, sed in Domino gloriari : ut noverit confiteri Domino miserationes ejus, [c] cujus munera accipit, ut cupiditates suas possit evincere.

( Vers. 13-17. ) *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum salvavit eos. Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis : et vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino misericordias ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum ; propter injustitias enim suas humiliati sunt.* Quia priusquam a dominatione peccati per gratiam liberarentur, suam volebant justitiam constituere, ignorantes Dei justitiam ( *Rom.* X, 3 ): **405** humiliati ergo sunt per experimenta impossibilitatis suæ, et invenerunt se sine Dei adjutorio nihil posse. Sed tertia eos tentatio suscipit, quæ infert fastidium verbi Dei. Plerumque enim, quos ignorantia et concupiscentia non exstinxit, inedia et tædium, et fastidii languor occidit : nisi forte non est periculum, quando nec in lectione, nec in oratione est delectatio.

(Vers. 18.) *Omnem escam abominata est anima eorum ; et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Sicut corpori noxium est corporalem escam non posse percipere, ita animæ periculosum spiritales delicias fastidire (*Sent.* 10).

(Vers. 19, 20.) *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur ; et de necessitatibus eorum liberavit eos. Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de corruptela eorum.* Quædam mentis corruptela est, cum salubria et suavia non amantur ; ergo et de hoc liberari malo, plurimum bonum est.

(Vers. 21, 22.) *Confiteantur Domino miserationes, et mirabilia* [d] *ejus filiis hominum. Et sacrificent sacrificium laudis ; et annuntient opera ejus in exsultatione.* Non cum tædio, non cum mœrore, non cum anxietate, sed *in exsultatione.* Verum superest quarta tentatio, et quæ ad præsidentes et ad subditos pertinet : quoniam cum gubernator tempestate urgetur, omnes qui simul navigant, eodem periculo premuntur, et simul in portu sedata tempestate salvantur. Denique sequitur.

(Vers. 23, 24.) *Qui descendunt in mari in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.* Quorum ergo opera est ut populos regant, hi de profundo cordis humani tempestates seditionum et dissensionum frequenter exortas, quæ navem possint perturbare, patiuntur : et agnoscunt ideo Deum

[a] Supple pronomen *se*, ut in Augustino, *Invenit ergo se ligatum*, etc.

[b] Augustinus dicit, *Liberat Dominus de necessitatibus, rumpit vincula difficultatis*; et supra, *Cupiditatum difficultatibus præpeditum* aiebat S. Prosper.

[c] Forte, *cujus munere accipit*. Editi omnes habent, *cujus munera accipit*.

[d] Hic editi nostri antiquiores omittunt vocem istam *ejus*, quæ supra legebatur, et in Augustino non omittitur.

Digitized by Google

sincere ut hæc fiant, ut probati manifestiores sint A (I *Cor.* XI, 19), et ut ipse in pressuris a fidelibus invocetur.

(Vers. 25-27.) *Dixit, et stetit spiritus procellæ.* Id est permansit et perduravit, ut turbati vehementius supplicarent. *Et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius : et omnis sapientia eorum* [a] *exorta est.* Qui sedent ad gubernacula, et navem fideliter 406 amant, vim hujus perturbationis agnoscunt. Quoniam plerumque talibus scandalis exagitatur Ecclesia, ut præsidentium corda deficiant. Et quid restat, nisi quod sequitur?

(Vers. 28-31.) *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur ; et de necessitatibus eorum eduxit eos.* B *Et imperavit procellæ, et stetit in auram, et siluerunt fluctus ejus. Et lætati sunt quoniam siluerunt ; et deduxit eos in portum voluntatis eorum. Confiteantur Domino miserationes* [b], *et mirabilia ejus filiis hominum.* Ubique omnino *confiteantur Domino,* non merita nostra, non vires nostræ, non sapientia nostra ; sed *miserationes ejus.* Ille ametur in omni nostra liberatione, qui est invocatus in omni tribulatione.

(Vers. 32.) *Exaltent eum in ecclesiis populi, et in cathedra seniorum laudent eum.* Jam ergo dubium non est quod omnes supra dictæ tentationes, tribulationes, liberationes, in Ecclesia agantur. Quid ergo in hac Ecclesia operatus est Dominus, nisi ut superbis resisteret, humilibus autem daret gratiam (*Jac.* IV, 6) ? qui Judæos extollentes se de genere C Abrahæ, et de legis eloquiis, sprevit ; et amputatis naturalibus ramis, oleastrum oleæ inseruit, et de omnibus gentibus Abrahæ spiritale semen elegit (*Rom.* XI, 20).

(Vers. 33, 34.) *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim : Terram fructiferam* [c] *in salinis, a malitia inhabitantium in ea.* Propter hanc superbam malitiam, Judæos deseruit gratia, et facta est terra eorum sterilis atque deserta. Quia omnis prophetia, omne sacrificium, omnia ibi sacramenta cessarunt, et ad humilitatem gentium transierunt.

(Vers. 35, 36.) *Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum. Et habitare fecit illic esurientes.* Opera gratiæ narrantur, quæ effusa est in nationes immundas prius, atque desertas, D et a cultu veritatis alienas. *Et constituerunt civitatem habitationis.* Quoniam cœlestem Jerusalem jam [d] sponte obtinet, qui fide justificatus est.

(Vers. 37.) *Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum frumenti.* De quo gaudet ille operarius, qui dicit, *Non quia quæro datum, sed requiro fructum* (*Philip.* IV, 17).

(Vers. 38.) *Et benedixit eos, et multiplicati sunt nimis : et jumenta eorum non sunt diminuta.* Jumenta et pecora dicuntur in Ecclesia simpliciter ambulantia, sed utilia : non multum 407 docta, sed fide plena. Ergo et spiritales et carnales benedixit Deus et multiplicavit, ita ut non minuerentur.

(Vers. 39.) *Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et dolorum.* Ecclesia catholica in electis suis, præcognitis a Deo, filiis promissionis, membris corporis Christi, non minuitur, nec ad paucitatem redigitur, quia ipsi vere sunt ; aut cum lapsi fuerint, reparantur ac permanent : et semper multi sunt, quia de numero eorum nihil perit. Qui ergo in hanc soliditatem æternæ multitudinis, aut non introierunt, aut cum viderentur introiisse, ab eadem recesserunt, ipsi pauci facti sunt : quia ab illa quæ permanet multiplici unitate divisi sunt. Numquam enim multi sunt, qui ad non esse tendunt. Et quid tam obnoxium paucitati quam quod est debitum perditioni (*Sent.* 11) ?

(Vers. 40.) *Effusus contemptus est super principes.* Hæretici et schismatici ab Ecclesia reprobati : et ideo magis contempti, quia principes esse voluerunt. *Et seduxit eos in invio, et non in via.* Illi qui ad civitatem habitationis tendebant, directi sunt et deducti : isti autem civitatem sanctam, id est, Ecclesiam catholicam deserentes, per erroris sui invium abire permissi sunt, et suæ sunt traditi voluntati. Deus enim non deceptionis malignitate [e] seducit, sed judicii veritate discernit.

(Vers. 41.) *Et adjuvit pauperem de mendicitate.* Pauper et mendicus est ille qui nihil sibi tribuit, sed totum de misericordia Christi exspectat, ante Dominicam januam quotidie clamans, et pulsans, ut ei aperiatur, et ut ejus nuditas vestiatur. *Et posuit sicut oves* [f] *familias.* Hunc quasi unum pauperem, et unum mendicum adjuvit Deus, eumque in familias multiplicavit, id est, unam Ecclesiam, unam plebem, unam ovem in latitudinem totius orbis extendit.

(Vers. 42.) *Videbunt recti, et jocundabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.* Iniquitas illa garriens contra unitatem, convicta a veritate, obstruet os suum, non habens quod loquatur.

[a] Lege, *absorpta est.* Erroremque agnosce in antehac editis ; sic enim legit post Augustinum Vulgata nostra.

[b] Iterum omissum *ejus,* ut supra in editis omnibus antiquioris ætatis : cum tamen legatur ubique apud Augustinum.

[c] Augustinus legit, *in salinas.* Libri nostri omnes, *in salinis ;* nec infrequens auctoribus antiquis casum sextum usurpare pro quarto. Quod alibi apud Auctorem nostrum notare non erit difficile.

[d] Non dubitamus hic pro *sponte obtinet* legendum fore *spe obtinet,* si editi suffragarentur. Augustinus enim ait, *Interim habitationis in spe, quoniam, Qui me audit, inquit, habitabit in spe :* et Apostolus, *Spe salvi facti sumus* (Rom. VIII, 24).

[e] Ita manifeste legendum suadet sensus loci, et versus psalmi qui explicatur : non vero, ut antea editi, *malignitates educit,* quod errore typographico in primam editionem facile invectum, in posterioribus omnibus inemendatum remansit.

[f] Editiones nostræ omnes hic in ora libri indicant aliam lectionem, qua pro *familias,* legatur *patriam.*

Digitized by Google

(Vers. 43.) *Quis sapiens, et custodiet hæc, intelligens miserationes Domini?* Quid custoditurus est sapiens, nisi ut sit 408 pauper, non dives, id est, non sit superbus, non sit inflatus? Quia hæc custodiens intelliget miserationes Domini; non merita sua, non vires suas, sed miserationes Domini: qui errantem et egentem in viam deduxit, et pavit; qui pugnantem adversum difficultatem peccatorum, et colligatum vinculis [a] sollicitudinis, solvit et liberavit; qui fastidio languentem et pene morientem, [b] missa verbi suavitate recreavit; qui periclitantem inter naufragia scandalorum, a discrimine maris in portum deduxit tranquillitatis; qui eum denique constituit in eo populo ubi humilibus dat gratiam (*Jac.* IV, 6), non in illo ubi superbis resistit: et fecit eum suum, ut intus manens multiplicaretur, non ut foras exiens minueretur.

## PSALMUS CVII.

Psalmus autem centesimus septimus prætermissus est, quia in postremis quinquagesimi sexti, et in quinquagesimi noni, [c] videtur expositus. Itaque incipit

## PSALMUS CVIII.

(Vers. 2.) *Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et dolosi super me apertum est.*

Psalmum istum de Christo habere prophetiam, quisquis Actus Apostolorum fideliter legit agnoscit; ubi evidenter ostenditur de Juda traditore Domini prophetatum, quod hic scriptum est, *Fiant dies ejus pauci* (*Psal.* CVIII, 8), *et episcopatum ejus accipiat alter* (*Act.* I, 20). Sed si de uno [d] illa omnia, quæ hic in malo dicta sunt, conemur accipere, expositionis ratio vacillabit. Melius ergo universa clarebunt, si quædam ad omne genus inimicorum Christi, quorum Judas primatum gerit, quædam autem ad ipsum Judam proprie pertinere intelligantur. Vox ergo Domini est: *Deus, laudem meam ne tacueris.* Laus vero ipsius vera et maxima est, qua, hoc ipsum quod est, unigenitus Dei Filius prædicatur. Contra quem os dolosi peccatoris erupit, cum virtus [e] mea infirmitatis carne tegeretur.

(Vers. 3.) *Locuti sunt adversum me lingua dolosa:* Tunc utique, quando eum tamquam magistrum bonum captiosa adulatione laudabant (*Matth.* XXII, 16).
409 *Et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.* Illi qui dolose antea loquebantur, postea in me aperti odii vocibus sævierunt gratis, quia causam inimicitiæ non habuerunt, nisi iniquitatem suam, et nullo sibi proposito commodo, gratuito maligni et crudeles fuerunt.

(Vers. 4.) *Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi.* Non parvum aliquid putari debet, quia non ait, Pro eo ut diligerent me, interficiebant me; sed, *detrahebant mihi.* Ideo quippe interfecerunt, quia detraxerunt, negantes Filium Dei, et dicentes quod *in principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Luc.* XI, 15); et, *dæmonium habet et insanit; quid eum auditis* (*Joan.* X, 20)? et cætera talia. Qua detractione avertebant ab eo quorum conversionem ille quærebat; quod nocentius erat quam quod mox resurrecturum parabant occidere. *Ego autem orabam.* Non quidem dixit, quid orabat; sed illud intelligimus quod in cruce pendens ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). [f] Quam bene intelligitur pro discipulis suis orasse, quod etiam ante passionem suam dixit, ne deficeret fides eorum (*Luc.* XXII, 32), quando ipse fixus in ligno non utebatur potentia sua, sed patientiæ præbebat exemplum: ne inimicos suos divina potestate delendo, ad hoc nos ædificaret, ut impatienter festinaremus de his quos malos patimur vindicari; cum scriptum sit, *Melior est patiens quam fortis* (Prov. XVI, 32).

(Vers. 5.) *Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Quamvis voluntaria sit pœna patientis, hoc est tamen maximum persequentium crimen, quod bonitati malitiam, et dilectioni odia reddiderunt; pro qua impietate quid recepturi sint, optantis similitudine incipit prophetare. Non autem pœnam reorum concupiscit Deus, tamquam exsaturari desiderans ultione, sed quod justum est cum tranquillitate disponit, ut etiam mali non sint inordinati (*Sent.* 12).

(Vers. 6.) *Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus.* Cum superius querela de pluribus fuerit, nunc de uno loquitur psalmus, et in unius intellectam personam ultio futura disponitur: non quia illi extra supplicium sint futuri, sed quia in caput sceleris bene fertur sententia, quæ consortes impietatis non omittit in ultione, quos damnat in principe. Quid est ergo, *Constitue super eum peccatorem*, nisi ut ei diabolus præsit cui ipse se subdidit; et ipsum in dextris habeat quem elegit,

[a] Augustinus dicit, *vinculis consuetudinis.* Editi omnes Prosperiani, *vinculis sollicitudinis.*

[b] Apud Augustinum, *missa medicina verbi sui.*

[c] Supple iterum, *postremis partibus.* Nam nec S. Augustinus hunc psalmum CVII exponendum putaverat. *Quoniam,* ait, *jam exposui eum in psalmo quinquagesimo sexto, et in psalmo quinquagesimo nono, ex quorum postremis partibus ille constat. Nam postrema pars quinquagesimi sexti prima est hujus usque ad eum versum ubi dicitur, Et super omnem terram gloria tua. Hinc autem usque in finem, postrema pars est quinquagesimi noni.* Ex his tamen verbis, ni fallimur, non recte inferri posset S. Prosperum de toto Augustini opere in Psalmos Expositiones stylo breviori nullatenus collegisse, cum certe, si mox citatos psalmos intactos reliquisset, hunc qui illos maximam partem exprimit, expositionum illis annexarum ope, exponere non neglexisset.

[d] Forte, *de uno ille;* ut August., *de illo uno homine.*

[e] Suspicamur legendum, *meæ,* aut, *ejus infirmitatis carne tegeretur,* aut aliud quid supplendum. Augustini verba cui hæc respondent talia sunt. *Hoc autem* (scilicet, quod est unigenitus Dei Filius,) *non apparebat, sed apparente infirmitate ejus latebat, cum os peccatoris et os dolosi super eum apertum est, quia operta virtus hujus fuit.*

[f] In Augustino, *Quamquam.* Editi nostri omnes, *Quam.*

Digitized by Google

quia unicuique, sive in bono, sive in malo, hoc fiet dextrum, quod omnibus præfert?

(Vers. 7.) *Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.* **410** Judas non potuit orare per eum quem vendidit. Oratio quæ non fit per Christum non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit ad peccatum.

(Vers. 8.) *Fiant dies ejus pauci.* Id est, dies apostolatus ejus. *Et episcopatum ejus accipiat alter.* Hoc ita factum esse, ut prophetatum est, Actus Apostolorum loquuntur (*Cap.* I, *v.* 16, etc.).

(Vers. 9, 10.) *Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.* Mortuo ipso, utrumque factum est. *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent. Nutantes*, incerti quo eant. *Ejiciantur de habitationibus suis.* Hoc est, quod supra dixerat, *transferantur.*

(Vers. 11, 12.) *Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus. Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus.* Id est, nec adjutorem habeat, nec tutorem [a].

(Vers. 13.) *Fiant nati ejus in interitum, in una generatione deleatur nomen ejus.* Id est, ut quod de eo generatum est, jam non generet, et cito transeat.

(Vers. 14.) *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur.* Si Judas maneret in eo ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret. Quia autem non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem potius vetusti generis [b] elegerit, rediit *iniquitas patrum ejus in conspectu Domini*, ut in eo etiam ipse puniretur, et peccatum matris ejus non est in eo deletum.

(Vers. 15.) *Fiant contra Dominum semper; et dispereat de terra memoria eorum. Fiant contra Dominum*, dixit, non ut Domino adversentur, sed ut sint in conspectu Domini, ne ulla meriti ipsorum fiat oblivio. *Dispereat* autem *memoria eorum* in eo, ut nomen ipsorum, nulla succedente generatione, deficiat. Si autem quæritur an credibile sit miserias viventium posterorum ad pœnam mortui pertinere, sequestrata omni disputatione, quæ de hoc multiplex oritur, recte credimus hæc quæ per Spiritum sanctum prophetata sunt, accidisse; ac si possit asseri quod defunctos [c] vivorum pœna non cruciet, in Judam tamen scelestissimum eam damnationem esse prolatam, ut inter supplicia sua, etiam suorum miseria infelicior fieret, et generationis suæ semper doleret interitum. Hæc sane omnia quæ in Judam dicta sunt, etiam in Judæorum populum prophetata intelliguntur: quia et super ipsum constitutus est peccator, id est, diabolus, cui se subdidit; et idem stat a dextris ejus, quem prætulit Salvatori; et ipse in judicio condemnabitur, **411** quia perseverando

A in impietate, [d] thesaurizet sibi iram in die iræ (*Rom.* II, 5). *Et oratio ejus fiat in peccatum*; quia non fit per mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum (I *Tim.* II, 5), et sacerdotem in æternum, secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX, 4) Et facti sunt *dies ejus pauci*, quod de regno ipsorum accipiendum est, quia non diu mansit post crucem Christi. *Et episcopatum ejus accipiat alter*, quoniam Christum, qui non venerat nisi ad oves perditas domus Israel (*Matth.* XV, 24), respuerunt. Facti sunt quoque *filii eorum orphani*; de quibus dictum est, *filii autem regni ibunt in tenebras exteriores* (*Matth.* VIII, 12), qui utique Deum Patrem bene intelliguntur [e] omisisse. Qui enim filium non habet, ait Veritas, nec patrem habet (I *Joan.* II, 23). *Et uxor ejus vidua.* Uxor regni

B plebs intelligi potest, quæ amisso [f] ipsa regno vidua facta est. Nutantes translati sunt filii ejus, et mendicant. Nutantes quippe periculis, debellati sunt filii ipsius regni; qui ostenduntur mendicare, quia non dubium est eos ad alienam misericordiam vivere. *Ejiciantur*, inquit, *de habitationibus suis*; et ita factum est. *Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus*, ut scilicet omnis vita eorum, quæ substantiæ nomine significata est, inquiratur, et nullius debiti, id est, peccati eorum, remissio fiat; quia illum respuerunt in quo solum est abolitio peccatorum. *Et diripiant alieni labores ejus*; diabolus et angeli ejus rapiant fructus operum sibi impensorum. *Non sit illi adjutor.* A quo enim juvari potest qui non habet Christum? *Nec sit qui misereatur pupillis ejus*; quia,

C amisso Deo Patre, cujus Filium persecuti sunt, non habent qui eorum misereatur, non ad temporalem vitam sumendam vel sustentandam, sed ad veram vitam, id est, æternam. *Fiant nati ejus in interitum*, utique sempiternum. *In generatione una deleatur nomen ejus*; quia generati sunt, non regenerati, ideo in una generatione [g] deleatur. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini*, ut reddat eidem populo Dominus perseveranti in malitia, etiam patrum iniquitatem. *Peccatum matris ejus non deleatur.* Peccatum [h] in Jerusalem, quæ servit cum filiis suis (*Gal.* IV, 25), quæ interficit prophetas, et lapidat missos ad se (*Matth.* XXIII, 37). *Fiant contra Dominum semper*: iniquitas et peccatum eorum a

D conspectu Domini non auferatur, Deo in æternum vindicante. *Et dispereat de terra memoria eorum.* Terra Dei, ager Dei, Ecclesia Dei est, de qua terra perit memoria eorum, quia cum essent rami naturales, propter incredulitatem fracti sunt (*Rom.* XI, 20).

(Vers. 16.) *Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.* Sive Judas, sive ille populus. Sed melius **412** de populo accipitur, qui recordari potuit

[a] Augustinus hoc intelligit, *ad tuendam ejus posteritatem dici.*

[b] Forte, *elegit*, ut in Augustino; etsi editi omnes, *elegerit.*

[c] Edit. Lov., Duac. et Col., male, *virorum*; Lugd. edit., *vivorum.*

[d] In Augustino, *thesaurizat.*

[e] Ita quidem editi omnes Prosperiani. At legi convenit, ut in Augustino, *amisisse.*

[f] Augustinus, *ipso regno.*

[g] Augustinus, *delentur.* Editi omnes nostri, *deleatur.*

[h] Melius omittitur præpositio *in* (*Peccatum Jerusalem*, apud August.), quæ habetur in editis nostris.

Digitized by Google

pœnitendo, quod occiso Christo saltem in discipulos A et membra ejus sævire non debuit.

(Vers. 17.) *Quia persecutus est hominem pauperem et mendicum.* Non enim dedignatus est Dominus pauper fieri, cum dives esset, ut illius paupertate nos ditaremur (II*Cor.* VIII, 9). Mendicum autem in eo intelligi potest, quod Samaritanæ mulieri dixit, *Da mihi bibere* (*Joan.* IV, 7); vel quod in cruce ait : *Sitio* (*Joan.* XIX, 28) : quæ verba tamquam indigentis sunt. *Et compunctum corde mortificare.* Cordis compunctio, quæ proprie ad conversos a peccatis pertinet, non convenit Christo, qui solus exstitit absque peccato. In membris itaque suis pœnitentiam agentibus, et ad caput suum cum compunctione redeuntibus, ipse quoque erat compunctus corde, quia non aberat a capite quod gerebatur in corpore, in quo usque in B finem patitur persequentes.

(Vers. 18.) *Et dilexit maledictionem, et veniet ei.* Quamquam et Judas maledictionem dilexerit, vendendo atque tradendo ipsum benedictionis auctorem, apertius tamen ille populus maledictionem dilexit, quando dixit, *Sanguis hujus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25). *Et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* Et Judas quidem benedictionem abjecit in Christo; sed apertius eam populus refutavit, quando illi illuminato dicenti, *Numquid et vos discipuli ejus vultis fieri?* respondit, *Tu sis discipulus ejus* (*Joan.* IX, 27 *et* 28). Et longe facta est ab eo benedictio, quia transivit ad gentes. *Et induit maledictionem, sicut vestimentum.* Sive Judas, sive ille populus. *Et intravit sicut aqua in interiora ejus.* Ergo et C foris et intus : foris, sicut vestimentum; intus, sicut aqua. Quoniam in ejus incidit judicium, qui potest et corpus et animam occidere in gehennam (*Matth.* X, 28). *Et sicut oleum in ossibus ejus.* Ostendit impium hominem, vel populum, cum voluptate mala facere, et iniquitate intus, quasi aqua, et foris, quasi oleo delectari. Quæ actio ideo maledictio dicitur, quia talibus Deus æterna tormenta denuntiat.

(Vers. 19.) *Fiat ei sicut vestimentum quo operietur.* Apertior malitia est qua se peccator quasi pallio tegit, et inde opertus videtur, unde etiam in oculis hominum gloriatur, malum se dissimulans, sed ostentans. *Et sicut zona qua semper præcingitur.* Maledictione se præcingit, quia malum non repentinum, sed dispositum aggreditur; et ita discit malefacere, D ut semper paratus sit.

(Vers. 20.) *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum.* **413** Hi sunt qui detrahunt Christo [a] ipsi, quem Lex Domini et Prophetæ prænuntiarunt. *Et qui loquuntur mala adversus animam meam.* Negando eum posse resurgere, cum dicat, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18).

(Vers. 21.) *Et tu, Domine, Domine, fac mecum.* Quidam subaudiendum putarunt *misericordiam*, quidam et addiderunt. Sed emendatiores codices sic habent, *Et tu, Domine, Domine, fac mecum, propter nomen tuum.* Unde intelligendum est, ideo dixisse Filium Patri *Fac mecum*, quia eadem sunt opera Patris et Filii, quod etiam [b] misericordia sentiri potest. Sequitur enim : *Quia suavis est misericordia tua.* Quia misericordiam recte intelligimus et Patrem et Filium simul facere in vasa misericordiæ *Rom.* IX, 23). Potest autem et sic intelligi quod ait, *Fac mecum*, ac si dixisset, Adjuva me. Pater quippe adjuvat Filium, in quantum Deus hominem, propter formam servi. Nam in ea forma in qua æqualis est Patri non indiget adjuvari : quia utrisque unum opus est, et par atque inseparabilis potestas. Egestas et paupertas susceptæ infirmitatis est, ex qua crucifixus est.

(Vers. 22.) *Libera me, quia egenus et pauper sum ego : et cor meum turbatum est in me.* Secundum illud quod propinquante passione ait, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38).

(Vers. 23.) *Sicut umbra cum declinat, ablatus sum.* In hoc ipsam mortem significavit. Sicut enim ex umbra declinante fit nox, ita [c] mortali carne fit mors. *Excussus sum sicut locustæ.* Jam hoc in membris ejus convenientius intelligimus. Excussi enim, id est fugati sunt a persecutoribus fideles ejus : quorum vel multitudinem significare voluit in nomine locustarum, vel quod transilierunt de loco in locum.

(Vers. 24.) *Genua mea infirmata sunt præ jejunio, et caro mea immutata est propter oleum. Propter oleum,* propter gratiam spiritalem. Quia cum caro ejus mutata esset per gloriam resurrectionis, cumque ascendisset ad Patrem, misit Spiritum sanctum ad ungendos credentes, quorum stabilitas, quæ ablato sibi pane, id est, Christo, quasi jejunio fuerat infirmata, accepto dono Spiritus sancti valida effecta est; ut in suis afflictionibus non vinceretur, quæ in Domini passione defecerat.

(Vers. 25.) *Et ego factus sum opprobrium illis.* Per mortem crucis. *Christus* enim *nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum* (*Galat.* III, 13). **414** *Viderunt me, et moverunt capita sua.* Quia viderunt in ligno pependisse, et non viderunt de sepulcro resurrexisse.

(Vers. 26.) *Adjuva, Domine Deus meus, salvum me fac propter misericordiam tuam.* Hoc et ad caput referendum est, propter formam servi; et ad corpus, propter servos. Potuit enim et in ipsis dicere Domino, *Adjuva me*, et *salvum me fac*; in quibus Saulo [d] dixerat, *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Quod autem ait, *secundum misericordiam tuam*, gratuitam gratiam commendavit.

(Vers. 27.) *Et sciant quia manus tua hæc, et tu,*

[a] Sic editiones Lovan., Duac. et Colon. At Lugd. editio habet, *qui detrahunt Christo, ipsum;* nec male, si alicujus codicis auctoritate sic emendari queat, *dicentes ipsum non esse quem lex Domini et prophetæ prædicarunt*, ut habet locus Augustini a Prospero nostro inspectus.

[b] Forte, *de misericordia*. Aug., *ubi etiam si misericordiam intelligamus.*

[c] Apud August., *ex mortali carne.*

[d] In Augustino, *dixit*. Editi omnes nostri, *dixerat*.

Digitized by Google

*Domine, fecisti eam.* De eis dixit, *sciant*, pro quibus sævientibus et oravit: quia inter illos erant etiam hi qui in eum postea crediderunt. Manus autem Dei Christus est, sicut dictum est, *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? Hæc ergo manus erat, et fecit eum. Quia *In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 1 *et* 14).

(Vers. 28.) *Maledicent illi, et tu benedices.* [a] Vana est ergo maledictio filiorum hominum, diligentium vanitatem, et quærentium mendacium (*Psal.* IV, 3). Deus autem cum benedicit, facit quod dicit. *Qui insurgunt in me, confundantur.* Qui se adversus me proficere arbitrantur, cum exaltatus fuero super cœlos, et effusa fuerit super omnem terram gloria mea, confundentur. *Servus autem tuus lætabitur;* sive in dextera Patris, sive in suis membris: et nunc in spe, et post in æternum.

(Vers. 29.) *Induantur qui detrahunt mihi pudore;* id est, pudeat eos detraxisse mihi. Sed hoc potest bonum esse correctis. *Et operiantur, sicut diploide, confusione sua.* Diplois pallium duplex est, per quod inimicis Christi duplex denuntiatur confusio: hoc est, intus et foris, coram Deo scilicet, et coram hominibus.

(Vers. 30.) *Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum. In medio multorum laudabo eum:* accipi potest Christus, quia ipse in Ecclesia præsens est, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). *In medio* autem esse dicitur, cui præcipuus honor præbetur. Si vero cor hominis quasi medium ejus est, rectissime intelligitur, quod in multorum cordibus, id est, in multorum medio laudaturus sit Dominum. Habitat enim Christus per fidem in cordibus nostris (*Ephes.* III, 17). Et ideo ait, *in ore meo*, id est, in ore [b] cordis mei, quod est Ecclesia.

(Vers. 31.) *Qui astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.* **415** De Juda dictum erat, *Et diabolus stet a dextris ejus;* qui suas divitias volebat augere, Christo vendito. Hic autem Dominus *astitit a dextris pauperis*, ut divitiæ ejus sint ipse Dominus. Salva fiet autem a persequentibus anima, si non eis consentiatur ad malum: non autem eis consentitur, cum Dominus assistit a dextris pauperis, ne ipsa paupertate, id est, infirmitate succumbat.

## PSALMUS CIX.

(Vers. 1.) *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Dominus noster Jesus Christus cum a Judæis quæreret cujus filium esse dicerent Christum, et respondissent, David: continuo illis respondentibus ait, *Quomodo ergo David in spiritu dicit eum Dominum* [c], *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est* (*Matth.* XXII, 43)? Judæi sub hac interrogatione tacuerunt; ipsum quoque esse Dominum et filium David non agnoverunt, nec agnoscere voluerunt; et maluerunt inflata taciturnitate disrumpi, quam humili confessione eruditionem mereri. Nos autem Evangelio ipsius veritatis edocti, novimus Jesum Christum et Dominum esse David, secundum quod *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1 *et seq.*); et filium esse David, secundum quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*, 14). Novimus Dominum David, quia, *cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et novimus filium David, quia, *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philip.* II, 7). Hoc ergo et David ipse in spiritu videns, initio Psalmi hujus effatus est, dicens, *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sedet autem Christus ad dexteram Patris post resurrectionem a mortuis, et ascensionem in cœlum (*Marc.* XVI, 19). Unde etiam eo ipso quo erat Christus filius David, factus est dominus David. Illud enim quod natum est ex semine David, ita honoratum est, ut ei cum esset filius, esset et Dominus. Secundum hanc enim dispensationem, etiam ab Apostolo de Christo dicitur, *Propter quod eum exaltavit a mortuis, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Jesus in gloria Dei Patris est* (*Philip.* II, 9). Sedet autem **416** Dominus ad dexteram Patris, et inimici ejus subjiciuntur sub pedibus. Omnis enim qui ei adversatur erit ejus subditus, aut per correctionem, aut per condemnationem. Nam necesse est ut omnis aut adoptatus, [d] aut victus sub pedibus ejus sit, sive per gratiam, sive per pœnam.

(Vers. 2.) *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Quæ est Sion, ipsa est Jerusalem; ex qua prænuntiatur emittenda virga virtutis Christi, id est, regnum potentiæ ejus, quod regnum incipit a Christianis, et non habet finem. Nam secundum quod est Verbum Patris, unius Deitatis et omnipotentiæ, semper cum Patre regnavit. Hoc ergo regnum, quod mediator Dei et hominum homo Christus acquirit, incipit a Jerusalem; quia inde in totum mundum virtus et potestas evangelicæ prædicationis emissa est (*Luc.* XXIV, 47). *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Tu, inquit, fili David, et Domine David, in medio paganorum, in medio Judæorum, in medio

[a] Editi nostri habebant, *Una est ergo*. Sed errore manifesto; pro quo legendum docet, *Vana est ergo*, locus ipse ut jacet in Augustino.

[b] Apud Augustinum, *corporis mei.*

[c] Hic in editis Prosperianis deest vox *dicens*, quæ non omittitur in Augustini opere, nec in textu evangelico, tam Græco quam Latino.

[d] Editi antiquiores, *aut virtus*. Bene correxerunt posteriores, *aut victus;* ut legere est in opere Augustini: *Inimicus eras: eris sub pedibus ejus, aut adoptatus, aut victus.*

Digitized by Google

hæreticorum, et in medio fratrum falsorum dominare. Quod fieri quotidie videmus, donec impleantur tempora gentium (*Act.* III, 21). *Cæcitas* enim *ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 25), et dominaretur Christus in medio inimicorum suorum.

(Vers. 3.) *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Dominus interrogantibus quis esset respondit, *Principium, qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 28): hoc est, Ego qui loquor vobis principium sum. Est autem et Pater principium, in quo principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (*Joan.* I, 1). Numquid ergo quia Pater principium, et Filius principium, duo sunt principia? Absit. Sicut enim Pater Deus et Filius Deus, Pater autem et Filius non duo dii, sed unus est Deus; sic Pater principium, et Filius principium, Pater autem et Filius non duo principia, sed unum principium. *Tecum* ergo *principium in die virtutis tuæ*, in die qua videbitur quomodo creditur. Quamvis enim etiam in forma servi, ipsa illa nostræ infirmitatis susceptio non caret virtute divina, quando et infirmum tuum fortius est hominibus (I *Cor.* I, 25), et in virga virtutis tuæ dominaberis in medio inimicorum tuorum: veniet tamen dies ille quo, omnibus dispensationibus temporalibus peractis atque finitis, manifestabis te sanctis tuis, et in illa eis apparebis gloria in qua æqualis es Patri, ut videant *Tecum principium in die virtutis tuæ.*

(Ibid.) *In splendoribus sanctorum.* Præsens vita sanctorum, quamvis gratia floreat, quamvis moribus niteat, non est in splendore, quia nondum exempta est a corruptione. Cum ergo apparuerit Christus, **417** vita sanctorum, tunc et ipsi apparebunt cum illo in gloria (*Coloss.* III, 4). *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII, 43), id est, in vita æterna. *Ex utero ante luciferum genui te.* Si de illa generatione hoc dictum est qua ex Patre Deo genitus est Deus Filius, *ex utero* significat, ex secreto, ex occulto, de ipso Patre, de substantia Patris. *Ante luciferum* vero, ait, ante tempora. Per luciferum enim, utpote per fulgentissimum sidus, tamquam a parte totum, omnia sidera significata sunt quæ in hoc facta sunt, *ut sint in signis, et temporibus, et in diebus, et annis* (*Genes.* I, 14). Quod est ergo *ante luciferum*, hoc est ante sidera; et quod est ante sidera, hoc ante tempora, atque ideo ex æternitate. Si vero hoc ex persona prophetæ dictum est, qui ait: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*, non est dubium illam nativitatem significatam, qua Dominus David, filius est David. Potuit enim dicere David propter propaginem, qua de ipsius stirpe Maria virgo descendit, *Ex utero genui te*, hoc est, ex utero virginali, ex utero quo masculus non accessit, in quo sola fuit conceptio matris, sine semine genitoris. Et convenienter dictum est, *Ante luciferum*, quia ante exortum diei natus est Dominus, hoc indi-

A cantibus testimoniis pastorum qui [a] vigilias exercebant super gregem suum (*Luc.* II, 7 *et* 8).

(Vers. 4.) *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Si natum ex utero Virginis *ante luciferum* intelligimus Salvatorem, exinde procul dubio, *sacerdos est in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Nam secundum quod Dominus natus ex Patre est, gignenti coæternus et æqualis, non est sacerdos. *Juravit* ergo *Dominus*, hoc est, cum constitutione promisit. *Et non pœnitebit eum*, hoc est, non mutabit consilium, non aliud faciet, nec umquam ei hæc sententia displicebit. *Tu es sacerdos in æternum*, hoc est, non finitur sacerdotium tuum; nec, sicut Aaron ordo cessavit, ita etiam tuum pontificium commutabi-

B tur. Sacerdotii tui non erit finis, sed *secundum ordinem Melchisedech*, hoc est, secundum mysteria quæ per eum declarata sunt, in æternum permanebit.

(Vers. 5.) *Dominus a dextris tuis, conquassavit in die iræ suæ reges.* Ad ipsum Dominum, qui dixit Domino, *Sede a dextris meis*, prophetæ sermo directus est. Ipse, inquit, Domine, cui jurasti, *Tu es sacerdos in æternum, Dominus a dextris tuis*, qui *conquassavit in die iræ suæ reges*, illos de quibus dictum est, *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 2). Quicumque **418** enim talium qui Christianum nomen oderunt, in sua impietate persistunt, jam quidem conquassati sunt, nec potuerunt efficere quod volebant; sed *in die iræ*, id est, retributione

C justi judicii Dei penitus conterentur.

(Vers. 6.) *Judicavit in gentibus, replevit ruinas.* Qui in superbiam eriguntur, et in sua elatione persistunt, sic destruentur ut non ædificentur. Non enim desinunt destrui, qui non desinunt elevari. Qui autem per humilitatem cadunt et se prosternunt, ut fiant sub pedibus ejus, cui dixit Dominus, *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, reparabuntur in integrum, quia non damnavit has ruinas Dominus, sed replevit: quod fit in hoc tempore, cum universis gentibus ruinarum reparationem Christus operatur. *Conquassavit capita in terra multa.* Multorum capita, in hac vita conquassata Christus inclinat, dum e superbis humiles facit.

(Vers. 7.) *De torrente in via bibet; propterea exal-*

D *tabit caput.* Sicut torrens pluvialibus aquis collectus, redundat, perstrepit, currit, et currendo decurrit, id est, cursum finit, sic est omnis iste cursus mortalitatis humanæ. Nascuntur homines, vivunt atque moriuntur, rursusque morientibus alii oriuntur, succedunt, accedunt, decedunt [b]. *De* hoc ergo *torrente*, de hoc strepitu transeunte, de hac mortalitate bibit filius David, Dominus David, dignatus propter nos nasci et mori, et ita bibit *de torrente in via* quod in via peccatorum non stetit (*Psal.* I, 1). *Propterea* ergo *exaltabit caput*, quia *humiliatus est, et factus est*

[a] Sic editi veteres, juxta textum Augustini: pro quo recentiores posuerunt, *qui custodiebant vigilias.*

[b] Augustinus addit, *nec manebunt.* Nostri codices non addunt ista.

Digitized by Google

*subditus usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod* [a] *exaltavit eum a mortuis, et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quoniam Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 8, 9, *etc.*).

## PSALMUS CX.

### HALLELUIA.

(Vers. 1.) *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Non semper confessio peccatorum est, sed etiam laus Dei devotione confessionis expromitur. Illa luget, hæc gaudet; illa medico vulnus ostendit, hæc de sanitate gratias agit. *In concilio rectorum et congregatione.* Eorum, sine dubio, qui sedebunt super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). A quorum *concilio et congregatione* 419 omnis hypocrita segregatus, omnis erit tentator exclusus.

(Vers. 2.) *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Scrutare, exquire, vestiga, si potes, omnes voluntates Domini : in omnibus semper magna opera ejus invenies. Nulla enim voluntas potentior est ipsius voluntate; contra quam cum aliquid fieri sinit, misericordiam suam justitiamque demonstrat. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur et vivat; ita etiam vult in peccatis perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ac sic quidquid elegeris, o homo, non deerit Domino unde suam de te compleat voluntatem. Sive ergo justificet impium, sive arguat pigrum, sive exspectet aversum, seu deserat puniendum, semper misericors est, semper justus, semper omnipotens.

(Vers. 3.) *Confessio et magnificentia opus ejus; et justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Magnificentia Domini circa nos in eo apparet quod nullis præcedentibus meritis confitentem justificat peccatorem : ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia (*Rom.* V, 20), per quam excitata est etiam ipsa confessio : ut nemo in se extollatur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). Quia et confessio peccatoris, et magnificentia justificationis, opus Domini est; apud quem iniquitas non est, etiam si nos judicia ejus non comprehendimus (*Rom.* IX, 14); quoniam *justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

(Vers. 4-6.) *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.* In omni quidem creatura Dei mirabilia ejus et quotidiana et magna sunt; sed quia parum ea consuetudo miratur, quædam Dominus signa et prodigia certis temporibus promenda disposuit, ut per inusitata et nova, humana excitaretur intentio, et nutriretur in ea de insolitis utilis timor, cui tamen misericors Dominus daret escam virtutis et vitæ, panem scilicet illum incorruptibilem qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 41); ut Verbum Dei esset esca hominum, sicut cibus est angelorum. *Memor erit in æternum testamenti sui; virtutem operum suorum annuntiavit populo suo.* Implevit Dominus promissiones suas, qui est virtus et fortitudo sanctorum : quoniam quæ hominibus difficilia sunt, Deo facilia sunt, et ipse operatur omnia in omnibus (II *Cor.* XII, 6).

(Vers. 7.) *Ut det illis hæreditatem gentium;* id est, quam præparavit omnibus gentibus. 420 *Opera manuum ejus veritas et judicium;* hoc est, ut veritas judiciumque servetur : [b] manus enim operatur, hoc est, ut non separet a Christo tribulatio, angustia, fames, nuditas, gladius (*Rom.* VIII, 35).

(Vers. 8.) *Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi.* Qui dedit mandata, et dedit promissa; quæ fideliter retribuit confirmata in æternum, nec umquam defectura. *Facta in veritate et judicio.* Hoc est enim verum, et justum [c], ut hic laboretur, ibi requiescatur.

(Vers. 9.) *Redemptionem misit populo suo.* Cives et hæredes cœlestis Jerusalem, ab hujus peregrinationis captivitate redimuntur. *Mandavit in æternum testamentum suum.* Testamentum suum, utique novum, quod æternum promisit, non illud vetus, cujus transitoriæ promissiones fuerunt. *Sanctum et terribile nomen ejus.* Sapientia vera est nosse et diligere Deum. Sed ad hunc gradum de timore conscenditur : quia sicut desideranda sunt ejus munera, sic metuenda judicia.

(Vers. 10.) *Initium sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Is bonum habet intellectum, qui quod faciendum recte intelligit, facit : quia talis est sine opere intelligentia, qualis sine timore sapientia (*Sent.* 13). *Laudatio ejus manet in sæculum sæculi.* Nemo ergo quidquam suæ justitiæ [d] ascribat, nemo de suis quasi propriis meritis exsultabit, sed in Dei laudem et gloriam, omnis sanctorum beatitudo in æternum refertur.

## PSALMUS CXI.

### HALLELUIA.

Titulus psalmi est, *Reversionis Aggæi et Zachariæ*, qui post eversionem templi Jerusalem, et transmigrationem in Babyloniam, completis sub Dario septuaginta captivitatis annis, prophetare cœperunt ea quæ ad relaxationem captivitatis et reparationem templi pertinerent. Sed quia quæ corporaliter tunc gerebantur, rerum futurarum indicia præferebant, per illam captivitatis remissionem, et templi restitu-

[a] Subaudi, *Deus*, ut in August., *propterea eum Deus exaltavit a mortuis*, etc.

[b] Vix dubitamus locum hunc Prosperi, ex vocis unius permutatione et mala interpunctione, quidquid obscuritatis habet hausisse. Igitur, cum editi omnes in idem consentiant, nec sit copia ullius ms. codicis, non mutavimus quidem, sed conjicimus legendum esse, cum exigua mutatione, *Hoc est, ut veritas judiciumque servetur, manus ejus operatur : hoc est, ut non separet a Christo*, etc.

[c] Lugdunensis editio addit verbum substantivum *est*, quo carent Lov., Duac., et Colon.

[d] Melius forte legeretur, *ascribet*, et in fine, *referetur*, propter futurum *exsultabit*, inter hæc medium; et quia de futuro statu beatorum loqui videtur sanctus noster, in quo soli Deo ab omnibus sanctis honor et gloria in æternum referetur.

Digitized by Google

tionem, spiritaliter figurabatur fabrica ipsius templi, A cujus Christus est fundamentum, in quo etiam angulari lapide, vivis lapidibus coaptatis, cœlestis ædificii structura consurgit, ut ex ruina vetere, quæ facta est in Adam, novum Dei templum cum reparatione omnium **421** gentium reformetur. Ad hoc ergo templum pertinet prophetatio Aggæi et Zachariæ, qui in psalmi titulo præferuntur, ut qui hoc sacramentum intelligit, et qui cupit in hujus ædificii compage solidari, sciat reversionis et renovationis suæ in timore Dei esse principium.

(Vers. 1.) *Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.* Beatitudo viri justi, a timore incipit Domini, et proficit in desiderium mandatorum Dei, quibus templum ejus efficitur.

(Vers. 2.) *Potens in terra erit semen ejus.* Semen futuræ messis opera esse misericordiæ Apostolus testis est, dicens, *Bonum autem facientes non deficiamus : tempore enim proprio metemus* (*Galat.* VI, 9). Quid autem potentius hoc semine, cujus impendio comparatur regnum cœlorum, et vita æterna. *Generatio rectorum benedicetur ;* id est, opera eorum qui recto sunt corde, non turbantur propter promissorum dilationem : nec transeuntia carnaliter appetunt, sed mansura fideliter et patienter exspectant.

(Vers. 3.) *Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Qui talis est in domo sua, id est, in corde suo, ubi templum Dei est, gloriam et divitias habet : quia spe non dubia futura jam possidet, et regnum Dei intra ipsum est (*Luc.* XVII, 21). Hujus justitia manet in sæculum sæculi, quia ipsa est gloria atque divitiæ.

(Vers. 4.) *Exortum est in tenebris lumen rectis corde.* Merito dirigunt cor in Dominum suum, merito ambulant recti cum Domino suo, qui cum essent in tenebris, lucem viderunt magnam (*Isai.* IX, 2), et meminerunt fuisse se aliquando tenebras, nunc autem lucem in Domino (*Ephes.* V, 8). *Misericors, et miserator, et justus Dominus.* Qui miseretur, ut misereatur, et justus est in retributione; quia nulli faciet judicium sine misericordia.

(Vers. 5.) *Suavis homo qui miseretur et commodat.* Hunc suavem et mitem atque jocundum, non evomit Deus ex ore suo, tamquam mali odoris, aut fastidiendi saporis. Tota autem suavitas ejus in eo est qui miseretur et commodat, remittendo scilicet peccata, et largiendo beneficia ; quibus duobus benignitatis officiis, omnia pietatis opera continentur, dicente Domino, *Dimittite, et dimittetur vobis ; date, et dabitur vobis* (*Luc.* VI, 32).

(Vers. 5, 6.) *Disponet sermones suos in judicio. Quoniam in æternum non commovebitur.* Qui hæc facit, disponit sermones suos in judicio. Facta enim quædam verba sunt testium, quibus in judicio [a] defenderetur. *Quia in æternum non commovebitur,* qui ad dexteram segregatus audiet, *Venite, benedicti* **422** *Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34).

[a] In Augustino, *defendetur.*

(Vers. 7.) *In memoria æterna erit justus, ab auditu malo non timebit.* Non timebit audire quod dicitur sinistris, *Ite in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). *Paratum est cor ejus sperare in Domino.* Quia non sua quæsivit, sed quæ Jesu Christi (*Philip.* II, 21), et promissa ejus confidenter exspectat.

(Vers. 8.) *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec videat super inimicos suos.* Inimici ejus præsentia concupierunt, et cum eis invisibilia promitterentur, dicebant, *Quis ostendit nobis bona* (*Ps.* IV, 6) ? Illi voluerunt videre bona hominum in terra morientium, hic credidit videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI, 13). Non ergo commovebitur cor ejus, nec transitoria malorum felicitate B turbabitur, donec videat, non deorsum, quod inimici ejus, sed sursum super inimicos suos, *Quod oculus non vidit nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II, 9; *Isai.* LXIV, 4).

(Vers. 9, 10.) *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Dispersit visibilia, ut invisibilia compararet ; dedit temporalia, accepturus æterna. *Cornu ejus exaltabitur in gloria. Peccator videbit, et irascetur.* Irascitur peccator : cui magis quam sibi ? Sed sera illa atque infructuosa pœnitudine, cum dicit, *Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis* (*Sap.* V, 8)? *Dentibus suis frendet, et non revirescet ;* sicut fieret, si opportuno eum tempore pœniteret. Sed tunc frenC det, quando *desiderium peccatorum peribit.*

## PSALMUS CXII.

### HALLELUIA.

(Vers. 1.) *Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini.* Exhortatio hæc non ad pueriles tantum annos, sed ad omnem profertur ætatem. Omnibus enim Apostolus dicit, *Nolite effici pueri mentibus, sed malitia parvuli estote, ut mentibus perfecti sitis* (I *Cor.* XIV, 20). Qua malitia, nisi superbia ? Ipsa enim de vana granditate præsumens, non sinit hominem ambulare per arctam viam, et intrare per angustam portam (*Matth.* VII, 14). Puer autem facile intrat per angustam ; et ideo nemo, nisi conversus fuerit ut puer, intrat in regnum cœlorum (*Luc.* XIII, 24). Puerorum ergo nomine, non ætas infantium, sed aniD morum humilitas compellatur, quia non laudant nomen Domini, qui se magnos putant, et suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X, 3). Non enim sunt pueri; **423** et dum prædicari se volunt, non laudant nomen Domini.

(Vers. 2, 3.) *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini :* ut scilicet nomen Domini semper benedicatur, et ubique laudetur.

(Vers. 4.) *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus.* Non solum super omnes gentes majestas Domini, sed etiam super cœlos gloria ejus excelsa est.

Digitized by Google

(Vers. 5, 6.) *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra?* Per Isaiam Spiritus ita loquitur: *Hæc dicit Altissimus in excelsis habitans, in æternum nomen ei Dominus altissimus, in sanctis requiem habens* (*Isai.* LVII, 15). Meritoque cœlum intelliguntur, qui habitantur a Domino; qui cum sint sancti, atque ideo excelsi, iidem tamen sunt humiles, neque aliunde nisi de humilitate sublimes. *In altis* itaque Dominus *habitat*, id est, in sanctis, et spiritalibus atque cœlestibus; *et humilia respicit*, id est, ipsos sanctos, numquam in se, sed semper in Domino gloriantes. Delectatur enim altitudine humilium, et humilitate celsorum. *In cœlo et in terra*, hoc est, quorum conversatio in cœlis est, licet mortali sint carne circumdati. Si vero alia sunt quæ Dominus noster in cœlo humilia re- B spicit, alia quæ in terra, possunt cœlum hi intelligi, quos vocatos et sanctificatos jam inhabitat; terra autem, quos vocat ut habitet in eis. Sed absolutior sensus est, si cœlos dictos accipiamus eos qui sedebunt super duodecim thronos, et cum Domino judicabunt (*Matth.* XIX, 28); terræ autem nomine, cæteram multitudinem sanctorum, qui constituentur ad dexteram, ut per opera misericordiæ collaudati recipiantur ab eis in tabernacula æterna, quos amicos sibi de mammona iniquitatis in hujus vitæ mortalitate fecerunt (*Luc.* XVI, 9). Et eos ergo et illos humiles respicit Deus, quia meminerunt utrique quid fuerint per suam malitiam, et quid facti sint [a] per Dei gratiam.

(Vers. 7, 8.) *Qui erigit de terra inopem, et de stercore exaltat pauperem; ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Non itaque dedignentur esse humilia capita excelsorum sub manu Domini. Quamvis enim collocetur fidelis Dominicæ pecuniæ dispensator cum principibus populi Dei, quamvis sessurus sit in duodecim sedibus (*Matth.* XIX. 28), et angelos quoque judicaturus (I *Cor.* VI, 3), a terra tamen inops erigitur, et de stercore pauper exaltatur, quia donum Dei est omnis celsitudo sanctorum.

(Vers. 9.) *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Ecclesiam enim ante sterilem Dei gratia **424** fecundavit, ut in multis filiis lætaretur (*Isai.* LIV, 1). In qua *Dominus, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra*, habet ex semine Abraham et sublimem sanctitatem, sicut D stellas cœli in supernis sedibus collocandam, et sicut arenam in ora maris, misericordem atque innumeram multitudinem, a sinistris fluctibus et ab impia amaritudine segregandam.

## PSALMUS CXIII.

ALLELUIA.

(Vers. 1-3.) *In exitu Israel ex Ægypto, domus Jacob de populo barbaro; facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus. Mare vidit, et fugit, Jordanis conversus est retrorsum.* Præteritorum gestorum recoli videtur historia, et quemadmodum populus A *Israel*, qui est *domus Jacob*, de jugo Ægyptiæ dominationis eductus sit (*Exod.* XIV, 22) in memoriam revocari. Sed per propheticum eloquium, magis futura indicantur quam præterita retexuntur. Et ideo quædam aliter hic dicuntur quam ibi acta sunt: ut vigilanter intelligatur prophetia, ubi non constat historia. Primum enim Jordanem ipsum non reversum esse retrorsum, sed stetisse legimus (*Josue* III, 15), ab ea parte qua desuper influebat; deinde, montes exsultasse et colles gestisse non legimus; quæ sic addidit, ut omnia ista etiam repeteret. Intelligendum ergo est quia illa facta figuræ nostræ fuerunt (I *Cor.* X, 11); et ideo de eis aliter quid dicitur, ut quibus temporibus congruat, agnoscatur. Si enim gratiam Dei, quæ data est nobis, firmo corde retineamus, nos sumus Israel semen Abrahæ (*Gal.* III, 29); qui non carnaliter circumcisæ genti tantummodo factus est pater, sed et omnium qui sequuntur vestigia fidei Abraham, qui, cum esset in præputio, credidit Domino, et justificatus est ex fide, et constitutus est omnium gentium pater (*Rom.* IV, 10 *seqq.*; *Gen.* XV, 6), dictumque ei est, *Benedicentur in te omnes gentes* (*Gen.* XII, 3). Quia ergo populus Christianus verus est Israel, et Ægyptus sæpe in figura totius sæculi ponitur, a quo spiritaliter recedendum est: quemadmodum ille populus non potuit ad terram promissionis venire, nisi divino liberaretur auxilio, ita ab hujus sæculi vinculis nullus eruitur, nisi per gratiam Dei, in manu forti et brachio excelso (*Exod.* VI, 1, 6), ut cœlestis Jerusalem civis C esse mereatur. Quicumque ergo sunt Israelitæ, *domus Jacob* et Abrahæ, secundum promissionem hæredes (*Gal.* III, 29), cognoscunt etiam se exisse *de Ægypto*, cum huic sæculo renuntiaverunt; exisse *de populo barbaro*, cum confessione pietatis a blasphemiis impiarum gentium recesserunt. Interrogent corda sua, si ea circumcidit fides, si purificavit confessio Dei Abraham, et Dei Isaac, et Dei Jacob: *Facta est* **425** in eis *Judæa sanctificatio ejus, et Israel potestas ejus. Dedit* enim *eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Jam hic recordetur unusquisque qui sub dura dominatione diabolicis in hoc sæculo operibus subditus laborabat, quomodo ab jugo liber effectus sit, quomodo inter dissuadentium retinacula, et obsistentium impedimenta ad viam libertatis, et ad spem æternæ hæreditatis evaserit. *Mare* ergo *vidit et fugit*, cum obstacula sæculi, verbo Dei tremefacta cesserunt. *Jordanis conversus est retrorsum:* quoniam qui aversus a principio suo, Creatorem suum deserit, tamquam fluvius in mare labitur, cui bonum est ut retrorsum convertatur, et rediens ad auctorem, retro sibi faciat mare, ad quod ante tendebat; et sic Jordanis convertatur retrorsum, cum illi convertuntur ad Dominum, qui gratiam baptismi perceperunt.

(Vers. 4.) *Montes gestierunt velut arietes, et colles velut agni ovium.* Fideles dispensatores verbi veri-

[a] Edit. Colon., *per Dei gloriam.* Lugd., Lovan. et Duac., *per Dei gratiam.* Sic etiam Augustinus hic.

Digitized by Google

latis, sancti apostoli, sancti evangelistæ, montes et A duces sunt gregum, et colles, velut agni ovium, sunt quibus dicitur, *in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui* (I *Cor.* IV, 15); de quibus dicitur, *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1); qui montium pabulis opimantur, et sub arietum principatu exsultantes reguntur.

(Vers. 5, 6.) *Quid est mare quod fugisti? et tu Jordanis quia conversus es retrorsum? Montes quia gestitis velut arietes, et colles velut agni ovium?* Quid est, inquit, o sæculum, quod tua impedimenta cesserunt? Quid est quod tot millia fidelium, toto orbe huic mundo renuntiantium convertimini? Quid est quod gaudetis, quibus in fine dicetur, *Euge, bone serve, quoniam in paucis fidelis fuisti, supra multa te constituam* (*Matth.* XXV, 21)? Quid est quod gaudetis, B quibus in fine dicetur, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Ibid.* 34)?

(Vers. 7.) *A facie Domini commota est terra, a facie Dei Jacob.* Quid est *a facie Domini*, nisi ab ejus præsentia, qui dixit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20)? Ipse ergo commovet terram, ipse pigra et inertia corda convertit.

(Vers. 8.) *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.* Ista est spiritalis petra, id est Christus (I *Cor.* X, 4), qui doctrinam suam, quæ prius dura et rigida videbatur, in multa fluenta convertit; et misso de cœlis Spiritu sancto, sermonem suum fecit esse potabilem, quem discipulis insinuarat, *incipiens a Moyse per omnes prophetas,* C *quia sic oportebat Christum pati* (*Luc.* XXIV, 26 *et* 27).

(Vers. 1.) *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Gratia prædicatur, quæ aquam regenerationis de petra, quæ est Christus, emisit, **426** nullis hominum præcedentibus meritis: quoniam Christus pro impiis mortuus est (*Rom.* V, 6) ne ullus nisi in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31).

(Vers. 2.) *Super misericordia et veritate tua:* duo hæc, misericordia et veritas, in Scripturis sanctis pene semper juncta inveniuntur. In sua quippe misericordia Deus vocavit impios, et in veritate judicavit eos qui venire noluerunt. *Ne quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum?* In novissimo enim manifestabitur misericordia et veritas. Nec dicent impii, *Ubi est Deus eorum?* cum apparente signo Filii hominis D in cœlo (*Matth.* XXIV, 30), et instante judicio, non adhuc prædicabitur credendus, sed ostendetur tremendus.

(Vers. 3.) *Deus autem noster in cœlo sursum, et super terram, omnia quæcumque voluit fecit.* Non in cœlo, ubi solem et lunam vident qui creaturam colunt, sed in cœlo sursum, quod transgreditur omnia corpora cœlestia et terrestria. Quamquam nec in ipso ita sit, ut sine ipso esse non possit. Quoniam in quibus est, ipse ea tamquam indigentia continet, qui in cœlis et in terra omnia quæcumque voluit fecit: hoc est, et in superioribus et in inferioribus populi sui voluntariam gratiam suam constituit, ne quis de operum meritis glorietur. Quia sive montes gestiant velut arietes, sive colles velut agni ovium, *a facie Domini commota est terra,* ne in terrenis sordibus permaneret.

(Vers. 4.) *Simulacra gentium argentum et aurum.* Habent quidem et ærea, et lignea, et fictilia simulacra, et alterius alteriusque materiæ; sed pretiosum eorum maluit commemorare Spiritus sanctus. Quia cum in eo quisque erubuerit quod illi charius est, multo facilius avertitur a veneratione viliorum: ut intelligat etiam in auro et argento nihil aliud esse quam terram.

(Vers. 5-8.) *Os* enim *habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt. Manus habent, et non contrectabunt; pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in faucibus suis. Similes sint illis omnes qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Videant ergo impii apertis et sentientibus oculis, et adorent clausis et mortuis mentibus, nec videntia, nec viventia simulacra.

(Vers. 9.) *Domus Israel sperat in Domino: adjutor eorum et protector eorum est. Spes* enim *quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24). Sed ut perduret usque in finem ipsa patientia, adjutor et protector est Dominus.

(Vers. 10.) *Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.* **427** Ergo etiam sublimiores quique, atque in summo excellentes gradu, [a] etiam ipsi perseveranter currant, donec apprehendant in quo apprehensi sunt, et cognoscant sicut et cogniti sunt, adjutorio et protectione Domini muniuntur.

(Vers. 11, 12.) *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum et protector eorum est. Dominus memor fuit nostri, et benedixit nos.* Omnes, inquit, timentes Dominum, et sperantes in Domino, auxilio ipsius perficiuntur. Non enim nostris meritis prævenimus misericordiam Domini, sed *Dominus memor fuit nostri, et benedixit nos.*

(Vers. 12, 13.) *Benedixit domum Israel, benedixit domum Aaron. Benedixit omnes timentes Dominum.* Hoc est, et superiores et inferiores, quia utrique timent Dominum. Si ergo quæris quos utrosque benedixerit, respondetur, *pusillos cum majoribus:* hoc est, domum Israel et domum Aaron.

(Vers. 14.) *Adjiciat Dominus super vos, super vos et super filios vestros.* Et ita factum est. Accesserunt enim etiam de lapidibus suscitati filii Abraham (*Matth.* III, 9); accesserunt oves quæ non erant de hoc ovili, ut fieret unus grex, et unus pastor (*Joan.* X, 16); accessit fides omnium gentium, et crevit numerus, non solum sapientium antistitum, sed etiam obedientium populorum, adjiciente Domino, non solum super patres, sed etiam super filios eorum qui patrum pie vestigia sequerentur.

[a] Videtur supplendum *ut* ex Augustini opere, quod deficit in editis nostris.

Digitized by Google

(Vers. 15.) *Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram*; tamquam diceret, Benedicti vos a Domino, qui vos fecit. A

(Vers. 16.) *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Non ergo istud visibile cœlum plenum luminaribus fecit vos; sed multo excellentius, in quo sibi præparavit habitaculum, quod sunt sublimiores purioresque mentes; in quarum comparatione, quidquid cernitur terra est. Quamvis possunt et parvuli in Ecclesia terræ nomine nuncupari, qui proficiendo futuri sunt cœlum, et in ipsa spe lacte nutriuntur a magnis. Sed tamen quia illi jam non ab homine neque per hominem, sed per ipsum Dominum carpunt sinceritatem ubertatemque sapientiæ, acceperunt parvulos futuros quidem cœlum, ut cœlum cœli [a] esse sciant; adhuc tamen terram, cui dicant, *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit* (I *Cor.* III, 6). Ipsis enim filiis hominum quos fecit cœlum, terram dedit in qua operentur, qui novit terræ providere per cœlum. Maneant igitur cœlum et terra in Domino suo qui fecit ea, et vivant ex eo, confitentes ei et laudantes eum. Nam si ex se velint **428** vivere, moriehtur: sicut scriptum est, *A mortuo, quasi qui non sit, perit confessio* (*Eccli.* XVII, 26). B

(Vers. 17.) *Non mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum.* Clamat enim alio loco Scriptura sancta, *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3).

(Vers. 18.) *Sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum, ex hoc nunc et usque in sæculum.*

## PSALMUS CXIV.

### HALLELUIA.

(Vers. 1.) *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Cantet hoc anima quæ peregrinatur a Domino, cantet hoc ovis illa quæ erraverat (*Psal.* CXVIII, *v. ult.*), cantet hoc filius ille qui mortuus fuerat et resurrexit, perierat et inventus est. Quid est enim *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus* (*Luc.* XV, 24), nisi, Dilexi, quoniam in hac spe sum positus, ut exaudiendum esse me credam? Non enim frustra hoc spero.

(Vers. 2.) *Quoniam inclinavit aurem suam mihi.* Ideo ergo exaudiet, quia inclinavit aurem suam mihi. Jam si quæramus unde crediderit anima, quod ad eam aurem Dominus inclinarit, nonne respondebit, Quia *prior dilexit nos, et Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32)? Quod mihi cum annuntiaretur, quomodo non crederem inclinasse Dominum aurem suam mihi, tanta misericordia prævenientem, tanta vocatione pulsantem. *Et in diebus meis invocavi.* In diebus scilicet miseriæ meæ, in diebus mortalitatis et prævaricationis, qua deserui Deum, et merui carcerem, id est, tenebras ignorantiæ, compedes difficultatis accepi. In his igitur diebus,

(Vers. 3, 4.) *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me.* Quæ nisi aberrantem abs te [b] non invenient me. Ego autem illa non inveniebam, id est, non advertebam. Amabam enim deceptiones meas, et gaudens falsis prosperitatibus sæculi, veris periculis demergebar inferni. Sed cum mihi illuxit gratia tua, et causas tribulationis meæ ac doloris inveni, *et nomen Domini invocavi.*

(Vers. 5.) *O Domine, erue animam meam;* tamquam diceret, Et inter adversitates, et inter prosperitates hujus sæculi miserum me esse cognovi: quia illa premunt, ista decipiunt. *Quis* ergo *me liberabit de corpore mortis hujus*, nisi *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24). *Misericors Dominus et justus, et Deus noster miserebitur. Misericors* primo, quia inclinavit aurem **429** suam mihi; *Justus*, [c] qui facit me agnoscere unde contererer; et rursum *misericors*, quia ad hoc ut invocetur et misereatur.

(Vers. 6.) *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me.* Custodit parvulos, quos vult esse perfectos: et in servitutem per superbiam lapsos, per humilitatem facit liberos.

(Vers. 7.) *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Convertere*, inquit, *anima mea*, quia conversionis facultatem ab illo habes qui benefecit tibi.

(Vers. 8.) *Quia exemit animam meam de morte.* Exempta est a morte anima, etiam mortali adhuc carne circumdata, quæ ex infideli fidelis effecta est: et præter illam perfectam æternam a cunctis laboribus requiem, quam adipiscitur *pretiosa in conspectu* C *Domini mors sanctorum ejus* (*Sentent.* 14), habet etiam in hac vita requiem suam anima quæ de morte infidelitatis exempta est, et quæ non ab operibus justitiæ, sed ab iniquitatis abstinet actione. Talis autem anima quæ jam vivit Domino, et mortua est mundo, quæ spiritali industriæ vigilanter intenta, in humilitatis et mansuetudinis non pigra, sed quieta tranquillitate requiescit, pro adeptis jam habet quidquid non dubia spe patienter exspectat (*Sent.* 14). Et ideo addit et dicit: *Oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.* Hæc bona non temporalis vitæ sunt, sed æternæ; nec obtinere possunt mortali carne circumdati, ut non fleant, non gemant et nulla tentatione pulsentur. Spes ergo sanctorum, qui, secundum id quod Spiritu Dei aguntur jam in D carne non sunt (*Rom.* VIII, 14, 9), merito de his gaudet et gratias agit, quæ sibi a veritate promissa sunt. Denique ut hæc se non jam habere, sed sperare monstraret.

(Vers. 9.) *Placebo*, inquit, *Domino, in regione vivorum.* Non ergo ad plenum Domino placet, qui adhuc est in regione mortalium; nec potest talis esse in vita occidua, qualis futurus est in æterna.

## PSALMUS CXV.

### HALLELUIA.

(Vers. 10.) *Credidi, propter quod locutus sum.* Tam reprobi sunt, qui verum quod credunt non

[a] August., *se esse sciant.* Abest *se* ab editis nostris.

[b] Apud Augustinum, *non invenirent me.*

[c] Et hic forte melius haberetur, *quia*, ut ante et post, et August. habet.



Digitized by Google

loquuntur, quam qui verum quod loquuntur non credunt. Perfecta erga hujus fides est, qui dicit non tantum credidisse, sed et propter hoc locutum esse, quia credidit. *Ego autem humiliatus sum nimis.* Cur addidit, *Ego autem*, cum possit dicere, Locutus sum et humiliatus sum? nisi, **430** quia homo veritatem prædicans; humiliari potest ab his qui veritati contradicunt, non ipsa veritas, quam qui credit, eloquitur. *Ego credidi propter quod locutus sum.*

(Vers. 11.) *Ego autem dixi in exstasi mea, Omnis homo mendax.* Exstasis, hic pavor intelligitur, quoniam martyrum vox est, instante cruciatu vel morte trepidantium et agnoscentium non esse virium suarum ut quæ inferuntur evincant; atque ideo mendacem inveniri humanam infirmitatem, quæ non possit non fallere, præsumens de viribus suis : cum fortitudo patientiæ ex Deo sit, qui et constantiam dat non timenti, et fiduciam reparat formidanti : quoniam verax est dicens, *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 19 *et* 20). Dicitur autem exstasis, etiam cum mens non pavore alienatur, sed aliqua inspiratione revelationis assumitur.

(Vers. 12.) *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Hoc dicens, profitetur sibi aliud retributum a Domino quam merebatur; id est, pro malis recepisse se bona : et quærit quid ipse reddat pro bonis; nec aliud invenit, nisi quod Dominus ipse donaverit, et dicit :

(Vers. 13.) *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Quis istum dat calicem, nisi qui ait, *Potestis calicem bibere quem ego bibiturus sum* (*Matth.* xx, 22)? et dans exemplum patiendi, contulit donum, redimens ipsam infirmitatem suorum sanguine suo; et dans pretium imitationis ipsorum, ut fieret

(Vers. 15.) *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Emit enim eam sanguine suo, quem fudit Dominus pro servis : ut et servi pro Domino suo fundere non timerent. Cum tamen et Domini mors, et servorum, servis esset profutura, non Domino.

(Vers. 16.) *O Domine, ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Tamquam diceret : Multi se martyres dicunt, multi servos tuos se profitentur, quia nomen tuum habent in vitiis, hæresibus et erroribus. Sed quia præter Ecclesiam tuam sunt, non sunt filii ancillæ tuæ : *Ego* autem, et *servus tuus, et filius ancillæ tuæ.*

(Ibid.) *Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Tu me, inquit, servum tuum, tu fecisti filium ancillæ tuæ, qui captivitatis meæ vincula disrupisti : et ideo laudis tibi hostiam debeo, quia tua gratia sum quod sum (I *Cor.* xv, 10), et in tua est mihi gloria gloriandum.

(Vers. 18.) [a] *Vota mea Domino reddam.* **431** Quisquis bene cogitat quid voveat Domino, et quæ vota reddat, seipsum voveat, seipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo (*Matth.* xxii, 21). Sed sicut videndum est quid offeras, ita etiam considerandum est ubi offeras (*Sent.* 15).

(Vers. 19.) *In atriis*, inquit, *domus Domini.* Quæ autem domus Domini, nisi populus ejus? Ideo sequitur : *In conspectu omnis populi ejus.* Quid est autem populus ejus, nisi quod addit, *In medio tui, Jerusalem?* Jerusalem vero interpretatur Visio pacis. Tunc ergo quod [b] offeretur gratum est, si de pace atque in pace reddatur. Qui autem non sunt filii hujus ancillæ, bellum quam pacem potius amaverunt.

## PSALMUS CXVI.

### HALLELUIA.

(Vers. 1.) *Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi.* In fine superioris psalmi, ne in Jerusalem Judæi gloriarentur, et hanc dignitatem sibi Israel etiam carnalis assumeret; qui sint Israelitæ, et in quibus sit Jerusalem, psalmi hujus principio demonstratur. Omnes scilicet gentes, et omnes populi, qui per imitationem fidei facti sunt filii Abraham, et spiritale semen Israel (*Rom.* iv, 13; *Galat.* iii, 7).

(Vers. 2.) *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum.* Confirmata est misericordia Domini super nos, cum ejus nomini, per quod liberati sumus, inimicarum gentium rabida ora cesserunt, et quem negando blasphemaverunt, credendo laudaverunt. *Veritas* autem *Domini manet in æternum*, sive in his quæ promisit justis, sive in his quæ minatus est impiis.

## PSALMUS CXVII.

### HALLELUIA.

(Vers. 1.) *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Sed hic confessio non pœnitentium est, sed laudantium Dominum, quibus per gratiam præstitum est ut eruerentur de tenebris, et potestate tenebrarum, et transferrentur in regnum Filii Dei (*Coloss.* i, 13) : ob hoc solum, quia Deus bonus est, et ea misericordia miseretur quæ permanet in æternum.

(Vers. 2-4.) *Dicat nunc domus Israel, Quoniam bonus,* **432** *quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicat nunc domus Aaron, Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Domus Israel et domus Aaron, ipsi sunt omnes [c] *qui timent Dominum*; pusilli scili-

[a] Præterit S. Prosper versiculum 14 : *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.* Præterierat etiam sanctissimus ejus magister Augustinus. Forte quia de hoc eodem disserit uterque in fine psalmi.

[b] Recentior editio correxerat *offertur*, sat apposite, cum veteres omnes scribant *offeretur*.

[c] Hic v. 4, *Dicant nunc qui timent Dominum, Quoniam in sæculum misericordia ejus*, supra omissus, videtur cursim tangi et explicari.

Digitized by Google

cet atque majores (*Psal.* CXIII, 12 *et* 13). Ex quibus, sive Judæis, sive gentibus, unus factus est populus, concurrens in unum gregem, ad unum pastorem Jesum Christum (*Joan.* x, 16) : quæ societas in ejus gratia facta est qui bonus est, et cujus misericordia æterna est et æternos facit.

(Vers. 5.) *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine.* Qui tribulatur, in angustia est : sed qui exauditur, latitudinis infinitate suscipitur.

(Vers. 6.) *Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo.* Apostolus dicit, non adversus carnem et sanguinem nobis, quod est homo iniquus, sed adversus principes et rectores tenebrarum, esse certamen (*Ephes.* VI, 12). Quarum autem tenebrarum, nisi hominum diabolo subditorum? Non ergo metuit quid ei faciat homo, qui ipsius incentorem Dei vincit auxilio.

(Vers. 7.) *Dominus mihi adjutor est, et ego despiciam inimicos meos.* Sive ex malis hominibus, sive ex malis angelis, despiciet inimicos is cui adjutor est Dominus.

(Vers. 8.) *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.* Etiam si bonus homo, aut bonus angelus adjuvet, non in eis, inquit, confidam; sed in Domino, qui me per illos juvat.

(Vers. 9.) *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.* Principes et homines et angeli possunt intelligi : sed in neutris spes collocanda est; quia potestas non est nisi a Deo (*Rom.* XIII, 1).

(Vers. 10-12.) *Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos. Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos. Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis; et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.* Ipsum Dominum caput Ecclesiæ intelligimus, circumdatum a persecutoribus, sicut circumdant apes favum. Sed mystice significatum est, quod concursus ad persequentes, favus autem ad credentes pertineret. Quoniam impii, nescientes quid facerent, dulciorem cruciando fecerunt : ut gustemus et videamus quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 8). Quod autem *exarserunt sicut ignis in spinis*, ad totum corpus Christi, id est populum ejus, melius refertur. *Omnes gentes circumdederunt me*, quia ex omnibus collectus est gentibus, et ubique in eum exarserunt persecutionis incendia. Sed ultus est persequentes, quia **433** exstincta malitia facti sunt Christiani; sive quia omnes qui pertinaciter infideles fuerunt, quem spreverunt vocantem, sentient judicantem.

(Vers. 13.) *Impulsus, eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me.* Tamquam cumulus arenæ versatus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. Multitudinem fidelium in unitatem fidei congregatam persecutio gentium non habuit quo impelleret, et quamvis multum vexando versaret, convellere tamen

A ac projicere non prævaluit, quia ab omnibus simul in eum creditum est, quia et singulos et universos ubique suscepit.

(Vers. 14.) *Fortitudo mea et laudatio mea Dominus; et factus est mihi in salutem.* Qui sibi sua fortitudo, et sua volunt esse laudatio, cadunt. Quorum autem fortitudo et laudatio est Dominus, tam non cadunt quam non cadit Dominus. Et ideo eis factus salus, non quia ipse aliquid cœperit esse quod non erat, sed quia salutem in eo, quam aversi non habuerant, cœperunt habere conversi.

(Vers. 15.) *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum.* Sævitia persequentium spem sanctorum internis gaudiis privare non poterat; nec valebant impii eorum auferre lætitiam, quorum nequi-
B bant expugnare patientiam. Unde et Apostolus dicit, *Quasi tristes, semper autem gaudentes* (II *Cor.* VI, 10).

(Vers. 16.) *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.* Magna virtus exaltare humilem, deificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de subjectione gloriam, de passione victoriam. Sed quia non homo se exaltavit, non homo se perfecit, non homo sibi gloriam dedit, non homo vicit, nec ipse sibimet saluti fuit, piissima confessione laudem Dei repetit, *Dextera Domini fecit virtutem.*

(Vers. 17.) *Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.* Vox Ecclesiæ est, non in se, sed in Domino gloriantis. Exstinguendum Dei populum persecutores arbitrabantur; sed aucta est Ecclesia,
C et ubique Christus martyrum gloria est, in quorum passionibus Domini opera prædicantur.

(Vers. 18.) *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.* Non ergo quidquam viribus suis licuisse arbitretur fremitus impiorum; non haberent istam potestatem, nisi desuper daretur (*Joan.* XIX, 11). Sæpe filios suos paterfamilias per nequissimos servos emendari jubet, cum illis hæreditatem, his compedes [a] præpararet. Quæ est ista hæreditas? Auri est et argenti, an **434** gemmarum, an fundorum, amœnorumve prædiorum? Vide qua intretur, et cognosce quid sit.

(Vers. 19.) *Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino.* Intra portas justitiæ vox est confessionis et exsultationis. Beati enim qui
D habitant in domo Domini, in sæcula sæculorum [b] laudabunt eum (*Psal.* LXXXIII, 5).

(Vers. 20.) *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam.* Hæc porta illius est Jerusalem, quam nemo incircumcisus, nemo intrat injustus, ubi dicitur, *Canes foras* (*Apoc.* XXII, 15).

(Vers. 21.) *Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.* Confessio hæc laudis est, non vulnera medico ostendens, sed de percepta sanitate gratias agens ei qui ipse est salus.

[a] Forte legendum *præparet*, ut apud Augustinum.
[b] Duac. et Colon. *laudabunt te.* Lugd. et Lovan. cum editione August., *laudabunt eum*.

Digitized by Google

(Vers. 22.) *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Ut duos conderet in semetipsum, in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliaret utrosque in uno corpore Deo* (*Ephes.* II, 15), circumcisionem scilicet et præputium. A

(Vers. 23.) *A Domino factus est.* Quamvis enim non esset lapis angularis, nisi passus esset, non tamen hoc ab eis a quibus passus est, factus est: nam illi qui ædificabant reprobaverunt, sed in eo quod Dominus occulte ædificabat, fecit in caput anguli, quem reprobaverunt. *Et est mirabilis in oculis nostris.* In oculis interioribus hominis, in oculis credentium, sperantium, diligentium.

(Vers. 24.) *Hæc dies est quam fecit Dominus; exsultemus et jocundemur in ea.* Dies quo mihi salutem dedit, dies quo ille Mediator Dei et hominum factus est in caput anguli. B

(Vers. 25.) *O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prospera. Salvum fac,* quia dies salutis est; *prospera* iter a peregrinatione redeuntibus, quia tu nobis factus es via.

(Vers. 26.) *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Maledictus ille qui venit in nomine suo, quem suscipient qui Dei Filium non receperunt (*Joan.* v, 43). *Benediximus vos de domo Domini.* Vox ista magnorum est ad pusillos: eorum scilicet magnorum, qui Verbum Dei Deum, sicut in hac vita possunt, mente contingunt, et tamen sermonem suum propter parvulos temperant.

(Vers. 27.) *Deus Dominus, et illuxit nobis. Illuxit nobis Mediator Dei* ille *et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5); qui et Deus æqualis Patri, quod fecit credi, fecit intelligi. *Constituite diem festum in frequentationibus, usque ad cornu altaris.* Id est, usque ad interiorem domum Dei, [a] de qua nos benediximus; ubi sunt altaris **435** excelsa, ubi spiritale sacrificium laudis perpetuæ, ubi est sacerdos æternus, et altare sempiternum, ad quod non tepide neque segniter, sed in frequentatione currendum est: ut de Filio Deo, qui propter nos caro factus est (*Joan.* I, 14), non jam humiliter secundum carnem, qua conformis nobis esse dignatus est, sed sublimiter secundum divinitatem, qua Patri æqualis est [b] sentiendum. C

(Vers. 28.) *Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te. Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.* Non strepitu ista verborum dicentur, in illa domo ad quam ut intremus hortatur; sed dilectio inhærens Deo, ipsa erit vox laudationis æternæ. D

(Vers. 29.) *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Iisdem verbis [c] psalmum quibus inchoaverat claudit, quia ab initio usque in finem debet in nobis laudationum Dei perseverare confessio.

## PSALMUS CXVIII.

### ALEPH.

(Vers. 1.) *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Beati esse non possunt, nisi immaculati. Immaculati autem non sunt, nisi qui in via ambulant; via vero non est, nisi lex Domini. Quærens ergo beatitudinem, immaculatus in via sit, et in lege Domini, quæ beatorum via est, ambulet, id est, non sit otiosus.

(Vers. 2.) *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* In via Domini hi sine dubio ambulant, qui *scrutantur testimonia ejus.* Sed quia multi volunt habere scientiam sine operibus, merito addidit, *in toto corde exquirunt eum.* Tum enim recte quæritur Deus, si non per ipsum alia, sed per omnia ipse quæratur. Beatitudo autem quærentium Dominum, in hujus vitæ laboribus non potest esse perfecta. Sed beati jam dicuntur, qui hoc sine dubio sunt futuri, quia in via ambulant immaculati, et scrutantes testimonia legis Domini, in toto corde exquirunt eum. Spe ergo beati sunt, quia talibus beatitudo promissa est.

(Vers. 3.) *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Hic quæritur, cum iniquitas peccatum sit, et non operentur peccatum qui ambulant in viis Domini, quomodo illi sancti in viis Domini ambulaverunt, qui dicunt, *Si dixerimus* **436** *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8)? Ergo et peccatum habuerunt, et in viis Domini ambulaverunt, secundum Paulum dicentem, *Si quod nolo, ego hoc facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII, 15). Itaque nec operantur peccatum qui ambulant in viis Domini, et tamen non sunt absque peccato, quia jam non ipsi operantur illud, sed quod habitat in eis peccatum. Non autem ipsi operantur illud, quando illicitis desideriis consensum non accommodant voluntatis. Verumtamen cum omnes sancti, in carne degentes, veraciter dicant, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12), quomodo intelligitur immaculatos eos in via Domini ambulare, quos oportet quotidiana oratione remissionem poscere peccatorum? nisi quia verum est, ambulantes in via Domini nullis consentire criminibus, et tamen quibusdam cogitationum carnalium obreptionibus titillari, et ob hoc eis necessariam quotidianam remissionem, ut fiant immaculati: quoniam et hoc ipsum ad viam pertinet Domini, de qua non recedit, qui se immaculari semper exposcit.

(Vers. 4.) *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Nimis,* sive ad mandantem, sive ad custodientem referas, non pro eo quod est plus quam oportet, accipiendum est, sed pro valde. Valde enim mandatur, et valde custodienda sunt præcepta divina.

(Vers. 5.) *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodien-*

[a] In Augustino, *de qua vos benediximus.*
[b] Editi in ora libri ex conjectura notant aliter legi posse *sentiamus*

[c] Lugdun et Lovan., *psalmus.* Duac. et Colon., *psalmum.*

Digitized by Google

*das justificationes tuas!* Dedisti, inquit, mandatum, et custodiri illud præcepisti; sed utinam præbeas et auxilium, ut possim facere, te juvante, quod faciendum didici, te docente!

(Vers. 6.) *Tunc non confundar, cum perspicio in omnia mandata tua.* Cum, inquit, directæ fuerint viæ meæ per gratiam tuam, tunc inspectione mandatorum tuorum non confundar, [a] qui ero non inutilis auditor, sed efficax factor.

(Vers. 7.) *Confitebor tibi, Domine, in directione cordis; in eo quod didicerim judicia justitiæ tuæ.* Si directum fuerit iter meum et cor meum, et prædicabo, Domine, te, laudabo, et tui esse hoc operis confitebor.

(Vers. 8.) *Justificationes tuas custodiam;* hoc est, faciam quod jubes, si me adjuveris. *Non me derelinquas usquequaque.* Non ita accipiendum, quasi in aliquo se relinqui velit, sed hoc petit, ne penitus deseratur, et ita potius ut ab eo numquam et nusquam divinum abscedat auxilium.

BETH.

**437** (Vers 9.) *In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos.* Interrogatio est, in quo junior viam suam corrigat: et respondetur quod correctio ejus hæc sit, ut Dei verba custodiat. Sed quæritur quis iste sit junior, cujus illa correctio est, cum et senes multi convertantur ad Dominum, per quamlibet seram observantiam mandatorum. Bene ergo iste junior intelligitur populus novus, per Christi gratiam renovatus, qui ab erroris veteris via, verbum fidei custodiendo, corrigitur.

(Vers. 10.) *In toto corde* [b] *meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis.* Fecisti, inquit, ut toto corde meo exquirerem te; fac ut in mandatis tuis maneam: quæ ut mihi possibilia sint, adjuva me, et noli me ab eis repellere, id est, noli mihi auxilium tuum subtrahere.

(Vers. 11, 12.) *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Benedictus es, Domine; doce me justificationes tuas.* Quid adhuc eloquia Domini quærit discere, quæ jam abscondit in corde? Quod utique non fecisset, nisi ea didicisset. Ut quid addit, et dicit, *doce me justificationes tuas;* nisi quia eas vult faciendo discere, et operandi notitia comprehendere, non loquendi tantum facilitate, et memoriæ recordatione retinere?

(Vers. 13.) *In labiis meis enuntiavi omnia judicia*

A *oris tui.* Nihil, inquit, judiciorum tuorum tacui, sed omnia prorsus in labiis meis enuntiavi, ea scilicet, quæ mihi ore tuo, id est, eloquiorum tuorum prædicatione dixisti.

(Vers. 14.) *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Via testimoniorum Dei Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II, 3). In hac ergo via, quasi in omnibus divitiis delectatur, qui videt per illum multa erga nos testimonia divinæ dilectionis impleta, et non dubitat quæ exspectantur implenda.

(Vers. 15.) *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10): quarum plenitudo invenitur B in Christo, in quo omnis Ecclesia contra inimicos fidei Christianæ copiosis disputationibus exercetur.

(Vers. 16.) *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.* Ideo utique meditabor, ut non obliviscar **438** sermones tuos; meditabor ut non obliviscar. Meditatio enim non obliviscendi, est perseverantia operandi, propter quod postulavit adjutorium gratiæ, dicens, *Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas;* ut quod sermone noverat, etiam opere compleret.

GHIMEL.

(Vers. 17.) *Retribue servo tuo, vivifica me: et custodiam sermones tuos.* Quatuor sunt retributiones: aut enim mala pro malis retribuuntur, sicut Deus ignem æternum retributurus est impiis; aut bona C pro bonis, sicut regnum æternum retributurus est justis; aut bona pro malis, sicut Christus per gratiam justificat impium; aut mala pro bonis, sicut Judas per malitiam persecutus est Christum. Harum quatuor retributionum duæ priores pertinent ad justitiam, ut retribuantur mala pro malis, bona pro bonis; tertia pertinet ad misericordiam, ut retribuantur bona pro malis: quartam Deus nescit; nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quæ tertio loco posita est, primitus necessaria est. Nisi enim Deus [c] retribueret bona pro malis, nullo modo essent quibus retribuerentur bona pro bonis (*Sent.* 16). Qui ergo dicit: *Retribue servo tuo;* et addidit, *Vivifica me, et custodiam sermones tuos;* scit justum ex fide vivere, quæ operatur [d] per dilectionem (*Habac.* D II, 4; *Rom.* I, 17; *Gal.* V, 6). Et quia mortuus erat per suam [e] injustitiam, petit sibi vitam per Dei gra-

[a] Legendum certe *qui ero non inutilis auditor*, etsi editi omnes habeant *quæro non utilis*. Editiones Duac. et Colon. notarant in margine *qui ero*. Quod vero *non inutilis* legi debeat, probare videtur locus Jacobi I, 23, ad quem hic alludit auctor noster, *Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit; qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus* (en *inutilis auditor*, qualem se non fore sperat psalmographus, si perspiciat in mandata Domini); *hic beatus in facto suo erit.* En quod dicit, *Tunc non confundar.*

[b] Vox ista *meo* legitur in editione Lugdun. et Augustino: desideratur in Lovan., Duac. et Colon. Addendam suadet expositio versus statim subjecta.

[c] Editio recentior cum Augustino *retribueret;* veteres omnes Prosperianæ, *retribuerit.* Idem tamen sententia 16 habet *retribueret.*

[d] Sic legitur in Augustino, et legendum suadet locus Apostoli, ad quem alludit S. Prosper; etsi editi nostri omnes sine dubio ex errore scribarum manifesto et facile irrepente scriptum habeant *pro dilectione.*

[e] Emendamus ex opere Augustini, quod præ oculis habebat S. Prosper cum hæc scriberet. Editi

Digitized by Google

tiam. quam profecto non peteret, si omnino non crederet, id est, omnino non viveret. Sed quia id quod acceperat ad desiderandum, non sufficiebat ad obediendum, poscit se vivificari, hoc est, eam in se fidem quam accepit, augeri; ut vivificetur per omnem diem, qui renovatur de die in diem (II *Cor.* IV, 16).

(Vers. 18.) *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Da, inquit, mihi intellectum, quo possim mirabilia tuæ legis inspicere, et virtutem præceptorum tuorum videre.

(Vers. 19.) *Incola ego sum in terra, ne abscondas a me mandata tua.* Ibi quisque est peregrinus, ubi absens est a patria sua (*Sent.* 17). Iste ergo qui supernæ Jerusalem civis ascriptus est, peregrinum se profitetur in terra; quia certus est de hæreditate promissa. Sed quia *tentatio est vita humana super terram* (*Job.* VII, 1), petit ne in tempore tribulationis et difficultatis abscondantur ab eo mandata Dei, quæ utique in medio constituta sunt, et possunt etiam ab impiis sciri. Nam quem latet brevissimum plenissimumque mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Matth.* XXII, 37), et; **439** *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Ibid.*)? In quibus duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ. Quomodo ergo hic terræ incola orat ut ab eo non abscondantur quæ pene neminem latent, nisi quia Dominum nosse paucorum est; et consequens est ut ei mandatum dilectionis sit absconditum, [a] quia aliud pro alio diligit: et qui errat in Domini amore, errat etiam in proximi charitate? Recte itaque qui incola est in terra, et qui terrena non diligit, postulat sibi mandatorum Dei scientiam revelari: ne vel in Dei, vel in proximi dilectione fallatur.

(Vers. 20.) *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Concupivi, inquit, justificationum tuarum desiderium habere usque in finem. Tu enim me justificas, tua me facit gratia justum et bonum: [b] mihi est semper hoc desiderare, et in hoc tuo præsidio delectari. Alioquin justus non ero, si aut defuerit mihi gratia tua, aut inflaverit me superbia.

(Vers. 21.) *Increpasti superbos, maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Illa increpatio hic intelligenda est, quam primi hominum genitores sua transgressione meruerunt, declinantes a mandato Dei per superbiam, [c] quam concupiverant, non quod Deus diligendum præcepit, sed quod diabolus invidendo persuasit (*Gen.* III, 5). Omnis itaque superbus huic increpationi subjectus est, sive hæreditario, sive voluntatis arbitrio.

(Vers. 22.) *Aufer a me opprobrium et contemptum,* A *quia testimonia tua exquisivi.* Vox ista Ecclesiæ est, jam diligentis inimicos suos, et orantis pro persecutoribus suis (*Matth.* V, 44). Dicat itaque omnis Christianus, dicant omnia membra corporis Christi, *Aufer a me opprobrium*, quod ideo audio, *et contemptum*, [d] quod ideo contemnor, *quia testimonia tua*, id est, martyria tua, *exquisivi.* Ut inimici nostri inde venerentur, unde contemnunt; cum quos persequendos putaverunt, intellexerint honorandos.

(Vers. 23.) *Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur.* Inde persecutio gravis erat, quia eam sedentes, id est, judiciariis sedibus eminentes principes decernebant: quod et in ipsum caput et in corpus ejus actum esse non dubium est. *Servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus.* Qualis B exercitatio hæc fuerit, sequentia docent.

(Vers. 24.) *Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ sunt.* Sic ergo exercebatur servus Christi, ut contra persequentes dilectione certaret. Consilium sedentium principum fuit, inventos **440** martyres perdere; consilium patientium martyrum fuit, inimicos perditos invenire. Reddebant illi mala pro bonis, isti bona pro malis. Quid ergo mirum, si isti occidendo defecerunt, illi moriendo vicerunt?

DALETH.

(Vers. 25.) *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Qui se vivificari petit, quoniam adhæsit pavimento anima ejus, videtur hoc C poscere, ut a terrenis cupiditatibus eruatur. Sed non talia verba præmissa sunt, ut de eo qui dicebat, *Nam et testimonia tua meditatio mea, et consilium meum justificationes tuæ*, credendum sit quod terrenæ magis conversationi inhæserit quam cœlesti. Non ergo a concupiscentiis mundi avelli, nec a carnis societate separari, sed ab affectibus carnalibus optat abjungi; ut illa concupiscentia quæ concupiscit adversus spiritum (*Gal.* V, 17) magis comminuatur, et concupiscentia quæ concupiscit adversus carnem perseverantibus profectibus augeatur. Nemo est enim cujus animam corruptibile corpus (*Sap.* IX, 15) et inhabitatio terrena non aggravet (*Sent.* 18), donec corruptibile hoc induatur incorruptionem (I *Cor.* XV, 53), et verbum Dei, quo vita æterna pro- D mittitur, impleatur.

(Vers. 26.) *Vias meas enuntiavi, et exaudisti me: doce me justificationes tuas.* Peccata, inquit, mea confessus sum, et exaudisti me; enuntiavi vias meas, et delesti eas: doce me tuas. Non ergo eas justificationes vult discere, in quibus exercebatur; sed ab illis ad illas desiderat pervenire.

(Vers. 27.) *Viam justificationum tuarum insinua*

enim nostri habent *per suam justitiam.* Nec putamus illud in sensum Apostoli recidere, quo dicit de Judæis. Rom. X, 3: *Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

[a] Forte *qui aliud;* cum paulo post dicatur, *et qui errat.*

[b] Fortasse, *meum est.* Editi omnes, *mihi est.*

[c] Vix dubitamus legi debere *qua*, non *quam*, ut editi omnes habent.

[d] Apud Augustinum, *quo ideo contemnor.*

Digitized by Google

*mihi, et exercebor in mirabilibus tuis.* Hæc petens, A magis profectibus concupiscit augeri. Sunt autem quædam justificationes tam sublimes atque mirabiles, ut hi qui experti non sunt, putent ad eas humanam infirmitatem pervenire non posse.

(Vers. 28.) *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Fatigor namque ex infirmitate, et relabor ex tædio. *Confirma me* in promissionibus tuis; atque per ea quæ dedisti, enitar ascendere, ut dormitans in infirmitatibus meis exciter, atque inciter *in verbis tuis.*

(Vers. 29.) *Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.* Ne lex factorum, per quam abundavit peccatum (*Rom.* v, 20), ad iniquitates me adducat infirmum; *lege*, inquit, *tua*, hoc est, lege fidei (*Rom.* III, 27), *miserere mei;* ut per gratiam tuam B faciam quod per me ipsum [a] implere non valeo.

(Vers. 30, 31.) *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.* **441** *Adhæsi testimoniis tuis, Domine; noli me confundere. Viam veritatis elegi*, ubi currerem: *judicia tua non sum oblitus*, ut currerem. *Adhæsi testimoniis tuis*, cum currerem, *Domine*, *noli me confundere.* Quomodo quo curro pertendam, quo tendo, perveniam? *Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16).

(Vers. 32.) *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Cordis dilatatio, [b] veritatis est dilectio: quod Dei munere fit, ut ei non timore pœnæ, sed amore justitiæ serviatur, cum charitas Dei diffunditur *in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5). Ideo ergo iste viam man- C datorum Dei cucurrit, quia cor ejus Dominus dilatavit.

HE.

(Vers. 33.) *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper.* Qui viam mandatorum Dei se dilatato corde cucurrisse jam dixerat, quomodo nunc legem sibi postulat poni! nisi quia proficiens loquitur, et donum Dei novit esse quod proficit; et ut magis magisque proficiat, quod habet, a quo accepit poscit augeri. Ergo et cucurrit hanc viam, et currere cupit; exquisivit et exquirere amat, donec perfectum sit gaudium sine periculo amittendi, quod ut apprehendat, semper exquirit.

(Vers. 34.) *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.* Ergo alti- D tudinem et profunditatem legis nemo penetrat, nisi qui intellectum acceperit. Cum autem plenitudo legis sit dilectio (*Rom.* XIII, 10), et ille legem intelligat qui opera mandatorum ejus exsequitur, profecto hic illam sibi charitatem multiplicari petit, qua Deus proximusque diligitur, ut hujus duplicis mandati, de quo pendet tota lex et prophetæ (*Matth* XXII, 40), perfectam habeat scientiam, eamque toto corde custodiat.

(Vers. 35.) *Deduc me in semita mandatorum tuorum; quoniam ipsa volui.* Quam prius dixit *viam justificationum*, eamdem dicit *semitam mandatorum.* Quia angusta via, est, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14): et cum sit angusta, nisi dilatato corde non curritur (*Sent.* 19). Sed quoniam adhuc iste proficit, et adhuc currit, ideo divinum quo deducatur quærit auxilium.

(Vers. 36.) *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Qui cor suum inclinari in aliquid petit, plenius et perfectius id, quam vult, velle desiderat. Volebat enim cum diceret, *Deduc me in semita mandatorum tuorum, quoniam ipsam volui;* et orat ut velit, cum dicit, *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Orat ergo ut in ipsa voluntate proficiat, et cor non in avaritiam, sed in testimonia **442** Dei habeat inclinatum: quæ testimonia hoc insinuant, hoc docent, ut Deus gratis colatur: quia si cor non in avaritiam sit declinatum, Deum non colimus nisi propter Deum, ut Dei cultus ipse sit merces; nam qui Deum ideo colit ut aliquid aliud promereatur quam ipsum, non quem colit diligit, quia non ipsum, sed aliud concupiscit (*Sent.* 20).

(Vers. 37.) *Averte oculos meos, ne videant vanitatem; in via tua vivifica me. Averte*, inquit, *oculos meos*, non corporeos, quorum intuitus etiam nolens multas vanitates videt; sed cordis oculos, ne intenti sint vanitati, ne humanam gloriam quærant, nec cum boni aliquid appetunt, non dilectione ipsius summi boni, sed amore præsentis utilitatis et laudis hoc faciant: ne postremo justitiam suam ad se magis quam ad Dominum referant, et in se magis quam in Domino glorientur. Hanc ergo vanitatem perhorrescens, merito adjecit, *In via tua vivifica me*, id est, in Christo, qui est contrarius vanitati, et non solum via est, sed et vita et veritas (*Joan.* XIV, 6).

(Vers. 38.) *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Stabile fit eloquium Dei in corde nostro, cum fit quod eodem jubetur eloquio, et avellitur, cum contrarium opus agitur. Petit ergo servus Dei ut in eo confirmetur obedientia perseverans, quæ de statu suo nullo malæ actionis moveatur impulsu; quod non habetur nisi per Spiritum, et castum timorem, quo cavetur ne offendatur charitas, non quo metuitur ne damnetur impietas.

(Vers. 39.) *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia judicia tua suavia.* De occultis cordis alieni temere judicare, peccatum est, et eum cujus non videntur opera nisi bona, ex suspicione reprehendere (*Sent.* 21). Hoc ergo opprobium, hoc suspicionis vitium, hic qui vult esse perfectus, a se optat auferri. Quoniam eorum quæ incognita homini sunt, solus Deus justus inspector est: et judicia ejus suavia sunt, quoniam vera.

(Vers. 40.) *Ecce concupivi mandata tua, in tua justitia vivifica me.* Fecisti me, inquit, cupidum mandatorum tuorum, fac et efficacem; adjuva ut faciam

[a] Lugdunensis editio addit vocem *implere*, quam omittunt Lovan., Duac. et Colon. Legitur autem etiam apud Augustinum hoc loco.

[b] In Augustini libro, *justitiæ est delectatio*.

Digitized by Google

quod commendas, dona ipse quod mandas; quia in me unde morerer habui, unde autem vivam, non invenio, nisi in te, qui homini tuo omnem æquitatem in tua et proximi dilectione posuisti.

VAU.

(Vers. 41.) *Et veniat super me misericordia tua, Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.* Quid poscit nisi ut mandata quæ concupit, per ejus misericordiam faciat [a] quæ mandavit? Et quæ est misericordia nisi Christus? Et secundum quod eloquium
443 nisi secundum verbum promissionis, quo vocata sunt ea quæ non erant, tamquam essent (*Rom.* IV, 17)? Quia et quibus promissum est, etiam ipsi promissi sunt, ut totum corpus Christi dicat, *Gratia Dei sum quod sum* (I *Cor.* XV, 10).

(Vers. 42.) *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis. Verbum exprobrantibus*, an *verbum respondebo*, ambiguum est; sed utrumque [b] Christus sonat. Ipsum enim nobis exprobrant, [c] quibus est crucifixus vel scandalum, vel stultitia (I *Cor.* I, 23); ignorantes quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Quod Verbum in principio erat, et apud Dominum erat. Sed etsi ipsi exprobratores non Verbum exprobrent, quod eos latet, quia divinitas ejus ab eis non cognoscitur, a quibus infirmitas in cruce contemnitur, nos tamen omnibus exprobrantibus Verbum respondeamus. Parum est enim in corde habere Christum, nisi quod corde credimus, ore profiteamur (*Rom.* X, 10). Sed hoc ita demum fieri poterit, si in promissis Dei spes fuerit firma credentis.

(Vers. 43.) *Et ne auferas a me verbum veritatis usque valde;* hoc est, non ita conturber sub persecutionis flagello, ut a me penitus auferatur confessio veritatis; quia multi qui ad horam negando defecerunt, postea pœnitendo reparati sunt, et palmam quam perdiderant resumpserunt. *Quia in judiciis tuis supersperavi;* id est, quia judicia tua, quibus me corripis et flagellas, non solum mihi non auferunt spem, sed etiam augent, dum quem diligis corripis, flagellas autem omnem filium quem recipis (*Hebr.* XII, 6). Et ideo plerumque eum, qui sibi fortis videbatur, infirmari sinis, ut præsumptio auferatur, et perseverantiæ virtus ex tua opitulatione reparetur.

(Vers. 44.) *Et custodiam legem tuam semper, in sæculum et in sæculum sæculi.* Quod dixit, *semper*, ne ad omne istius vitæ tempus tantummodo referretur, adjecit, *et in sæculum sæculi.* Lex autem, quam perpetuo custodire desiderat, charitas accipienda est: quia ipsa est plenitudo legis (*Rom.* XIII, 10), et cessantibus cæteris mandatis, sola permanet in æternum.

(Vers. 45-48.) *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi. Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi valde. Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, et exercebar in justificationibus tuis.* Superiores versus precationem habuerunt, qua adjutorium gratiæ postulatum est. Hi autem narrationem habent, qua ostenditur 444
quid gratia petita contulerit: tamquam diceret, Hæc cum orarem, exaudisti me, et ambulabam in latitudine, id est ambulabam in charitate, quæ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Hic est ille Spiritus in quo clamamus, *Abba Pater* (*Gal.* IV, 6), ac per hoc ipsius est quod mandata Dei exquisivit: qui acceptus etiam hoc agit, ut largius accipiendus petendo, quærendo, pulsando quæratur. Per hunc itaque dilectionis Spiritum confirmatus est, ut in conspectu regum non confunderetur, ut in mandatis Dei cogitationem suam exerceret, et valde eadem mandata diligeret; elevans manus suas, non ad terrena opera, sed ad cœlestia, exerceretur in justificationibus Dei.

ZAIN.

(Vers. 49, 50.) *Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; hæc me consolata est in humilitate mea, quia verbum tuum vivificavit me.* Cum dicitur Deo, *Memento*, orantis desiderium, quo promissum accelerari poscit, ostenditur: non Deus, quasi id ei a recordatione exciderit, admonetur. *Memento* ergo, inquit, *verbi tui servo tuo*, hoc est, Imple promissum tuum; *in quo mihi spem dedisti*, hoc est, in quo verbo me sperare fecisti. *Hæc me consolata est in humilitate mea:* hæc scilicet spes mea consolata est, quæ data est humilibus, dicente Scriptura, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacob.* IV, 6). *Quia verbum tuum vivificavit me:* quia fecit me in te sperare, et non deficere in tribulatione.

(Vers. 51.) *Superbi inique agebant usque valde; a lege autem tua non declinavi.* Superbos intelligi voluit persecutores humilium, hoc est, impios persecutores piorum; et ideo subjecit, *A lege autem tua non declinavi*, quia hoc eum facere persecutio compellebat.

(Vers. 52.) *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum. A sæculo*, inquit, ex quo genus hominum sumpsit exordium, *memor fui judiciorum tuorum.* Et quia probavi quod omnes viæ tuæ misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10), consolationem accepi in auxilio gratiæ tuæ, et per ipsa quoque vasa iræ, intellexi divitias gloriæ tuæ in vasa misericordiæ (*Rom.* IX, 22 *et* 23).

(Vers. 53, 54.) *Tædium detinuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco incolatus mei.* Quamvis tædium pateretur a peccatoribus, cum quibus eum præsentis vitæ peregrinatio detinebat, tamen cantabiles ei erant justificationes Dei, quia peregrinantem gratia solabatur.

[a] Apud Augustinum, *qui mandavit;* editi, *quæ mandavit.*

[b] In Augustino, *Christum sonat;* editi nostri, *Christus sonat.*

[c] Sic Lugdun. post Aug. At Lovan. et alii, *a quibus est crucifixus, vel scandalum, vel stultitiam.*

Digitized by Google

(Vers. 55.) *Memor fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.* **445** Nox est [a] in æternum; nam mortalitatis nox in superbis inique agentibus; nox in tædio, a peccatoribus derelinquentibus Dei legem; nox est postremo in loco peregrinationis hujus, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum (I *Cor.* IV, 5). In hac ergo nocte memor debet esse homo nominis Domini, ut legem ejus custodiat, et hoc ipsum ad gloriam Dei referat; quoniam *adjutorium nostrum in nomine Domini* (*Psal.* CXXIII, 8).

(Vers. 56.) *Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.* Justitias utique tuas quibus justificas impium (*Rom.* IV, 5), non meas, quæ non pium faciunt, sed superbum. Quæ est ergo de qua dicit, *Hæc facta est mihi?* Non enim Lex intelligenda est, B quam masculino genere Græcus enuntiat, cum melius accipiatur de nocte, quia superius dixerat, *Memor fui nocte nominis tui*, quæ *facta est mihi*, id est, ut prodesset mihi. Quoniam hæc ipsa humilitas, in loco peregrinationis hujus, quæ merito nox intelligitur, prodest eis qui salubriter exercentur in ea, ut discant non superbire, propter quod malum in istam noctem pulsus est homo.

HETH.

(Vers. 57.) *Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam.* [b] Nisi quia ita erit portio cujusque Dominus, cum legem ipsius custodierit. Sed quia hoc non fit sine adjutorio Dei, quid præcipiat obtineri ostendit, adjungens :

(Vers. 58.) *Precatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.* Quid autem hac prece obtinuerit, et in quem profectum pervenerit, consequenter ostendit, dicens :

(Vers. 59.) *Cogitavi vias meas, et averti pedes meos in testimonia tua. Averti*, inquit, *pedes meos* a viis quæ mihi displicuerunt, ut irent *in testimonia tua*, atque ibi haberent viam. Quod autem hic positum est, *Averti pedes meos*, in nonnullis legitur, *Avertisti pedes meos;* ut hoc Dei potius gratiæ tribuatur. Sed sive hoc, sive illud sit, dubitari non potest divini esse muneris, [c] cum et recte cogitamus, et pedes nostros ab errore revocamus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur operatur (*Sentent.* 22, *et can.* 9 *concil.* II *Arausicani*). D

(Vers. 60.) *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Confitetur humiliter, ad custodienda mandata constantem se factum esse per gratiam.

A **446** (Vers. 61.) *Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legis tuæ non sum oblitus.* Peccatorum, non ab eo quod sunt peccata declinatum est, sed ab eo quod sunt peccatores. *Funes* itaque *peccatorum*, impedimenta sunt inimicorum, sive spiritalium, sive carnalium, qui sanctos, pro Dei lege usque ad sanguinem decertantes, quibuslibet difficultatibus implicare conantur, quibus eos a constantia patiendi, quasi funibus ac restibus, retrahebant. Sed si implicant corpus, non implicant animum; in quo iste legis Dei non est oblitus, quia *Sermo Dei non est alligatus* (II *Tim.* II. 9).

(Vers. 62.) *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justitiæ tuæ.* Media nox, profunda tribulatio est, quia non sic affligebatur, ut surgere non valeret. Surgebat autem, ut confiteretur Deo, justo judicio ejus datam peccatoribus potestatem qua sanctos Dei persequerentur, quos adjuvat gratia Dei, ut hujusmodi exercitia facerent clariores (*Sent.* 23).

(Vers. 63.) *Particeps sum ego omnium timentium te et custodientium mandata tua.* Vox ista proprie ipsius capitis intelligenda est. Non enim efficeremur participes divinitatis Christi, nisi ipse mortalitatis nostræ particeps fieret. Per hanc autem participationem, ejus nobis gratia subministratur, ut caste timeamus Deum et custodiamus mandata ejus. Ideo quippe Deus hominum, immortalis mortalium, suscepit naturam, et participando suam fecit, ut granum caderet [d] in terra (*Joan.* XII, 24 *et* 25), mortificatumque C multum fructum faceret.

(Vers. 64.) *Misericordia tua, Domine, plena est terra.* In eo utique, quod justificatur impius, in cujus ineffabilis gratiæ scientia ut proficiatur, adjungit : *Et justificationes tuas doce me*

TETH

(Vers. 65.) *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.* Fecisti, inquit, Domine, ut me delectaret bonum, quod utique magnum est tuum donum. *Secundum verbum tuum*, hoc est, secundum promissum tuum : ut firma sit promissio omni semini (*Rom.* IV, 16).

(Vers. 66.) *Suavitatem, et eruditionem, et scientiam doce me; quia in mandatis tuis credidi.* Augeri sibi ista poscit, et [e] perficit ei gratia Dei, magis magisque in omni dulcedine bonitatis. Docet autem Deus *suavitatem*, inspirando dilectionem : docet *disciplinam*, **447** temperando tribulationem; docet *scientiam*, insinuando cognitionem. *Quia mandatis tuis credidi;* hoc est, credidi quod tu illa mandaveris, qui donas

[a] Ita editi omnes Prosperiani. Cum vero apud Augustinum legatur, *Nox est illa humilitas, ubi est mortalitatis ærumna*, non immerito forte suspicamur legendum : *Nox est in ærumna mortalitatis; nam*, pro *in æternum*, quod editi omnes præferunt.

[b] Hæc intellige, supplendo quæ sunt apud Augustinum, *Quid est, Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam, nisi quia*, etc.?

[c] Lovan., Duac. et Colon., *et cum recte cogitamus, et pedes*, etc. Lugdun., *cum et recte*. Sic quoque in sententia 22, in qua pro *recte* legimus *recta cogitamus*.

[d] Augustinus *in terram*, ut in utroque textu Scripturæ.

[e] Apud Augustinum, *et perfici; nam utique qui jam dixerat, Suavitatem fecisti cum servo tuo; quomodo dicit, Suavitatem doce me, nisi ut ei gratia Dei magis magisque innotescat dulcedine bonitatis*

Digitized by Google

ut fiant; non autem homo, qui etsi potest notum fa- A
cere præceptum, [a] obedientiæ tamen tribuere non potest donum. Doce disciplinam, docendo patientiam; doce scientiam, illuminando intelligentiam; quoniam te credidi illa mandasse, qui Deus es, et homini donas [b] unde possit facere quod mandas.

(Vers. 67.) *Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum ego custodivi.* Propter primum, inquit, delictum humiliatus sum; et ne rursum humiliarer, *eloquium tuum custodivi.* Ita per gratiam tuam profuit experiri pœnam, ut acquirerem obedientiam.

(Vers. 68.) *Suavis es tu, Domine, et in tua suavitate doce me justificationes tuas.* Vere vult facere justificationes Dei, quando eas in ejus suavitate vult discere. B

(Vers. 69.) *Multiplicata est super me iniquitas superborum.* Eorum scilicet, quibus non profuit, quod postea quam deliquit, humiliata est humana natura. *Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* Quantalibet, inquit, abundet iniquitas, non refrigescet in me charitas (*Matth.* XXIV, 12). Ad hoc enim mandata tua amans scrutor, ut perfectius ea faciendo cognoscam.

(Vers. 70.) *Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego autem legem tuam meditatus sum.* Cor, inquit, superborum obduratum est : ego autem legis tuæ meditatione didici quia superbis resistis, et humilibus das gratiam (*Jac.* IV, 6).

(Vers. 71.) *Bonum est mihi quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Pœnam convertisti mihi C
ad disciplinam, et humiliationem ad eruditionem; quia justificationes tuas ita cupio nosse, ut faciam. Non enim est vera scientia boni, nisi ad hoc cognoscatur, ut agatur (*Sent.* 24).

(Vers. 72.) *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.* Ut amplius diligat charitas legem Dei, quam diligit cupiditas millia auri et argenti.

IOD.

(Vers. 73.) *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me.* Manus Domini sunt potestas Dei, quæ efficit opera voluntatis suæ, ut nihil de Deo per nuncupationem manus corporeæ cogitemus. **448** Quod si pluralis numerus movet, accipiantur manus Dei D
[c] virtus, sapientia; quod utrumque unus est Christus (I *Cor.* I, 24), qui et brachium Domini dicitur (*Isai.* V, 1). Accipiantur postremo manus Dei, Filius et Spiritus sanctus, qui et Spiritus sanctus cooperator est Patris et Filii (I *Cor.* XII, 11), tantum ut in natura incommutabilis Deitatis nulla forma corporea sentiatur. Quod ergo ait, *Manus tuæ fecerunt me, et finxerunt,* sive *plasmaverunt me,* non incongrue ita discernitur, ut *fecerunt* ad animam, *finxerunt* vero ad corpus pertineat. Licet soleant hæc indifferenter posita reperiri. Hoc autem opus Dei, non solum in primi hominis conditione præcessit, in quo omnes seminali ratione sunt conditi, sed etiam in quotidiana singulorum hominum creatione perficitur. Quia si operatoria illa Dei potentia, ab hoc se opere contineret, cuncta deficerent.

(Ibid.) *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Numquid ita condita est humana natura, ut careat intellectu? Quid igitur sibi dari postulat, quod accepit, nisi quod peccati vitio ipsum primitus rationale corruptum est, et gratiæ munere [d] reformandum est? Non enim sufficit naturæ quod ei remansit, nisi recipiat a reparatore quod perdidit. Dominus ergo Jesus in hoc psalmo per prophetam, tamquam sibi, petivit intellectum dari a Deo corpori suo, quod est Ecclesia (*Ephes.* V, 23). Cum ipso enim vita corporis ejus, hoc est populi ejus, abscondita est in Domino (*Coloss.* III, 3); et ipse in eodem corpore suo indigentiam patitur et per id quod membris suis est necessarium.

(Vers. 74.) *Qui timent te, videbunt me, et jocundabuntur, quoniam in verba tua speravi.* Præsens vita sanctorum timoris est et laboris : sed habent spem lætitiæ et jocunditatis æternæ. Quia ergo adhuc timet Ecclesia, et nondum se videt in eo regno ubi secura gaudebit, ipsa est quæ videbitur: quoniam inter præsentes tentationes in promissa Dei sperare non deficit.

(Vers. 75, 76.) *Cognovi, Domine, quoniam justa judicia tua; et in veritate tua humilias me. Fiat autem misericordia tua, ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.* Quamvis grave jugum sit super filios Adam, quo creatura humana deprimitur (*Eccli.* XL, 1), cognovi tamen quod justa sunt judicia tua, et secundum veritatem humiliatus est homo. *Fiat* ergo *misericordia tua,* secundum promissionem tuam, de præsentibus muneribus accipiat mortalis vita solatium, et futura æternitatis bona patienter exspectet.

**449** (Vers. 77.) *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam.* Tunc vere vivam, quando non timebo ne moriar. Ipsa est enim vera vita, quæ sine ullo additamento dicitur, quasi aliud ibi non sit vivere, quam sine ullo fine, et sine ulla miseria vivere. *Quia lex tua meditatio mea est.* Hæc meditatio, nisi esset in fide quæ per dilectionem operatur (*Gal.* V, 6), ad vitam non perveniret æternam. Non ergo utiliter

[a] Hic virgula apposita, quæ post vocem *obedientiæ* notabatur in editis, locum sensui planiori redditum credimus. Ait enim Augustinus, *Si enim homo mihi hæc juberet forinsecus, numquid ut etiam facerem quod jubebat adjuvaret intrinsecus.* En *obedientiæ donum,* non vero *obedientiæ præceptum,* quod alia interpunctione signabatur.

[b] August. : *unde facias eum facere quod mandas.*

[c] In Augustino, *virtus et sapientia;* particula *et* forte excidit a codicibus Prosperi.

[d] In edit. Lugdun. et Lovan., *formandum est.* In Duac. et Colon, *reformandum est.* Quod propius accedere videtur ad illud Augustini, *Quia tu, inquit, formasti, tu reforma : ut fiat in corpore Christi, quod ait Apostolus, Reformamini in novita'e sensus vestri,* Rom. XII, 2, et ad sequentia S. Prosperi verba.

Digitized by Google

meditatur legem Dei, qui laborat ut memoria teneat quod [a] actione non implet (*Sent.* 24).

(Vers. 78.) *Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me; ego autem exercebor in mandatis tuis.* Quamvis sæviant superbi, et iniquitatem operentur in sanctos, charitas tamen piorum non refrigescit, et a mandatorum Dei exercitatione non desinit.

(Vers. 79.) *Convertantur ad me qui timent te, et qui cognoscunt testimonia tua.* Non est quisquam hominum qui possit hoc dicere, præter illum qui cum sit Deus universitatis, naturam sibi univit humanam: ad quem convertentur timentes Dominum, et cognoscentes compleri testimonia Dei, quæ de illo per prophetas tanto ante prædicta sunt.

(Vers. 80.) *Fiat cor meum immaculatum in tuis justificationibus; ut non confundar.* Redit ad vocem corporis, hoc est, membrorum suorum, quorum cor fit immaculatum per ipsum corporis caput, hoc est, per gratiam Dei, in [b] generationis lavacro, ubi abluta sunt omnia peccata præterita, in adjutorio spiritus, quo concupiscimus adversus carnem (*Gal.* v, 17), ne ejus cupiditate vincamur [c], in Dominicæ orationis effectu, qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* vi, 12). Ita, donata nobis regeneratione, fusa precatione, fit cor nostrum immaculatum, ut non confundamur: quia et hoc ad justificationes Dei pertinet, quando inter alia ejus mandata præcipitur, *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (*Luc.* vi, 37 *et* 38).

CAPH.

(Vers. 81.) *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum semper* [d] *speravi.* Non ait, Defecit salutari tuo; sed, *Defecit in salutare tuum*, hoc est, ad salutare tuum, *anima mea.* Bonus est ergo iste defectus: indicat enim desiderium boni, nondum quidem adepti, sed avidissime concupiti; quo desiderio inflammati sunt omnium temporum sancti. Quia sicut numquam defuerunt, qui incarnationis Christi adventum desiderarent, ita postquam ascendit in cœlos, non **450** desunt qui manifestationem ipsius, qua ad judicandos vivos et mortuos venturus est, concupiscant. *Defecit* ergo *in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi.* Hæc enim spes promissi tui fecit, ut quod nondum video, et vehementer desiderem, et patienter exspectem.

(Vers. 82.) *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando consolaberis me?* In oculis interioribus, idem defectus desiderii ejus ad Dei eloquia, A id est, promissa, tendentis, cui speratarum consolationum longæ sunt moræ. Quia etiam quod subvenienti breve est, longum videtur optanti.

(Vers. 83.) *Quoniam factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.* Per utrem, carnem mortis hujus; per pruinam vero cœleste beneficium vult intelligi, quo carnales concupiscentiæ, velut frigore cohibente torpescant et hinc fit ut justificationes Dei de memoria non labantur.

(Vers. 84.) *Quot sunt dies servi tui, quando facies de persequentibus me judicium?* Et in Apocalypsi est ista vox martyrum (*Apoc.* vi, 10), et discipuli [e] ad Dominum indicari sibi diem finis exposcunt (*Matth.* xxiv, 3). Sed illis patientia indicitur, et istis constitutio secreta non panditur. In his ergo psalmi verB bis, bene intelligitur hæc ipsa Ecclesiæ inquisitio prophetata.

(Vers. 85.) *Narraverunt mihi iniqui delectationes; sed non ut lex tua, Domine.* Fabulas vanarum opinionum, [f] delectabilis eloquii arte compositas, ab iniquis sibi dicit esse narratas: sed nihil se in eis utile reperisse, sicut in lege Domini, in qua est omnis veritas.

(Vers. 86.) *Injuste persecuti sunt me, adjuva me.* Mendaciorum, inquit, fabulis veritatis mandata præposui; et ob hoc *me injuste persecuti sunt* falsitatis amatores. Ergo *adjuva me*, ut possim usque ad mortem pro veritate certare.

(Vers. 87.) *Paulo-minus consummaverunt me in terra; ego autem non dereliqui mandata tua.* Strage C martyrum facta, dum confitentur et prædicant veritatem, quam a te adjutus non deserui.

(Vers. 88.) *Secundum misericordiam tuam vivifica me; et custodiam testimonia oris tui.* Martyres enim, quia misericordia Dei adjuti et vivificati sunt, veritatem, quæ vita est, non negantes, pro eadem moriendo, vicerunt.

LAMED.

**451** (Vers. 89.) *In æternum, Domine, permanet verbum tuum in cœlo.* Permanet verbum in angelis custodientibus sine defectione æternam militiam.

(Vers. 90.) *In generatione et generatione veritas tua; fundasti terram, et permanet.* Post cœlestem Jerusalem, respexit et filiam ejus Ecclesiam, quæ in hoc mundo conversatur, et dixit, *In generatione* D *et generatione veritas tua.* Hac autem repetitione, vel omnes generationes significavit, a quibus non defuit veritas Dei; vel duas intelligi voluit, unam scilicet ad legem et prophetas; alteram vero ad

[a] Lugdun., *ut actio teneat*, forte *lectio*, aut *lectione teneat.* Quam vocem Lovan., Duac. et Colon. in margine notant, tamquam legeretur alicubi, aut legi posset pro voce sequenti *actione*, cum forte melius crederetur respondere priori parti, *ut lectione teneat*, pro, *memoria teneat*, quod habent prædicti codices, conformiter Augustini loco, *cum totam legem memoriæ mandaverit.*

[b] Melius forte legeretur, *in regenerationis lavacro*, ut Augustinus hoc eodem loco, *per regenerationis lavacrum:* nam et infra Prosper ipse ait, *donata nobis regeneratione.*

[c] In Augustini opere habetur, *per Dominicæ orationis effectum.*

[d] Editiones nostræ pro lectione diversa in margine notant, *supersperavi*, quod habet S. Prosper infra, ut Vulgata nostra; et, ait Augustinus, *etiam hic Græcus illud verbum* (ἐπήλπισα) *habet: quod quidam nostri interpretes* supersperavi *transferre maluerunt, quia procul dubio plus futurum est, quam dici potest.*

[e] Forte, *a Domino.*

[f] Editio Lugdun., *delectabiles, eloquii arte compositas.*

Digitized by Google

Evangelium pertinentem, supra fundamentum æternum, quod est Christus (I *Cor.* III, 11): et terra hæc permanet, quæ tali fundamento constabilita non inclinatur in sæculum sæculi (*Psal.* CIII, 5).

(Vers. 91.) *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi Omnia*, scilicet, de quibus loquebatur, et quæ ad æternum pertinent diem.

(Vers. 92.) *Nisi quia lex tua meditatio mea est, forsitan perissem in humilitate mea.* Lex ista, fidei est quæ per dilectionem operatur (*Gal.* V, 6); in cujus meditatione permanens, auxilium gratiæ promeretur, ut in tribulationum humilitate non pereat.

(Vers. 93.) *In æternum non obliviscar justificationum tuarum: quoniam in ipsis vivificasti me.* Ecce unde factum est, ut non periret in humilitate sua: quoniam unde est justificatus, inde est vivificatus.

(Vers. 94.) *Tuus sum ego, salvum me fac, Domine; quoniam justificationes tuas exquisivi.* Non voluntates meas exquisivi, quibus fui meus; sed *justificationes tuas*, ut essem jam tuus.

(Vers. 95.) *Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me; testimonia tua intellexi.* [a] Non hic morte corporis perire metuebat, quæ erat pro veritate subeunda. Exspectabant ergo peccatores, ut eis consentiret ad mala: tunc enim eum perderent. Sed ideo non prævaluerunt, quia testimonia Dei intellexit, id est, quia veritatem confitens, etiamsi [b] oppeteret, non periret.

(Vers. 96.) *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum valde.* Qui intellexit testimonia, et scivit sibi usque ad mortem pro veritate certandum, non ignoravit omnem exitum piorum quam beatus finis exceperit. Mandatum autem Dei valde latum, charitas intelligenda est, qua diligi Deus jubetur et proximus, quo quid esse latius potest, cum ibi pendeat tota lex et prophetæ (*Matth.* XXII, 40).

MEM.

(Vers. 97.) *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.* **452** Sic, inquit, dilexi legem fidei quæ per dilectionem operatur (*Gal.* V, 6), ut tota die, id est, omni tempore, meditatio mea sit.

(Vers. 98.) *Super inimicos meos sapere me fecisti mandato tuo, quoniam in æternum mihi est. Finis legis Christus* est *ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4), ut justificetur gratis per gratiam ipsius (*Rom.* III, 24), in quem inimici hujus non crediderunt. Hic autem qui justitiam non suam quæsivit, sed quæ ex Deo est, quem supra inimicos suos sapere Deus fecit, ipsum mandatum sibi invenit in æternum: quoniam non temporalia pro eo præmia concupivit. Diligentis enim remuneratio est ipse dilectus.

(Vers. 99.) *Super omnes docentes me intellexi.* Super omnes doctores intellexit, quem Pater docuit (*Joan.* VI, 45). Quod ex persona Verbi difficile intelligitur, nisi quis utcumque capere valeat, id esse, Filium a Patre doctum esse, quod genitum. A quo enim ei est esse, ab ipso et simul doctum esse. Ex persona vero hominis, ubi formam servi accepit, facilius intelligitur a Patre didicisse quæ dixit. In qua forma puerum putaverunt homines majoris ætatis docendum (*Luc.* II, 42, etc.). Sed ille quem Pater docuit, ulterioris erat intelligentiæ, quam docentes. *Quia testimonia tua meditatio mea est.* Ideo super omnes docentes se intelligebat, quia testimonia Dei meditabatur, quæ de se prænuntiata ipse melius noverat, et implebat.

(Vers. 100.) *Super senes intellexi, quia mandata tua exquisivi. Mandata tua*, non mandata hominum (I *Tim.* I, 7); *mandata tua*, non mandata seniorum, qui volentes esse legis doctores, non intelligunt neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant.

(Vers. 101.) *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* Membrorum est vox ista, non capitis: non enim ipse Salvator corporis nostri ullis concupiscentiis pulsabatur, ut ei necesse esset pedes suos a via malignæ cupiditatis inhibere. Nostros ergo motus, nostros cohibet appetitus, ut in prava itinera noxiis desideriis non trahamur.

(Vers. 102.) *A judiciis tuis non declinavi, quoniam tu legem posuisti mihi.* Perseveranter, inquit, judiciis tuis credidi, quia tu mihi legem in corde posuisti, tamquam digito tuo scribens; ut eam, non tamquam servus sine amore metuerem, sed tamquam filius casto timore diligerem.

(Vers. 103.) *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo!* Hæc est illa suavitas quam Dominus donat, ut terra nostra det fructum suum (*Psalm.* LXXXIV, 13), et ut bonum vere bene, id est, non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione faciamus.

**453** (Vers. 104.) *A mandatis tuis intellexi.* Spiritalium membrorum Christi vox ista est. Hoc enim recte dicit corpus Christi in eis, quibus mandata servantibus, propter ipsam custodiam mandatorum præbetur uberior doctrina sapientiæ. *Propterea odio habui omnem viam iniquitatis.* Necesse est enim ut oderit omnem iniquitatem amor justitiæ, qui augetur et inflammatur; ideoque obtemperat Deo, et in mandatis ejus intelligit.

NUN.

(Vers. 105.) *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis.* Verbum hic intelligendum est, non illud quod est æquale gignenti, et quod est verum lumen, illuminans omnem hominem (*Joan.* I, 8); sed verbum quod factum est ad prophetas, vel quod prædicatum est per apostolos; verbum scilicet Christi, de quo scriptum est, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (*Rom.* X, 17): nam et verbum propheticum lucernæ comparans apostolus Petrus, *Habemus*, inquit, *certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes,*

[a] Duac. et Colon., *Non hoc.* Melius Lugdun. et Lovan., *Non hic.*

[b] Ita editio Lugdunensis cæteris antiquior, et quidem meliori sensu, quam ea posteriores, *oporteret;* quod Augustini verba sic exprimunt: *Quia scilicet me sibi non consentientem etiamsi occiderent, tua martyria confitens non perirem.*

Digitized by Google

*velut lucernæ in obscuro loco* (II *Petr*. I, 19). Quod itaque hic ait, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis*, verbum est quod in Scripturis sanctis omnibus continetur. Non itaque sermo deitas, sed sermo deitatis.

(Vers. 106.) *Juravi et statui custodire omnia judicia justitiæ tuæ.* Hoc appellavit [a] juramento, quod statuit præter sacramentum : quia ita debet esse mens fixa in custodiendis judiciis justitiæ Dei, ut sit omnino pro [b] juratione quod statuit.

(Vers. 107.) *Humiliatus sum usque valde, Domine; vivifica me secundum verbum tuum.* Pro eo quod juravit et statuit custodire judicia justitiæ Dei, persecutionem maximam passus est; et ne in tanta humiliatione deficeret, vivificari se, secundum verbum promissionis, exposcit : quia in nocte tribulationum lucerna est pedibus, et lumen semitis ipsa promissio.

(Vers. 108.) *Voluntaria oris mei fac beneplacita, Domine, et judicia tua doce me. Voluntaria oris* quæ approbari petit, sacrificia sunt laudis, confessione charitatis, non timore necessitatis oblata. *Judicia* autem Dei doceri se cupit, non quia ignorat, sed ut proficiat.

**454** (Vers. 109.) *Anima mea in manibus* [c] *tuis semper; et legem tuam non sum oblitus.* Ita dictum, tamquam ad non obliviscendam legem Dei, memoria ejus illius manibus adjuvetur.

(Vers. 110.) *Posuerunt peccatores laqueum mihi, et a mandatis tuis non erravi.* Unde hoc, nisi quia anima ejus in manibus Dei semper est?

(Vers. 111.) [d] *Hæreditatem acquisivi testimonia tua in æternum, quia exsultatio cordis mei sunt.* Ut testis, inquit, tuus esse cuperem, tu donasti; et ut pro veritate mori non metuerem, tuæ hæreditatis, tuæ est gratiæ : quod mihi donum in æternum est, quia non est in eo gloria temporalis : propter quod etsi corpore afflictus sum, tamen corde lætatus sum.

(Vers. 112.) *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Qui dicit, *Inclinavi cor meum*, ipse jam dixerat, *Inclina cor meum in testimonia tua* (*Sup*. v. 36) : ut intelligamus, simul hoc esse, et divini muneris, et propriæ voluntatis. Faciat autem hoc *propter retributionem* : ut quia justificationes Dei dilectione

A sectatur, in æternum mereatur habere quod diligit.

SAMECH.

(Vers. 113.) *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.* Qui legem Dei diligit, probat se in hominibus iniquis id quod contra legem est odisse, non homines (*Sent*. 25).

(Vers. 114.) *Adjutor meus et susceptor meus es tu; et in verbum tuum supersperavi.* Adjutor et susceptor, ad mala evadenda.

(Vers. 115.) *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei.* Mandata Dei scrutari, nisi quieta mens non potest. Ut ergo exerceatur hoc studium, abigenda sunt [e] studia malignorum (*Sent*. 26).

(Vers. 116.) *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam; et non confundas me ab exspectatione mea.*
B Poscit magis magisque suscipi a Domino is qui sperat intentus, [f] ut tum demum, cum illa adeptus fuerit, se sciat esse victurum : quia præsentia morti sunt similiora quam vitæ.

(Vers. 117.) *Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.* Ut vivam, ut non confundar, ut in tuis justificationibus semper exercear, *Adjuva me*, **455** inquit, *et salvus ero*; quia ad promissiones tuas, nisi tuo auxilio non venitur.

(Vers. 118.) *Ad nihilum deduxisti omnes discedentes a justificationibus tuis, quoniam injusta cogitatio eorum.* Omnia opera, vel bona, vel mala, a cogitatione procedunt. Qui ergo corde iniquus est, ad nihilum deducitur, qui a Dei justificationibus injusta cogitatione discedit.

C (Vers. 119.) *Prævaricatores existimavi omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua.* Cum prævaricator dici non possit, nisi qui legis mandata transgreditur (*Rom*. IV, 15), quæritur quomodo omnes peccatores terræ prævaricatores debeant existimari, quorum multos constat sine lege peccatores? Et invenitur, omnes quidem gentes, præter populum Israel, extra legem fuisse; sed omnem hominem teneri lege naturæ, ut quod pati non vult, sciat alii non esse faciendum. Quamvis ergo multo amplius prævaricator sit, qui non solum naturalis, sed etiam divinæ transgressor est legis, nullus tamen, nisi transgressione peccator est : quia etiam quem non condemnat littera, arguit conscientia. Inter hos etiam parvuli congrue deputantur, propter originalis

[a] Apud Augustinum, *juramentum*; editi nostri, *juramento*.

[b] Emendavimus ex Augustino, loci sensu cogente, cum editi, ex errore sine dubio scribarum, haberent, *pro ratione*.

[c] Ita veteres editiones post Augustinum, qui observat quod : *Nonnulli codices habent*, in manibus meis; *sed plures*, in tuis; *et hoc quidem planum est. Justorum enim animæ in manu Dei sunt : in cujus manu sunt et nos et sermones nostri.* Posteriores mutarunt, in *meis*. Sed versus proxime sequentis expositione revincuntur.

[d] Ita legunt editiones Prosperianæ antiquæ ad unam omnes; recentiores scripserant, *Hæreditate*. Forte magis quia sic canitur quotidie ex Vulgata nostra, quam quod vox hæc *Hæreditate* magis pla- D cuerit Augustino hoc ipso loco. *Nonnulli*, Hæreditari *interpretati sunt. Melius ergo duobus verbis insinuatur integer sensus, sive dicatur*, Hæreditate possedi, *sive dicatur*, Hæreditate acquisivi, *non hæreditatem, sed hæreditate.*

[e] In sententiis ex Augustino prius est, *religiosum exerceatur studium*, tum vero, *abigenda sunt jurgia malignorum. Nam* (ait Augustinus hic) *maligni exercent ad facienda mandata, a scrutandis autem avocant, non solum cum persequuntur aut litigare nobiscum volunt, verum etiam cum obsequuntur et honorant*, etc.

[f] Augustinus dicit : *Poscit se magis magisque suscipi, et ad illud propter quod tam multa molesta tolerat perduci : verius ibi se quam in istis humanarum rerum somniis fidens esse victurum.*

Digitized by Google

vincula peccati. Quia etiam ipsi in similitudine A [a] prævaricatoris Adæ (*Rom.* v, 14), ad illam prævaricationem pertinere monstrantur, quæ in paradiso prima commissa est (*Gen.* III, 6). Cum ergo omnes peccassent et egerent gloria Dei (*Rom.* III, 23), nec cuiquam in sua justitia salus esset, restabat ut per gratiam Salvatoris donata a Deo fidei justificatio subveniret. Unde ait Apostolus, *Per legem cognitio peccati.* Cognitio, non abolitio. *Nunc autem sine lege,* inquit, *justitia Dei manifestata est, testificata per legem et prophetas* (*Ibidem,* 20 *et* 21). Merito igitur adjecit, *Propterea dilexi testimonia tua;* tamquam diceret, Quoniam lex sive in paradiso data, sive naturaliter insita, sive litteris promulgata, prævaricatores fecit omnes peccatores terræ, propterea dilexi testimonia tua, quæ sunt in lege tua de gratia tua.

(Vers. 120.) *Confige clavis a timore tuo carnes meas.* Quid in his verbis vult intelligi, nisi quod ait Apostolus, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14)? et iterum, *Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero Christus in me* (*Gal.* II, 19).

(Ibid.) *A judiciis enim tuis timui.* Si jam timuit vel timebat, cur adhuc ut a timore suo Deus crucifigeret carnes ejus orabat, nisi quia addi sibi volebat timorem, qui sufficeret mortificandis concupiscentiis, affectibusque carnalibus? Aliter quoque ita **456** intelligitur, *Confige clavis a timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui;* hoc est, a timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi, carnalia a me desideria comprimantur, a quibus me judiciorum tuorum formido frenavit. Cum ergo voluntatem tuam facere, et recte vivere, non metu pœnæ, sed justitiæ amore desiderem, da hunc ergo castum et liberum timorem, ad quem petendum me tamquam pædagogus legis ille perduxit, quo *a judiciis tuis timui.*

HAIN.

(Vers. 121.) *Feci judicium et justitiam, non tradas me nocentibus me.* Quisquis timore Dei casto crucifixas habet carnes suas, et nulla carnali corruptus illecebra facit judicium opusque justitiæ, orare debet ne adversantibus tradatur, id est, ne timendo perpeti mala, ad facienda mala persequentibus cedat. A quo enim accipit victoriam, ne concupiscentiæ voluptate superetur, ab illo etiam robur patientiæ, ne dolore frangatur. Quoniam de quo dicitur, *Dominus dedit suavitatem* (*Ps.* LXXXIV, 13), de illo etiam dicitur, *Ab illo est patientia mea* (*Psal.* LXI, 6).

(Vers. 122.) *Suscipe servum tuum in bonum, ut non calumnientur mihi superbi.* Id est, ne illi impellant ut cadam in malum, tu suscipe in bonum. Illi calumniantur in superbia; tu humilitate defende, ut non mihi noceant calumniæ superborum.

(Vers. 123.) *Oculi mei defecerunt in salutare tuum et in eloquium justitiæ tuæ. In eloquium justitiæ* Dei, hoc est, in promissionem Christi defecisse dicit oculos cordis sui : non quia intentio desiderantis animi victa succubuerit, sed quia in exspectationem gratiæ Dei, toto mentis ardore transierit. Justitia autem Dei, Christus est, qui justos facit (I *Cor.* I, 30).

(Vers. 124.) *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.* Non utique secundum justitiam meam. *Justificationes tuas doce me.* Illas procul dubio, qui- B bus facit justos, [b] non ipsi se.

(Vers. 125.) *Servus tuus sum ego.* Neque enim bene mihi cessit, quando esse volui liber meus, non servus tuus. *Da mi intellectum, ut discam testimonia tua.* Nemo tam intelligens, nemo tam doctus est, qui hac postulatione non egeat. Non enim horum donorum ita ulla augmenta sufficiunt, ut non semper supersit, quod et intelligi desideretur, et sciri (*Sent.* 27).

(Vers. 126.) *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt* [c] superbi *legem tuam.* **457** Quid est, *Dissipaverunt legem tuam,* [d] nisi prævaricationis iniquitate, integritatem ejus non custodierunt? Dissipata ergo lege, tempus fuit ut per unigenitum Filium Dei misericordia mitteretur. *Lex enim sub-* C *intravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v, 20), quo delicto Lex dissipata est; et opportuno jam tempore Christus advenit, ut *ubi abundavit delictum, superabundaret gratia* (*Ibid.*).

(Vers. 127.) *Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Id agit gratia, ut mandata Dei dilectione impleantur, quæ impleri timore non poterant. Diliguntur autem *super aurum et topazion*, id est, super ea quæ pretiosa habentur in terra; quando in observantia mandatorum, non aliquod temporale præmium quæritur, sed ipsa justitia; quia nihil est melius eo bono quo ipse homo fit bonus.

(Vers. 128.) *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar.* Quia illis rectis, ut etiam ipse rectus essem, dilectione cohærebam. *Omnem viam iniquitatis odio* D *habui.* Unde enim fieri poterat ut iniquam viam non odisset diligens [e] rectum?

PE

(Vers. 129.) *Mirabilia testimonia tua, propter hoc scrutata est ea anima mea.* Omnia quidem opera Dei testimonia sunt majestatis et bonitatis ejus, nihilque

[a] Apud Augustinum, *prævaricationis;* editi nostri omnes, *prævaricatoris.*

[b] Melius apud Augustinum, *non ipsi se,* quam in editis nostris, *non ipse se.*

[c] Hæc vox *superbi,* cum in Augustino non addatur, ipsi Scripturæ textui, videtur, ex ipsa versus expositione, irrepsisse in textum : ideo diverso charactere excudendam duximus, cum etiam paulo infra non legatur in Prospero, ubi repetitur pars ista versus ejusdem.

[d] Editi nostri, *si,* cum ex Augustino et sensu loci ipsius judicetur primam syllabam excidisse vocis *nisi.*

[e] Ita editi nostri; Augustinus habet, *rectam,* scilicet viam. Si *rectum* legatur, intellige mandatum, cum supra dixerit, *illis rectis,* scilicet mandatis, *cohærebam.*

Digitized by Google

eorum est quod non stupendum sit atque mirandum. A
Sed [a] multa mirabilia sunt testimonia legis ipsius quorum utilitas et justitia altissime latet, cum quæritur quare data sit lex quæ vivificare non possit, et ex qua non justificaretur omnis caro coram Deo (*Gal.* III, 21; *Rom.* III, 20). Merito ergo hanc altitudinem scrutatus est, qui intellexit per legis difficultates id egisse misericordiam Dei, ut qui legem implere non poterant, converterentur ad gratiam; [b] sed divina ope apprehenderent quod propriis viribus assequi non valebant (*Rom.* III 28).

(Vers. 130.) *Manifestatio verborum tuorum illuminat, et intelligere facit parvulos.* Scrutando hoc intellexit hic parvulus, quod et apostolus Paulus, ideo datam legem quæ vivificare non posset, quia *conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex* B
*fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Gal.* III, 22). Hujus ergo mysterii manifestatio *illuminat, et intelligere facit parvulos.* Non enim hoc secretum gratiæ, nisi humilibus infirmisque reseratur; qui confugientes ad adjutorium Dei, viribus suis se justificari non posse profitentur.

**458** (Vers. 131.) *Os meum aperui et* [c] *abstraxi spiritum, quoniam mandata tua desiderabam.* Desiderabat mandata divina ut faceret. Sed non erat unde faceret infirmus fortia, parvulus magna. Aperuit os, confitens quod facere per se ipse non posset.

(Vers. 132.) *Respice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.* Id est, secundum judicium quod in eos fecisti qui diligunt nomen tuum : quoniam, ut diligerent te, prius di- C
lexisti eos (I *Joan.* IV, 19).

(Vers. 133.) *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.* Quid orat, [d] nisi ut Dei præcepta, quæ imponit jubendo, impleri faciat adjuvando?

(Vers. 134.) *Redime me a calumniis hominum, et custodiam mandata tua.* Tu, inquit, age infuso Spiritu tuo ne me calumniæ hominum terroribus vincant, et a tuis mandatis ad sua [e] male facta traducant. Si enim me hoc modo redemeris, ut mihi inter persecutiones calumniantium constantiam dones atque patientiam, custodiam mandata tua.

(Vers. 135.) *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.* Præsentiam, inquit, tuam subveniendo et opitulando manifesta ; et D
ita me justificationes tuas doce, ut mihi eas didicisse, fecisse sit.

(Vers. 136.) *Exitus aquarum descenderunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Descensio oculorum per effusionem lacrymarum humilitatem indicat pœnitentis. Cur autem non custodita lege sic fletur, nisi ut impleretur gratia, quæ confitentis delet iniquitatem, et credentis adjuvat voluntatem?

TZADE.

(Vers. 137, 138.) *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.* Idem affectus pœnitentiæ perseverat, reddens rationem cur multum flere debuerit : quia nisi ipse se condemnaret, rectissime plecteretur. Magna est ergo in utroque justitia Dei, rectumque judicium, quo et pœna peccatori decernitur, et pœnitenti justificatio non negatur.

(Vers. 139.) [f] *Tabefecit me zelus domus tuæ, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Zelus iste, amoris est, non livoris. Sancta enim æmulatione inimicos suos vult esse correctos, dolens et tabescens quod obliti sint verborum Dei.

**459** (Vers. 140.) *Ignitum verbum tuum valde, et servus tuus dilexit illud.* Diligens divinum eloquium, ea charitate fervebat, ut ad amorem Dei etiam inimicos suos vellet accendi.

(Vers. 141.) *Junior ego sum et contemptus, justificationes tuas non sum oblitus.* Bene hic duorum populorum intelligitur significatio, qui etiam in Rebeccæ utero luctabantur (*Gen.* XXV, 22 *et* 23), quando *non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Major serviet minori* (*Rom.* IX, 12). Contemptum ergo se dicit hic junior : et ideo factus est major, quia *ignobilia et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt tamquam sint, ut quæ sunt evacuentur* (I *Cor.* I, 28) : id est, ut superbi destruantur, et humiles justificentur.

(Vers. 142.) *Justitia tua justitia in æternum, et lex tua veritas.* Quomodo enim non veritas Lex, per quam cognitio peccati, et quæ testimonium perbibet justitiæ Dei (*Rom.* III, 20 *et* 21)?

(Vers. 143.) *Tribulatio et necessitas invenerunt me, mandata autem tua meditatio mea est.* Sævitia inimicorum infert huic juniori tribulationem, sed non adimit charitatem. Meditatio enim ipsius mandata sunt Dei, ex quibus his qui eum oderunt, dilectionem rependit.

(Vers. 144.) *Justitia testimonia tua in æternum, intellectum da mihi, et vivam.* Intellectum poscit junior hic qui supra seniores se intellexit, in tribulatione, in necessitate; ut intelligat quam sit contemnendum [g] quod ei auferri potest, qui propter æternam justitiam Dei temporalia negligens, vitam sperat æternam.

[a] Suspicamur legendum *multo mirabiliora*, pro eo quod editi omnes scriptum tenent, *multa mirabilia.*

[b] Editi Lovan., Duac. et Colon., in ora libri notant aliter legi, *et divina ope.*

[c] Augustinus legit *attraxi*, exponitque, *attraxit unde faceret*, scilicet, mandata divina. Unde vix dubitamus erratum esse in editis Prosperianis, cum legunt *abstraxi.*

[d] In Augustino, *nisi ut præcepta, quæ Deus imponit* etc.

[e] August., *mala facta.* Editi nostri, *male facta.*

[f] Sic legunt Lugdun., Lovan. et Duac. Colon. vero, *Tabescit me.* Augustinus autem, cum legisset, *Tabefecit me zelus meus*, addit, *Vel ut alii codices habent, zelus tuus. Habent nonnulli etiam, zelus domus tuæ; et non Tabefecit me, sed Comedit me. Quod ex alio psalmo, quantum mihi videtur, putatum est emendandum, ubi scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me.* Psal. LXVIII, 18.

[g] Lugd. editio, *quod et.* Lovan., Duac. et Colon., ut in Augustino, *quod ei.*

Digitized by Google

KOPH.

(Vers. 145.) *Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine, justificationes tuas exquiram.* Clamor cordis est, silenti sono vocis, magna cogitationis intentio, qua ad hoc iste toto corde clamavit, et hoc sibi desideravit a Domino exaudiente præstari, ut justificationes ejus exquirat; quas non solum scientia comprehendat, sed etiam opere exerceat.

(Vers. 146.) *Clamavi ad te, salvum me fac, et custodiam testimonia tua.* Salus animæ facit ut pro custodiendis testimoniis Dei vita corporis contemnatur; et si hoc flagitat extrema tentatio, ut usque ad mortem pro veritate certetur.

(Vers. 147.) *Præveni intempesta nocte, et clamavi, et in verbis tuis speravi.* Nox intempesta tempus est noctis mediæ, rebus quæ per diem aguntur incongruum. Quo significatur quoddam obstaculum præsentis sæculi, quod in comparatione futuri sæculi nox vocatur; et quo promissiones Dei, **460** donec æternæ lucis veniat manifestatio, differuntur. In hoc ergo tempore intempestæ noctis clamat ad Dominum, tempus retributionis desiderio suo prævenit, qui promissa Dei vigilanter exposcit. Quod etiam ad illa referri tempora potest, quibus Ecclesia propheticis vocibus Christi postulabat adventum, et sperabat implendum, ut in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XII, 3; XXII, 18).

(Vers. 148.) *Prævenerunt* [a] *oculi mei ad matutinum, ut meditarer eloquia tua.* Matutinum factum est Ecclesiæ, quando qui sedebant in tenebris et in umbra mortis, lux orta est eis (*Isai.* IX, 2). Quod matutinum spes credentium præbebat. Et meditabatur eloquia Dei, quæ in Lege ac Prophetis hanc lucem prænuntiabant.

(Vers. 149.) *Vocem meam exaudi, Domine, secundum misericordiam tuam, et secundum judicium tuum vivifica me.* Prius enim Deus secundum misericordiam aufert a peccatoribus pœnam, eisque postea justis secundum judicium dabit vitam. Quia non frustra illi hoc ordine dicitur, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1).

(Vers. 150.) *Appropinquaverunt persequentes me* [b] *iniquitate, a lege autem tua longe facti sunt.* Tunc appropinquant qui persequuntur, quando usque ad carnem cruciandam perimendamve [c] perveniunt. Sed quanto viciniores sunt persequendis istis, tanto longinquiores sunt a lege justitiæ.

(Vers. 151.) *Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas.* Etiam in tribulationibus suis, quod eas non immerito patiantur, Deo tribuere veritatem, sanctorum est usitata confessio. Sed quæri potest quomodo hoc dictum sit, *Omnes viæ tuæ veritas;* cum in alio psalmo legatur, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Si ergo omnes homines consideremus, quorum alii misericordia liberantur, alii a veritate damnantur, *universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Si autem solos sanctos intueamur, non discernuntur hæ viæ. Individua enim ibi est et a misericordia veritas, et a veritate misericordia: quia beatitudo sanctorum est et de munere misericordiæ, et de retributione justitiæ (*Sent.* 28).

(Vers. 152.) *Ab initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.* Quæ sunt ista testimonia, nisi quibus testatus est Deus daturum se regnum suis filiis sempiternum? Et ideo ipsa testimonia in æternum fundata; quia id quod promisit, æternum est, quia fundamentum promissionis est Christus (I *Cor.* III, 11), in quo hujus spei testimonia **461** vera sunt: quæ hic *ab initio* cognovisse se dicit, quia verbis Ecclesiæ loquitur, quæ ab initio humani generis exorta, nullis generationibus defuit.

RESCH.

(Vers. 153.) *Vide humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.* Vox ista totius Ecclesiæ est et omnium membrorum corporis Christi. Hoc autem loco, ubi ad liberandam humilitatem Dominus invocatur, nullam Dei legem convenientius intelligimus quam illam qua immobiliter fixum est ut omnis qui se exaltat humilietur, et omnis qui se humiliat exaltetur (*Luc.* XIV, 11, *et* XVIII, 14). Superbus ergo malis, ut humilietur, innectitur; humilis a malis, ut exaltetur, eripitur.

(Vers. 154.) *Judica judicium meum, et redime me, propter eloquium tuum vivifica me.* Ejusdem sensus repetitio est; hoc est enim, *Judica judicium meum,* quod, *Vide humilitatem meam;* et hoc est, *redime me,* quod, *eripe me.* Nec aliud sonat, *propter eloquium tuum,* quam illud, *quia legem tuam non sum oblitus.* Tantumdem est, vivificari humilem, quantum et exaltari, quia sanctorum exaltatio vita æterna est.

(Vers. 155.) *Longe a peccatoribus salus; quia justificationes tuas non exquisierunt.* Longe est a superbis salus, quia non exquisierunt gratiam tuam, quæ sola justificat; et non de te tibi, sed de se sibi placere voluerunt.

(Vers. 156.) *Miserationes tuæ multæ, Domine.* Etiam hoc, inquit, quod exquirimus justificationes tuas, pertinet ad miserationes tuas. *Secundum judicium tuum vivifica me.* Novi enim quia et judicium tuum sine miseratione non erit super me.

(Vers. 157). *Multi persequentes me et tribulantes me; a testimoniis tuis non declinavi.* Vox ista est Ecclesiæ in martyribus suis, qui inter tormenta et multiplicata supplicia, persequentibus non cesserunt, et quorum exemplis gloriosissimis totus mundus illustris est: qui tamen victoriam suam non sibi, sed Deo

[a] Hæc duo, *oculi mei*, quæ in editis nostris desiderantur, suppleri debere probat quod habeantur tum in Augustino, tum in textu Scripturæ, et sine his non pateat quo referatur verbum numeri pluralis *prævenerunt.*

[b] Vulgata nostra, *iniquitati.* At Augustinus, ut editi Prosperiani, *iniquitate;* subditque: *vel, sicut nonnulli codices habent, inique.*

[c] Editi in textu, *pereunt.* Ex quibus Duac. et Colon., in margine, *perveniunt.* Quod cum legatur in Augustino, sensui etiam necessarium videtur.

tribuunt, dicentes in alio psalmo, *Nisi quod Dominus erat in nobis, forsitan vivos deglutissent nos* (*Psal.* CXXIII, 2).

(Vers. 158.) *Vidi* [a] *non servantes pactum, et tabescebam.* Qui sunt qui pactum non servaverunt, nisi qui tribulationes multorum persequentium non ferentes, a Dei testimoniis declinaverunt? Hoc ergo, inquit, cum viderem, tabescebam, dolens eos a tanta gloria decidisse. *Quia eloquia tua non custodierunt.*
**462** Hoc erat pactum [b] non perseverare, promissa Dei perdere.

(Vers. 159.) *Vide quoniam mandata tua dilexi.* Ipsa est fructuosa tolerantia, quæ sævitiam persequentium dilectione suscipit mandatorum. *Domine, in tua misericordia vivifica me.* Cujus misericordia obtinuit palmam, ejus misericordia poscit et vitam.

(Vers. 160.) *Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.* Judicia justitiæ Dei sunt, quibus pronuntiatur in æternum vita justo, pœna impio.

SCIN.

(Vers. 161.) *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.* Terreni reges Ecclesiam Christi gratis persecuti sunt, quia nullam causam persecutionis habuerunt; cum eos Christiani in nullo læderent, et ipsi Christianis negationem veritatis extorquere non possent. Habuerunt ergo verba minacia, intulerunt sæva supplicia: sed me tua potius verba terruerunt, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant; sed eum timete qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28). Ab his ergo verbis formidavit cor meum; et sperans in æternum præmium, contempsi temporale supplicium.

(Vers. 162.) *Exsultabo ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Per ipsa verba vicit quibus formidavit. Victis enim spolia detrahuntur: et multa spolia capta sunt, quando etiam per se custodes plurimi admirati patientiam martyrum, in eum in quem sævierant crediderunt.

(Vers. 163.) *Injustitiam odio habui, et abominatus sum, legem autem tuam dilexi.* Lex, eloquia sunt Dei, quæ sic timuit, ut amaret; consequens enim erat ut diligeret justitiam, qui oderat pravitatem. Timor ergo ille verborum Dei a quibus formidavit, non fuit a charitate dissentiens, sed metuens ab eo quod amabat [c] avelli.

(Vers. 164.) *Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.* Quod ait *septies*, significat semper. Hoc enim numero omnes explicantur dies, et tempora universa volvuntur. Ecclesia ergo nullis persecutionibus superata, in isto tribulationum die,
A semper patientiæ et perseverantiæ suæ laudat auctorem: quia cum tempus esset ut judicium inciperet a domo Dei (I *Petr.* IV, 17), in omnibus tentationibus atque pressuris, [d] non infirmitate, sed coronis martyrum gloriata est.

**463** (Vers. 165.) *Pax multa diligentibus Legem tuam, et non est eis scandalum.* Ipsa Lex diligentibus se scandalum non est? an diligentibus eam nullum est undecumque scandalum? Sed utrumque recte intelligitur. Qui enim diligit Dei Legem, etiam quod in ea non intelligit honorat, et in profunditate quam non penetrat, magnum aliquid ac mysticum latere non dubitat. Et item qui Dei Legem diligit, si eam non ex mutabilibus hominum moribus pendit, nullum scandalum patitur; quia etiamsi bonæ professionis homines propositum suum deserant, Legis tamen justitia perseverat.
B

(Vers. 166.) *Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua dilexi.* Omnes quidem sancti, ante Incarnationem Christi, ejusdem semper exspectaverunt redemptionem. Sed potest hæc prophetia etiam eorum convenire personæ qui, ex quo revelata gratia Evangelium prædicatur, diligentes mandata Christi, adventum ejus exspectant: ut cum Christus apparuerit, vita nostra, tunc et nos cum ipso appareamus in gloria (*Coloss.* III, 4).

(Vers. 167.) *Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea valde.* Custodiuntur Dei testimonia, dum non negantur. Sed quia pro testimoniis Dei etiam flammis concremari sine charitate non prodest (I *Cor.*
C XIII, 3), ideo addidit, *et dilexit ea valde.*

(Vers. 168.) *Custodivi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo, Domine.* Plerumque, dum mandata Dei custodiuntur, fiunt inimici qui eadem mandata contemnunt, et necessarium est ut tunc pro testimoniis Dei fortiter stetur. Quod hic ideo fecisse se dicit, quia omnes viæ ejus in Domini conspectu fuerunt; tamquam diceret, Si avertisses a me faciem tuam, Domine, conturbatus fuissem, nec tua mandata, nec testimonia custodissem; nunc autem ideo utraque servavi, quia vias meas conspectus tui lumine direxisti.

TAU.

(Vers. 169.) *Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine, secundum eloquium tuum da mihi in-*
D *tellectum.* Appropinquat oratio quæ recipitur, quoniam *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde* (*Psal.* XXXIII, 19); et dat intellectum secundum promissum suum, qui ait, *Intellectum dabo tibi* (*Psal.* XXXI, 8).

(Vers. 170.) *Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine; secundum eloquium tuum eripe me.* Repetivit

[a] S. Augustinus ita legerat, *Vidi insensatos.* Sed observat quod *alii codices habent*, *Vidi non servantes pactum; et hoc plures habent.*

[b] Fortasse *non servare.*

[c] Editi simplici verbo *velli.* Margini apposuerant *avelli* Duac. et Colon. Respicit autem sine dubio quod pro exemplo Augustinus posuerat, *sic pudica conjux virum et timet, ne ab illo deseratur; et amat, ut fruatur.*

[d] Ita editi nostri omnes. Qui licet sensum aliquem exhibeant, tamen non dubitamus melius legi in Augustino ipso, *Non infirmata, sed coronis martyrum glorificata est.* Nec difficile fuit vocem *infirmata* mutari a scriba in aliam *infirmitate.*



Digitized by Google

quodammodo quod petivit. Nam qui et intellectum A accipit eripitur, ne non intelligens subruatur.

(Vers. 171.) *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.* Laudabo, inquit, Dominum, et gloriabor **464** in te, cum docueris me illa doctrina tua, qua quod jubes fieri auxiliaris ut fiat.

(Vers. 172.) *Pronuntiavit lingua mea eloquia tua, quia omnia mandata tua* [a] *justitia.* Spondet se prædicatorem futurum eloquiorum Dei: quia etsi Deus dat incrementum, tamen a ministris verbi et plantandum est et rigandum (I *Cor.* III, 7).

(Vers. 173.) *Fiat manus tua ut salvum me faciat, quia mandata tua elegi.* Ut pronuntiarem eloquia tua, *mandata tua elegi*, et constantem me fecit dilectio veritatis. *Fiat ergo manus tua, ut salvum me* de manu B *faciat* aliena: non ita, ut carnem persecutor non perimat; sed ita ut animam tormenta non vincant.

(Vers. 174.) *Concupivi salutare tuum, Domine, et Lex tua meditatio mea est.* Salutare Christus haud dubium est, et ipsum se concupisse justi antiqui veracissime confitentur. Ipsum concupivit Ecclesia venturum de visceribus matris, ipsum concupiscit Ecclesia venturum a dextera Patris. Legis autem meditatio nutrit et firmat hoc desiderium, dum testimoniis suis pronuntiat Christum.

(Vers. 175.) [b] *Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me.* Illa sunt hæc judicia, quæ et tempus erat ut inciperent a domo Domini (I *Petr.* IV, 17). Sed his Ecclesia semper adjuta est; quia, Deo dante victoriam, passionibus suis crevit.

(Vers. 176.) *Erravi sicut ovis quæ periit: quære* C *servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Hæc est ovis propter quam pastor ejus nonaginta novem dimisit in montibus, et eam quærens, Judaicis laceratus est vepribus, [c] verberibus (*Matth.* XVIII, 12; *Luc.* XV, 4). Sed ex parte inventa adhuc quæritur. Ex ea namque parte qua iste dicit, *Mandata tua non sum oblitus*, inventa est; sed per eos, qui mandata Dei eligunt, colligunt, diligunt, adhuc quæritur, et per sui pastoris sanguinem fusum atque dispersum, in omnibus gentibus invenitur.

## PSALMUS CXIX.

Prænotatio tituli *Canticum graduum* indicat inchoari. Nomine vero *graduum* significatur ascensio, qua proficientes quique a temporalibus ad æterna, a terrenis ad cœlestia provehuntur. Iidem autem gra- D dus et ascensionum sunt et descensionum; non quia deficient qui profecerant, sed quoniam *qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11); et præcipua sublimium virtus est, compati cum infirmis, et ad eos qui insipientes sunt, hoc est, et ad parvulos, inclinari (*Rom.* XV, 1); ut omnes quæ sursum sunt sapiant (*Coloss.* III, 2), et frater fratrem adjuvans exaltetur (*Prov.* XVIII, 19). Habent enim **465** omnes fideles formam descensionis ipsum Dominum Jesum Christum, qui manens in gloria sua qua æqualis est Patri, naturam et similitudinem servi recepit; ut quibus gradibus ad nostra ima descendit, ipsis possemus ad ejus summa conscendere.

(Vers. 1.) *Ad te, Domine, cum tribularer clamavi, et exaudisti me.* Omnis cogitans ingredi viam Domini, et in mandatis ambulare divinis, necesse est ut multis tribulationibus incipiat laborare (I *Tim.* III, 12); cui nihil est utilius quam ejus auxilium ad quem tendit expetere, qui ait: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5).

(Vers. 2.) *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.* Religiosæ voluntati, et piam vitam agere disponenti, amatores hujus sæculi contradicunt, et dolosis verbis sanctum propositum cupiunt deterrere: quorum iniqua labia difficillimum est evadere, dum per quemdam affectum videntur consulere, et ab aspero labore tamquam parcendo revocare; ut videatur piæ esse sollicitudinis, quod est nocentissimæ suasionis.

(Vers. 3.) *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Vis, inquit, virtutum gradus scandere? vis dolosæ linguæ officia fraudulenta superare? Dic quid auxilii concupiscas, aut si capax es eruditionis supernæ, eo ipso quo utilia poscis, ascendas.

(Vers. 4.) *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Sagittæ acutæ, verba sunt Dei, quæ cum animos fidelium penetrant, inflammant corda, non sauciant. Ut autem mens superno amore transfixa ab omni contraria cupiditate sit libera, spiritalium carbonum petitur ignita purgatio, per quam, noxiorum germinum congregatione vastata, fiat in homine salutifera desolatio, si interiora ejus vacua sunt ab hospitalitate vitiorum

(Vers. 5.) *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar.* Gemitus iste totius Ecclesiæ est, omniumque sanctorum, qui per fidem speculantes supernæ patriæ bona, inter [d] longinqua peregrinationis adversa suspirant, quia spiritales cum carnalibus habitant, et ad cœlestia proficientibus molesti sunt terrena sectantes. Unde et secundum Apostolum, in duo genera dividitur unum semen Abraham, et alii sunt pertinentes ad Ismael filium ancillæ, alii ad Isaac filium liberæ (*Gal.* IV, 22). Tabernacula autem Ismael appellata sunt Cedar, ut intelligantur non esse in lumine qui non sunt in hæreditate.

(Vers. 6.) *Multum peregrinata est anima mea.* **466** Ne peregrinationem corporalem intelligeres, animam dixit peregrinari. Corpus enim absentatur loco, ani-

[a] Apud August., *judicia.*

[b] In Augustino et recentioribus codicibus Prosperi, *Vivet.* Editi veteres omnes, *Vivit.*

[c] Edd. posteriores addiderant conjunctivam particulam *et*, quæ ab antiquioribus abest. Nam *vepribus, verberibus*, est quasi diceret *vepribus, id est, verberibus.*

[d] Legendum suspicamur, *longinquæ peregrinationis*, cum scribat Augustinus: *Multum a te recessi, peregrinatio mea longinqua facta est.* Ad quæ verba respexisse arbitramur S. Prosperum hoc loco

Digitized by Google

ma peregrinatur affectu. Et ideo cavendum est ne A longe simus ab illo cui appropinquare debemus mentis ascensu.

(Vers. 7.) *Cum eis qui oderant pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Christiana perfectio est pacificum esse etiam cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis. Ut si nec exemplum, nec cohortationem sequuntur, causas tamen non habeant propter quas odisse nos debeant (*Sent.* 29).

## PSALMUS CXX.

(Vers. 1, 2.) *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Ingressus viam virtutum, in qua sunt gradus ascensionum ad montes, id est, ad B sublimes quosque sanctorum, oculos cordis attollit et per ipsos Dei poscit auxilium qui fecit cœlum et terram. Terram scilicet, de qua cupit surgere; et cœlum, quo optat ascendere. *Quis* enim *sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit* (*Psal.* cxii, 5, 6)?

(Vers. 3.) *Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.* Ipsa sibi fidelis anima ex Dei inspiratione respondet, et desiderantem profectus contra superbiam munit, quæ et angelo et homini prima fuit causa labendi. Det igitur tibi custos tuus perseverantiam humilitatis, ne ulla elatione movearis; ne cum tu non habueris vigilantiam standi, protegens te dormitare videatur.

(Vers. 4.) *Ecce non dormitabit, neque obdormiet,* C *qui custodit Israel.* Si vis, inquit, habere custodem non dormitantem, esto Israel, id est, videns Deum. Vide igitur Deum primo per fidem, ut postea possis videre per speciem (II *Cor.* v, 7). Sicut enim Moysi dictum est a Domino: *Non poteris videre faciem meam, posteriora mea videbis* (*Exod.* xxxiii, 20 *et* 23); ita et tu vide quæ posteriora sunt, ut possis videre quæ prima sunt. Prima autem sunt: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* i, 2); posteriora sunt: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*, 14). Unde quia hac fide corda mundantur (*Act.* xv, 9): *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8).

(Vers. 5.) *Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteræ tuæ.* Frequens insinuatio D inculcat auditui quod principaliter in Dei protectione fidendum est. Dextera autem est hominis, amor Dei, et eorum quæ Deo sociant appetitus: et hujus dexteræ manus est potestas quam dedit Deus credentibus, ut possint esse filii Dei (*Joan.* i, 12), **467** abstinentes a sinistris, et dextris inhærentes. Unde per omnia in Domino confidendum est, in Domino gloriandum, quia possibilitatem in dextris proficienter perseverandi ipse dedit, ipse custodit.

(Vers. 6.) *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* In sole significatur Christus lumen verum, et luna significatur Ecclesia illuminatione lux facta. Quia ergo omne scandalum, quo homo aut infirmatur, aut uritur, ex duabus nascitur causis, cum aut in confessione Deitatis erratur, aut ab Ecclesiæ unitate disceditur, hoc præstat protectio Dei, ut in fide et charitate, quæ ipsius dona sunt, nulla tentatione superemur.

(Vers. 7, 8.) *Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Custodit Dominus ab omni malo, non ut nihil patiamur adversi, sed ut [a] in ipsis adversitatibus anima non lædatur. Cum enim tentatio adest, fit quidam in id quod impugnat introitus; et cum bono fine, id est, sine vulnere animæ, tentatio consummatur, ad æternam requiem de profundo tentationis exitur (*Sent.* 30). Sicut Apostolus dicit: *Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari supra id quod potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* x, 13).

## PSALMUS CXXI.

(Vers. 1.) *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Omnis homo fide illuminatus, et promissionum Dei cupidus, merito exsultat et gaudet in his quæ a prophetis dicta, quæque ab apostolis prædicata, et utriusque Testamenti paginis declarata sunt, de vocatione Dei, quæ diligentibus Dominum et proximum æternum domus Dei spondet habitaculum.

(Vers. 2.) *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.* Non in ista Jerusalem quæ occidit prophetas, et lapidavit ad se missos (*Marc.* xxiii, 37), quæ ob impietates multas stare non potuit; sed in illa cœlesti Jerusalem quæ est sanctorum omnium mater (*Galat.* iv, 6), filii ipsius se stare lætantur. Qui licet in via sint, et adhuc illo tendant, ita tamen quasi pervenerint gaudent, quia de adipiscendis fides firma non dubitat.

(Vers. 3.) *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas.* In illius, inquit, atriis Jerusalem, fidei nostræ firmitas stabat, quæ non mole saxorum, sed virtutum soliditate consurgit, et sanctorum societate, quæ numquam dissolvetur, exstruitur. **468** *Cujus participatio ejus in idipsum.* Patuit quod de æternæ ædificatione Jerusalem nihil deberet carnale sentiri, quandoquidem *participatio ejus*, id est connexio, *in idipsum* est. Quid autem est *in idipsum*, nisi quod vere et sempiterne est? Neque ulla varietate mutatur Deitas, scilicet Trinitatis, quæ numquam non fuit quod est, nihil dissimilitudinis recipiens, nihil inæqualitatis admittens; cui per Incarnationem Verbi unitur humana natura, ut liberata a commutationibus temporalibus, incommutabili æternitate potiatur.

(Vers. 4.) *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomen Domini.* Ascendisse dicuntur ad æternam Jerusalem

[a] Editio Colon et posteriores, *in ipsis adversitatibus.* In cæteris et in libro Sententiarum omittitur *in.*

Digitized by Google

*tribus*, id est, populi per suas familias distributi. Sed de toto pars intelligenda est, quia in omni genere hominum alii justi, alii inveniuntur injusti; nec omnes aut persecutores sunt, aut discipuli veritatis. Ad concordiam itaque cœlestis Jerusalem non ascendunt, nisi *tribus Domini*, quibus testimonium fides perhibet quod sint Israel, id est, videns Deum, et sine simulationis dolo donum gratiæ præferentes. Ille enim vere ascendit, qui confitetur non proprii operis, sed divini esse muneris quod ascendit (*Sent.* 31).

(Vers. 5.) *Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.* Sublimiores quique sanctorum throni sunt Dei, sicut scriptum est : *Anima justi thronus sapientiæ est.* Et dicit apostolis suis Dominus : *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Tota ergo domus David, id est, tota Ecclesia, quæ in Christo semen David, et semen Abraham, veniet in judicium, cum et ipsi qui sedebunt sedes erunt Dei, et per examen judicantium omnes dilectores Dei et proximi in unitatem assumentur corporis Christi.

(Vers. 6.) *Rogate quæ ad pacem sunt, Jerusalem, et abundantia diligentibus te.* Ad ipsas sedes Dei propheticus sermo dirigitur, et ait : Vos qui judicaturi estis, per quos fiet conscientiarum interrogatio, quique estis ipsa Jerusalem, discernite a superbis humiles, ab implacidis separate pacatos : et fiant unitas et abundantia diligentium te. Quia qui tecum habent pacem, tuis in æternum divitiis abundabunt.

(Vers. 7.) *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Virtus tua, o Ecclesia, o Jerusalem, charitas est, qua et dives et fortis es. In hoc fiat pax filiorum tuorum, hoc abundet tuarum turrium celsitudo, ut unde ipsa magna es, inde tui participes augeantur.

(Vers. 8, 9.) *Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem de te.* **469** *Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.* Prædicator pacis tuæ, non propter me, sed propter fratres meos exstiti. Nec meum honorem, sed aliorum quæsivi salutem ; non ut mea cresceret gloria, sed ut tua dilataretur hæreditas. Nam ipse apud te minuerer, si non profectibus laborarem.

## PSALMUS CXXII.

(Vers. 1.) *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Mens proficiens et ascendens, quæ sursum sunt sapit, non quæ super terram (*Colos.* III, 2); et ideo dirigit cordis aciem quo pervenire desiderat, non corporeis gressibus, sed proficientium ascensione virtutum. Habitatio autem Dei, non hoc cœlum intelligendum est quod videtur, et de quo dicitur, *Cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV, 35); sed [a] de illa Jerusalem quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXI, 3), non tantum in sanctorum angelorum sublimitate, sed etiam in totius Ecclesiæ glorificatione, quæ in Christo fundata, unum est cum supernis potestatibus Dei templum.

(Vers. 2.) *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. Et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.* Quæ humilitas qualisve subjectio scandala ostendit, cum inter tentationum molestias et eruditionum plagas gementium oculos ad Deum dicit esse conversos, donec misereatur et parcat, a cujus judicio venit quidquid inferri aut jubetur, aut sinitur. Quia sicut servi et ancillæ in potestate sunt dominorum suorum atque dominarum ; ita sancti modum castigationum suarum ex Dei sententia pendere noverunt.

(Vers. 3, 4.) *Miserere nostri, Domine, miserere nostri.* Vox vapulantis est, et intelligentiam inter flagella postulantis ; quia omnis hæc vita plena tentationum est, plena plagarum. *Quia multum repleti sumus despectione. Et multum repleta est anima nostra ; opprobrium abundantibus, et despectio superbis.* Omnes qui secundum Christum pie volunt vivere, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria (II *Tim.* III, 12), et despiciantur tamquam stulti et insani, qui præsentia bona [b] perdant, et invisibilia sibi ac futura promittant. Sed hæc despectio et irrisio in ipsos retorquebitur, cum et abundantia eorum in egestatem, **470** et superbia transierit in confusionem (*Sent.* 32).

## PSALMUS CXXIII.

(Vers. 1, 2.) *Nisi quod Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, Nisi quod Dominus erat in nobis.* Corpus Christi, quod est Ecclesia (*Ephes.* V, 23), ita distributum est, ut alia membra ejus pericula tribulationum jam evaserint, alia iisdem adhuc laboribus atterantur. Sed quia et præcedentium et subsequentium sanctorum unus est liberator, una est omnium exsultatio, et illorum qui jam adversa vicerunt, et horum qui sperant se præsentibus periculis liberandos ; et, promissione Dei firmam dante constantiam, uno utuntur cantico, quia uno muniuntur auxilio, dicentes : *Nisi quod Dominus erat in nobis*, persecutionum nos magnitudo superasset ; sed illo præsidente cordibus nostris, illo dante tolerantiam, illo consummante victoriam, habitantis in nobis [c] simus gloria, non hostium præda.

(Vers. 2-4.) *Cum insurgerent homines in nos, forsitan vivos deglutissent nos.* Tota ergo fidelium salus, tota patientium fortitudo ad Deum, qui in sanctis est mirabilis (*Psal* LXVII, 36), referenda est; quia nisi in

[a] Forte redundat præpositio *de*, quæ habetur in omnibus editis.

[b] Emendamus ex libro Sententiarum, sententia 32, ubi legitur quod in textu posuimus. Editi enim omnes hoc psalmi loco habent, *qui præsentia bona sperant*, sensu evidenter opposito Auctoris intentioni. Nisi forte legeris: *qui non præsentia bona sperant, et invisibilia sibi ac futura promittunt.* Editi enim legunt hic *promittunt*, non *promittant*. Augustini locus, quem præ oculis habuisse videtur sanctus Prosper, talis est : *Irridentur illi qui felicitatem vocant quam oculis videre non possunt, et dicitur eis, Quid credis, insane? Vides quod credis?... Ecce ego quod amo video, fruor. Despiceris, quia speras quod non vides, et despicit te ille qui quasi tenet quod videt.*

[c] Fortasse, *fimus gloria.*

Digitized by Google

illis Dominus esset, furori impiorum fragilitas hu- A
mana succumberet (*Sent.* 33). Dicat ergo Israel, dicat populus redemptus, populus regeneratus, populus adoptivus, *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum insurgerent homines adversum nos, forsitan vivos deglutissent nos.* Vivi autem deglutiuntur, qui persecutione superati, in societatem transeunt impiorum, et amore exiguæ vitæ, in profundum ruunt mortis æternæ. *Cum irasceretur furor eorum super nos, forsitan vivos absorbuissent nos.* Vivi absorbentur, qui fidem quidem suam in conscientia sua retinent, sed metu pœnæ acquiescunt idolorum culturæ. Vivunt itaque tenentes fidem; sed dum contra fidem faciunt, adorantes quod nihil esse noverunt, occiduntur et pereunt.

(Vers. 5.) *Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransivit anima nostra aquam intolerabilem.* Vel [a] *sine substantia.* Magnitudo periculi quod hi quibus Dominus inerat evaserunt, facit eosdem qui liberati sunt mirari quod tanta oppressi tentatione non fuerint. Ideo enim verbum dubitationis ponitur, ut id superatum demonstretur, quod humana vinci facultate non potuit. Per vim autem aquarum **471**
significavit populorum furorem. Et ideo ista aqua *sine substantia* dicitur, quia peccatum nullius substantiæ est, et *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6), eo plenam quod non erit, et quod egentem facit.

(Vers. 6.) *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem* (vel *in captionem*) *dentibus eorum.* Fidelis anima, non in suis viribus, sed in Dei exsultat C
auxilio. Ideo enim venantium evasit insidias, quia Dominus fecit irrita omnia genera captionum.

(Vers. 7.) *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Laqueus vel muscipula venantium, amor est istius vitæ, cujus dolos passeres, id est, humiles quique fidelium, præsidio supernæ protectionis effugiunt. *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Præterit enim figura hujus mundi* (I *Cor.* vii, 31); et omnes præsentium vanitatum illecebræ contererentur, cum liberati passeres, id est, humiles, a contritione temporalium dicent exsultantes atque gaudentes.

(Vers. 8.) *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.* Merito ergo non sunt capti a venatoribus istius mundi, qui adjutorium quæ- D
sierunt in nomine Domini, qui cœlum et terram creavit.

PSALMUS CXXIV.

(Vers 1, 2.) *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.* Inter mundi scandala et rerum temporalium varietates non discedere a Domino, sed in charitate ejus ac proximi stabilem permanere, tam clarum atque sublime est, ut qui in hac firmitate consistunt, montis Sion instar obtineant. Ipsi enim fide et spe habitant in Jerusalem, non hac terrena,

A sed in ista cœlesti et æterna quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* cxxi, 3). *Montes in circuitu ejus:* montium nomine significantur prædicatores veritatis, sive angeli, sive apostoli, sive prophetæ, qui splendorem veritatis, quem de supernis accipiunt, in inferiora diffundunt. *Et Dominus in circuitu plebis suæ;* quidquid ergo est lucis in montibus, ipse est qui splendere montes facit; et quidquid per ministros auxilii venit, illius est *qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* xii, 6). *Ex hoc nunc et usque in sæculum;* ut a temporalibus transferantur ad æterna.

(Vers. 3.) *Quia non derelinquitur virga peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* Sæpe in hoc sæculo peccatores
B mundanam potentiam consequuntur; cum et ipsi sint iniqui, publicarum tamen legum sunt ministri:
**472** quorum potestas etiam fidelibus honoranda est, propter utilitatem dispositæ disciplinæ. Sed si in id prorumpant, ut justos veri Dei cultu conentur avertere, nulla eis obedientia, nulla eis præbenda consensio. *Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum;* quorum sors ipse Deus est, qui justis suis eam perseverantiam dabit, ut imperia sævientium non metuant impiorum, et ab omni opere iniquæ actionis abstineant. Ita ergo et a plebibus principes, et a servis domini sunt ferendi; ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, sperentur æterna. Auget enim meritum virtutis, quidquid propositum non violat religionis (*Sent.* 34).

(Vers. 4.) *Benefac, Domine, bonis et rectis corde.* Recti sunt corde qui de præceptis Dei et constitutionibus non queruntur, nec varietate rerum temporalium depravantur, quia justum est æquanimiter ferri quod judicaturus voluit tolerari (*Sent.* 35).

(Vers. 5.) *Declinantes autem in obligationem adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Impias, inquit, querelas, a fidei limite deviantes, et in imitationem multorum scelerum transeuntes, adducet Dominus ad judicium retributionis, paribus conscientiarum vinculis obligatos; ut quem non crediderunt judicem, experiantur ultorem. *Pax super Israel.* Jerusalem interpretatur Visio pacis; et Israel, Videns Deum. Qui ergo videt Deum, pacem videt, et pax super ipsum est, cui Deus semper placet, et in nullo ab ipsius voluntate discordat.

PSALMUS CXXV.

(Vers. 1.) *Cum averteret Dominus captivitatem. Sion, facti sumus sicut consolati.* Propheticus psalmus ad ascensionem pertinet graduum, quibus bene currentium crescit profectus. Sub appellatione unius urbis et populi, ea quæ de universa Ecclesia sunt intelligenda significat. *Sion* quippe in toto mundo est sanctorum omnium corpus, et civitas a captivitate Babylonis, quæ confusio interpretatur, educta. Ab ipso enim Adam totum genus humanum jugum subiit servitutis (*Eccli.* xl, 1), per quem omnia mun i

[a] Sic legebat in Augustino, qui hanc lectionem exponit quo modo S. Prosper hic in fine.

sæcula, et generalis captivitas a filiis adoptionis A avertitur, et quicumque ad redemptionem pertinent sanguinis Christi, in spem non dubiæ salutis habent gaudium consolationis.

(Vers. 2.) *Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione.* Gaudium quidem proprie animi est. Sed quia ore promitur quod corde concipitur, ipsam linguam exsultatione dixit impletam, cujus se ministerio in actionem gratiarum abundantia mentis effundit. Quod etiam tacente lingua fieri potest, quia et interior homo **473** habet os invisibile, et linguam secretam, cum quo tacito sono clamat affectus.

(Vers. 2, 3.) *Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere cum eis. Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.* Inter omnes gentes B sunt cives Sion, qui redemptione ac pretio sanguinis Christi de captivitatis jugo quotidie liberantur, et dicunt, *Magnificavit Dominus facere nobiscum :* qui nos per magnificentiam gratiæ suæ, cœlesti patriæ reformavit. *Lætantes*, quia spei manifestæ vera sunt gaudia.

(Vers. 4.) *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.* Vita præsens multis tentationibus impugnatur, ut etiam redempti captivitatis mala metuant, et indesinenter opem Redemptoris implorent, petentes ut in via Domini, per ascensionem gradus, absoluti cursus habeant libertatem : et sicut aquæ quæ gelu fuerint ligatæ austro flante laxantur, ita ipsi per Spiritum sanctum resoluta glacie peccatorum, veloci ad patriam reditu ferantur, more C torrentium.

(Vers. 5, 6.) *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos. Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur* (II *Tim.* III, 12) : et molestia laborum sanctarum est causa lacrymarum. Sed tempus flendi, tempus est seminandi : quia opera charitatis, quæ relevandis hominum miseriis adhibentur, æternorum messem pariunt gaudiorum. De fructu enim bonorum operum pii coronabuntur agricolæ; et cum manipulis gloriæ, id est, meritis actionum, adventui Domini Salvatoris exsultanter occurrent.

PSALMUS CXXVI.

Psalmi hujus titulus est, *Canticum Salomonis.* Et D mirum est quod ascensionis canticum ejus nomine prænotatur, quem notum est ab his virtutum gradibus decidisse (III *Reg.* XI, 1, *etc.*). Sed illo cadente, si quæ per ipsum dicta sunt delerentur, existimaretur quod quæ Spiritus Dei locutus est ipse dixisset, et repudiari quasi ejus propria debuissent. Nunc autem, sequestrato hominis merito, quod a Deo factum est non tacetur, et doctrina spiritalis secernitur a prævaricatione doctoris. Manet ergo auctoritas prophetiæ, quæ non humana est, sed divina (II *Petr.* I, 21), et quia templum Dei non nisi ipsius opere ædificetur ostendit.

(Vers. 1.) *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Apostoli vox est, dicentis populo fideli, *Dei ædificatio estis, Dei agricultura estis* (I *Cor.* III, 9). **474** Qua voce etiam propheta utitur, protestans vanum laborem esse ædificantium domum, nisi auxilio Domini opus ædificii inchoatum fuerit et effectum. Quod utique de tota Ecclesia intelligendum est, quæ est Jerusalem, in omnium compage sanctorum una domus, et unum templum, et una civitas, cujus exstructio ab initio usque in finem, Domino ædificante, consurgit; sine cujus gratia nihil est solidum, nihil firmum, sed vana omnia atque ruitura. *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboravit qui custodit.* Omnis sancti ædificii status, sicut Domino operante proficit, ita Domino custodiente consistit. Quoniam utilis præpositorum custodia est, cum Spiritus Dei populo suo præsidet, et non solum gregem, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores (*Sent.* 36).

(Vers. 2.) *In vanum est vobis ante lucem surgere.* Præsumptionis spiritus increpatur, cui vanum est suis viribus relevari, cum gloriæ Christi particeps esse non possit, nisi qui fuerit humilitatis ejus verus imitator et amator. Si ergo quis *ante lucem surgere*, et obscurum noctis vult effugere, fallitur. Inordinata quippe excellendi cupiditas, cui humilitate crescendum fuerat, dum præpropere levatur, in profunda demergitur. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Cum dicitur, *Surgite*, projiciendæ sublimitatis hortatio est : cum autem dicitur, *postquam sederitis*, prius humilitati studendum esse monstratur : quoniam *qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Et ne dubitaretur penes quos esset hoc meritum, *qui manducatis panem*, inquit, *doloris ;* hoc est, qui propter justitiam patimini, et in lacrymis tribulationum tempus vitæ præsentis exigitis : ut qui de corpore estis Domini, viam capitis ambuletis, servantes participationem tolerantiæ usque in finem, quoniam spes vobis in Christo certa est, et gloria resurgendi. *Cum dederit dilectis suis somnum.* * Electi Dei sunt sancti ejus, quorum mortem similem facit somno, de quo Christus surrexit a mortuis. Ita surgent et hi qui membra sunt ipsius; sequentes enim præviam lucem, post labores humilitatis, introibunt in consortium glorificationis.

(Vers. 3.) *Ecce hæreditas Domini filii, merces fructus ventris.* Hæreditas Domini filii sunt Ecclesiæ, in quibus et merces est fecunditatis, et gaudium de fructu ventris sui. Quoniam utero fidei ipsa eos concepit, parturivit, et peperit, simul quidem cum reprobandis ventre gestatos, sed postmodum pro sui qualitate discretos, transacto somno quem dilectis suis **475** Dominus dedit, ut sessionem resurrectio consequatur.

* Forte legendum *Dilecti Dei*, ut in textu Scripturæ, quem exponit S. Prosper; et apud Augustinum, *Dat hoc Deus, cum dormierint dilecti ejus; tum surgent dilecti ejus, id est, Christi. Omnes enim surgent, sed non quomodo dilecti ejus.*

Digitized by Google

(Vers. 4.) *Sicut sagittæ in manu potentis, sic filii excussorum.* Filii excussorum intelliguntur apostoli, filii prophetarum, quorum prophetia multis fuit tegminibus obumbrata, quam prædicatores Evangelii excutiendo reserarunt. De prophetis ergo postea orti apostoli excusserunt patres suos, et secreta eorum ventilando [a] eruerunt : ut essent tamquam sagittæ missi in universos fines terræ, arcu Dominicæ jussionis.

(Vers. 5.) *Beatus qui* [b] *implebit desiderium suum ex ipsis.* Beatitudinis apostolicæ fit particeps, qui ea concupiscit, quæ illi desiderando adepti sunt, et adipiscendo docuerunt. Ex ipsis ergo impleri dicitur desiderium, quia imitatione ipsorum ad eadem gaudia pervenitur. *Non confunditur, dum loquitur inimicis suis in porta.* Quis est qui *loquitur in porta*, nisi qui evangelizat in Christo : quoniam ipse est janua intrantium Dei regnum. Inimici autem eorum sunt qui prædicationi veritatis resistunt; et dum deitati Incarnationis Domini contradicunt, ab ingressu portæ merentur excludi.

PSALMUS CXXVII.

(Vers. 1.) *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Multi homines malæ conscientiæ timent Dominum, agnoscentes quæ operibus suis retributio debeatur : sed cum permanent in peccatis, quorum delectatione superantur, non medelam capiunt ex suo timore, sed pœnam. Igitur timor beatitudinis particeps est, [c] in iis qui in Dei viis ambulant, et metuunt ne quid de bono quo beatificantur, amittant, *Spe gaudentes, et in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12).

(Vers. 2.) *Labores fructuum tuorum manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* A plurali numero ad singularem propheta translatus est : quia omnes in Christo unum sumus, ex multis membris unum corpus efficimur, dum sive in pluribus, sive in singulis unus est Christus, quia et caput in compage, et compago omnis in capite (I *Cor.* X, 17, *et* XII, 12). Iste ergo timens Dominum, et in viis ejus ambulans, quomodo [d] fructum laborum sit manducaturus, inquiritur : et invenitur quod justi non solum fructibus laboris sui, sed etiam ipso **476** illo, quo ad fructum tendunt, labore pascuntur : dum priusquam præmia pii laboris accipient, fit eis tolerantiæ amor, futuræ portio voluptatis.

(Vers. 3.) *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Cum multi sanctorum non habuerint conjugia, neque filios, quomodo accipientur hujus benedictionis fuisse participes, nisi harum affectionum A societas in totius Ecclesiæ corpore intelligatur, per illud scilicet spiritale conjugium, quo viro suo Christo, id est, sponso sponsa connectetur? Sacramentum vero istius copulæ multis nominibus significatur, ut qui adhærent capiti, nunc membra ejus, nunc mater et fratres, nunc uxor et filii, nunc templum et vinea nuncupentur : dum per has necessitudinum species illa individua unitas fidei, et spei, et charitatis ostenditur; et quidquid Christo subjungitur, sibi quoque invicem colligatur, ut totius domus latera fecundæ vitis abundantia vestiantur. *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Qui uxoris vocabulo appellati sunt, iidem commemorantur nomine filiorum, de fructu pacis novellis oleis comparati : quoniam pacifici filii Dei vocabuntur (*Matth.* v, B 8, 9), qui mensam Dominicam, sacramentorum atque doctrinæ, cum unanimitate circumdant; ut quod inde percipitur, nulla dissensione violetur.

(Vers. 4.) *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.* Caput et corpus, Christus et Ecclesia unus homo, unus est Christus : qui in suis atque in se habens benedictionem, et sumit et confert.

(Vers. 5.) *Benedicat te Dominus ex Sion, et videas quæ bona sunt in Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* Non humana hæc, sed divina benedictio est; nec terrenæ, sed cœlestis Jerusalem bona incorruptibilia promittuntur. Quamvis enim etiam temporalia commoda dona sint Dei, non ea tamen spondet proprie sanctis, quæ communiter largitur [e] et reprobis. Æternæ igitur civitatis æterna sunt gaudia, et stanC tium dierum perpes infinitas, nec variabitur, nec labetur. Ibi videbuntur filii filiorum, id est, fructus sanctorum operum, et perpetua justitiæ præmia, quæ pacis nomine universaliter exprimuntur : quia omnis illa beatitudo Jerusalem, incommutabili pace gaudebit, et erit bonum omnium, quod fuerit singulorum (*Sent.* 37).

(Vers. 6.) *Et videas filios filiorum tuorum, pax super Israel.* **477** Omnis promissio æternorum bonorum, pacis nomine comprehensa est, quæ specialiter ad eos pertinet qui sunt Israel, id est, videntes Deum; de quibus dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8).

PSALMUS CXXVIII.

(Vers. 1, 2.) *Sæpe expugnaverunt me a juventute* D *mea. Dicat nunc Israel, Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Prophetiæ spiritus Ecclesiam Dei ad perseverantiam cohortatur, ut de superatis persecutionibus in Domino glorietur. Ab initio enim in sanctos, qui sunt Israel, impii sævierunt; sed Ecclesia,

[a] Editiones omnes in ora libri notant pro lectione diversa, *ruminati sunt.*

[b] Apud Augustinum, *implevit*, et infra secunda parte versus : *non confundetur, cum loquetur.*

[c] Editiones Lugdun. et Lovan. in textu habebant, *qui in Dei vias*, absque his verbis, *in iis* : quæ tamen cum in margine monerent addenda textui, ab editoribus deinceps revera textui addita leguntur.

[d] Ita quidem editi omnes. Sed conjicimus legi forte debere *fructuum laborem*, ex textu mox citato, et ex expositione quæ sequitur; tum ex ipso opere Augustini de hac ipsa lectione fuse disserente in hoc eodem loco, et sic concludente, *Interim modo labores fructuum tuorum, postea fructus laboris . . . Beatus es, de præsenti est : bene tibi erit, de futuro est. Cum manducas labores fructuum tuorum, beatus es : cum perveneris ad fructum laborum, bene tibi erit.*

[e] Editiones Duac. et Colon., *et probis.* Melius Lugd. et Lovan., *et reprobis.*

Digitized by Google

sive in juventute sua, sive in ætate majore, sive in senectute ultimi jam sæculi, nullis oppressionibus, nullis est victa suppliciis; cui per passiones et mortes suorum coronæ semper triumphique creverunt.

(Vers. 2, 3.) *Etenim non potuerunt mihi. Super dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Omnis malorum intentio contra bonos, hæc est, ut eos similes sui faciant, et in consensum iniquitatis suæ a fide ac probitate traducant. Quod cum obtinere non possunt, opprobriis et criminationibus impetunt innocentium vitam, construentes super dorsum eorum congeriem falsitatum. Quia perfectorum fidelium est, etiam tales, et injustorum odiorum onera sustinere, etiamsi prolongent iniquitatem suam, et nulla correctione mutentur: quæ pertinacia malorum longe ab innocentibus separatur, et qui est rectus, nulla eorum societate polluitur.

(Vers. 4.) *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Generale quidem nomen est peccatorum, quod nec sancti quidem a se existimant alienum. Sed aliud est quod quotidie aufertur, aliud quod semper augetur. Unde ex ipsa ultionis specie, quales hic peccatores commemorentur, ostenditur, cum Dominus non manus peccatorum, sed cervices concisurus denuntiatur. Per cervices enim superbia significata est eorum qui in nullo se reprehendi volunt, et Dei verba tamquam deliramenta contemnunt.

(Vers. 5.) *Confundantur, et* [a] *revertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* Oderunt Sion, qui oderunt Ecclesiam et qui Dei præcepta contemnunt. Sed quia super dorsum fabricaverunt, quid faciet Ecclesia, nisi tales spe correctionis ipsorum toleret **478** usque in finem? Veniet enim quod sequitur.

(Vers. 6, 7.) *Fiant sicut fenum tectorum, quod priusquam evellatur, arescit. De quo non implebit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit.* Contemptores eloquiorum Dei et amatores mundi feno, quod super tecta et super parietes nascitur, comparantur; qui ante tempus messis arescunt, et cum videntur stare, ceciderunt: nec inveniunt messores, id est angeli (*Matth.* XIII, 39), quod de eis Dominicis horreis inferatur: quia igni deputabitur, quidquid carebit substantia charitatis.

(Vers. 8.) *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos.* Superbi et vani in agro Domini nihil operati sunt, nec meruerunt ab eis qui per temporalia ad æterna transibunt, gratiam benedictionis accipere. Omnes enim prophetæ et apostoli universique sancti, bene viventibus benedixerunt *in nomine Domini:* non in suo, sed in illius cujus gratia erant quod erant, et cujus pollicitationes bonis et fidelibus promittebant [b].

## PSALMUS CXXIX.

(Vers. 1.) *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.* Qui profunditatem malorum vitæ hujus intelligit, et a terrenis erui cupit, jam de his est qui ad ascensionum pertinent gradus, et qui superno auxilio cupiunt adjuvari, ut per virtutum profectus, ab imis ad summa conscendant. Clamandum ergo est voce desiderii sperantis ad Dominum, ut non de uno tantum, sed de multis profundis humanarum miseriarum eruat laborantes. Quia etiam qui valde profecerunt, habent usque in finem de quibus cupiant liberari: [c] etsi magnorum et fidelium ista conditio est, ut quamdiu in sæculo mundani maris profunda patiuntur; quæ extremitas demersos habet eos qui ipsis imis profunditatibus delectantur, et tanto magis sunt miseri, quanto se putant esse fideles.

(Vers. 2, 3.) *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitatem observabis, Domine, Domine, quis sustinebit?* Quia qui venit solvere opera diaboli (I *Joan.* III, 8), hoc est peccata, et venit quærere quod perierat (*Luc.* XIX, 10), dedit spem etiam in ultimo profundo jacenti, **479** per quam se ad opem salvantis erigeret. Et ideo quantalibet mole malæ consuetudinis peccator oppressus, habet in psalmi hujus forma quod sequatur implorationis exemplum, ne de sua liberatione desperet: quia si divina justitia hoc hominibus in hac vita redderet quod merentur, nemo posset retributionis sustinere judicium. Quid ergo spei sit confitenti, aperit sermo qui sequitur.

(Vers. 4.) *Quoniam apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine.* Quæ est *propitiatio*, nisi sacrificium? et quod sacrificium, nisi occisio illius Agni qui tulit peccatum mundi (*Joan.* III, 29), et venit ut legem veteris Testamenti, nova lege evangelicæ veritatis impleret? Lex autem perfectio charitatis est, qua Deus proximusque diligitur, et per quam dicitur conditori legis, *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Bene enim sustinet promissiones Dei, qui mandatum ejus exsequitur; nec frustra sperat parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis (*Sent.* 38), dicente Apostolo, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 2). *Sustinuit anima mea in verbum tuum.* Exspectationis, inquit, meæ

[a] Lugdun. et Lovan., *et revereantur retrorsum.* Duac. et Colon., *revertantur.* Augustinus, *avertantur retrorsum.*

[b] Deest hic altera pars versus, *Benediximus vos in nomine Domini;* quæ tamen in ipsa versus explicatione videtur comprehensa.

[c] Locus obscurus, qui mss. defectu restitui non potuit. Fortasse paucis mutatis clarior fiet, si legatur, *etsi magnorum et felicium ista conditio est, ut quamdiu in sæculo sunt mundani maris profunda patiantur; quæ extremitas demersos habet.... quanto se putant felices.* Conjecturæ nostræ locum dare videtur Augustinus, cum dicit inter cætera: *Valde in profundo sunt, qui nec clamant de profundo. Dicit Scriptura: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. Jam videte, fratres, quale profundum sit, ubi contemnitur Deus. Solet enim hoc illis evenire, qui multum in profundo sunt, et prosperantur in iniquitatibus suis, et tanto magis in profundo merguntur, quanto magis videntur esse felices.*

Digitized by Google

substantia Christus est, et verbi tui promissione non fallor, quia ipse est Veritas qui promisit.

(Vers. 5, 6.) *Speravit anima mea in Domino. A vigilia matutina usque ad noctem*, [a] *a vigilia matutina speret Israel in Domino*. Spes fidelium exspectatioque sanctorum non unius diei concluditur fine, cum etiam intra brevia tempora istius vitæ, multorum dierum ortus atque occasus sæpe renoventur. Virtus igitur patientiæ de illa sumenda est vigilia matutina, in qua Dominus Jesus Christus in nostræ naturæ carne surrexit a mortuis, ut quod præcessit in capite, hoc in se sperarent omnia membra faciendum. Quæ spes nullis terrenda adversitatibus, nullis terroribus obscuranda, sed usque in finem præsentis vitæ, ubi nox quædam mortis intervenit, fortiter custodienda est: ut omnis Israel, quousque de hac vita exeat, hoc quod in Domino factum est, in se quoque faciendum sperare non desinat. Hæc enim spes propria est Israelitarum spiritalium, quorum desiderium non vana neque temporalia concupiscit; sed a vigilia matutina resurrectionis Christi, usque in noctem finis sui eo currit, eo tendit, quo jam in præcedente pervenit.

(Vers. 7.) *Quoniam apud Dominum misericordia est, et multa apud eum redemptio est.* Fiducia sperantium, misericordia Dei est, **480** nec ideo quisquam debet de capessenda Domini promissione dubitare, quia se participatione ejus novit indignum, cum ipsa confessio per commutationem actionis et mentis indulgentiam mereatur, et multiplex sit redemptio ejus qui nihil donorum suorum correctis negat, et universa vincula captivatis abrumpit.

(Vers. 8.) *Et ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus ejus.* Non ergo timeat aliquas iniquitates accessurus ad Dominum; tantum ut toto corde se voveat, et ea in quibus etiam sibi displicet, agere ac velle desistat; nec dicat quod illa forte iniquitas remittenda sit, illa autem pro sua qualitate plectenda; sed clamet *de profundis*, et *a vigilia matutina* speret *usque in noctem*, quia redemptor sine peccato ideo pro injustis pretiosum sanguinem fudit, ut omnium in se credentium omnia peccata deleret.

## PSALMUS CXXX.

(Vers. 1.) *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus.* Superna cujuslibet spiritalis Israelitæ, in qua totum Christi corpus ostenditur, sanctæ humilitatis veritas commendatur. Et hanc psalmi vocem omnes Ecclesiæ filii suam esse cognoscunt: quorum temperantia nihil humanæ gloriæ concupiscit, neque optat de operum mirabilibus gloriari, ut pro ostentatione virtutum pretium laudis acquirat. Cum omnis gratia Dei, quæ in quocumque fidelium dignatur operari, a nullo membro corporis Christi possit abjungi, et suum quisque faciat bonum quod per alium gaudet effectum.

(Vers. 2.) *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatum est super matrem suam, sic retributio in animam meam.* Mens perfectæ humilitatis delectat a proposito, intrepide de hac se lege constringi, ut cuidam maledictioni fiat obnoxia, si alta sapere et de aliquibus miraculis voluerit superbire. Sicut ergo male agitur cum infante nondum idoneo ad perfectionem solidioris cibi, si a matris uberibus auferatur, cum substantia alimoniæ ejus in matre sit; ita, inquit, retribuatur animæ meæ, ut cum panem angelorum edere non valeam, potum materni lactis amittam, et cum ea quæ supra me sunt apprehendere non queam, humilitatis bono caream, in quo salubrius est proficere quam timere [*forte* tumere].

**481** (Vers. 3.) *Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Verus ergo Israel, quæ sibi sint in Domino præparata prospiciens, totam spem suam confirmet in Domino, et quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram (*Coloss.* III, 2); non temporalem quærat gloriam, sed æternam, ne dum bona fallacia amat, vera non capiat.

## PSALMUS CXXXI.

(Vers. 1.) *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Congruit quidem personæ beati David, ut apud Dominum memoriam haberi cupiat mansuetudinis suæ, cujus observantissimus fuit, et de qua secundum historiam testis est ordo gestorum. Sed altiore intellectu sermo propheticus accipiendus est, ut scilicet ad illum hominem qui in capite et in corpore, id est, in Christo et Ecclesia, unus homo est, hæc verba referantur; quibus plene utitur tota Dei civitas, et omnis compago sanctorum, mansuetudine potentium et humilitate sublimium, hujusque propositi votum offerentium Deo, ut tabernaculum ipsius efficiantur et templum: quod anima omnis fidelis quodam insolubili juramento profitetur et sancit, cupiens se in æternum a Domino possideri, et habitaculum esse Spiritus sancti.

(Vers. 2-5.) *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum stratus mei; si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* In his omnibus voti perseverantia et fidei fervor ostenditur. Ut enim quis locus sit Domino et tabernaculum Deo Jacob, a propria utilitate ad bonum debet commune transire,

[a] Hic omnes editi nostri repetunt, *a vigilia matutina:* Augustinus quoque bis legisse agnoscitur hæc verba; semel quidem in fine versus quinti, *speravit anima mea in Domino, a vigilia matutina usque ad noctem;* tum initio sexti, *A vigilia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.* Quam repetitionem urget, cum ait: *Speravit anima mea in Domino, a vigilia matutina usque ad noctem. Quid est quod ait? Uno die speravit in Dominum, et finita est tota spes ipsius? A vigilia matutina usque ad noctem, speravit in Dominum. Ista vigilia finis noctis est.... Ergo intelligendum est hinc usque ad noctem speravit anima mea in Domino, ergo intelligendum est, ne putemus uno die nobis sperandum esse in Dominum.* Et infra: *Et redit ad illud: A vigilia matutina speret Israel in Dominum.*

Digitized by Google

non in se requiescere, nec in suis delectationibus A dormitare. Quod faciunt, qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philip.* ii, 21); quæ autem sunt Jesu Christi, non singulorum membrorum, sed totius corporis bona sunt, et nullus non habet, de quibus nemo non gaudet. Fit ergo locus Domini, et tabernaculum Dei Jacob, qui Ecclesiæ coaptatur, qui corpori Christi per spiritum charitatis unitur, nec usquam alibi beatus fieri cupit, nisi in illa domo de qua dicitur, *Beati omnes qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabant te* (*Psal.* LXXXVIII, 5).

(Vers. 6.) *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. Ephrata* nomen Hebræum interpretatur Latine speculum, in quo propheticæ significationis imago præcessit. Per speculum enim **482** prophetiæ, annuntiata hæc sedes vel habitatio Dei, de qua dicitur, *Ecce audivimus eam in Ephrata*, id est, in eloquiis prophetarum. *Invenimus eam in campis silvæ*, hoc est, in altitudine gentium, in quibus fuerunt vepres idololatriæ, concretiones errorum, et silvestres incultarum mentium feritates. Quod ergo audivimus ex libris Judæorum, manifestum est in fide gentium.

(Vers. 7.) *Intrabimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Qui intrant ut inhabitent, ipsi sunt qui ut inhabitentur intrantur; et hi sunt in domo Dei, qui sunt domus Dei, ut vere in regno Dei sint quibus dici potest, *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21). Adorant ergo isti *in loco ubi steterunt pedes*, vel ipsius domus permanentes in Domino, vel ipsius Domini, qui domus perseverantis habitator est. Sicut autem non est locus adorandi, nisi in Ecclesia catholica, ita *Nemo potest dicere* [a] *Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3).

(Vers. 8.) *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.* Ecclesia, id est, corpus Christi, capiti suo dicit, Dormisti per conturbationem crucis; surge in requiem æternitatis, tu et arca sanctificationis tuæ; ut gloria resurrectionis non solum in capite membrorum, sed etiam in membris capitis impleatur. Quæ membra arca sunt sanctificationis Deo, sive per incarnationis veritatem, sive per gratiæ electionem; ut in persona Mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu (I *Tim.* II, 5) intelligatur, et altare propitiationis, et arca sacrificii, et arca doctrinæ.

(Vers. 9.) *Sacerdotes tui induantur justitia, et sancti tui lætentur.* Te, inquit, resurgente a mortuis, et eunte ad Patrem, regale illud sacerdotium induatur fide quia *justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17); et accepto pignore Spiritus sancti, lætentur membra, spe resurrectionis quæ præcessit in capite.

(Vers. 10.) *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.* Hoc Deo Patri dictum est ab Ecclesia, supplicante ut meminerit promissionum suarum in domum David: ne omne Israeliticum genus pereat, propter facinus impiorum; qui licet receperint et recipiant quod merentur, multa tamen ex ipsis millia justificata sunt per fidem, et inde apostoli, inde doctores, inde tot martyres et primogeniti totius adoptionis, electi ut frumenta discernerentur a paleis, et reliquiæ salvæ fierent (*Rom.* XI, 25). Pro quibus et Dominus in cruce orabat dicens, *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34).

(Vers. 11.) *Juravit Dominus David veritatem, et non pœnitebit eum.* Sicut juramenti nomine, in Deo constitutio significatur incommutabilis veritatis, ita pœnitentiæ appellatione, conversio sententiæ demonstratur. **483** Unde ideo dicitur Dominus non pœnitere (*Ps.* CIX, 5), quod statuit numquam immutare: quo quid aliud, quam æternitas donorum et judi- B ciorum ejus ostenditur? *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* David, in quo persona est capitis et corporis, id est, Christi et Ecclesiæ, hanc promissionem accipit, quod fructus ventris ejus super sedem ipsius esset ponendus, cujus regnum manet in æternum (*Luc.* I, 32). Qui ideo fructus ventris dicitur, quia Salvator secundum carnem Virginis matris est filius, conceptus, non per virilem coitum, sed per Spiritum sanctum.

(Vers. 12.) *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo eos; et filii eorum usque in æternum sedebunt super sedem tuam.* Custodibus testamenti hæreditas pollicitationum et æterni regni beatitudo promittitur, qua non solum filii David, sed etiam filiorum ejus filii ditabuntur. C Sed hanc gloriam, semen fidei, non carnis propago consequitur, et in toto mundo qui sunt in fide sanctorum Patrum, ipsi in honore numerantur hæredum.

(Vers. 13.) *Quoniam elegit Dominus Sion, præelegit eam in habitationem sibi.* Sion ipsa est Ecclesia, et ipsa est Jerusalem cœlestis, ad cujus pacem currunt, qui etiam nunc peregrinantur. Ipsa est civitas Dei, quæ ex meliore sui parte, semper cum auctore suo mansit; et partem quæ per Dei gratiam quotidie ab exsilio revocatur, exspectat, ut simul tota sit sui habitatoris ædificatio.

(Vers. 14.) *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam præelegi eam.* Apparet quam ineffabili dilectione Ecclesiam suam diligat Deus, quando eam requiem qua ipsam facit requiescere, D suam dicit; cum indemutabilem deitatis tranquillitatem nullius umquam laboris perturbatio fatigaret. Hujus vero tanti muneris quæ principalis causa sit plenissime demonstratur cum dicit, *Quoniam præelegi eam*; secundum quod in Evangelio Dominus ait, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV, 16).

(Vers. 15.) *Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.* Tota Ecclesia Dei, in Dominum sperans, et humilitate proficiens, formam viduæ gerit (I *Tim.* V, 5), quæ, quoniam consolationem hujus mundi non habet, instat orationi nocte et die (*Ibidem*), et solo divino fidit auxilio. *Pauperes*

[a] Colon. editio et illa posteriores, *Dominus Jesus Christus.*

Digitized by Google

quoque hic significantur, de quibus dicitur, *Beati* A *pauperes spiritu*; et, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 3 *et* 6): cibo utique gratiæ et pane justitiæ, [a] ut edant illum qui dicit, *Ego sum panis qui* **484** *de cœlo descendi* (*Joan.* vi, 41). Viduitas igitur et paupertas non in solis mulieribus maritorum consortio destitutis, neque in eis tantum qui inopia laborant, intelligatur, sed in omnibus membris corporis Christi; quia aliud est quod tolerat labor necessitatis, aliud quod elegit amor religionis.

(Vers. 16.) *Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt.* Salutaris, id est, salutem afferens, Christus est, quo quisque regeneratus induitur, dicente Apostolo, *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* iii, 27). B Et hoc universa Ecclesia sub nomine assequitur sacerdotum: quia totus populus Christianus sacerdotalis est. Verum plenius hoc ipsi rectores plebis accipiunt, qui specialius summi pontificis et Mediatoris personam gerunt.

(Vers. 17.) *Illic producam cornu David.* In cornu altitudo significatur, non in se, sed in Domino gloriantium, quia sublimitas cornuum mensuram totius carnis excedit. *Paravi lucernam Christo meo;* id est, præmisi ante ipsum prophetiam, cujus lumine uterentur, qui erant in ignorantiæ tenebris constituti. Unde et beatus Petrus apostolus dicit, *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco* (II *Petr.* i, 19). Et ipse Dominus ait de Baptista Joanne, *Ille* C *erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* v, 35). Merito ergo sancti exsultatione exsultabunt, quia non in se, sed in Domino glorificantur.

(Vers. 18.) *Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem florebit sanctificatio mea.* Aperte significatum est quid debeatur inimicis gratiæ Christi, et quæ in ipso sanctis gloria præparetur, cum Christus in toto suo corpore refulgebit, et erit Dominus omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28).

## PSALMUS CXXXII.

(Vers. 1.) *Ecce quam bonum et quam jocundum, habitare fratres in unum.* Bona et jocunda habitatio est quæ inter filios adoptionis efficit unitatem, et præter corpoream ac localem habitationem, fraternos animos fidei pace connectit: quod tunc vere impletur D cum in unum caput totius corporis Christi, omnia fidelium membra concurrunt.

(Vers. 2.) *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Per Aaron sacerdotem ille indicatur sacerdos, qui veri pontificis sacramentum, non in alieni generis hostia, sed in oblatione corporis et sanguinis sui solus implevit: idem sacerdos, idem victima, propitiator et propitiatio, omniumque mysteriorum quibus **485** nuntiabatur effector; qui mortuus, sepultus, resuscitatus, ascendit in cœlos, naturam humanam super omne nomen exaltans et mittens Spiritum sanctum, cujus unctio omnem Ecclesiam penetraret. A capite enim, id est, a Christo manans benedictio, non solum *in barbam*, sed etiam *in ora vestimenti ejus*, id est, usque ad infima membra descendit. In barba autem, quæ unguentum fluens a capite prima suscepit, apostoli significantur et martyres, in quibus virtus capitis et sacramento eminet et exemplo.

(Vers. 2, 3.) *Quod descendit* [b] *in ora vestimenti ejus. Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Roris descensio, supernæ gratiæ significatio est, quæ sanctorum est origo meritorum. *Hermon* autem interpretari dicitur, [c] flumen exaltatum, quod intelligitur Jesus Christus, qui *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ps.* lxvii, 19; *Ephes.* iv, 8). Ab ipso enim in Sion, id est, in Ecclesiam, venit pluvia charismatum; exoritur ex tota compage fructus benedictionum, et fortitudo virtutum. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in æternum.* Gratia roris Hermon ibi descendit, ubi per unitatem charitatis habetur participatio benedictionis. Ipsi enim in unum habitant, qui in Christo concorditer vivunt, et in diligendis non solum fratribus, sed etiam inimicis servant præceptum, quo pro persecutoribus suis jubentur orare (*Matth.* v, 44); quando pro inimicis suis est mortuus Dominus (*Rom.* v, 10), qui eos facit participes æternitatis, quos imitatores habuerit dilectionis.

## PSALMUS CXXXIII.

(Vers. 1.) *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Nunc, inquit, id est, in hoc tempore tribulationum et angustiarum, in tempore persecutionum et lacrymarum, *benedicite Dominum*, omnes qui [d] uno corde, et uno spiritu, in confessione et in laude Domini permanetis; stantes, id est, perseverantes in latitudine fidei, et spei, et charitatis.

(Vers. 2.) *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.* In adversitatibus, ait, quæ diem vitæ hujus obscurant, nolite deficere, sed manus vestras in opere sanctitatis extollite, ut benedictiones quæ voce promuntur, in conversationis vestræ pietate videantur.

**486** (Vers. 3.) *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.* Plures hortatus est ut benedicerent Dominum, et ipse unum benedicit, quia ex pluribus unum fecit: ut omnis Ecclesia, cujus cor-

[a] Editi omnes, *ut educant;* melius legetur, *ut edant;* nec enim de educendo, sed de edendo pane hic agi constat, ex voce *saturabuntur*, quæ paulo ante præcessit. Scribam autem deceptum fuisse versu alterius psalmi, *Ut educas panem de terra* (*Ps.* ciii, 14).

[b] Augustinus, *in oram*, ut in Vulgata nostra.

[c] Sic interpretatum habetur in omnibus editis Prosperi. At in Augustino legitur: *Habemus interpretationem ab eis qui illam linguam* (Hebræam) *noverunt. Hermon interpretari dicitur, lumen exaltatum.*

[d] Lugdunensis editio non addit hic præpositionem *in*, quam posteriores addiderunt.

Digitized by Google

pus unum et anima una, benedictionem tamquam homo unus accipiat.

### PSALMUS CXXXIV.

(Vers. 1, 2.) *Laudate nomen Domini, laudate, servi, Dominum. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Bona cohortatio et utilis, qua in Domini laudem servi ipsius incitantur : cum utique hoc non egeat Deus, cujus gloria nec minor se potest esse, nec major. Sed quia tali officio proficiunt laudatores, et discunt eum timere atque amare quem laudant, persistat fidelis devotio in divinarum confessione virtutum, ut observantia consuetudinis fiat sacrificium voluntatis. Quales autem esse debeant prædicatores Dei consequenter ostenditur, cum dicitur, *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri;* id est, qui in præceptis Dei infatigabiles permanetis, ex hoc ipso quod in Domini domo statis, ipsi gratias agitis, qui solvit compeditos, illuminavit cæcos, erexit elisos (*Psal.* CXLV, 7 *et* 8), et dedit vobis spiritum intelligentiæ, qui vos in dilectionem et in laudem ejus accenderet.

(Vers. 3.) *Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus; psallite nomini ejus, quoniam suavis est.* Laus Domini nec uberius significari, nec plenius potest, quam cum dicitur *bonus*. Verum hoc non cum cæteris bonis, quæ non sunt nisi per ipsum, sed præ omnibus singulariter intelligendum est : quia aliud est bonum omnia bona faciens et auctorem sui non habens aliud quod, nisi fieret, esse non posset. Unde dicitur, *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Luc.* XVIII, 19). Nec est ulla creatura comparabilis Creatori, quæ si quid boni habet, non est ei proprium, sed acceptum. Hoc itaque summum et incommutabile bonum, laudatoribus suis participationem suæ suavitatis impertit, per hoc quod æqualis Patri Filius Dei, factus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Ipse est enim secundum quod Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), panis hominum; qui descendendo ad nos, per nos, nobis ad se per se fecit ascensum, et bibendo calicem nostræ infirmitatis, fecit nos calicem suæ gustare virtutis, ut agnosceremus et confiteremur quoniam suavis est Dominus.

(Vers. 4.) *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.* Tota suavitas bonitatis Dei in gratia ipsius **487** demonstratur, quia *Jacob elegit sibi Dominus, et Israel in possessionem* suam fecit, [a] excipiens illam sibi domum quam specialius eligeret et ornaret. Quamvis enim omnes gentes ipse condiderit, hanc tamen non sicut aliam commisit angelis, sed suo nomini proprie deputavit, ita disponens sacramentum vocationis suæ, ut electio Israel ad salutem omnium gentium pertineret, promissionis filiis, in æternam hæreditatem, non ex carnis propagine, sed ex regenerationis adoptione venturis.

(Vers. 5.) *Quoniam ego cognovi quia magnus est Dominus, et Deus noster super omnes deos.* Contemplatio prophetica altiora operum Dei secreta conspiciens. Ego, inquit, cognovi quam magnus est Deus, et quod propositum ejus atque consilium nullo explicatur eloquio. Sed quia super omnem potentiam excellit Omnipotens, neque ulla natura est super quam non Creator ejus emineat, commemorentur de conditis, per quæ intelligantur mirabilia Conditoris.

(Vers. 6.) *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Quidquid creaturarum est in cœlo et in terra, in mari et in abyssis, Deus fecit; nec est ulla natura ullave substantia quæ non præcepto ejus exstiterit. In creanda autem universitate rerum atque formarum, non operatio fuit laboris, sed ratio voluntatis : quam nullum præcessit tempus, nullus est moratus effectus. Hanc potentiam homo totius mundi consideratione cognoscens, confiteatur quia cum in agro cordis sui aliquid boni nascitur, de opere et munere est cœlestis agricolæ, qui ea quæ instituit per naturam, et corrupta sunt per inobedientiam, dignatur reparare per gratiam.

(Vers. 7.) *Suscitans nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis.* Hæc omnia in toto mundi corpore Dei nutu et Dei aguntur arbitrio : quæ utique cum multa admiratione laudanda sunt, et in eis intelligendum est quæ operetur Deus in ipsis hominibus, quos ad imaginem et similitudinem suam fecit et refecit.

(Vers. 8.) *Qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus.* Primogenita hominum sunt principia bonæ et probabilis vitæ, quæ initium sumit ex fide. Cum igitur aliqui Christiani aut schismata aut hæreses movent, et Ecclesiam Dei quibus possunt afflictionibus impetunt, fiunt **488** Ægyptii, quorum nomen interpretatur afflictio populi Dei; et percutiuntur in primogenitis suis, id est, in fide, quæ dum a charitate Ecclesiæ desciscit, exstinguitur. Hæc autem pessima plaga in homines. Percutiuntur et pecora, hoc est, qui sapientium doctorumque speciem gerunt, et hi qui pro causa stultitiæ et imperitiæ, possunt pecoribus comparari.

(Vers. 9.) *Immisit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaonem et omnes servos ejus.* Nihil habent bonæ significationis eorum nomina, in quos iram suam Dominus effundit. Nam et Phare dissipationem, et [b] Ægyptus afflictionem sonat. Afflictio regem habet dissipationem, quia illi qui affligunt Ecclesiam, dissipati affligunt, et regi suo sua primum eversione famulantur.

(Vers. 10, 11.) *Qui percussit gentes multas, et occi-*

[a] Posterior editio, *accipiens;* veteres omnes Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *excipiens.* Nam Augustinus dicit, *quamvis ipse omnes gentes condiderit, cæteras angelis commisit, sibi istam possidendam servandamque deputavit.*

[b] Lugd. et Lovan., *Ægyptiis.* Duac. et Colon. *Ægyptus,* ut August. : *Nam et ipsa Ægyptus afflictio interpretatur.* Supra vero pro *Phare,* August. habet, post aliquot lineas, *Ægyptus afflictio est, Pharao dissipatio.*

Digitized by Google

*dit reges fortes : Seon regem Amorrhæorum, et Og re-* A *gem Basan, et omnia regna Chanaan.* Interfectiones quidem regum et gentium adversantium populo Dei, ita ut narrantur impletæ sunt. Sed quia propheticus est textus historiæ, non carent figuris scriptorum nominum qualitates, ut per interpretationum significationem cognoscat Ecclesia quorum maxime hostium cæde salvetur. Interpretatur namque Seon [a] tentatio colorum, et Amorrhæi interpretantur amaricantes. Cum itaque tentatio colorum non sit nisi mendacium, quod, ut facilius obrepat, colorem sibi veritatis [b] assumunt, quid mirum si amaricantes, mendacis regis simulatione, ducuntur? Quoniam et ipse mendacii pater diabolus (*Joan.* VIII, 44) transfigurat se in angelum lucis (II *Cor.* XI, 14), et tentatio colorum contrarios veritati faciat esse B quos decipit. Sed hi homines spiritaliter occiduntur, cum moriuntur diabolo, ut vivant Deo, et qui crediderant mendacio, credant potius veritati. Manus autem Dei quia succisiones, et vivificationes facit, Og regem, et Basan populum ejus interimit. Og enim interpretatur conclusio, et Basan interpretatur confusio. Talis quippe conclusio intercludit viam quæ ducit ad Dominum, et interceptos ad confusionem perducit, et iniquos modo concludit, ne credant in Christum : quando Christus apparuerit, confundentur, nisi nunc gratia convertente mutentur. Chanaan vero interpretatur paratus humilitati. Quæ humilitas pœnalis intelligenda est quæ paratur superbis, qui modo non in humilitate, sed in elatione sunt positi, et præordinantur in id quod C retribuendum est vanitati.

**489** (Vers. 12.) *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.* Fit hoc quotidie : nam quod alii per meritum suum perdunt, alii per gratiæ munus acquirunt. *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi* (*Sup.* v. 4); et habenti dicitur, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (*Apoc.* III, 11).

(Vers. 13.) [c] *Dominus nomen tuum in æternum; et memoriale tuum in generatione et generationem;* id est, virtutum tuarum miracula non cessabunt, et quæ operatus es significando, operaberis indesinenter implendo. *Memoriale* autem Domini in eo intelligitur quod non obliviscitur promissionum suarum, sed omnino efficit quod spopondit; et hoc fit a *gene-* D *ratione in generationem*, quia alia est generatio hominum qua nascuntur mundo, alia qua renascuntur Deo. Sed in utraque sub altissimo judicio Dei, et opus naturæ impletur, et gratiæ.

(Vers. 14.) *Quoniam judicabit Dominus plebem suam, et in servis suis deprecabitur.* Excepto judicio futuro, jam judicata est plebs Judæorum. Quid est, judicata? Separati inde sunt justi, et remanserunt injusti. Audi Dominum dicentem : *In judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Excæcati enim sunt superbi, illuminati sunt humiles, [d] et in hoc uno populo qui et Jacob et Israel generaliter appellatur, una enim persona est domus Jacob et domus Israel, una gens, una plebs; hanc invitat, et hanc dimittit, mites a ferocibus, credentes ab infidelibus separando. *In servis suis* igitur *deprecabitur* Dominus, id est, invocabitur vel exorabitur, et in omnibus nationibus erunt homines Israeliticæ dignitatis, cum Judæi ex maxima sui parte erunt impii et veritatis inimici. Sed quia spiritalis Jacob ex omni gente assumitur, idolorum cultoribus infidelitatis cæcitas exprobratur.

(Vers. 15.) *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.* Omnes ex quacumque natione verum Deum nescientes, et Christi Evangelio resistentes idolorum cultores sunt, et cum in cordibus suis falsitatum dogmata fabricantur, id quod finxerint simulacrum est; et si quid ratiocinando [e] munierint, id argenteum videtur aut aureum : [f] qui ita humanæ sapientiæ argumentis et eloquio coloratur, ut reverentiam sibi pro mendaciorum arte conciliet. In **490** hujusmodi ergo figmentis, *opera* sunt *manuum hominum*, quæ humanus error excogitavit, non doctrina veritatis instituit.

(Vers. 16-18.) [g] *Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient; nares habent et non odorabunt. Manus habent, et non operabuntur; pedes habent, et non ambulabunt. Non clamabunt in gutture suo; nec enim est spiritus in ore eorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Proprie quidem hæc de paganis dici videntur; sed etiam hæreticos comprehendunt, qui dum falsis inhærent, et impia hominum commenta sectantur, omnia rationalis vitæ officia perdiderunt. Nam quid est habere oculos, et non videre, quam in errorum nocte versari? habere

[a] In Augustini textu legitur, *tentatio oculorum*; observatumque ab eruditissimis editoribus, omnes prope ejusdem mss. hic et infra constanter habere, *tentatio colorum*. Idemque nomen postea in ps. CXXXV interpretari, *germen inutile*, vel *tentationem calentem*.

[b] Fortasse, *assumit*, scilicet mendacium, nisi *assumunt* referri velis ad *amaricantes*, de quibus statim fit sermo.

[c] Apud Augustinum, *Domine*, ut in Vulgata nostra.

[d] Lugdunensis editio, *et hoc in uno populo*.

[e] Lugdunensis editio legit, *munierint*. Lovan., Duac. et Colon., *minuerint*.

[f] Legi debere arbitramur, *quia;* etsi in editis legatur *qui*.

[g] Hæc prima pars versus 16 in Augustino transfertur post hæc verba, *et non odorabunt*; omittitur quoque, *Non clamabunt in gutture suo; nec enim est spiritus in ore eorum*. In Vulgata nostra non leguntur plura quam hæc : *Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient, neque enim est spiritus in ore ipsorum.* Reliqua vero quæ hic leguntur in Psalterio Hieronymi, quod Romanum vocant, legebantur. A Gallicano deinde recisa sunt. De quibus novissimi S. Hieronymi operum editores observant quod *sequentes versiculi* (ab his, *nares habent*, ad hæc, *neque enim est spiritus*) *huc translati sunt in Romano Psalterio ex psalmo superiori* CXLI. Quos tamen præ oculis habuisse Prosperum nostrum vix dubitare sinit subjecta ab eo, licet brevissima, ipsorum expositio. Observandum denique hæc ipsa non legi in textu Hebraico psalmi hujus.

Digitized by Google

aures, [a] et divinæ inobedire doctrinæ? habere nares, et bonum Christi odorem non capere? pedes habere, et vocantem non sequi gratiam? habere linguam, et non loqui veritatem? habere manus, et sine opere esse justitiæ? Quia *omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23). Mendaces igitur conformabuntur mendacio, et quo magistro fidunt, cum eodem confundentur. Et tamen ex ipsis quotidie commutantur per miracula Dei; quotidie aperiuntur oculi cæcorum et aures surdorum, inspirantur nares insensatorum, resolvuntur ora mutorum, fiunt operariæ manus paralyticorum, diriguntur pedes claudorum, ex lapidibus excitantur filii Abrahæ (*Matth.* III, 9), quibus omnibus simul dicatur :

(Vers. 19, 20.) *Domus Israel, benedicite Dominum; domus Aaron, benedicite Dominum; domus Levi, benedicite Dominum;* quia omnes hos gradus, quos una gens habuit, per ipsam fidem, qua illa justificata est, totus mundus obtinuit, et in cunctis jam nationibus invenitur Abraham credentium pater.

(Vers. 20, 21.) *Qui timetis Dominum, benedicite Dominum. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.* Habitatio Dei, non est illa Jerusalem quæ cecidit, sed est in cordibus fidelium atque sanctorum, ex quibus ædificatur æternum templum Dei cum compage angelorum qui numquam a Domino recesserunt. Benedicit **491** ergo Ecclesia Dominum, ex Sion, id est, de specula, ex qua promissiones Dei prospicit venturas in Jerusalem, id est, in visionem pacis, ubi jam nullum periculum infirmitatis, nulla erit adversitas tentatoris.

## PSALMUS CXXXV.

(Vers. 1.) *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Psalmus iste laudem continet Dei, et eodem modo in omnibus suis versibus terminatur, ut quidquid operum Dei percurritur, ideo intelligatur effectum, ut bonitatis et misericordiæ ejus manifestaretur æternitas. Quamvis enim post judicium, quo in fine sæculi vivi et mortui, judicandi sunt, missis justis in vitam æternam, impiis autem in ambustionem æternam (*Matth.* XXV, 46), non sint deinceps futuri, qui divinæ gratiæ dispensatione salvandi sint : recte tamen intelligi potest in æternum futuram misericordiam ejus, quam suis sanctis fidelibusque largitur; quoniam ea beatitudo, quam ex Dei misericordia consequentur, nulla umquam tentatione pulsabitur, sed in æterna pace et gloria incommutabilis permanebit. Quod opus ineffabilis pietatis, quia in sempiterno Dei proposito atque consilio fuit, ut per temporalia præordinaren-

A tur æterna, mire totius mundi elementorumque conditio propter hanc misericordiam dicitur instituta, cui perficiendæ omnium rerum ordo servisset.

(Vers. 2, 3.) *Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.* Deorum nomen cum in bono positum reperitur, secundum gratiam intelligendum est, non secundum naturam, dicente Apostolo, *Nam etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra : quemadmodum sunt dii multi, et domini multi; sed nobis unus Deus Pater ex quo omnia,* [b] *et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 5 *et* 6). Qui ergo sunt filii Dei, et per adoptionis sacramentum divinæ sunt consortes naturæ (II *Pet.* I, 4), habent hujus nominis donum : quia uni Deo serviunt,

B uni Domino voluntaria subjectione famulantur. *Dii autem gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5), quæ quoniam gaudent se ab errantibus coli, in æternum ignem cum suis cultoribus [c] damnabuntur.

(Vers. 4.) *Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Possunt ea mirabilia accipi a Deo solo facta, quæ neque per angelos, neque per homines sunt effecta, sed sola Dei operante virtute. Quamvis enim ipse operetur omnia in omnibus (I *Cor.* XII, 6), naturas tamen cunctarum creaturarum, **492** cœlum et cœlestia, terram et mare, cum universis quæ in eis sunt, solus instituit. Non quod sine Filio suo Verbo aut Spiritu sancto aliquid fecerit Pater, sed quia Trinitas unus Deus est, qui creaturas, non per creaturam fecit, sed sola po-

C tentia Deitatis. Quod autem in secundis dicitur, *Quoniam in sæculum misericordia ejus,* ad reparationem humani generis referendum est, quod Dei misericordia per sacramentum regenerationis vitæ reddit æternæ.

(Vers. 5.) *Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam in sæculum misericordia ejus. In intellectu* facti sunt cœli, ad erudiendam eam creaturam, quæ ad cognitionem sui præordinabatur auctoris. *Invisibilia enim Dei,* sicut ait Apostolus, *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* (*Rom.* I, 20); et hic idem propheta dicit, *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (*Psal.* XVIII, 1) : quia majestatis invisibilis pulchritudo [d], et per cor-

D poream creaturam incorporeus Creator agnoscitur.

(Vers. 6.) *Qui firmavit terram super aquas; quoniam in sæculum misericordia ejus.* Bene quidem intelligitur super aquas terra fundata, in eo quod circumfluentibus aquis supereminet, et ita etiam in

[a] Hic aliqua deesse videntur ad plenum sensum sententiæ. Forte suppleri posset, *et non audire, quam divinæ,* etc. Sic postea : *Habere nares, et non odorari, quam bonum,* etc. *Pedes habere, et non ambulare, quam vocantem non sequi gratiam. Habere linguam, et non loqui, quam non loqui veritatem.* Quæ in sequentibus supplenda suadet prius enumerationis membrum, modo aliquando occurrant mss. qui editorum defectui medeantur.

[b] Locus iste Apostoli plenius legitur in Augustino: scilicet, *Et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Quæ autem ibi amplius leguntur forte ex codicibus Prosperi exciderunt : ut conjicitur ex verbis statim subjunctis, *Uni Deo serviunt, uni Domino,* etc. Idem quoque locus Apostoli infra in fine totus citatur.

[c] Editiones Lugdun. et Lovan., *damnabunt.*

[d] Priori sententiæ hujus membro aliquid deesse videtur; forte, *ex visibilium pulchritudine conjicitur,* aut aliquid hujusmodi.

Digitized by Google

infimis natura invenitur humoris, ut ei solidum sub- A datur elementum. Sed secundum sacramentum Ecclesiæ, quod per totum mundum in regenerationis lavacro celebratur, sacratius hoc accipitur dictum de præparatione baptismatis, supra quod naturæ humanæ terra fundatur, ita ut ab aquis tota æterni templi structura consurgat.

(Vers. 7.) *Qui fecit luminaria magna solus; quoniam in æternum misericordia ejus.* Ideo et hic addidit *solus*, quia cætera mirabilia quæ dicturus est, aut per homines, aut per angelos fecit.

(Vers. 8, 9.) *Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis.* Splendor solis in die potens est, et lunæ et stellarum in nocte. Sed hæc præter utilitatem quam mundo vicibus suis præbent, et præter decorem quo totius mundi augetur ornatus, B dant significationem spiritalium gratiarum. Nam præcipuum fidelium cordium lumen est, veniens ab ipso justitiæ sole, sapientiæ; secundum autem lumen est scientiæ, quæ inter sæculi hujus obscura dat quodammodo lunare solatium; deinde plurimorum charismatum munera stellarum ignibus merito comparantur: ut ambulantibus per difficilem viam numquam desit cœleste præsidium.

(Vers. 10.) *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum.* **493** Nulla pars mundi est quam non percutiat gladius veritatis, ut Christo præcipua quæque subdantur.

(Vers. 11.) *Qui eduxit Israel de medio eorum.* Quotidie sancti ab iniquis et adversis tribulationibus eruuntur. C

(Vers. 12.) *In manu potenti et brachio excelso.* Quid potentius eo de quo dictum est, *Et brachium Domini cui revelatum est?*

(Vers. 13.) *Qui divisit Rubrum mare in divisiones.* Rubri maris divisione significatur baptismus Christi, in quo fiunt divisiones: ut [a] una res aliis sit in vitam, aliis in mortem; in vitam fidelibus, in mortem persecutoribus.

(Vers. 14.) *Et eduxit Israel de medio ejus.* Et [b] educit populum suum Dominus, innovatum per lavacrum regenerationis.

(Vers. 15.) *Et excussit Pharaonem, et virtutem ejus in mare Rubrum.* Perit in aquis rex peccati, et baptizatis reatus excutitur.

(Vers. 16.) *Qui traduxit populum suum in deserto.* D Traducit et nos per hujus mundi ariditatem et sterilitatem, ne in ea pereamus.

(Vers. 17, 18.) *Qui percussit reges magnos, et occidit reges fortes.* Percutit atque occidit etiam per nos diabolicas et noxias potestates, quoties dat victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum (I *Cor.* xv, 57).

(Vers. 19.) *Seon regem Amorrhæorum.* Germen inutile, quod interpretatur *Seon*; et *regem Amorrhæorum*, quod interpretatur amaricantium, percutit per Ecclesiam suam Dominus.

(Vers. 20.) *Et Og* [c] *coacervantem Basan*; hoc est, confusionis: quid enim coacervat diabolus nisi confusionem?

(Vers. 21, 22.) *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.* Dat etiam, quos diabolus possidebat, hæreditatem semini Abrahæ, quod est Christus (*Gal.* III, 16).

(Vers. 23, 24.) *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, et redemit nos ab inimicis nostris.* Redemit nos sanguine Unigeniti sui.

(Vers. 25.) *Qui dat escam omni carni.* Hæc est esca de qua Dominus dicit, *Caro mea vera est esca* (*Joan.* VI, 56), quæ datur omnibus gentibus: quia nullus renatorum fidelium ab esu ejus excipitur.

(Vers. 26, 27.) *Confitemini Domino cœli; confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.* Quod hic ait, *Domino cœli*, hoc videtur superius dixisse, *Deo deorum*; et quod ibi subdidit, hoc etiam hic connexuit, *Confitemini Domino deorum*: ut *si sunt qui dicantur dii*, et domini, *sive in cœlo, sive in terra*: **494** *nobis tamen unus sit Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 5, 6) cui confiteamur, *quoniam in æternum misericordia ejus.*

## PSALMUS CXXXVI.

(Vers. 1.) *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, cum recordaremur tui, Sion.* Prophetia psalmi non solum hoc denuntiat quod secundum gerendarum rerum ordinem ad Israeliticum populum proprie pertinebat, sed etiam quod in omni Ecclesia Dei, quæ in toto mundo est, agitur et impletur. Universi enim fideles, qui cives sunt Jerusalem, et in hoc sæculo peregrinantur, apte his vocibus et congruenter utuntur, ut dicant quod psalmi verba pronuntiant. Nam qui fide justificati sunt (*Rom.* V, 1), et spe salvi facti (*Rom.* VIII, 24), ad patriam cœlestem angelicamque desiderant, recordantes promissionis Dei; flent et gemunt de habitatione terrena, quæ in quacumque sui parte Babylonia est, et flumina ejus sunt omnes illecebræ temporales, sive in moribus, sive in opinionibus, quas sibi quisque delegerit, in quibus nihil stabile, nihil firmum est, sed omnia fluida, et in maris profunda ducentia. Qui autem quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram (*Coloss.* III, 2), sedent quidem super mundi flumina atque torrentes, sed tamen cursu aquarum labentium non trahuntur, nec miscentur confusioni, [d] quæ interpretatur Babylon; sed recordantes Sion, quæ

[a] Augustinus hic, *ut unus atque idem baptismus aliis sit in vitam, aliis sit in mortem.*

[b] Duac. et Colon., *eduxit*. Lugdun. et Lovan., *educit*, ut apud Augustinum. Nam agit de gratia baptismi, quæ quotidie renascentibus confertur.

[c] Augustinus scripserat in versu psalmi, *Et Og regem Basan*; tum, *coacervantem*, *quod interpretatur Og; et regem confusionis, quod interpretatur Basan.*

[d] Editi omnes antiqui, *quam interpretatur*. Lugdunensis editio recentior, *quæ interpretatur*. Bene emendatum indicat phrasis similis statim subjuncta, *quæ exprimitur specula.*

Digitized by Google

exprimitur specula, in quod Deus promisit inten- A dunt, et a temporalibus ad æterna proficiunt.

(Vers. 2.) *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Habent organa sua cives Jerusalem, Scripturas Dei, [a] præcepta et promissa Dei, et meditationem quamdam futuri sæculi; sed cum agunt in medio Babyloniæ, organa sua in salicibus ejus suspendunt. Ligna autem Babylonis fluminibus rigata, et nullum fructum afferentia, similitudinem gerunt hominum sterilium, qui mundanis pascuntur illecebris, et nulla sunt virtute fecundi; nec possunt eis ulla divinarum semina Scripturarum inseri, quia capaces non sunt præceptorum Dei; et merito in eis differendo suspenditur, quod pro sua insipientia audire non possunt.

(Vers. 3.) *Quia illic interrogaverunt nos, qui capti-* B *vos duxerunt nos, verba canticorum. Et qui adduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion.* **495** Omnes homines prima transgressione a diabolo captivati sumus; quoniam *qui facit peccatum, servus est peccati*; (*Joan.* VIII, 34); sed ab hac captivitate redemit nos suo sanguine Jesus Christus. Pars ergo quæ captivatoribus suis volens servit, et eis delectatur quæ hostibus placent, præbet se ministram ad impugnandos redemptos, et per ipsam diabolus quidquid contra sanctos audet, exsequitur; ut merito ipse agere dicatur, quod per homines sibi subditos gerit. Interrogant ergo Christianos pagani, et impii eorum quorumque dogmatum sectatores, quæ nobis religionis sit ratio, quæ utilitas in fide Christi, quive sit fructus; et interrogatio eorum non veritatem vult di- C scere, sed credentium corda turbare. Unde a talium auribus suspendenda sunt organa, nec canticorum hymnorumque nostrorum sacramenta pandenda; [b] ne sanctum detur canibus, et jaciantur margaritæ ante porcos (*Matth.* VII, 6). Volentibus igitur de confessione fidei nostræ instruere calumnias suas, respondendum est quod ait psalmus:

(Vers. 4.) *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Homo deditus carni, deditus mundo, serviens vanitatibus, plenus erroribus, terra aliena est, in qua seri sacra semina, quæ sunt divina cantici verba, non possunt: quia nisi in Sion, id est, in Ecclesia, non congrue celebratur divina laudatio. Ne ergo per alienorum contagia quædam cœlestis patriæ irrepat oblivio, quodam jurejurando confirmanda est D fides, et dicendum:

(Vers. 5.) *Si oblitus tui fuero, Jerusalem, oblivisсatur me dextera mea.* Dextera nostra est vita æterna, sinistra est vita temporalis: illa plena spe beatitudinis, hæc plena periculo perditionis. Quidquid fit propter vitam æternam, dextera operatur; sinistrum vero est quidquid propter gaudia transitoria aut optatur aut agitur; et in oblivionem venit dextera sinistræ, cum virtutis amor et consuetudo superaverit. His ergo qui ab Jerusalem charitate discedunt, hoc contingit, ut obliviscatur eos dextera eorum. Vita enim æterna in se manet; illi autem remanent in delectatione mortifera, amplectentes mala pro bonis, falsa pro veris, sinistra pro dexteris.

(Vers. 6.) *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, et non præposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.* Obmutescam, inquit, nisi tui meminero. Quid enim loquitur, aut quid sonat, qui cantica Sion in laude non sonat? Eloquium linguæ nostræ est Jerusalem canticum. Os autem carnalia loquens, et sæcularia canens, **496** mutum est et obstructum; quia inde delectatur, unde confunditur. Verus ergo Jerusalem amator et civis, hac se lege constringit, ut hujus pœnæ subeat damnationem, si non omnibus jocunditatibus præposuerit cœlestis patriæ charitatem.

(Vers. 7.) *Memento, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem.* Homo Israelita inter alienigenas constitutus precatur Dominum ut meminerit, quia inter filios Edom, id est Esau, et inter filios Jacob concordia esse non possit; et illæ inimicitiæ maneant, quas jam in matris utero significabat nondum natorum lucta geminorum (*Gen.* XXV, 23), [c] et post ita discrevit præscientia Creatoris, ut diceret, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malac.* I, 2). Unde omnes filii promissionis personam gerunt Jacob, Esau vero nomine tota pars infidelium figuratur. Petit igitur ut meminerit Deus quomodo Esau insurrexerit in Jacob (*Gen.* XXVII, 41); meminerit etiam diem laborum Jerusalem, quæ superbiam toleret impiorum; vel diem felicitatis ejus, qua a servitute captivitatis quotidie eruitur, [d] et ad æternæ patriæ bona vera perducatur. *Qui dixerunt, Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea.* Persecutoribus populi Dei non sufficit qualiscumque vastatio; nisi etiam fidem, quæ sancti est ædificii fundamentum, sæva exinanitione subvertant.

(Vers. 8.) *Filia Babylonis misera.* Ipsa est eadem quæ Babylon; quæ in propagine sua et mater et filia est: mater generando, filia succedendo. Infelix utique et misera, quæ ad perditionem et generatur et generat.

(Vers. 8, 9.) *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.* Omnes primo ortu in Babylonia geniti sumus, et ab ipso carnali exordio parvulos nos accepit mundana confusio; nec aliud nobiscum egit hoc sæculum, quam ut per varias opiniones et diabolicas artes diversis implicaremur erroribus. Sed de hoc generali malo innumeros eruit Dei gratia, et adhuc inter oblectamenta Babylonis morantes, jam inter Jerusalem computat cives, [e] quos

[a] In Augustino, *præcepta Dei,* voce hac *Dei* ter repetita.

[b] Lugd. et Lovan., *nec sanctum;* Duac. et Colon., *ne sanctum.*

[c] Forte legendum, *et quos,* non, *et post,* quod habent omnes editi nostri.

[d] Fortasse legas, *ut,* non *et... perducatur,* aut saltem *perducitur,* pro *perducatur.*

[e] Sola Lugdun. editio, *quod qui beatus est,* etc.

Digitized by Google

qui beatus est, et beatos facit, eruit de tenebris et de A potestate tenebrarum (*Coloss.* I, 13), ut sint filii lucis et regni, allisi ad petram Christum, ut moriendo mundo, viverent Deo, dejecti et erecti, destructi et ædificati, in pulverem comminuti, et in petra, petra instaurante, solidati.

## 497 PSALMUS CXXXVII.

(Vers. 1.) *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti omnia verba oris mei.* Psalmi titulus sub nomine David eum significat, qui est ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3), ad quem prophetica est directa confessio, quæ laudis est divinæ, non iniquitatis humanæ. Confessionis enim nomine solet indicari confessio pœnitentis; sed hic manifestatur gratulatio laudatoris, quæ toto corde profertur, quia nulla illi alia affectio sociatur; B et ideo exaudita sunt verba oris ejus; cujus oris, nisi cordis, unde sumunt ipsa verba principium? Ea ibi auribus Dei vox mentis auditur.

(Vers. 1, 2.) *In conspectu angelorum psallam tibi. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Super misericordia tua et veritate tua.* Si in vera exsultatione cordis spiritaliter Deo psallimus, coram angelis psallimus: quia non terrena, sed cœlestia sapimus, in quo pietatis officio beatitudo excellit angelica. Nam carnalia desideria non psallunt, nisi coram hominibus, quorum se animi supra terrena non erigunt, et qui sanctorum gaudiis interesse non possunt: quia nec adorant ad templum sanctum Dei, quod est Jerusalem, una simul et mater et filia, mater in angelis, filia in homini- C bus, quibus dicitur: *Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16). Confessio autem religiosa veritatem et misericordiam Dei prædicat: veritatem in judicando, misericordiam in subveniendo. Non enim aliæ sunt viæ quibus ad nos venit, aut aliæ quibus nos ad se provehit. *Quoniam magnificasti* [a] *super nos nomen sanctum tuum.* Magnificavit Dominus super omnes nomen sanctum suum, super Abraham, et Isaac, et Jacob, super duodecim tribus Israel, quas erutas de jugo servitutis introduxit in terram promissionis; et super universas nationes, de quibus tamquam de lapidibus suscitat quotidie filios Abrahæ (*Matth.* III, 9), *Ut in nomine Domini Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua* D *confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 10 *et* 11).

(Vers. 3.) *In quocumque die invocavero te, velociter exaudi me.* Quare velociter? Quia ipse dixisti, *Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum* (*Isai.* LVIII, 9). Quare velociter? Quia non in diversa tendo, nec superflua concupisco; sed quod docuisti peti, hoc mihi concupisco præstari. *Multiplicabis me in anima mea, in virtute multa.* 498 Expressum votum secundum desiderium et ab omni carnali cupiditate purgatum. Si, *Multiplicabis me*, tantummodo diceret, videri poterat terrena aliqua conceptio; sed cum addidit, [b] *in justitia*, nihil est quod possit plenius et perfectius postulari: quia summi boni significatio est in appellatione virtutis.

(Vers. 4.) *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ, quoniam audierunt omnia verba oris tui.* Ubique Evangelium prædicabitur (*Matth.* XXIV, 14), ubique apostolica doctrina discetur. *In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). *Confiteantur* ergo *tibi, Domine, omnes reges terræ*; et quia non habent necessitatem sublimiora cupiendi, laudent te de excellentia quam dedisti, quia latere eos jam non potest, quod eorum sceptra tua dona sunt.

(Vers. 5.) *Et cantent in viis Domini, quoniam magna gloria Domini.* In quibus viis, nisi de quibus dicitur, *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10)? ut dum omnia opera Dei in his consummantur, nemo nisi in ipsius gloria glorietur.

(Vers. 6.) *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe agnoscit.* Sub oculis Domini est et humilis et elatus. Sed humilem quia placet, proximus videt; superbum, quia displicet, longinquus agnoscit; et cum juxta sit his qui tribulato sunt corde (*Psal* XXXIII, 19) longe tamen est a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 155).

(Vers. 7.) *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me.* Si præsentia, inquit, non amavero, et si ad promissiones tuas tendens, terrenis illecebris non inhæsero, vivificabis me, et cito exaudies: quia tribulationem mihi afferent temporalia, quem spes invitat æterna. *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.* Protectio, inquit, brachii tui defendit me ab inimicis meis, et ut adversitatibus non vincerer, fecit dextera tua, quæ me a sinistris omnibus liberavit.

(Vers. 8.) *Domine, retribue pro me.* Ego, inquit, debitor sum, et [c] conditione proprii debiti liber esse non possum (I *Cor.* VII, 21); tu, Domine, pro me retribues, qui nihil debes; et qui mortem, dum moreris, occidis, solvens mea, ut sequar tua. *Domine, misericordia tua in æternum: opera manuum tuarum ne despicias.* Illam, inquit, misericordiam quæro, qua temporalibus eruis, et ad æterna perducis, Domine. *Opera manuum tuarum ne despicias:* Quia sive in eo quod homines sumus, sive in eo quod ex nostra impietate mutati et justificati sumus, tuarum manuum sunt opera, quibus nos et condis et renovas.

## 499 PSALMUS CXXXVIII.

(Vers. 1, 2.) *Domine, probasti me, et cognovisti me. Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.* In prophetia psalmi verba sunt ipsius Domini

[a] Forte, *super omnes*, ut resumitur in explicatione, aut *super omne*, ut in Augustino et Vulgata nostra: licet editi nostri omnes habeant, *super nos*.

[b] Apud Augustinum hic, *in virtute*, ut etiam supra in textu versus.

[c] Forte, *condictione*; editi tamen omnes, *conditione*.



Digitized by Google

Jesu Christi, qui, quamvis secundum deitatem conformis et æqualis sit Patri (*Joan.* x, 30), tamen secundum quod Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), et habitum formæ servilis accepit, dicet Patri, *Domine*; qui ei et Pater et Dominus est: Pater formæ Dei, Dominus formæ servi. *Probasti, et cognovisti me*; non quia non noverat, sed quia notum aliis fecerat. Sedere autem est humiliari; surgere, exaltari: unde sedit Dominus in passione, resurrexit in resurrectione. Quod, inquit, tu voluisti, Domine, approbasti; et ideo factum est, quia sic tibi placuit. Qui autem vocem capitis ex persona corporis mavult accipere, confessionem intelligat pœnitentium, qui sedent per humilitatem pœnitudinis, et surgunt per justificationem remissionis.

(Vers. 3, 4.) *Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam et limitem meum investigasti. Et omnes vias meas prævidisti.* Agnoscamus hic vocem illius filii minoris qui, dissipata substantia patris, in longinqua discesserat, et personam gerens gentium quæ defluxerant in idolorum culturam, tandem resipiscens ait, *Surgam, et ibo ad patrem meum* (*Luc.* xv, 18); et cui revertenti occurrit pater quia intellexerat cogitationes ejus de longinquo. *Semitam* igitur, inquit, *meam*, qua discessi, *et limitem meum*, quo usque perveni, *investigasti*: quia desertorem tua præsentia ubique concludebas: ideo sinens me laborare vias meas, ut si perpetuo miser esse nollem, redirem ad vias tuas. *Quoniam non est dolus in lingua mea.* Confiteor, inquit, quod mihi discedenti a te conteri miseriis utile fuit: nam si bene mihi esset sine te, nollem forsitan redire ad te.

(Vers. 5.) *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua.* Antiquum peccatum, quo in primis parentibus ruimus, novissimam pœnam, quam omnes per multos labores, communi [a] mortalitatis conditione, dependimus. *Tu finxisti me, et posuisti super me manum tuam.* Omnes in uteris matrum Deo plasmante finguntur, sub ea lege quam superbiæ merito humanum genus sustinet: superposita divinæ potentiæ manu, quæ ut humiles erigat, elatos premit.

(Vers. 6.) *Mirificata est scientia tua ex me; invaluit, non potero ad eam.* **500** Mea, inquit, superbia et discessione factum est ut obscuraretur cor meum, nec possent mihi tua patere judicia. Dum enim meæ potestatis libertate delector, factus sum egentior atque tenerior. *Ex me* mihi ista difficultas convaluit; *ex me* extra lumen scientiæ tuæ factus sum, ad quod nisi ex te redire non potero.

(Vers. 7.) *Quo ibo a Spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam?* Discedenti a Spiritu Dei nullus invenitur locus, qui ejus præsentia et potestate sit vacuus. Nemo iram ejus fugit, nisi qui ad iratum confugit (*Sent.* 235).

A (Vers. 8.) *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero ad infernum, ades.* Si ad cœlum extollar elatus, te invenio resistentem; si ea quæ infra me sunt eligam, te experiar persequentem: quia sicut malum mihi est præsumptione erigi, ita malum est desperatione demergi.

(Vers. 9.) *Si sumpsero pennas meas in directum, et habitavero in postremis maris.* Jam bono consilio utitur qui pennas suas, geminæ scilicet præsidia charitatis, quibus in directum volet, meditatur assumere, et in ultimis maris, id est, in fine sæculi hujus habitare: ut tota intentio animi et temporalis vitæ conclusione sollicita, non jam vanis occupetur cupiditatibus, sed ad promissiones Dei de hoc sæculo valeat evolare. Verum hoc ipsum quis efficit B suis viribus, nisi adjuvet ille qui jubet? Propter quod sequitur, et dicit:

(Vers. 10.) *Etenim illuc manus tua deducet me, et adducet me dextera tua.* Considerans autem longinquitatem viæ, et de laboris exitu timens, addit:

(Vers. 11, 12.) *Et dixi, Fortasse tenebræ conculcabunt me*: hoc est, forsitan superabor adversis, et magis magisque tenebrabor, si perseverantiæ finem non apprehendero. *Et nox illuminatio in deliciis meis. Quoniam tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.* Tempus, inquit, laboris mei tempus est noctis, quam tamen gratiæ tuæ splendor illuminat. Verbum enim tuum lucerna factum est gressibus meis (*Psal.* CXVIII, 105), ut quæ mihi erant tenebræ inciperent C esse deliciæ: quia tenebræ quæ a semetipsis obscurantur, a te lumen accipiunt. Qui ideo agentes opera tenebrarum flagellas, ne temporalium deliciarum oblectatione cæcati, bona non desideremus æterna. Nocte autem nobis lucere soles, et tamquam diem facis, cum per austera remedia ad vitam nos vocas, ut dulcia sint flagella patris, ne sit amara [b] sententia patris. Quia ergo et adversa vitæ istius, et secunda **501** non carent tentatione, qua aut elevamur aut premimur; utrumque fit nox, si desit illa lux quæ nec superbire nos sinat, nec desperare permittat.

(Vers. 13.) *Quoniam tu possedisti renes meos, Domine.* Tu, inquit, Domine, non solum cor meum, sed et renes meos possides; et te habitante interiora mea, factum est ut me aliquid lucis delectaret in noD cte. *Suscepisti me ex utero matris meæ.* Qui Paulum apostolum segregavit ab utero matris suæ (*Gal.* I, 15), ipse et nos segregavit ab utero matris [c] nostræ illius Babyloniæ, unde in novam vitam regenerati, nova spe, novis deliciis, nova luce gaudemus. Quoniam nec felicitas sæculi hujus nos beatos facit, nec adversitas miseros, si vera bona et mansura diligamus.

(Vers. 14.) *Confitebor tibi, quoniam terribiliter mirificatus es; mirabilia opera tua, et anima mea cogno-*

[a] Editiones Lugdun. et Lovan., *immortalitatis*. Melius Duac. et Colon., *mortalitatis*. Augustino dicente hic, *quando in istam mortalitatem laboriosam periculosamque pervenimus*.

[b] Augustinus scripserat, *sententia judicis*. Unde conjicimus erratum forte irrepsisse in codices Prosperianos ubi legitur, *sententia patris*.

[c] Editi omnes, *matris suæ*. Errore manifesto, quem sola Augustini lectione suffragante emendare non dubitamus.

Digitized by Google

*scet valde*. Terrorem, inquit, mihi incutiunt miracula gratiæ tuæ; et unde est ratio gaudii, inde est causa formidinis. Cognoscit enim anima mea quanta operaris ut salves, et quæ mihi sint pericula cavenda ne peream.

(Vers. 15.) *Non est absconditum os meum a te, quod fecisti in abscondito*. Est quædam in sanctis hominibus Dei insuperabilis fortitudo, et invicta patientia, quam in eis occulte finxit Deus, et absconditam fecit, habentem osseam firmitatem, quæ nec corrumpatur secundis, nec frangatur adversis. De qua virtute in alio psalmo dicitur, *Verumtamen Deo subjicitur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea* (*Psal.* LXI, 6). *Et substantia mea in inferioribus terræ*. In hac, inquit, substantia fragilis et infirmi corporis, quod est in infimis terræ, fortitudinem quærit, quæ inter sævas tribulationes, etiam carni perseverantiam daret.

(Vers. 16.) *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur*. In his verbis persona est ipsius capitis, quod nunc in se, nunc in corpore suo loquitur : quia duo sunt in carne una (*Ephes.* V, 31). De illis ergo, in quibus erat patientiæ roboranda constantia, ut ipsi pro Domino pati possent, qui in ejus passione titubaverant, dicit ipse, *Imperfectum meum viderunt oculi*. Et quia qui usque ad desperationem expaverant, usque ad victoriæ coronas, te aspiciente, coronati sunt, addidit, *Et in libro tuo omnes scribentur*. Igitur omnibus timidis, et de propria infirmitate trepidantibus sperandum est supernæ virtutis auxilium : ut inde non excidat charitas, unde præstatur facultas. *Per diem errabunt, et nemo in eis*. **502** Sive, ut in quibusdam codicibus invenitur, *Die formabuntur, et nemo in eis*. Imperfecti, inquit, mei, qui omnes erunt in vita æterna, *per diem errabunt*, hoc est in me turbabuntur; et *nemo erit in eis*, quem non timoris tenebræ ad desperationem usque perducant. Si autem legamus, *Die formabuntur*, intelligendum quod hi quorum nemo conturbabitur, *die formabuntur*, hoc est, illuminatione illius visionis qua beatum Petrum nimis trepidum ad remedium patientiæ suo reformavit aspectu.

(Vers. 17, 18.) *Mihi autem valde honorificati sunt amici tui, Deus, valde confortati sunt principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur*. Ipsi, inquit, qui in die erraverunt, et quorum nullus fuit qui conturbaretur, amici mei et valde honorabiles facti sunt, et totius Ecclesiæ habuerunt principatum. Et quamvis a me sint dinumerati, super arenam tamen multiplicabuntur, quia in infinitum et multitudo eorum crescit et gloria. *Exsurrexi, et adhuc sum tecum*. Hoc tempus significat, quo adhuc in occulto est ad dexteram Patris, antequam reveletur in ea majestate in qua judicaturus est vivos et mortuos. Unde sequitur et dicit, quid interea per totum hoc tempus in Ecclesia agatur : de bonorum et malorum permixtione, et omnibus afflictionibus vitæ temporalis obnoxium formasti occultum, dum eis differtur adventus.

(Vers. 19, 20.) *Si occideris, Domine, peccatores, viri sanguinum, declinate a me. Quod dicitis in cogitatione, accipient in vanitate civitates suas*. Occiduntur superbi, cum deseruntur gratia Dei : quibus in cogitatione humilium [a] et unitate custodientium Dominus dicit occulte, *Viri sanguinum, declinate a me;* quod palam in judicii sui manifestatione dicturus est, *Numquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 23). *Viri* autem *sanguinum* qui sunt, nisi qui oderunt fratres? Sicut Joannes dicit, *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* III, 15). Isti ergo ab unitate Ecclesiæ per superbiam recedentes, qui quasi offensi permixtione palearum, ante discretionis ventilabrum triticum deserunt, *accipient in vanitate civitates suas;* id est, in reprobam societatem et in vana se concilia congregabunt, quia qui charitate catholica non [b] utitur, hæretica vanitate dispergitur.

(Vers. 21, 22.) *Nonne qui oderunt te, Domine, odio habui, et super inimicos tuos tabescebam?* **503** *Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi*. Perfecta in Dominum dilectio est, non amare quod non amat, et ipsos inimicos Dei sic odio habere, ut pravitas eorum odiosa sit potius quam natura. Quia aliud est in illis quod ipsi faciunt, aliud quod Creator instituit. Hoc est enim perfecte, id est scienter odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas (*Sent.* 65).

(Vers. 23, 24.) *Proba me, Domine, et scito cor meum; interroga me, et cognosce semitas meas, Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna*. Scrutare, inquit, *semitas meas*, id est, consilia et cogitationes meas probans et examinans, quo affectu diligam bonos, et quo animo tolerem malos. *Et deduc me in via æterna*. [c] Nisi ille qui dixit, *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6); et qui est *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5); *per quem habemus accessum ad Patrem*, et qui *est exoratio pro peccatis nostris* (I *Joan.* II, 1, 2).

## PSALMUS CXXXIX.

(Vers. 1.) *In finem Psalmus ipsi David*. Finis non alius intelligendus est quam qui est ab Apostolo declaratus, dicente : *Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Titulo ergo suo indicat psalmus unde locuturus sit; nam et dicendo, *Ipsi David*, eum significat, qui est secundum carnem

[a] Forte legendum, *et unitatem custodientium*. Etsi editi omnes *unitate* habeant : nam S. Augustinus hic loci in Donatistas sententiam direxerat, qui *inflati justitiæ nomine, persuadebant populis ut, disrupto unitatis vinculo, eos tamquam justiores cæci et imperiti sequerentur..... inter quos triticum Christi, servato unitatis vinculo, gemebat*.

[b] Editores Duac. et Colon. margini apposuerant, *non unitur*.

[c] Hic aliqua ad sensus perfectionem deesse videntur. Forte quæ in Augustino ipso habentur, aut aliquid eorum, *Quid aliud dicit, quam, Deduc me in Christo? Quis est enim via æterna, nisi qui est vita æterna? Æternus enim est qui dixit, Ego sum via*, etc.

Digitized by Google

ex semine David (*Rom.* I, 3). Ergo non secundum divinitatem, qua Creator est non solum David, verum etiam visibilium atque invisibilium naturarum; sed secundum carnem filius David esse dignatus est, ut totum corpus ejus, id est, Ecclesia, capitis sui utatur auxilio, et omne membrum ejus voce ipsius dicat :

(Vers. 2.) *Eripe me, Domine, ab homine malo; a viro iniquo libera me.* Non ab uno maligno, sed ab uno genere malignorum; nec a vasis tantum, sed ab ipso principe, id est, ab ipso diabolo se erui cupit, qui vult ab injustitia liberari. Dicit enim Apostolus, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12), id est, rectores peccatorum, quibus præsidet et dominatur totius malignitatis incentor. Qui autem est homo malus, idem est et vir iniquus. Nullus enim injustus malitia caret, et in dissimilibus peccatis unius nomen est peccatoris; qui etiam si sic peccet, ut ab aliorum se læsione contineat, quolibet tamen modo sibi nocens, innocens non est.

**504** (Vers. 3.) *Qui cogitaverunt injustitias in corde, tota die constituerunt bella.* Minus noxia est iniquitas aperta quam tecta; et ille est insidiosior inimicus, qui in labiis portat bona, et in penetralibus animi occulit mala. In talibus autem secretis non nisi bella constituuntur, hoc est, ea ordinantur quæ bonis sint adversa et repugnantia; quia contra omnia vitia continua sunt bella virtutibus.

(Vers. 4.) *Acuerunt linguam suam sicut serpentes; venenum aspidum sub labiis eorum.* Non est dubium quales sint qui serpentibus comparantur, qui sine strepitu ac sono leniter serpunt, sed nocenter irrepunt.

(Vers. 5.) *Conserva me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus injustis erue me. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos.* Omnes quidem maligni, sive occulti, sive manifesti, sollicite sunt cavendi, ne quid excitent periculi, ne quid inferant damni; sed in nullo magis eorum metuenda versutia, quam ne nos socios suos faciant, et gressus nostros a via recta in sua itinera moresque traducant. Ipsa est sævissima supplantatio, quando fideles et religiosi, relicto proposito bono, in imitationem transeunt impiorum.

(Vers. 6.) *Absconderunt superbi muscipulam mihi; et restes extenderunt in laqueum pedibus meis.* Totum corpus diaboli breviter explicavit, dicens, *superbi.* Inde est enim quod justos se videri volunt cum sint iniqui, et nihil magis refugiunt quam peccatorum confessionem; cumque sint falsi justi, veris justis invident, quia moleste ferunt illorum sinceritate suam detegi simulationem. Agunt ergo omnia arte fallaciæ, ut subruant gressus bonorum, et imitatores sui faciant, quos ad condemnationem suam dolent esse meliores. Doli autem iniquorum ideo *restes* dicuntur, quia insidiantes rectorum gressibus, adjiciunt malitiam super malitiam, et peccatis peccata contexunt.

(Vers. 6, 7.) *Juxta semitas scandalum posuerunt mihi. Dixi Domino, Deus meus es tu.* Semitæ justorum mandata sunt Dei : in quibus scandala constituere mali nequeunt, sed *juxta* insidias tendunt, et veris verisimilia adjungunt, ne a lege justitiæ discordare videantur. Non ergo discedatur a semitis, et tendiculæ non nocebunt. Ambulans autem per viam mandatorum Dei dicat Domino, *Deus meus es tu*, quæ vox proprie justorum est, cum Deus etiam malorum sit Deus. Sed hac confessione non adjuvantur, quamdiu Domino, conditione potius quam voluntate subduntur.

(Vers. 7, 8.) *Percipe auribus vocem deprecationis meæ, Domine, Domine, virtus salutis meæ.* **505** Cum videatur recte [a] potuisse dicere, Percipe auribus deprecationem meam, id est, non sonum, qui est etiam animalium, sed vocem, quæ est [b] sperantium atque viventium : nam infernorum soni sunt, voces autem nisi rerum viventium non sunt; magnus tamen affectus precantis ostenditur, cum et Domini appellationem repetit, et salutis suæ non in se esse causam, sed in Domini virtute profitetur. *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Præsens vita, quæ tota tentatio, dies est belli (*Job.* VII, 1); quia vel foras, vel intus numquam deest adversitas, cui debeat repugnari. Laborans igitur in hoc bello, recte sibi obumbrationem petit gratiæ Dei, ne æstu laborum fatigatus arescat.

(Vers. 9.) *Ne tradas me a desiderio meo peccatori.* Ideo ait obumbratum se in die belli, ut non ureretur æstu desiderii : quo qui vincitur, traditur peccatori, et adversæ subjicitur potestati. Pertinacia enim malæ voluntatis ducit in laqueum, a quo eximitur cujus concupiscentia superna obumbratione sedatur. *Cogitaverunt adversus me; ne derelinquas me, ne forte exaltentur.* Cogitatio adversantium fraudulenta est : sed ut mihi, inquit, non noceat, *ne derelinquas me*, ne de mea abjectione lætentur.

(Vers. 10.) *Caput circuitus illorum, labor labiorum ipsorum teget eos.* Me, inquit, umbra alarum tuarum tegat in die belli. Illi autem mendacio suo se tegere laborabunt, et hoc erit caput circuitionis ipsorum. Non enim umquam quiescent in suis commentis veritatis inimici : qui volentes suis se operire mendaciis, ad hoc laborant ut non finiendis laboribus im-

[a] Editi omnes *potius se dicere;* sed facilis error potuit irrepere, ubi *potuisse* legi debuisset, nulla adjectione, et leviori litterarum permutatione. Quod senserant jam Duac. et Colon. editores, et in ora libri observarant.

[b] Fortassis melius legeretur *spirantium*, cum exponat Augustinus, *vocem deprecationis meæ, vitam deprecationis meæ, non quod sonat in verbis meis, sed unde vivunt verba mea. Vox proprie animatorum est, vivorum est. Quam multi autem deprecantur Deum, et non sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo, sonum deprecationis habere possunt, vocem non possunt, quia vita ibi non est.*

Digitized by Google

plicentur : quia velare se non poterunt, nisi [a] mendacium laborent labiorum.

(Vers. 11.) *Cadent super eos carbones ignis; in terra dejicies eos.* Sicut prædicatio crucis Christi *aliis* erat *odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (I *Cor.* II, 16), sic et isti carbones ejus sunt operationis, quæ et illustrare valeat fideles, et punire peccatores. Fit autem hæc malorum pœna *in terra*, id est, in hoc sæculo, et in hac vita, cadente super eos igne supplicii temporalis, antequam veniat ignis æternus. *In miseriis non subsistent.* Victi, inquit, tribulationibus cadent; et **506** *non subsistent*, quia debitis plagis non emendabuntur, sed pejores fient.

(Vers. 12.) *Vir linguosus non dirigetur super terram.* Linguosus non capit scientiam veritatis : amans enim semper loqui, non potest erudiri. Prava ergo studia ipsius non dirigentur, quia loquacitas imperita mavult docere quam discere. *Virum injustum mala venabuntur in interitum.* Venient mala, et non subsistent injusti; cum aliqua clade opprimuntur, intereant. Non enim quæ inciderint mala, pro justitia patiuntur, et ideo non subsistent, quia in miseriis suis nulla possunt bonæ spei fiducia sustinere.

(Vers. 13.) *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis,* [b] *et in causam pauperum ostendit iniquis.* Pauperes sunt humiles, et sancto semper desiderio suspirantes, *qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V, 3 *et* 6); qua saturabuntur quorum causam Deus non negligit, et in quorum gloria videbunt impii quid amiserint (*Sap.* V, 3, *etc.*).

(Vers. 14.) *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, habitabunt recti cum vultu tuo.* Glorificabuntur, inquit, justi, et æterna beatitudine ditabuntur; sed tamen nihil operum tuorum suis meritis vindicabunt. Confitebuntur tibi opera misericordiæ tuæ, et omne bonum suum tuæ gratiæ deputabunt; et in hoc *inhabitabunt cum vultu tuo*, hoc est, æterna vultus tui visione potientur. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8).

## PSALMUS CXL.

(Vers. 1.) *Domine, clamavi ad te, exaudi me; intende voci deprecationis meæ, dum clamavero ad te.* Oratio corporis Christi non separatur a capite, quod in suscepta membrorum natura manet, et orare totam Ecclesiam facit, dicente Domino, *Clamavi ad te*, non alta voce, sed forti fide. Nec quia exaudisti, ideo clamare cessabo, cum humilitatis meæ conditio talis sit, ut non cessantibus tribulationibus, semper gaudeat adjuvari.

(Vers. 2.) *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Hoc de ipso capite intelligendum omnis **507** Christianus agnoscit. Declinante enim die in vesperam, Dominus in cruce emisit spiritum (*Matth.* XXVII, 50), rursum inserendum corpori : ut spes omnium fidelium hoc in se non dubitaret implendum, quod in capite præcessisset. Supra omnia ergo holocautomata hoc sacrificium fuit, quod imitantur corda sanctorum, cum de bona flagrantia orationum, tamquam de ara, ad Deum odor tendit incensi (*Apoc.* V, 8, *et* VIII, 3). Cujus oblatio non fit sine illa confessione, quam Christus ex persona sui corporis suam fecit, dicens, *Verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI, 2) : ut agnosceremus semper nobis necessariam confessionem peccatorum, quæ inesse nobis, ipsius qui nos suscepit voce cognoscimus.

(Vers. 3.) *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.* Numquid hoc præsidio et hac munitione indiget caput? Sed agit causam corporis sui, et quæ membri sunt, profutura sibi postulat. Quoniam qui dicit, *Cum uni eorum fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40), et persequenti Ecclesiam ait, *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? ipse est qui ex persona suorum poscit, et dicit, *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.*

(Vers. 4.) *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis; cum hominibus operantibus iniquitatem.* Custodiam ergo sibi apponi os fidelium petit, et ut ostio continentiæ muniatur : quod nec clausum sit ad confitenda, nec apertum ad excusanda peccata. Sunt enim qui scelera sua nolunt sibimet imputari, et pondera malæ consuetudinis ad necessitatem retorquent naturæ, ut accusatione conditionis defendant crimina voluntatis : cum quibus homo corporis Christi non vult habere consortium, dicens : *Et non communicabo cum electis eorum :* hoc est, non sociabor cum electis eorum quos in his excusationibus præcipuos habent, quadam scientia tumidos, et causam facinorum quasi doctius defendentes, ne videantur peccata esse hominum, quæ facta sunt siderum. Nomen itaque electorum in bonis donum est gratiæ, in malis mendacium superbiæ : qui etiam perdita innocentia, defensione commissorum scelerum gloriantur.

(Vers. 5.) *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me.* Castigatio justi non sævitia est odii, sed medicina charitatis, quæ non laudat, sed arguit delinquentem. Melior est severa justi misericordia, quam blanda adulatio peccatoris, de qua dicitur : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Intima, inquit, conscientiæ meæ non oblectet falsa

[a] Sic editiones Lovan., Duac. et Colon. Lugdunensis vetus, *mendacium labore labiorum*. Lugd. recentior, *mendacio laborent labiorum*.

[b] Editi omnes antiqui, *in causam pauperum*, posterior editio *causam pauperum*, ut legitur in Opere Augustini. Hæc autem verba, *ostendit iniquis*, cum non habeantur in Augustino, nec in utraque Hieronymi versione Romana et Gallicana, nec in textu Hebræo, unde huc irrepserint difficile conjicimus; nisi forte ex textu Augustini, qui post citatum hunc versum, *Quoniam faciet Dominus judicium egentis, et causam pauperum*, statim explicando subdit, *Ostendet iniquis quomodo diligit justos.* Prosper tamen ad hæc respicere videtur, dum in fine expositionis dicit, *in quorum gloria videbunt impii quid amiserint.*

Digitized by Google

laudatio : quoniam argui me malo quam decipi. A *Quis* enim *gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato* (*Prov.* xx, *sec. LXX*)? cum quotidie *caro concupiscit adversus spiritum, et* **508** *spiritus adversus carnem* (*Gal.* v, 17); sciatque et suum esse quod patitur concupiscentem, et gratiæ esse quod superat rebellantem. *Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum.* Oratio, inquit, Christi, sive quam docuit (*Matth.* vi, 9), sive qua quotidie interpellat pro nobis (*Hebr.* vii, 25), adhuc placebit eis, qui ridendam putant confessionem nostram, qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus* (*Matth.* vi, 12). In toto enim mundo hæc supplicatio convalescit; et qui se falso justificant, probabunt hanc homines veram esse sapientiam, ut nemo de se præsumat, sed *qui gloria-* B *tur, in Domino glorietur* (I *Cor.* i, 31).

(Vers. 6.) *Absorpti sunt juxta petram judices eorum. Judices eorum*, id est, magistri ipsorum, qui sibi judicium vindicant de mundanorum dogmatum disciplinis, si petræ jungantur, id est, si Christo comparentur, absorpti sunt, id est, nihil loci habebunt, sed in sua vanitate deficient, quia etsi aliquid recti verique dixerint, non cujusquam hominis, sed est ipsius veritatis. *Audient verba mea, quoniam prævaluerunt.* Evangelium veritatis nulla persecutione superabitur: cedent impii, cedent loquaces, et ingenia adversantium discipulos Christi facient doctores. Non eos exsilia, non damna, non mortes, non crux ipsa terrebit, quoniam prævalebunt verba mea, et passionibus martyrum multiplicabitur gloria triumphorum. C

(Vers. 7.) *Sicut crassitudo terræ disrupta est super terram, dispersa sunt ossa nostra secus infernum.* Mortibus martyrum et sanguine occisorum sanctorum, quorum ossa dispersa sunt, incrassata est terra; et sicut agri de cinere, ac de stercore, ac de vilissimis excrementis vires ubertatis accipiunt, ita cruore cæsorum testium Christi totus fecundatus est mundus : ut ubique seges martyrum cresceret, et insererentur cœlo, qui deputabantur inferno.

(Vers. 8.) *Quoniam ad te, Domine, oculi mei; in te speravi, ne auferas animam meam.* Contra sævitiam persequentium vox ad Dominum emittitur in tribulatione positorum, ne fidei fortitudinem superet atrocitas passionum. Petitur igitur tolerantia, ut validior sit dilectio Dei quam magnitudo supplicii. D

(Vers. 9.) *Custodi me a muscipula, quam statuerunt mihi, et ab scandalis operantium iniquitatem.* Quæ erat *muscipula*, nisi vox persecutoris, dicentis, Si consentis, parco, ut per cibum præsentis vitæ iretur in laqueos mortis æternæ? Quæ autem erant scandala, nisi exempla lapsorum, quorum impio defectu patientia perseverantium gravabatur?

(Vers. 10.) *Cadent in retiaculo ejus peccatores:* non quia cuiquam virtutem non cadendi justitia sua dederit, cum gratia Dei multos **509** etiam ex impiis martyrio coronarit; sed ideo dicuntur peccatores casuri, quia iste casus etiam eos qui justi videbantur facit peccatores. *Singulariter ego sum, donec transeam.* Solus Christus martyrum fortitudo, pro quo nullus est prius mortuus quam ipse moreretur, sicut dicit, *Cum exaltatus fuero a terra, omnia ad me traham* (*Joan.* xii, 32); et, *Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Ibidem*, 24). Priusquam ergo moreretur, et resurgens transiret ad Patrem, singularis fuit, nec habuit socios passionis, qui postea in multiplicem segetem de unius grani fecunditate creverunt.

## PSALMUS CXLI.

(Vers. 2.) *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.* Quod dixit, *clamavi*, exposuit dicendo, *deprecatus sum voce mea*, id est, interiori affectu, nec corporis voce, sed mentis.

(Vers. 3.) *Effundo in conspectu ejus precem meam;* id est, in secreto cordis, quod solus Deus audit et videt in quo cubiculo, clauso ostio, jubemur orare (*Matth.* vi, 6), ne penetralia nostra pateant tentatori. Duo quippe sunt quibus maxime hominis interiora pulsantur, amor scilicet et timor : quibus geminis motibus animus aut aperitur aut clauditur. Sed cum terrenum est quod cupit vel timet, diabolo præbet introitum; cum autem quæ sursum sunt sapit, non quæ super terram (*Coloss.* iii, 1 *et* 2), Deus recipitur, et tentator excluditur. *Tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Quod dictum est, *in conspectu ejus*, hoc est, et *ante ipsum;* sed repetitione ostenditur quam incessanter hoc faciat, et quam nihil sine Deo agat, qui semper ipsum se habere et adjutorem profitetur et testem.

(Vers. 4.) *In deficiendo in me spiritus meus.* Confessio est humilitatis, [a] qua potens fit qui in tribulatione non deficit. Vinceretur enim qui spiritum non profiteretur infirmum : quia ille Spiritu Dei agitur, qui suo spiritu non inflatur. *Et tu cognovisti semitas meas.* Quo, inquit, desiderium meum tendat, et ad quem finem omnes meæ properent actiones, scientiam tuam non latet quia semitas meas cognoscis esse misericordias tuas. Cognitio autem Dei salus est cogniti : eum enim non cognoscit, in quo opera sua et dona non invenit. *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueos mihi.* Via sanctorum omnium Christus est, in quo volentes pie vivere, persecutionem patiuntur (II *Tim.* iii, 12). **510** Quia crux Christi Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia est (I *Cor.* i, 23). Qui ergo Christo adversantur, in via se ponere scandalum putant, cum Christianis crucifixi nomen exprobrant. Sed cum ab ejus Evangelio gressus fidelium non absterrent, nihil possunt in via collocare laqueorum : quia in veritate falsitas non latet, nec valent tenebræ in luce delitescere. Secundum animum ergo insidiantium dictum est quod in via absconderunt laqueos, qui proxima

[a] Sic Lugd. editio. Lovan. et Duac., *quia potens fit.* Colon., *quia potens sit.*

Digitized by Google

quæque suis fraudibus obsidentes, nulli per viam A gradienti nocere potuerunt.

(Vers. 5.) *Considerabam ad dexteram, et videbam; nec erat qui cognosceret me.* Dextera sunt, quæ Dei sunt et ad Dei promissa perducunt, quibus animus ejus qui persecutionem sustinet non avertitur. Hæc ergo quæ dextra sunt intuens, promissa perseverantibus præmia videt et accipit : perseverantiam tolerantiæ et dilectionem Dei assequitur, ne superetur. Hanc tamen intentionem nemo cognoscit, quia impossibile est homini penetralia alieni cordis aspicere; unde merito dixerat Deo, *Tu cognovisti semitas meas* (*Vers.* 4). *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.* Circumclusus quidem a persecutoribus, perdidit licentiam fugæ, qua uti posset absque peccato, si, manente fide, suppliciis membra hære- B rent; sed cum in proposito mentis sit lapsum magis timere quam pœnam, periit ab eo fuga, qui mavult omnem sævitiam tolerare quam cedere. Secundum autem multitudinem persequentium dixit non esse qui requirat animam ejus, quia, præter donum Dei, nulla hominum consolatio hoc cuiquam potest conferre præsidii, ut inter urgentia mala fides illæsa permaneat.

(Vers. 6.) *Clamavi ad te, Domine : dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* Ostendit unde tribulationum magnitudinem toleraverit, quia scilicet et hic tota spes ipsius Deus est, et in futuro totum præmium ipsius Deus est, qui erit omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28).

(Vers. 7.) *Intende ad deprecationem meam, quia* C *humiliatus sum nimis. Erue me a persequentibus me.* Nimia humiliatio, nimia persecutio, cujus vim sola protectio Dei vincit. Potest quidem præstare sanctis, ut in eos non habeant adversarii potestatem, sed mirabilius tribuens ut omnem superent passionem. In persecutoribus autem non humana tantum cavenda sunt odia, sed multo magis inimicitiæ spirituum malignorum, qui opere ministrorum suorum justos Dei latenter impugnant : de quibus dicit Apostolus, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus* **511** *principes, et potestates, et rectores hujus mundi, tenebrarum harum* (*Ephes.* vi, 12). Quem vero rectorem habent iniqui, nisi diabolum? Cum et fideles non habeant nisi Christum. *Quomodo corroborati sunt super me?* Vox D est Ecclesiæ conquerentis quod multum creverit numerus impiorum, quod abundet iniquitas et refrigeret charitas multorum (*Matth.* xxiv, 12).

(Vers. 8.) *Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Omnes quidem angustiæ et conclusiones turbationum carcerem faciunt, quia coarctant animam et auferunt libertatem; sed ipsa inhabitatio corporis potest carcer intelligi, non quia malum sit quod Deus fecit, qui omnia quidem bona condidit (*Gen.* i, 31); sed *corpus quod corrumpitur, aggravat animam* (*Sap.* ix, 15). Non a corpore, sed a corruptione corporis animam suam optat educi, ut confessionem laudationis Dei nulla necessitas mortalitatis impediat. *Me exspectant justi, donec retribuas mihi.* Totus psalmus ipsius capitis voce concluditur, cui et quod membra ejus patiuntur, infertur, et in quo omnis Ecclesia glorificabitur, quæ beatorum retributionum exspectat auctorem, dicentem Patri, *Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* xvii, 24).

## PSALMUS CXLII.

(Vers. 1.) *Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe deprecationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia.* Titulus psalmi passionem indicat Christi : ipse est enim verus David, qui et in se et in suis persecutionem et falsorum fratrum et falsorum sustinet filiorum. [a] Clamat ergo ad Deum et caput in corpore, et corpus in capite, hoc est, Ecclesia in Christo et Christus in Ecclesia; et cum orans in Dei justitia poscit audiri, mirabili confessione exprimit gratiam Dei, ne quisquam in sua justitia precem suam existimet recipi, cum si quid boni meretur, ex Deo sit, nec possit peccator bene agere, nisi ab illo justificatus qui neminem hominum nisi in peccatorum remissione justificat.

(Vers. 2.) *Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Cito aperuit quare nollet se divinæ comparare justitiæ, et cum Deo metuerit judicari, *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quomodo præsumam de innocentia, **512** cum a te convincendus sim [b] de injustitia? Aut quid mihi boni proprii vindicabo, qui quod non dederis non habeo? Expavesco igitur discuti, metuo judicari; quia nemo in hac mortali carne viventium veraciter potest dicere se peccati contagia non habere, cum etiam ipsi præcipui arietes ovium Christi sic orare jubentur, ut dicant, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* vi, 12).

(Vers. 3.) *Quoniam persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Collocaverunt me in obscuris, sicut mortuos sæculi.* Et a corpore hoc dictum, et a capite congruenter accipitur : quoniam et diabolus persecutus est animam Christi, et Judas animam magistri. Idemque diabolus ad persequendum corpus Christi manet, nec Judas deest in falsis fratribus succedendo. Quid enim nobiscum quilibet adversarius agit, nisi ut relicta spe cœlesti corruamus in terram? Sed contra hos vigilandum est, ut possimus dicere, *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* iii, 20). Quod ergo dictum est, *Collocaverunt me in tenebris, sicut mortuos sæculi*; in quo melius quam in Domino intelligitur, qui solus fuit *inter mortuos liber* (*Psal.* lxxxvii, 6), *et cum iniquis*

[a] Titulus autem psalmi hujus est, *Ipsi David quando eum filius suus persequebatur.*

[b] Editi habebant, *de justitia*, manifesto lapsu librariorum, cum sensus loci aliud postulet, et verba Augustini respicere videatur dicentis, *Non litigemus, nolo tecum habere causam, ut ego proponam justitiam meam, tu convincas iniquitatem meam.*

Digitized by Google

*deputatus est* (*Isai.* LIII, 12)? qui [a] cum unus fuit qui proprie et singulariter diceret, *Non est inventa in me iniquitas* (*Psal.* XVI, 4).

(Vers. 4.) *Anxiatus est in me spiritus meus*. Agnoscitur Dominus, dicens, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38): in quo utique et nos eramus, quia nostræ naturæ illa tristitia, et vetus homo noster simul [b] confixus est cruci cum illo (*Rom.* VI, 6). *In me conturbatum est cor meum*. Conturbatio hæc voluntaria fuit, et in ipso tantummodo mansit consilium misericordiæ ejus: nam cæteri recesserunt, non intelligentes magnæ pietatis sacramentum, nec resurrecturum credentes, qui et passioni subdebatur et morti.

(Vers. 5.) *Memoratus sum dierum antiquorum*, [c] *et annos æternos in mente habui*, *et meditatus sum in omnibus operibus tuis*. Hæc commemoratio antiquorum dierum, et recordatio omnium temporum, atque in eis divinorum operum contemplatio, non ex capitis, sed ex corporis sensu est. Nam auctori omnium rerum quid umquam non conspicuum est, apud quem et præterita adsunt, et futura jam facta sunt? Membrorum igitur voce Dei gratia prædicatur, et opera misericordiæ Dei lingua Ecclesiæ confitetur: quæ totius ævi seriem revolvens, nihil invenit nisi Dei providentia et bonitate subsistere, **513** et a quo cuncta sunt condita, in ipso, et per ipsum esse renovata, quoniam *vetera transierunt*, *ecce facta sunt omnia nova* (II *Cor.* V, 17). *In facturis manuum tuarum meditatus sum. Et extendi manus meas ad te*. Meditatio, inquit, mea, qua vidi omne bonum a tua bonitate manare, et tui esse operis quidquid in nobis tuæ potest placere justitiæ, ad hoc me confirmavit ut omnem spem meam in te constituerem, et tui per omnia peterem roris alimoniam.

(Vers. 6, 7.) *Anima mea velut terra sine aqua tibi; velociter exaudi me*, *Domine*, *defecit spiritus meus*. Ariditas, inquit, animæ meæ tibi sitit; quia a te desiderat irrigari, et tu accendisti æstum cordis mei, ut me exaudiri velociter petam. *Defecit* enim *spiritus meus*, ut impleat me Spiritus tuus, et fecisti me pauperem spiritu, ut tribuas mihi quod humilibus spopondisti, quorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). *Ne avertas faciem tuam a me*, *et ero similis descendentibus in lacum*. Averso a me vultu tuo, conturbatus sum, et factus sum terra sine aqua. Quia excitasti ergo desiderium, redde conspectum, ne aversa a me facie tua, *similis* efficiar *descendentibus in lacum*. Qui autem isti sunt, nisi de quibus dicitur, *Peccator cum venerit in profundum malorum*, *contemnit* (*Prov.* XVIII, 3)? Id est, non convertitur. In quod profundum descendentes, in æternæ miseriæ lacum decidunt, quia per contumacem superbiam remedia confessionis pœnitentiæ perdiderunt.

(Vers. 8.) *Auditam mihi fac mane misericordiam tuam*, *quia in te speravi*. Oriatur, inquit, in me lux misericordiæ tuæ, fiatque quod credidi, ut spes, quæ auditu concepta est, impleatur. *Notam mihi fac*, *Domine*, *viam in qua ingrediar*. Dux mihi sit veritas tua, et gressus mei tua gratia dirigantur. *Quoniam ad te levavi animam meam;* quoniam non de me præsumo, sed ut mihi auxilieris posco.

(Vers. 9.) *Exime me de inimicis meis*, *Domine*, *quoniam ad te confugi*. De illis se inimicis erui cupit, per quos etiam [d] humana odia commoventur, id est, diabolo et angelis ejus; qui sunt rectores tenebrarum (*Ephes.* VI, 12), et incentores impiorum, a quibus fugiens ad Dominum confugit, ne veteris hominis sequatur exemplum, qui se a facie Domini mala conscientia conturbatus abscondit.

(Vers. 10.) *Doce me facere voluntatem tuam*, *quia tu es Deus meus*. **514** Imple me, inquit, affectu gratiæ tuæ, ut et hoc velim quod velle te novi, et non aliud sit in meo opere, quam quod in tua est voluntate. Hoc autem ideo peto, quia *tu es Deus meus*, qui operaris omnia in omnibus (I *Cor.* XII, 6).

(Vers. 10, 11.) *Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam. Propter nomen tuum*, *Domine*, *vivificabis me in tua justitia*. Ab omni me errore bonus Spiritus tuus eruet, et in terram rectam, quæ est vivorum regio (*Psal.* CXIV, 9), perducet, non propter meritum meum, sed *propter nomen tuum*, quia omnis mihi doni causa est misericordia tua.

(Vers. 11, 12.) *Educes de tribulatione animam meam*, *et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam*, *quoniam servus tuus ego sum*. Quanta dignitas et quanta beatitudo est esse Dei servum, cui nullo præcedente merito, tanta præstantur.

## PSALMUS CXLIII.

Psalmi titulus [e] rei gestæ tangit historiam, qua [f] Golias bellator potens a puero David singulari certamine superatus agnoscitur (I *Reg.* XVII, 4). Sed et Golias significat diabolum, et David indicat Christum, qui etiam in corpore suo, id est, Ecclesia intelligitur: quia in nullo membra separantur a capite (I *Cor.* XII, 27). Sic ergo accipiendus est psalmus, ut historicas actiones formas esse rerum spiritalium noverimus, et victoriam David, qua Goliam

[a] Hæc vox *cum* hic superflua nobis videtur, etsi in editis omnibus legatur.

[b] Ita post Augustinum editio Lugdunensis posterior, cum Lugdun. antiquior, Lovan., Duac. et Colon. dicerent, *simul crucifixus est cruci*.

[c] Hæc verba, *et annos æternos in mente habui*, videntur huc translata ex psalmo LXXVI, v. 6. In Augustino enim hic loci non habentur, nec in textu Scripturæ psalmi hujus. Ad ea tamen forte respicit S. Prosper cum in expositione versus dicit, *et recordatio omnium temporum*: unde conjiciatur hanc partem ab ipso huc insertam fuisse.

[d] Editio Coloniensis, *humana odio*. Lugdun. recentior, *humano odio*. Lugdunensis vetus, Lovan. et Duac., *humana odia*.

[e] Titulus psalmi in Augustino est, *Ipsi David ad Goliam;* in Vulgata, *Psalmus David adversus Goliath*. Priori modo scribit Hieronymus in translatione Romana; posteriori in Gallicana.

[f] Coloniensis editio posuit *Goliat*, cum anteriores et Augustinus ipse scriptum haberent *Golias* hic et in sequentibus.

Digitized by Google

perculit, ad ipsum Dominum, qui est ex semine David (*Rom.* I, 3), et ad omnia ejus membra referamus.

(Vers. 1.) *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas in prælium, digitos meos ad bellum.* Vox est membrorum corporis Christi, quibus ad superandum Goliam divinum necessarium est semper auxilium, ut sive in prælio, sive in bello, et manus doceantur, et digiti. In manibus enim significatur omnis operis plenitudo; in digitis autem, laborum quædam divisio : ut totæ vires ad conficienda bella pertineant, ad partes animi virtutum, diversæ species præliorum. Unde quibus armis quibusque præsidiis milites Christi instruantur, manifestat Apostolus, dicens, *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donationes curationum in uno Spiritu, alteri genera linguarum, alii prophetia, alii judicatio Spirituum. Omnia autem hæc operatur unus atque* 515 *idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (I *Cor.* XII, 8 *seqq.*). His ergo digitis, sive in bello, sive in prælio pugnat corpus Christi, et omnem hostem, sive visibilem, sive invisibilem, lapidis jaculatione, hoc est, Christi soliditate prosternit.

(Vers. 2.) *Misericordia mea et refugium meum susceptor meus et liberator meus.* Recte et veraciter dicimus Domino, *Misericordia mea*, quia non solum miseretur nostri, sed et nos ipsos [a] misericordiam facit, ne sit *judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam* (*Jacobi* II, 13). *Refugium* autem est a quo reparationem [b] et conscientiam sumit infirmitas. *Susceptor* est, qui pugnanti præstat ne cadat. *Liberator* est, qui tribuit ne vulneretur dimicans : propter quod addit, et dicit : *Protector meus, et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me.* Voce capitis dictum videtur, Qui subdis populum sub me, id est, Ecclesiam mihi per fidem subdis. Voce autem corporis intelligi potest, spiritalis quisquis bellator, qui populum rebellem cupiditatum, et motum carnalium desideriorum, legi mentis suæ per opem gratiæ subditum confitetur.

(Vers. 3.) *Domine, quid est homo, quoniam innotuisti ei; aut filius hominis, quoniam æstimas eum?* Magna dignitas hominis, qui sic a Deo [c] creatus ut suum nosset auctorem; et tanti æstimatus esset, ut Unigenitus Dei sanguinem pro redemptione ejus impenderet.

(Vers. 4.) *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.* Naturæ suæ homo immemor, in similitudinem vanitatis voluntaria prævaricatione mutatus est : ut qui factus fuerat in æternis, esset

A in vanis, id est, in occiduis, et non permanentibus, diesque ejus *sicut umbra* transcurrerent. In comparatione quippe æternorum vana sunt temporalia, nec vera sunt quæ vel esse desinunt, vel quod sunt perdunt. Mira ergo circa homines bonitas et dilectio Dei, quod etiam ad se cognoscendum vocat talem, et dignum æstimat, quem tanto pretio redimat, et ab umbra vanitatis educat. *Qui enim Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non et cum illo omnia nobis donavit* (*Rom.* VIII, 32).

(Vers. 5-7.) *Domine, inclina cœlos tuos, et descende; tange montes, et fumigabunt. Corusca coruscationes, et disperge eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. Emitte manum tuam de alto; eripe me,* B *et libera me de aquis multis.* Cœli sunt prædicatores veritatis enarrantes gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 2), per quorum inclinationem, et 516 tolerantiam passionum innotescit mundo coruscatio Evangelii, et fulgura miraculorum illustrant corda credentium. *Montes* enim, id est, elati quique et tumidi, tangente eos Dei gratia, *fumigabunt*, et accensi cordis vaporem cum lacrymis confessionis emittent. Sagittæ autem Dei verba sunt Dei, quibus dissipatur consideratio superborum, et percutiuntur male sani, ut sanentur bene vulnerati; et hoc fit per emissam manum Dei de alto, quoniam brachium Dei (*Joan.* XII, 38), quod est Christus, homo factus est, et membra sui corporis non relinquit, et eruit Ecclesiam suam de aquis multis, id est, de populis C infidelibus, sive foris oppugnantibus, sive intus insidiantibus.

(Vers. 7, 8.) *De manu filiorum alienorum. Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum, dextera iniquitatis.* De quibus aquis eruit Dominus humilitatem David, id est, humilitatem corporis Christi, nisi de manu filiorum alienorum? Omnes enim infideles alienigenæ sunt, nec in filiorum Dei adoptione numerantur, et os eorum loquitur vanitatem, quorum lingua a confessione veritatis aliena est; et dextera est [d] illis iniquitas, quia in his quæ injusta sunt gaudent, et pravis tamquam rectis lætantur.

(Vers. 9.) *Deus, canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi.* Canticum novum est canticum gratiæ et novi hominis, ac novi D Testamenti, quod *in decachordo*, id est, in decem præceptis legis canitur; quia perfecta est in charitate cantatio; charitas legis est plenitudo (*Rom.* XIII, 10).

(Vers. 10.) *Qui das salutem regibus;* hoc est, qui tangis montes, et fumigabunt, ut humiliati subdantur tibi cum satisfactionis confessione. *Qui redimis David servum tuum.* Non caret Davidis nomine qui

[a] Suspicamur legendum, *misericordes facit;* etsi editi nostri omnes habeant, *misericordiam facit.* In Augustino enim legimus, hoc ipso loco : *Præbes mihi misericordiam, et in me existis misericors; an donasti mihi ut et ipse sim misericors? De nulla enim re sic vincitur inimicus, quam cum misericordes sumus.*

[b] Forte legendum, *et confidentiam.*

[c] Fortasse, *creatus est, ut suum nosset auctorem, et tanti æstimatus est, ut,* etc.

[d] Hic Lovan., Duac. et Colon., addunt præpositionem *in*, quæ in Lugdunensi non additur.

Digitized by Google

corpus est Christi, et cui contra Goliam decertatio A est.

(Vers. 11.) *De gladio maligno eripe me.* Non sufficit ut *de gladio diceret*, nisi adderet, et *maligno*, quia est sine dubio et benignus, de quo Dominus dicit, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* x, 34). Malignus ergo est, qui separat a Christo; benignus, qui abscindit a mundo. *Et eripe me de manu filiorum alienorum*, qui scilicet utuntur gladio maligno. *Filii* quippe *hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5). Qui ergo sunt filii alieni, ipsi sunt gladius malignus, ipsi sunt aquæ multæ; et ideo eadem subjungit, **517** quæ prius dixerat, ut de quibus loquatur, apertius pandat, dicens: *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.* Quam B ergo vanitatem filii alieni loquantur, et quæ sit dextera iniquitatis ipsorum, subjecta demonstrant.

(Vers. 12-14.) *Quorum filii sicut novellæ constabilitæ a juventute sua. Filiæ eorum compositæ, et ornatæ sicut similitudo templi; cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc; oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis; boves eorum crassi. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.* Hæc abundantia atque prosperitas communis est et malis et bonis; sed a malis in dextera habetur, a bonis autem in sinistra reputatur: non quia et ipsa non Dei dona sunt, sed quia terrenis et temporalibus cœlestia et æterna supereminent, et sicut utuntur sancti præsentibus tamquam non utantur (I *Cor.* VII, 31), sintque habentes quasi non habentes, filii autem C alienigenæ, qui dextram sibi in transitoriis bonis et in lubrica felicitate constituunt, non de opulentia arguuntur, sed de perverso rerum amissibilium amore culpantur; cujus et vanitas et iniquitas ejus sententiæ est, ut neque fide, neque spe, neque charitate, quæ sursum sunt sapiant (*Coloss.* III, 2), sed infirma et caduca præmia diligant, quæ deserunt, et a quibus deseruntur.

(Vers. 15.) *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Vanitate pleni, fide vacui, iniquitate armati, et a sorte æternæ hæreditatis alieni in hoc proruperunt, ut dicerent beatum populum cui hæc sunt. Sed dicant filii promissionis: *Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius.*

## PSALMUS CXLIV.

(Vers. 1.) *Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.* Totus psalmus Dei laude contexitur, et cum in titulo psalmi David sit prænotata laudatio, [a] evidenter ille ostenditur prædicari, qui est secundum deitatem Dominus, creatorque David, et secundum quod *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), filius David est; et non duplex persona, sed unus est Christus (*Rom.* IX, 5), qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* I, 25). Hujus ergo laudatio etiam in præsenti tempore continuanda est, quæ in æternitate mansura est: a quo officio qui in hoc sæculo **518** alienus est, futura laudationis Dei gaudia non intrabit.

(Vers. 2.) *Per singulos dies benedicam te, et laudabo nomen tuum in æternum, et in sæculum sæculi.* Dubium non est ad præsentem quoque vitam pertinere Dei laudem, quandoquidem *per singulos dies* benedictio Dei celebranda disponitur, non obsistente rerum mutabilium varietate: quia, sive lætus de secundis, sive tristis de adversis ducatur dies, numquam a Dei laude cessandum est. Qui enim numquam tentatur, numquam probatur, et melius est cum tribulatione exerceri, quam cum prosperitate puniri.

(Vers. 3.) *Magnus Dominus, et laudabilis valde, et magnitudinis ejus non est finis.* Nullo fine laudatio ejus concluditur, cujus magnitudinis nullus terminus invenitur, et in cujus prædicatione quidquid laudator poterit cogitare, non sufficit. Qui ergo omni laude semper est major, sine fine laudetur. Ex hoc ipso homo spem suæ æternitatis accipiat, quia numquam non erit, qui Dominum laudare non desinit.

(Vers. 4.) *Generatio et generatio laudabit opera tua, et virtutem tuam annuntiabunt.* Omne humanum genus generatio repetita significat, quæ ab initio sui usque in finem per considerationem creaturarum rationabiliter intelligit universitatis auctorem (*Rom.* I, 20), ut de his quæ videre possibile est, et in quibus tanta admirationum materia est, ea quæ cerni nequeant æstimentur et ille omnem aciem mentis exsuperet, de quo parum digne sentit qui putat sufficere quod intelligit. Potest autem per unam generationem, prima significari vita mortalium; per alteram vero generationem, resurrectio accipi: quia et ipsa [b] regeneratio nuncupatur, secundum quod dictum est, *In regeneratione autem, cum sederit Filius hominis in majestate sua* (*Matth.* XIX, 28). Laudatur ergo in hoc sæculo, et multo magis laudabitur in futuro. Nam si nunc hoc faciunt compediti, quomodo non amplius facient coronati?

(Vers. 5-7.) *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua enarrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam enarrabunt. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitiam tuam exsultabunt.* Veri laudatores D Dei nihil operum ejus judiciorumque non laudant; et sic omnia facta mirantur, ut mirabilior sit ipse qui fecit, quia quidquid in creatura laudabile reperitur, ad illius recurrit gloriam qui operatur omnia in omnibus (I *Cor.* XII, 6). Unde et terribilia ejus laudis honore sunt plena: non enim blanditur, et non minatur. Si non blandiretur, **519** [c] nulla esset correctio (*Sent.* 70). Ministri igitur eloquiorum Dei et

[a] Scilicet, *Laudatio ipsi David*, aut, *Laudatio David.*

[b] Coloniensis codex, *generatio nuncupatur;* et infra idem, *In generatione.*

[c] Locus hic videtur aliqua parte mutilus in omnibus editis, quæ suppletur tum sententia LXX, infra, tum in Augustino, in hunc psalmum num. 8: *Si non blandiretur, nulla esset exhortatio; si non minaretur, nulla esset correctio.*

Digitized by Google

misericordiam ejus, et justitiam prædicabunt; et sicut regnum æternum, ita [a] ignem perpetuum non tacebunt : ut in via qua ad retributionem tenditur constituti, sciant quid eligere debeant, quid cavere. Magnitudinem autem Dei, quæ non habet finem, quomodo enarrabunt, nisi quia semper hoc prædicabunt, quod finis ejus nequeat inveniri? Ineffabilium enim nullus eloquentior est narrator quam qui fatetur inexplicabilia esse quæ loquitur. Hi ergo, inquit, narratores magnitudinis tuæ *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*, quia non es oblitus nostri, neque tui meminisse facis. Doctrina itaque sana hoc de abundantia suavitatis divinæ ructat, facitque eructari, ut omnes boni Dei gratia se regi, Dei gratia noverint custodiri, et per ipsam sibi, ut de illa possint gaudere, præstari.

(Vers. 8-9.) *Misericors et miserator Dominus, longanimis et multum misericors. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Misericordia et gratia, bonitas et patientia Dei per omnia declaratur; [b] et nemo desperet, nemo præsumat. Quia sicut suavis est lenitate, ita justus est ultione; et nihil longanimitati ejus perit, quem et conversus benignum, et obduratus experitur severum. *Miserationes* enim *ejus in omnia opera ejus*, quia in his qui salvabuntur, damnavit aliena.

(Vers. 10.) *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant te.* Quæcumque sunt in universitate rerum, a summis usque ad infima, opera utique sunt Dei. Et quamvis rationales tantum intellectualesque creaturæ divinæ laudis affectione moveantur, non frustra tamen ad confitendum Deo *omnia opera* ipsius incitantur, quia nihil est tam exiguum tamque a sensu remotum, in quo non mirabilis sit Creator : quem cum angeli et homines confitentur et laudant, ipsæ infinitæ mundi partes, et species atque naturæ suum semper loquuntur auctorem, et utilitate ac pulchritudine sua immensam dant materiam laudatoribus, et videntur laudantia, quæ sunt laudabilia, dum quod non possunt [c] loqui, faciunt non taceri.

(Vers. 11-12.) *Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui.* Omnis species, et virtus, et pulchritudo creaturæ regnum est Dei, quia diversorum ipse est auctor et Dominus. Sed ab his quæ **520** videntur distinguuntur et ea quæ nondum innotuerunt, et intelligitur ex decore visibilium, quantum excellant, et in qua gloria emineant quæ regnum Dei specialius nominantur. Unde quotidie dicimus, *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* vi, 10); cujus nec magnitudinem, nec gloriam, nec decorem ulla possunt corda concipere ; sed quia sicut promittitur, ita creditur, certissimo desiderio, donec adsit, expetitur.

(Vers. 13.) *Regnum tuum regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et progenie.* Repetitio generationis, et præsens sæculum indicat et futurum, quia et resurrectio generatio dicitur, quæ sanctos ad incorruptionem beatæ æternitatis creavit. *Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Multa Dominus, et magna promisit, et quædam credita implevit, quædam servanda servavit : ut secura esset exspectatio, cui vires [d] tot præcepta præberent.

(Vers. 14.) *Confirmat Dominus omnes qui decidunt, et erigit omnes elisos. Septies cadit justus, et resurgit; impii autem infirmabuntur in malis* (*Prov.* xxiv, 16). Aliter ergo sancti, aliter decidunt infideles; et horum nunc fit commemoratio, quorum nullus confirmatur a Domino. Ruisse enim quodammodo videntur cum omnibus temporalibus carent, et inhonori ac pauperes spernuntur a potentibus mundi, et inter abjecta quæque reputantur. Sed *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* iv, 6).

(Vers. 15.) *Oculi omnium in te sperant, et tu das escam illis in tempore opportuno.* Sicut bonus medicus novit qua esca ægrotus et quo tempore sit cibandus, ita Dominus servos suos opportune salubribus cibis reficit, et quid cuique congruat, ineffabilis scientiæ benignitate discernit : ut subjectio fidelium de omnibus proficiat, quæ illi adhibenda censuerit, sive aspera, sive blanda: ut in nullo murmurent ægri, sed quodlibet curationis genus æquanimiter ab auctore suæ salutis accipiant, dicentes quod ad eruditionem patientiæ nostræ ipse Salvator dignatus est dicere, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Verum non quod ego volo, sed quod tu vis. Pater, fiat voluntas tua* (*Matth.* xxvi, 39 *et* 42).

(Vers. 16.) *Aperis tu manum tuam, et imples* [e] *omnem animam benedictione.* Ex Dei largitate est quidquid benedictionis assequitur, quia nemo eam concupisceret, nisi ad incitandum ipsum desiderium, manum suæ bonitatis aperiret.

(Vers. 17.) **521** *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Universæ*, inquit, *viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* xxiv, 10) : sive circa nos severior, sive sit mitior, quia qui etiam flagella meditatur, ideo castigat ut parcat.

(Vers. 18.) *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus qui invocant eum in veritate.* Multi non *in veritate* invocant Dominum, aliud ab illo quam

[a] Emandamus ex Augustino, cogente sensu loci istius; cum editi omnes, ex errore manifesto, haberent, *regnum perpetuum*, quod tamen statim dicitur esse cavendum.

[b] Forte, *ut nemo desperet.*

[c] Editi Duac. et Colon., cum his recentioribus, *eloqui.*

[d] Credimus legi debere, *tot percepta*, non *tot præcepta*, ut editi habent; propterea quod dicebatur paulo ante, *quædam credita implevit :* et Augustinus, *Adhuc quædam promisit, et non dedit, sed credatur illi ex his quæ dedit.*

[e] Editi nostri omnes habent *omnem animam* in textu; notant vero, *omne animal*, in ora libri; sicque citat Augustinus. Legiturque apud Hieronymum, in utraque versione, etsi observarint doctissimi editores in postrema editione, in codicibus nonnullis legi, *imples omnem animam benedictione.*

Digitized by Google

ipsum desiderantes; a quibus longe abest, quia diversum et remotum est ab ipsius voluntate quod cupiunt. Si autem id concupiscunt quod præcipit justus et bonus, propinquus omnino est his quos inspiravit affectibus; et timentium se voluntatem facit, quia quæ erat Domini, esse cœpit et servi.

(Vers. 19, 20.) *Voluntatem timentium se faciet, preces eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.* Quos omnes peccatores, nisi perseverantes in peccatis et quotidie contra Deum disputantes? Pars autem dextera, cui nullum est cum sinistra parte consortium, quia semper illi judicia Dei universa placuerunt, quid in æternum sit factura profitetur, et dicit:

(Vers. 21.) *Laudem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus in æternum, et in sæculum sæculi.*

## PSALMUS CXLV. [a]

(Vers. 2.) *Lauda, anima mea, Dominum; laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu sum.* Sancta et spiritalis anima ipsa se ad laudandum Dominum cohortatur: excellentiore sui parte, ea quæ in se minora sunt, incitat. Non enim alia est quæ dicit, et alia cui dicit: aut carnis hæc vox est, quæ ab anima et vitam sumit et sensum, nec sine anima aliquid potest velle, et non velle. Quia vero ipsius animæ duplices actiones sunt, et alio officio erigitur ad Dominum, alio inclinatur ad carnem, si bene spiritui servit, bene præsidet carni, et per id quod adhæret Deo, id etiam quod adhæret corpori, ad superiores invitat affectus: ut rationali dominatu tantum subditis tribuat, quantum ad salutem sat est; ne si Deo non est subjecta, minuatur. Mens itaque, summa quædam pars animæ, semetipsam in omnibus suis incitans conatibus, dicit, *Lauda, anima mea, Dominum:* non quia hoc non faciat quantum potest, sed quia parum est quod infirmitate corruptibilis corporis potest, ad illam perfectam et æternam laudationem **522** proficere concupiscit, et memor præsentis conditionis, in qua desiderii sui non invenit vires, quantum hoc per se factura, respondit, dicens, *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu sum.* Nunc enim quamvis fide, et spe, et charitate roboremur, tribulationibus tamen et scandalis ac mœroribus non caremus; et inter innumera mortalitatis obstacula, [b] et æternæ vitæ officia, non implemur. Quoniam *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). *In vita* igitur *mea,* quam nulla ægritudo infirmat, nulla egestas facit inquietam, *laudabo Dominum* tota mei libertate atque virtute; et *psallam Deo meo, quamdiu sum,*

A quia sicut esse erit mihi æternum, ita erit mea in Domino æterna laudatio.

(Vers. 3.) *Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus.* Qui in defensione principum, et hominum præsidio gloriantur, in vanitate confidunt. Solus enim Deus, de quo speranda sit salus, et bene ab eo exspectatur, quo ipse non indiget: nam quid sit filius hominis, breviter in eo quod sequitur, demonstratur.

(Vers 4.) *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Totum ergo quod in hoc mundo agitur temporale est et transitorium; et nemo veraciter spondet alteri, quod præstare non potest sibi, mortalis enim est: emisso spiritu, in terram suam terrena carne

B redeunte, quidquid disposuit, quidquid cogitavit, intercidit.

(Vers. 5, 6.) *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.* Beatus, inquit, homo cui adjutor est Deus; non ille quem sibi ignorantia humana confingit, sed *Deus Jacob*, qui ipsum Jacob Israel fecit, ut fide et intellectu videat universitatis auctorem.

(Vers. 7.) *Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus.* Et timendum Deum commendavit, et amandum: timendum, quia iniqua facientes veritate damnavit: amandum, quia pro justitia laborantes misericordia coronavit.

(Vers 7-9.) *Dat escam esurientibus. Dominus solvit*

C *compeditos. Dominus sapientes facit cæcos. Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos. Dominus custodit advenas.* Omnibus quidem animantibus providentia Dei constituit et præstat alimoniam; sed hominibus non terrenum tantum, sed et spiritalem **523** cibum præbet; quem hi accipiunt qui desiderant, quibus dicitur, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Talis ergo est et compeditorum absolutio, qui mortalitatis compedes æternitate adoptionis evadent. Talis et illuminatio cæcorum, qui sapientes ex insipientibus fiunt. Talis quoque elisorum elevatio, qui voluntaria humilitate prostrati, ad altitudinem cœlestium provehuntur. *Dominus* enim *diligit justos,* quoniam ipse est justitia eorum; et ipse *custodit advenas,* qui omnes gentes in

D Christo unum facit, et in Abrahæ filios lapidea corda convertit (*Matth.* III, 9).

(Vers. 9, 10.) *Pupillum et viduam suscipiet, et viam peccatorum exterminabit. Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus, Sion, in generatione et generatione,* [c] *in sæculum sæculi.* Istis quidem pupillis, qui mortuis patribus indefensi remanent, Deus opitulatur, et omnes viduas Deus protegit; sed hic illos orpha-

[a] Titulus psalmi *Halleluia. Aggæi et Zachariæ,* pro v. 1 notatur, de quo nihil disseritur in Prospero.

[b] Forte omisso *et*, legeretur melius, *æternæ vitæ officia non implemus.* Quod Augustinus innuere videtur his verbis: *Respondet tibi anima tua: Laudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter. Quare? Quia quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino.*

[c] Hæc verba, *in sæculum sæculi,* non habentur in textu Hebræo aut Latino psalmi hujus: nec apud Augustinum, hoc loco; apud Hieronymum vero in editione Gallicana non habentur, sed in Romana leguntur, pro antecedentibus, *in generatione et generatione.*

Digitized by Google

nos et illas viduas melius intelligimus, quibus in A hoc sæculo nullum est præsidium, nulla est consolatio; sed spes eorum in Domino Deo [a] ipsorum. Anima ergo quæ in bonis temporalibus non fidit, sed mundi istius peregrina est, supernum patrem et supernam desiderans matrem, merito pupilla appellatur et vidua; quæ donec et patrem videat et sponsum, nunc videtur esse longinqua. Via vero peccatorum exterminabitur, cum omnium iniquitatum defecerint actiones, et vanitas in latitudine ambulantium in supplicia æterna mergetur. In hunc autem finem proruentibus malis, quid audiet civitas Sion, quid assequetur civitas Dei? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv, 34). Quoniam tu, Sion, in Ecclesia regnum eris æternum Domini Dei tui, et B regnante ipso, sine fine regnabis.

## PSALMUS CXLVI.

(Vers. 1.) *Laudate* [b] *Dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro jocunda laudatio.* Bonum est Dominum laudare, in gloriam Dei psallere, non voce tantum, quæ incessabiliter canere non potest, sed multo amplius modulatione rationabilis vitæ, quæ nullo tempore omittenda est : quoniam in conversationem spiritalium servorum Dei, quidquid domi forisque agitur, laus illius est, cujus et doctrina et munere ita vivitur ut nihil actionum non Dei laude sit dignum, dicente Apostolo, *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam* **524** *Dei facite* (I *Cor.* x, 31). Quod qui faciunt numquam a Dei laudibus silent, et a bonis operibus ipsorum, C semper *Deo jocunda est laudatio.*

(Vers. 2.) *Ædificans Jerusalem Dominus, et dispersiones Israel congregans.* Exstructio Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* cxxi, 3), pace consurgit : omnem Israel pax ad soliditatem colligit unitatis. Non ergo ab operibus vox, nec a voce debent opera dissonare, et laus quæ voce promitur, de bona conscientia proferatur : nam non est firma compago, si in officio laudis non unus sonus est cordis et vocis (*Sent.* 6).

(Vers. 3.) *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Ecce quomodo colliguntur dispersiones Israel, ut sanentur contrito corde : quoniam *cor contritum et humiliatum Deus non spernet* (*Psal.* L, 19) ; ut humilitas sanet quod superbia vulneravit. D Per alligationes autem contritionum significatur diversitas remediorum quæ summus medicus misericorditer et scienter apponit : quia multarum elisionum non est curatio una.

(Vers. 4.) *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* Non est præcipuum in laudibus Dei stellas cœli habere numeratas, cui capilli capitum numerati sunt (*Matth.* x, 30). De illis ergo stellis dignius intelligitur hoc dictum, quæ in Ecclesia Dei, ad consolandam præsentis temporis noctem, bonæ conversationis exemplo, et cœlestis doctrinæ luce resplendent, quibus dicat Apostolus, *In ista natione prava et perversa, in quibus apparetis tamquam luminaria in mundo, verbum vitæ habentes* (*Philip.* II, 15). Has ergo stellas Deus numerat in æternam præelectas gloriam, et nominatim ex omnibus gentibus advocatas. *Novit* enim *Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19) ; cum quibus non computabuntur, quibus dicitur, *Discedite a me, operarii iniquitatis ; non novi vos* (*Luc.* XIII, 27).

(Vers. 5.) *Magnus Dominus, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus.* Multa in natura magna sunt, et multarum naturarum magna virtus est. Sed in comparationem Dei nihil vere magnum, nihil vere dicitur potens, et in illo vera est magnitudo, et magna virtus. Universa ergo excellentia habent limites suos, et intra modum sibi positum natura quæque subsistit : Deus autem magnitudine gloriæ suæ excedit universa, et omnipotentia sapientiæ ejus nullo numero comprehenditur. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36).

(Vers. 6.) *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.* Non accedunt ad cognitionem Dei humiles [*Forte* nisi humiles] atque mansueti, qui etiam quod nondum **525** intelligunt, credunt, et revelationem occultorum exspectant. Hos erudiendos suscipit Dominus, et doctrinæ suæ capaces facit, quorum desideria delectatione [*Forte* dilatatione] exercuit et accendit. *Peccatores* autem humiliat *usque ad terram :* eos utique peccatores, qui ad promerendum Scripturarum intellectum mansuetudine carent, et ea quæ introspicere nequeunt, tamquam superflua et vana contemnunt. Horum contumaciam Deus in terrena demergit, cum ipsos tradit insipientiæ : ut qui spreverunt gratiam illuminationis, subeant supplicium cæcitatis.

(Vers. 7.) *Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.* Desiderantibus intelligentiam sacramentorum a confessione incipiendum est, ut semetipsos accusantes, et sibi ascribentes caliginem et tarditatem suam, radium supernæ lucis accipiant. Nec sit eorum otiosa confessio : sed psallant Deo in cithara, id est, in quadam bonarum actionum conscientia : ut misericordiam quam confitendo quærunt, operando mereantur, et quod recte offerunt, recte dividant.

(Vers. 8.) [c] *Qui operit cœlum nubibus, descendit in terram sitientem pluvia gratiarum.* Ad hoc enim Deus

[a] Hactenus editi post, *Domino Deo*, apposito commate, novum sensum incipiebant ab his, *Ipsorum anima ergo.* Sed vitiosa interpunctione id fieri facile fuit animadvertere locum attente legenti. Alludit etiam Auctor ad superius dicta, v. 5: *Spes ejus in Domino Deo ipsius.*

[b] Lugdunensis editio sic distinguit, *quoniam bonus; et psalmus Deo nostro jocunda laudatio.*

[c] Apud Augustinum : *Qui parat terræ pluviam.* Sic cum Vulgata et textu Hebræo utraque Hieronymi versio; unde inferas hunc textum a S. Prospero ad sensum spiritalem scribendo conversum.

Digitized by Google

obscuravit dicta prophetica, ut obumbratio pararet imbrem; imber vero et fructum gigneret, et operiret serenum. *Qui producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum.* Utilitas pluviæ spiritalis non solum valles, sed et montes uberes facit. *In montibus fenum, et herbam servituti hominum.* Montes autem intelliguntur sublimiores quique hominum sæcularium, qui ita sæpe superioribus opimantur, ut unde fructuosæ sunt valles, inde altitudines etiam montium sint feraces. *Producit* ergo Dei gratia *in montibus fenum:* et potentes ac divites accepto semine charitatis, præbent profutura pauperibus, *et* ministrant *herbam servituti hominum*, qui famulatum devotionis suæ Deo Ecclesiæque dependunt.

(Vers. 9.) *Dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Jumentorum et pecorum nomine significatur multitudo plebis, quæ necessario cibo non fraudatur: et dum spiritalium est particeps, fit minister carnalium, ut impleatur illud Apostoli, *Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit* (I *Cor.* IX, 7)? Dispensatio igitur misericordiæ Dei, non tantum ad Israeliticum genus, sed ad omnium quoque gentium propaginem pertinet. Patres enim idola venerantes corvorum habuere figuram, mortua et immunda sectantes: quorum pulli, id est, **526** filii, Deum verum invocant, et sancti Spiritus pascuntur alimonia; quia parentibus non invocantibus, Deum, sed in sua obduratione manentibus, credidit posteritas quod ignoravit antiquitas.

(Vers. 10, 11.) *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tabernaculis viri beneplacitum est ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eos qui sperant in misericordiam ejus.* In equi potentia superbiæ indicatur elatio, quæ Deo semper odiosa est. Tabernacula quoque sublimia et magnifica divitiarum manifestant tumorem, in quibus nihil approbat Deus, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV, 6). Non enim illi placent nisi mites et pauperes spiritu, ad hoc timentes Dominum, ut sperent in misericordiam ejus. Ille est enim utilis timor, qui spe erigitur, non qui desperatione demergitur.

## PSALMUS CXLVII.

(Vers. 12.) *Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion.* Cum in titulo psalmi *Aggæi et Zachariæ* prophetarum nomina prænotentur, [a] quos in Babylonia cum populo suo captos esse non dubium est (I *Esdræ* VI, 14), et reparationem ejus civitatis Jerusalem prævidisse, ac sicut facta est denuntiasse, intelligitur cohortatio psalmi ita ad universam Ecclesiam pertinere, ut omnes cives et filii Jerusalem in præsenti vita, quadam se vinctos captivitate cognoscant, et consolationem de spe futuræ libertatis accipiant. Nemo enim sanctorum sine laboribus ac molestiis potest præsens tempus exigere: et in quadam captivitate se esse sentiunt, cum exsurgentibus scandalis (*Gal.* V, 17), et manentibus [b] inter spiritum

A carnemque discordiis, non omnia quæ volunt faciunt (*Rom.* VII, 15), et multa adversa patiuntur. Recte ergo spe futurorum bonorum ipsam Jerusalem hortatur vox prophetica in laudem et gloriam Dei, ut cum sanctis angelis, quorum adipiscitur indivisam societatem, in gaudiis æternæ pacis exsultet.

(Vers. 13.) *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Conclusio Jerusalem, et serarum ejus confirmatio, securitatem indicat [c] incommutabilium gaudiorum, quia nullius mali ad bona patebit introitus, neque inde ullus justorum timebit excludi. *Benedixit filios tuos in te.* Extra Jerusalem nulla benedictio est, quia non sanctificatur nisi qui Ecclesiæ, quæ est Christi corpus, unitur.

(Vers. 14.) *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe* B *frumenti satiat te.* **527** Nulla eam civitatem bella perturbant, quæ pacis est septa limitibus; nec aliquid patitur inquietum, in qua nihil est a Dei voluntate diversum. Ne autem tranquillitas istius pacis aliqua indigentiæ necessitate turbetur, adeps ei panis indeficiens ministratur; ut justitiæ cibus sit in epulis, qui fuit in desideriis. *Beati* enim *qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6).

(Vers. 15.) *Qui emittit verbum suum terræ, velociter currit sermo ejus.* Verbi missio Christi est incarnatio: cujus Evangelio currente per omnem terram, omnium gentium fit vocatio, præveniente gratia Dei credentium fidem. Nihil est velocius et scientia et opera Dei, qui quæ futura sunt et novit et fecit, et quæ nondum sunt orta, jam apud illum sunt præor- C dinata.

(Vers. 16.) *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* Valent quidem ista ad opimandam terram, secundum litteræ superficiem, quia et nubes [*Forte* nives] decidentes habent vellerum speciem, et nebularum ros non aliter quam cinis spargitur, atque ex eo terra pinguescit. Sed sublimius in his gratiæ Dei opera sentiuntur, per nivium vellera vocatione gentium figurata, quæ ad conficiendum vestimentum Christi, quod est Ecclesia, in unum confluit, et in idipsum tota contexitur, non habens maculam aut rugam (*Ephes.* V, 27), sed in illa puritate mansura, quæ æterna glorificatione resplendeat, sitque in ea compage, de qua dicitur, *Dominus amictus lumen sicut vestimentum* (*Ps.* CIII, 2). Ad quod D significandum pertinuit quod vestis Christi transfigurati in monte, sicut nix legitur refulsisse (*Matth.* XVII, 2). Per *nebulam* autem caligo ignorantiæ, quæ ad pœnitentiæ cinerem confugit, indicatur. Non enim quisquam ante vocationem dici justus potest, quoniam Filius hominis non venit justos eligere (*Matth.* IX, 13), sed peccatores et impios salvos facere (I *Tim.* I, 15).

(Vers. 17.) *Qui mittit crystallum suum sicut frusta panis; ante faciem frigoris ejus quis subsistet?* Nives antiquitus obduratæ convertuntur in crystallum: quo

[a] Apud LXX interpretes habetur hicce titulus.

[b] Editiones Duac. et Colon., *in spiritum;* melius in Lugd. et Lovan., *inter spiritum.*

[c] Editi Duac. et Colon., *incommutabilem.*

Digitized by Google

significantur lapidea corda infidelium, quæ gelu nimiæ vetustatis obstricta, nullum calorem sancti Spiritus receperunt. Sed tam potens est gratia Dei, ut tam annosam glaciem faciat superno igne fervescere, et eos qui crystallino frigore fuerant obdurati, afflatu suo faciat concalescere ; ut etiam ipsi qui vitæ cibum nesciebant, panem verbi incipiant ministrare : sicut in beato Paulo factum est (*Act.* IX, 1, etc.), qui cum esset credentium persecutor, factus est Evangelii prædicator. Quis autem poterit subsistere, quem ab hoc frigore non liberavit Christus? qui venit ignem mittere in terram, et ad fervorem fidei, quod gelu infidelitatis obtorpuerat, excitare (*Luc.* XII, 49)?

**528** (Vers. 18.) *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Verbo evangelicæ prædicationis obduratio infidelium solvitur, ut fiat hoc quod alibi dictum est, *Rupit petram, et fluxerunt aquæ* (*Ps.* CIV, 40). Flante autem Spiritu, calor charitatis emittitur, ut terram sitientem flumina rigent, et in aridis cordibus fiat *fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14).

(Vers. 19.) *Annuntians verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel.* Dans scilicet intellectum vocatis et justificatis, quia omnes ex quibuslibet gentibus electi, Jacob et Israel nuncupantur; et discunt omnia Dei justa esse judicia, nec aliquid ab eo fieri, unde possit ignorantia humana causari : quia abundarent etiam circa justos [a] causæ ultionum, nisi justitiam suam misericordia temperaret.

(Vers. 20.) *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Altitudinem divitiarum sapientiæ suæ (*Rom.* XI, 33) nulli genti Deus voluit esse perspicuam, neque cuiquam nationi judiciorum secreta patuere. Sed ex omnibus gentibus una est gens, unus est populus, qui se ab æterna perditione non suis meritis, sed Dei gratia intelligit liberari, et unumquemque fidelium ministrum misericordiæ Dei, ut quod in ipsis factum est, etiam in aliis fiat, et in unitatem confluat universa dispersio.

## PSALMUS CXLVIII.

(Vers. 1.) *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* Populus Dei, cujus conversatio est in cœlis (*Philip.* III, 20), et cujus spes in Domino Deo ipsius (*Psal.* CXLV, 5), ad supernam Jerusalem pertinens, et de æterna sanctorum angelorum societate jam gaudens, exsultat in Spiritu Dei, et universam creaturam in laudem accendit Creatoris : non quia omnia irrationabilia et sensu carentia possunt Deum propria confessione laudare, sed quia nihil est in universitate rerum, a summis usque ad infima, quod non sua æqualitate naturæ potentiam sui protestetur auctoris. Duarum proprie creaturarum est tota ista laudatio, angelicæ scilicet et humanæ, quæ hunc affectum ex totius mundi consideratione concipiunt, ut cum laudatoribus Dei ipsa laudis materia Deum laudare dicatur. Quia ergo in hoc officio cœlestia A obtinent principatum, merito ipsis primitus dicitur, ut de excellentia dignitatis ac pulchritudinis suæ in Domino glorientur.

(Vers. 2-5.) *Laudate eum, omnes angeli ejus, laudate eum, omnes virtutes ejus. Laudate eum, sol et luna, laudate eum, omnes stellæ et lumen.* **529** *Laudate eum, cœli cœlorum; et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Nihil est in sublimitate cœlesti quod non pulchrum atque mirandum sit, et quia omnia in Creatoris sui concinunt laudem, non quasi cessantibus ab inferioribus dicitur, ut in confessionem divinæ laudis exsurgant, sed ut homo inspiratus ostendat sibi placere quod faciunt, et eo se per spem fidei delectari, ad quod per exhortationes promissionum Dei etiam ipse provehetur. Cum autem Domi- B nus Jesus Christus Verbum sit Dei, in nullo Patris laude discernitur, dicente psalmo : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Quod enim Deus dicit, Verbo dicit : et Verbum per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3), mandatum dicentis exsequitur.

(Vers. 6.) *Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi; præceptum posuit, et non præteribit.* Omnia quæ ad cœlestem beatitudinem sunt creata, hanc plenitudinem sui officii susceperunt, ut in Dei laudatione permaneant : cui operi etiam natura humana sociatur, propter quod Apostolus dicit, *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Coloss.* III, 1 *et* 2). Bene ergo spiritalis quisque devotioni se C cœlestium jungit, et in consideratione totius creaturæ laudat artificem, ut pro modulo suo jam faciat quod sine fine factura est.

(Vers. 7, 8.) *Laudate Dominum de terra, dracones, et omnes abyssi. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellæ, qui faciunt verbum ejus.* Terræ nomine appellantur quæ vicina sunt terræ, et quidquid hoc nubilo aere aut humidum in rore, vel pluviis, aut in nive, et grandine glaciale, aut in procellis turbidum, vel in coruscationibus apparet ignitum, terræ et abyssi appellatione perstringitur. Quorum nihil fortuitis motibus subjacet, et singula [b] quæque ejus legibus serviunt, qui ut vult, de omnibus atque in omnibus, secundum causas occultæ rationis operatur.

D (Vers. 9, 10.) *Montes et omnes colles, ligna fructifera, et omnes cedri. Bestiæ, et omnia pecora, serpentes et volucres pennatæ.* Nihil horum non in magna sapientia factum est (*Ps.* CIII, 24); et ideo quædam perstringuntur, ut universitatis Creator in omnibus prædicetur.

(Vers. 11, 12.) *Reges terræ, et omnes populi; principes, et omnes judices terræ. Juvenes et virgines, seniores cum junioribus laudent nomen Domini.* In multitudine hominum diversitas est graduum, differentia sexuum et dissimilitudo meritorum; sed in Dei

[a] Ita Lugd. et Lovan.; melius quam, *causæ vitiorum*, in Duac. et Colon.

[b] Editio Coloniensis, *quippe;* aliæ, *quæque.*

Digitized by Google

laudibus omni ordini atque ætati una materia est. A Tota enim **530** in Christo Ecclesia unum corpus est, et quod recte agit quælibet portio, tota sibi bene vindicat plenitudo.

(Vers. 13, 14.) *Quoniam exaltatum est nomen ejus solius. Confessio ejus super cœlum et terram, et exaltavit cornu populi sui.* Super omnia enim [a] et omnium conditor, et unius auctoris laus est quidquid in universitate laudabile est; quod ipsa rerum pulchritudo multiformi confitetur ornatu. Ab ipso ergo est honor sanctorum ejus, et ipsos exaltat cornu populi sui, quoniam qui magna contulit per naturam, ipse dat majora per gratiam. *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Hymnus est canticum quo laudatur Deus, et quo utuntur omnes sancti ejus omnesque filii Israel, non illi qui frustra carnali semine gloriantur: sed qui per illam qua Abraham placuit fidem nati, veri sunt filii Israel (*Rom.* IX, 7 *et* 8), appropinquantes Deo per ipsum qui est *via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6).

## PSALMUS CXLIX.

(Vers. 1.) *Cantate Domino canticum novum; laudatio ejus in Ecclesia sanctorum.* Bene laudantes Dominum canticum novum, cantant, non in vetustate carnis, sed in spiritus novitate viventes: ut laus Dei in sanctorum Ecclesia celebretur, quæ sibi ex fide, et moribus, et charitate concordat: nam sine hac parilitate nulla est canentium suavitas, nec est modulatio concinens, ubi est fides ac vita dissentiens.

(Vers. 2.) *Lætetur Israel in eo qui fecit ipsum, et filii Sion exsultent super regem suum.* Qui sunt veri Israelitæ, ipsi sunt filii Sion, sive Jerusalem: utrumque enim nomen unius est civitatis (*Hebr.* XII, 22), quæ constat ex angelis et hominibus, ad eamdem societatem per fidem, et spem, et charitatem de longinqua peregrinatione tendentibus. Qui ergo [b] spe credit, spe gaudeat, quia Deus est novi populi et creator, et redemptor, et rector.

(Vers. 3.) *Laudent nomen ejus in choro, in tympano et psalterio psallant ei.* Chori nomine concordia significatur laudantium, quorum voces nisi fuerint consonæ, placere non possunt. Rationalis itaque cantus, cujus tota est in fide et charitate modulatio, neque in moribus, neque in confessione dissideat; sed bene utatur psalterio et tympano, diligens Deum, diligens proximum: et in tympano et psalterio manus concinat voci; et impleatur opere quod ore cantatur. In tympani autem et chordarum extensione crucifixio carnis accipitur, quia nervi quanto plus fuerint extensi, tanto acutius sonant.

**531** (Vers. 4.) *Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltavit mansuetos in salutem.* Quid tam benignum, quam est Dominus in populo suo, quem dignatur convertere aversum, suscipere correctum, juvare pugnantem, et coronare vincentem? Dabit enim exsultationem humilibus, et inde eriguntur mansueti, unde premuntur elati.

(Vers. 5.) *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Exsultatio sanctorum non in divitiis, non in honoribus, neque in ulla est prosperitate terrena: sed *in cubilibus suis*, id est, in conscientia bona, quam tamen non sibi, sed gratiæ Dei ascribunt; ne sint de hominibus sibi placentibus, sed sint de his qui in Christo gloriantur.

(Vers. 6.) [c] *Exaltationes Dei in faucibus eorum, et* B *gladii ancipites in manibus eorum.* Gratias agentes Deo de omnibus profectibus suis, ipsum exaltant, et ad ipsum referunt quod ei placere noverunt, habentes in manibus sermones Dei, qui est gladius bis acutus (*Apoc.* I, 16), efficax et carnales affectus dividere, et peccata resecare (*Hebr.* IV, 12).

(Vers. 7.) *Ad faciendam vindictam in gentibus, objurgationes in populis.* Potestas verbi, quo infidelium corda feriuntur, non solum præsidentibus data est, sed omnibus etiam discipulis veritatis, qui possunt arguere errantes, et increpatione sua devios revocare.

(Vers. 8.) *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in vinculis ferreis.* Potentes mundi, et reges ac nobiles, nisi Deum timeant, quem C timebunt? Sed prædicatur illis Evangelium Christi, et percutiuntur framea bis acuta: annuntiatur illis judicium, et auditis æternis suppliciis sinistrorum, ligantur, et compedes sapientiæ (*Eccli.* VI, 25) ab initio [d] amoris accipiunt, ut dura præcepta molliant voluntatem, [e] et fit obedientibus blandum, quod asperum videbatur aversis.

(Vers. 9.) *Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Omnium sanctorum gloria hæc est, ut totus mundus subjiciatur Deo et divinis legibus, quarum justitia uniformiter ubique conscripta est, simili observantia serviatur. Ad hoc enim utuntur in omnibus gentibus spiritus potestate, ut ubique cantetur canticum novum, *et omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Jesus Christus in gloria* D *est Dei Patris* (*Philip.* II, 11).

## **532** PSALMUS CL.

(Vers. 1, 2.) *Laudate Dominum in sanctis ejus.* Ad confessionem pertinet gratiæ, Dominum in sanctis suis laudare, cujus habent sanctificatione quod

[a] Editi Lovan., Duac. et Colon., in margine ibi monent forte legendum, *est*.

[b] Forte, *fide credit*; editi omnes, *spe credit*.

[c] Editiones Lugd. et Lov., *Exsultationes Dei*. Sic quoque legit Augustinus hoc loco, et Hieronymus in libro Psalmorum, juxta Hebraicam veritatem translato. At editiones Duac. et Colon., ut Vulgata nostra habent, *Exaltationes Dei*. Quod pariter scripsit idem Hieronymus in utraque versione ex LXX interpretibus semel et iterum emendata. Sic quoque scripsisse S. Prosperum suadet quod in expositione dicat, *Ipsum exaltant*, etc.

[d] Forte, *timoris*, quia *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX, 11), et tota hujus versus expositione timor inniti videtur, etsi editi omnes habeant, *amoris*; et Augustinus ait, *Cœpisti a timore, consummaris ad sapientiam*.

[e] Duac. et Colon. edit., *et sit*. Lugd. et Lov., *et fit*.

Digitized by Google

sancti sunt. Unde in alio psalmo dicitur, *Mirabilis* A *Deus in sanctis suis* (*Psal.* LXVII, 36); ut quidquid in illis virtutum atque meritorum est, totum ad Dei gloriam referatur. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus. Laudate eum in potentatibus ejus; laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.* Omnia ista instrumenta laudum Dei, ipsi sancti sunt, per quos ad Deum multiplex sonus concinentis confessionis emittitur; et ideo in omnibus eorum officiis laudatur Deus, quia omnis canentium motus, ejus Spiritu quem prædicat, animatur.

(Vers. 3.) [a] *Laudent igitur eum in sono tubæ.* Propter excellentissimam Evangelii in Christo declarationem. *In omnem* enim *terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). *Laudent eum in psalterio et cithara.* De superioribus scilicet et inferioribus, tamquam eum qui fecit cœlum et terram : ut psalterio cœlestia, cithara autem terrena laudentur : quia cavum illud lignum supra quod chordarum resultat extensio, in psalterio superius, in cithara habetur inferius.

(Vers. 4.) *Laudent eum in tympano et choro.* Dum ad similitudinem tympani, quod de sicco extensoque fit corio, ad confessionem Dei sensus mutæ carnis aptantur, et ad speciem chori societas canentium in omni modulatione [b] concordet, ut nihil diversum de eo cui canitur, sentiatur. *Laudate eum in chordis et organo;* id est, in quolibet instrumento musico, quod vel pulsu potest sonare, vel flatu.

(Vers. 5.) *Laudent eum in cymbalis bene sonantibus.* Dum unusquisque honoratur a proximo, non a seipso. Cum autem dicitur, *Laudate eum in cymbalis jubilationis,* evidenter ostenditur per omnia opera musica non corporeos sonos, sed affectus animi designatos, siquidem nulla ratio sinat ut jubilatio esse possit in cymbalis, nisi ipsa cymbala ad motus animi transferantur : cum enim mens cœptas Dei laudes B verbis non potest explicare, admiratio ejus similis fit jubilationi, **533** quæ in eo miratur sono qui nullis syllabarum comprehenditur articulis. Nihil ergo extra ipsos sanctos, quibus laus Dei indicitur, cogitetur, nec vile aliquid spiritalibus **534** officiis sentiatur. Et quia sapere secundum carnem mors est, *omnis spiritus laudet Dominum.* ALLELUIA.

[a] Lugdun. et Lovan. hic et versu sequenti, *Laudant.* Duac. et Colon., *Laudent;* quod propius accedit ad, *Laudate eum,* quod in Augustino et omnibus codicibus sacri psalmorum textus habetur, in omni versu atque in omnibus S. Hieronymi editionibus. Vox enim forte textui inserta est a Prospero disserente in Psalmum.

[b] Forte, *concordat;* aut præcedens *et* mutandum in *ut.*

# ADMONITIO

## IN S. PROSPERI LIBRUM SENTENTIARUM EX AUGUSTINO DELIBATARUM.

*Ea erat sancti Prosperi in Augustinum singulasque doctrinæ ab ipso variis in libris traditæ partes propensio, is zelus, ut cum hunc solum pene auctorem doctoremque a puero sibi sequendum proposuisset, omnia ejus dictata sibi quanta potuit diligentia comparaverit, et eo studio quo major inveniri nequeat, animi penetralibus imbuerit. Sed ne tot tantarumque rerum sibi subreperet oblivio, immo ut cœlestes sanctissimi antistitis regulas pro speculo sibi essent, regendisque singulis vitæ passibus inservirent, quæ fusius scripta legerat, sedulisque curis fuerat meditatus, ea in summam quamdam, brevesque quasi sententias, memoriæ juvandæ renovandæque gratia collegit. Quo in opere non suis tantum profectibus, sed et aliorum omnium utilitati mirum in modum consuluisse invenitur. Ex his enim qui Augustini Opera legerint, doctrinam ejus sub uno veluti conspectu exhiberi sibi gratulantur; qui vero in iis adhuc rudes et inexperti, eorum prolixitate deterrerentur, brevi ista tam sublimis tamque solidæ doctrinæ quasi tabella, ad sedulam ipsorum lectionem accenduntur. In hoc autem libro ea maxime quæ morum ædificationem promoverent collegisse videtur, quamquam non pauca, præsertim sub finem libri, etiam de præcipuis magisque arcanis religionis fideique nostræ mysteriis non prætererit.*

*Quia vero sunt hæc in plerisque ita brevia, ut aliquid pleniori eorum intellectui apud nonnullos homines defuturum videri posset, ideo notata exhibentur in margine loca ipsa in quibus eadem stylo diffusiori scripta habentur, et unde breves istæ sententiæ sunt excerptæ. Quæ nos in Appendicis secunda parte exhibenda duximus, ne lector aliorum librorum vel indigus, vel forte consulendorum piger, hic lectorum fructu omni modo privaretur.*

*De hoc opere notarunt eruditissimi Operum sancti Augustini editores monachi Sangermanenses Benedictini in Appendicis tomi X parte tertia; pag.* 323, *sententias in editis codicibus trecentas et nonaginta contineri. Priores triginta septem, aliasque inter subsequentes perpaucas decerptas esse ex ipsius Prosperi Commentariis in Psalmos; cæteras autem ex Operibus Augustini, cujus sancti doctoris, cum verba nonnumquam mutata esse deprehendamus* (*subjiciunt illi provide*), *eam ob causam optimum factu judicamus, si moneamus ut inspiciantur ea loca e quibus mens Augustini magis est expressa quam dictio. Id vero præstamus, e regione hujus generis sententiarum ascripto verbo,* VIDE. *Colbertinus codex notatus* 323 (*quod unum istius libri exemplar manu scriptum reperire nobis licuit, nec ipsum admodum vetus*) *sententias septuaginta sex, non plures repræsentat, scilicet octodecim primas, et omissa decima nona, vigesimam, vigesimam primam, et alias ex subsequentium serie selectas, cum hacce ad illas prævia annotatione : Prosper iste Equitaneus fuit, Tolonensis civis, qui, relictis rebus sæcularibus, ad divina se omnino negotia transtulit, et quasdam ex beati Augustini sententiis carpens, istum librum composuit,* etc. *Plures ex hoc libro sententiæ inter Arausicani secundi concilii canones relatæ sunt; et permultæ sub nomine Prosperi citantur a Floro seu Beda Vulgato in Paulum. Quibusdam etiam ex his sententiis usus est ille, qui Zephyrini, Callisti I et aliorum Romanorum pontificum decretales epistolas confinxit. Hactenus doctissimi viri, quibus tot nominibus obstricta studiosorum multitudo.*

*Iidem viri doctissimi cum hunc Sententiarum Prosperi librum rursus excudi in fine tomi decimi Operum sancti Augustini curarent, observarunt in quibusdam libris sententias numerari octoginta octo, in aliis vero nonaginta, supra trecentas, cujus varietatis cum originem non notarint, nos, re examinata, hinc ortam animadvertimus, quod in editionibus Augustiniana prioribus bis notati reperiantur numeri duo, in aliis* 336 *et* 337 (*Lugdun., Lov. et Duac.*), *in aliis vero* 340 *et* 341 (*Coloniensi et hac recentioribus*).



Digitized by Google

*Nos autem quibus, præter codicem illum Colbertinum, fas fuit alios duos, tam per viros ad præstandum studiosis omnibus beneficium paratissimos, quam per nos ipsos consulere, videlicet Remigianum unum, id est, qui est archimonasterii sancti Remigii Remensis ordinis S. Benedicti; alterum Joliensem, qui scilicet alias fuerat viri clarissimi Claudii Joli præcentoris et canonici Ecclesiæ Parisiensis, nunc ex ejus legato factus est venerabilis capituli ejusdem Ecclesiæ; horum ope numerum sententiarum ad 392 crescere posse judicavimus, annotatis tamen priorum editionum numeris, ne quid lectoribus ex hac mutatione incommodi crearetur.*

*Cum denique, ex dicendis infra in admonitione Epigrammatis S. Prosperi præfigenda, conjici possit hæc carmina ab ipso circa tempus concilii Chalcedonensis anno 451 habiti, fuisse composita, in hisque easdem quæ hic sunt ut plurimum sententias, strictæ orationis limitibus inclusas observare non sit arduum hinc istum quoque Sententiarum librum huic, ut verisimile nobis videtur, prævium, circa idem tempus concinnatum arbitramur.*

---

# S. PROSPERI
## AQUITANI
# SENTENTIARUM
## EX OPERIBUS S. AUGUSTINI DELIBATARUM
## LIBER UNUS[a].

I. [b] *Quæ sit vera innocentia.*

**543** Innocentia vera est, quæ nec sibi nec alteri nocet: quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et nemo non prius in se quam in alterum peccat (*Aug. in psal.* C, 2; *Prosp. in eumdem ps.*).

II. *De hominibus diligendis.*

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores; quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt (*Aug. in ps.* C, 5; *Prosp. in eumdem ps.*).

III. *De vera æternitate.*

Vera æternitas et vera [c] immutabilitas non est nisi in deitate Trinitatis, cui quod est esse, [d] perpetuum est: quia natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit B mutabilitatem. Creaturæ autem, [e] etiam illæ quibus Deus æternitatem dedit vel daturus est, non penitus omnis finis alienæ sunt, quia non sunt extra commutationem, dum finis illis est, et temporalis institutio, et localis motio, et ipsa in augmentum sui facta mutatio (*Prosp. in psal.* CI, 26).

IV. *De patientia Dei.*

Patientia Dei, [f] qua parcit contemptus, parcit etiam negatus, et magis vult vitam peccatoris quam A mortem, eruditio est pœnitudinis, **544** et oblatio correctionis: nec ulla ipsius opera misericordia vacant, quando homini et indulgentia consulit, et flagello (*Aug. in psal.* CII, 8; *Prosp. in eumd. ps.*).

V. [g] *De ultione Dei.*

Divina bonitas ideo maxime irascitur [h] in hoc sæculo, ne irascatur in futuro; et misericorditer adhibet temporalem severitatem, ne æternam juste inferat ultionem (*Prosp. in psal.* CII, 9).

VI. [i] *De vera Dei laudatione*

Vera est confessio benedicentis, cum idem sonus est et oris et cordis. Bene autem loqui et male vivere nihil aliud est quam sua se voce damnare (*Prosp. in psal.* CXLVI, 2, *et* CII, 21).

VII. *De virtute charitatis.*

[j] Dilectio Dei et proximi propria et specialis virtus est piorum atque sanctorum, cum cæteræ virtutes et bonis et malis possint esse communes (*Aug. in psal.* CIII, 3; *Prosp. in eumd. ps.*).

VIII. *De doctrina apostolica.*

Doctrina apostolica [k] tam salubris tamque vitalis est, ut pro capacitate utentium neminem sui [l] relinquat exsortem: quia sive parvuli, sive magni, sive infirmi, sive fortes, habent in ea [m] unde alantur et unde satientur (*Prosp. in psal.* CIII, 11).

[a] Scriptus forte circa annum 450 aut 451.

[b] Ms. Joliensis, *De vera innocentia.*

[c] Mss. Remigiano-Remensis et Joliensis, *immortalitas*, ut in expositione psalmi CI legitur, et ad oram editorum omnium notatur.

[d] Ms. Remig., *semper est*; editi in margine, *perfectum est.*

[e] Mss. Remig. et Jol. addunt hic, *etiam*, ut legitur in expositione psalmi in margine citati; qua voce C tamen hic loci carent editi nostri omnes.

[f] Editio Coloniensis anni 1531 paulo aliter, *Patientia Dei magna est, qua,* etc.; *eruditio est pœnitudinis et oblatio correctionis: nulla enim Christi opera a misericordia vacant: quoniam,* etc. Ms. Jol. omittit *etiam* post *parcit; et mavult.* Ms. Remigiensis, *non parcit negatus . . . Eruditio enim est.* Notatum legimus in margine edit. Lovaniensis et posteriorum, *Eruditio pœnitudinis est oblatio correctionis*, sicque legi in codice scripto, qui est Lovanii in Carthusia.

[g] Ms. Joliensis, *De ultionibus Dei.*

[h] In mss. Remig. et Joliensi desunt hæc, *in hoc sæculo*, et postea, *in futuro;* quæ nec in expositione psalmi CII leguntur.

[i] Edit. Colon. vetus, *De vera confessione, sive laudatione.*

[j] Ms. Joliensis, *Charitas Dei*, ut in expositione psalmi ejusdem legitur apud Prosperum.

[k] Sic ms. Joliensis. Edit. Colon. vetus, *tam salubris atque vitalis est.* Ms. concinit psalmi expositio. Edit. Lugdunensis, Lovaniensis, Duac. et Colon. recentior, *salubris atque vitalis est.*

[l] Ms. Remigianus, *dimittat*, ut in exposit. psalmi.

[m] Ita editio Sentent. in Aug. append. ex ms. Colbertino. Editio Colon. vetus, *unde alantur, unde satientur*, ut in expos. psalmi. Editiones Lugd. et ea recentiores, *unde alantur et unde satientur*, omisso *et* loco priore.

Digitized by Google

IX. *De quærendo Deo.*

Deum quærens, gaudium quærit. Sic ergo quærat, ut non in se, sed in Domino gaudeat. **545** Accedendo enim ad Deum, illuminatur ignorantia [a] ipsius, et corroboratur infirmitas, data sibi et intelligentia qua videat, et charitate qua ferveat (*Prosp. in psal.* CIV, 4).

X. *De fastidio spiritali.*

Sicut corpori noxium est corpoream escam non posse percipere, ita animæ periculosum est spiritales delicias fastidire (*Prosp. in psalm.* CVI, 18).

XI. [b] *De bonorum et malorum finibus.*

Numquam multi sunt [c] qui ad non esse tendunt. Quid enim tam est obnoxium paucitati quam quod est debitum perditioni (*Prosp. in psalm.* CVI, 39)?

XII. [d] *De tranquillitate ultionis Dei.*

Non concupiscit Deus pœnam reorum, tamquam saturari desiderans ultione; sed quod justum est cum tranquillitate decernit, et recta voluntate disponit, ut etiam mali non sint inordinati (*Prosp. in psal.* CVIII, 5).

XIII. *De bono intellectu.*

Bonum intellectum habet qui [e] quod faciendum est, recte intelligit et facit. Alioqui talis est sine opere intelligentia, qualis sine timore sapientia, [f] cum scriptum sit: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Prosp. in psalm.* CX, 10).

XIV. *De requie adhuc in carne* [g] *viventis.*

Habet [h] et in hac vita requiem suam anima quæ de morte infidelitatis exempta est, et non ab operibus justitiæ, sed ab iniquitatis se abstinet actione: ut vivens Deo, et mortua mundo, in humilitatis et mansuetudinis [i] placida tranquillitate requiescat (*Prosp. in psalm.* CXIV, 8).

XV. *De vovendo* [j] *Deo.*

Quisquis bene cogitat [k] quæ Deo voveat et quæ vovendo persolvat, seipsum voveat et reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo (*Luc.* XX, 25). Sed sicut vi- A dendum est [l] quid offeras et cui offeras, ita etiam considerandum est ubi offeras: quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam locus non est (*Prosp. in psalm.* CXV, 18).

XVI. *De justitia et gratia.*

Duæ sunt retributiones justitiæ, cum aut **546** bona pro bonis, aut mala redduntur pro malis. Tertia est retributio gratiæ, cum per regenerationem remittuntur mala, et retribuuntur bona. Atque ita manifestatur, quia *universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Illam autem retributionem impiorum qua pro bonis mala [m] retribuuntur, Deus nescit; qui nisi retribueret bona pro malis, non essent quibus [n] retribueret bona pro bonis (*Aug. serm.* 7 *in psalm.* CXVIII; *Prosp. in eumd. ps.*, 17).

B XVII. *De supernæ patriæ civibus.*

Omnis qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est mundi, et dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena, ubi inter multa illecebrosa et multa fallacia, Deum nosse et amare paucorum est, [o] quibus sit *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psalm.* XVIII, 9), ut nec in Dei, nec in proximi [p] charitate fallantur (*Prosp. in psalm.* CXVIII, 19).

XVIII. *De carnis cupiditate vincenda.*

Nemo est cujus animam corruptibile corpus et inhabitatio terrena non aggravet (*Sap.* IX, 15). [q] Sed adnitendum est ut carnis cupiditates spiritus vigore superentur, et interior homo, qui semper sibi sentit resisti, semper se divino auxilio exspectet adjuvari C (*Prosp. in psalm.* CXVIII, 25).

XIX. *De angusta vitæ* [r] *via.*

*Angusta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 13); et tamen per ipsam nisi dilatato corde non curritur: quia iter virtutum, quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est [s] fidelium spei, etiamsi arctum sit infidelium vanitati (*Prosp. in psalm.* CXVIII, 35).

XX. *De præmio* [t] *Christianæ religionis.*

Hoc affectu et desiderio colendus est Deus, ut sui

[a] Hoc pronomen, *ipsius*, additur ex ms. Colb. et edit. append. Aug. Ms. Remig. et editiones eo carebant, cum tamen correspondeat *sibi*, paulo post in omnibus codicibus. Ms. Jol. pro, *Accedendo ad Deum*, habet, *Accedendo ad Dominum, et illuminatur.*

[b] In editione Colon. veteri, *Quam obnoxium sit ad non esse tendere.* Idemque et Lugdun. ac ms. Remig., *Nonnumquam.* Melius alii, *Numquam*, ut in psalm. expos.

[c] Ms. Joliensis, *qui pereunt*, pro, *qui ad non esse tendunt.*

[d] In Colon. vet., *Quod Deus pœnam reorum non concupiscat.*

[e] Ms. Jol., *Quod faciendum recte intelligit, facit.* Ms. Remig., *recte faciendum intelligit*, etc., ut alii codices.

[f] Ms. Joliensis, *cum initium sit sapientiæ timor Domini.* Ms. Remig., *cum initio sit sapientia.*

[g] Edit. Colon. vet., *viventium.*

[h] Ms. Jol., *jam in hac vita.* Expos. psalm., *etiam in hac vita.* Idem ms. Jol. omittit *se* ante *abstinet*, ut expos. psalm.

[i] Editi omnes, *placita.* Mss. Jol. et Corb., ex quo edit. app. Aug., *placida.* In expos. psalmi, *quieta* D *tranquillitate.*

[j] Ms. Jol. omittit *Deo.*

[k] Ms. Colb. et edit. Aug., *quid voveat, et quæ vota persolvat.* Ms. Jol., *quid Deo voveat, et quæ vota persolvat; hoc exigitur, hoc debetur, ut seipsum voveat et reddat. Imago*, etc.

[l] Ita ms. Remig., qui pro *offeras*, habet *afferas*; forte ex errore. Ms. Colb. et edit. August. post Colon. vet. Aliæ, *quid et cui offeras.*

[m] Sic ms. Colb. et edit. August. app. In expos. psalm.: *Nulli malum pro bono retribuit.* Tamen editi omnes, *restituuntur*, et ms. Remig. Jol. vero ms., *restituunt.*

[n] Ms. Remig., *retribuerentur.*

[o] Ms. Joliensis, *quibus fit.*

[p] Ms. Colb. et edit. app. August., *fallantur dilectione.* Sic et expos. psalmi, cum cæteri omnes habeant, *charitate falluntur.*

[q] Edit. Colon. vet., *nitendum est..... semper de divino.* Ms. Jol., *expetat adjuvari.* Reliqui omnes, *exspectet adjuvari.*

[r] Ms. Joliensis, *De angusta via*; omissa voce *vitæ.*

[s] Edit. Colon. vet., *fideli spei.*

[t] Ms. Jol. non habet vocem hanc, *Christianæ.*

Digitized by Google

cultus ipse sit merces : nam qui Deum ideo colit ut A aliud magis quam ipsum promereatur, non Deum colit, sed illud quod assequi concupiscit (*Aug. serm.* 11 *in psalm.* CXVIII, 6 ; *Prosp. in eumd. psalm.*, 36).

XXI. *De occultis non judicandis.*

De occultis cordis alieni temere judicare peccatum est, et eum [a] cujus non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspicione reprehendere; cum eorum quæ homini sunt **547** incognita, solus Deus judex sit justus, qui et inspector est verus (*Zephirini ep.* 1 ; *Prosp. in psalm.* CXVIII, 39).

XXII. *De adjutorio Dei.*

Divini est muneris, cum et recta cogitamus, et pedes nostros a falsitate [b] et injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur operatur (*Prosper in psalm.* B CXVIII, 59; *et canon.* 9 *conc. Araus.* II).

XXIII. *De passionibus sanctorum* [c].

Justo judicio Dei datur plerumque peccatoribus potestas qua sanctos ipsius persequantur : [d] ut qui Spiritu Dei juvantur et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores (*Prosper in psalm.* CXVIII, 62).

XXIV. *De scientia boni* [e].

Non est vera scientia boni, nisi ad hoc comprehendatur, ut agatur : [f] non enim utiliter meditatur legem Dei, qui laborat ut memoria teneat quod actione non implet (*Prosp. in psalm.* CXVIII, 71, 77).

XXV. *De amore legis* [g].

Qui legem Dei diligit, probat se [h] in hominibus iniquis id quod contra legem est odisse, non homines (*Prosp. in psalm.* CXVIII, 113).

XXVI. *De scrutandis mandatis Dei* [i].

Mandata Dei scrutari, nisi quieta mens, non potest. Ut ergo religiosum exerceatur studium, abigenda sunt jurgia malignorum ( *Prosp. in psalm.* CXVIII, 115).

XXVII. *De proficiendo* [j].

Nemo tam eruditus, nemo tam doctus est qui superna illustratione non egeat : [k] non enim ita nulla divinorum bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper supersit quod mens rationalis et intelligendum desideret et gerendum ( *Prosp. in psalm.* CXVIII, 125).

XXVIII. *De duplici opere Dei* [l].

Si omnes homines simul consideremus, quorum alii misericordia salvi fiunt, alii veritate damnantur, universæ viæ Domini, id est, misericordia et veritas, suo fine distinctæ sunt. Si autem solos sanctos intueamur, non discernuntur hæ viæ [m] Domini. Individua enim ibi est, et a misericordia veritas, et a veritate misericordia ; quia beatitudo sanctorum et de munere gratiæ est, et de retributione justitiæ (*Prosp. in psalm.* CXVIII, 151).

XXIX. *De observantia pacis* [n].

Christianæ perfectionis est pacificum esse **548** etiam cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis : ut si nec exemplum, [o] nec cohortationem dilectionis sequantur, causas tamen non habeant quibus odisse nos debeant (*Prosp. in psalm.* CXIX, 7).

XXX. *De custodia Dei* [p].

Custodit nos Dominus ab omni malo, non ut nihil patiamur adversi, sed ut ipsis adversitatibus anima non lædatur. Cum enim tentatio adest, fit quidam in id quod nos impugnat introitus ; [q] et cum bono fine, id est, sine vulnere animæ, tentatio consummatur, ad æternam requiem, de profundo temporalis laboris exitur (*Prosp. in psalm.* CXX, 7).

XXXI. [r] *De adjutorio Dei.*

[s] Ad cœlestis Jerusalem consortium non ascendunt, nisi qui toto corde profitentur, non proprii operis, sed divini esse muneris, quod ascendunt (*Prosp. in psalm.* CXXI, 4).

XXXII. [t] *De odiis mundi in Christianos.*

Omnes qui in Christo pie volunt vivere, necesse C est ut ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria, et despiciantur tamquam stulti et insani, qui [u] præsentia bona perdant, et invisibilia sibi ac futura [v] promittant. Sed hæc despectio et irrisio [x] in impios retorquebitur, cum et abundantia eorum in egestatem, et superbia transierit in confusionem (*Prosp. in psalm.* CXXII, 3).

XXXIII. [y] *De patientia fidelium.*

Tota fidelium salus, tota patientiæ fortitudo, ad eum qui in sanctis suis est mirabilis referenda est : quia nisi in illis Dominus esset, furori impiorum fragilitas humana succumberet (*Prosp. in psalm.* CXXIII, 2).

XXXIV. *De obsequiis debitis.*

Ita et a plebibus principes, et a servis domini sunt

[a] Edit. Colon. vet., *cujus opera non videntur, nisi* D *bona... solus Deus judex sit, quia justus est, et inspector verus.* Ms. Remig., *Cum eorum quæ hominis sunt incognita solus Deus judex sit justus, qui inspector est veri.*

[b] Ms. Remig., *a falsitate injustitiæ.*

[c] Edit. Colon. vet. addit, *a malis.*

[d] Ms. Colb. et edit. app. August., *ut illi qui.*

[e] Edit. Col. vet. addit, *et actione.*

[f] Editio Col. vet., *inutiliter autem.*

[g] Editio Colon. vet. addit, *in hominibus.*

[h] Mss. Remig. et Jol., *in omnibus iniquis.*

[i] Editio Col. vet. addit, *sine jurgiis.*

[j] Editio Colon. vet. addit hic, *semper.*

[k] Ms. Remig., *non enim illa ita.* Col. vet., *ulla ita.*

[l] Editio Colon. vet. addit, *misericordiæ et veritatis.*

[m] Ms. Jol. non habet vocem hanc, *Domini.*

[n] Editio Colon. vet. addit, *cum malis.*

[o] Edit. Colon. vet., *nec cohortationem discretionum sequantur.* Ms. Joliensis, *nec exemplo, nec cohortatione dilectionis.*

[p] Editio Colon. vet. addit, *in tentatione.*

[q] Colon. vet. editio, *et sicut bono fine, id est sine vulnere, animæ tentatio consummatur.* Ms. Jol., *et cum bono.*

[r] Edit. Col. vet., *De munere Dei in ascensu Jerusalem.*

[s] Ms. Remig., *Ad cœlestis Israelitarum Jerusalem consortium non ascendunt, nisi qui confitentur*, etc.

[t] Colon. vet. edit., *De odio.*

[u] Edit. Colon. vet., *in præsentia.*

[v] Ms. Joliensis, *perquirant.*

[x] Ms. Jol., *in ipsos.* Ms. Remig., *in ipsis*, forte pro *in ipsos.*

[y] Colon. vet. edit., *De patientia, in quo consistat.*

Digitized by Google

ferendi, ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur A temporalia, et sperentur æterna. Auget enim [a] merita virtutis, quod propositum non violat religionis (*Prosp. in psalm.* CXXIV, 3).

XXXV. [b] *De toleranda varietate mundana.*

Recti corde de præceptis Dei et constitutionibus non queruntur : quia justum est omnia æquanimiter accipi, quæ judicaturus [c] voluit tolerari (*Prosp. in psalm.* CXXIV, 4).

XXXVI. *De ædificatione domus Dei.*

**549** Omnis sancti ædificii status, sicut Deo [d] operante proficit, ita Deo custodiente consistit. Quoniam tunc utilis præpositorum custodia est, cum Spiritus Dei populo suo præsidet, et non solum greges, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores (*Prosp. in ps.* CXXVI, 1). B

XXXVII. *De æternis gaudiis.*

Æternæ civitatis æterna sunt gaudia, [e] et stantium dierum [f] perpes infinitas nec variabitur, nec labetur : quia incommutabili pace potientur, quorum omnium erit bonum, quod fuerit etiam singulorum (*Prosp. in ps.* CXXVII, 5).

XXXVIII. *De lege charitatis.*

Lex Christi [g] perfectio charitatis est, qua Deus proximusque diligitur, et per quam dicitur Conditori legis, [h] *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI, 12.) Bene enim exspectat promissionem Dei, qui mandata ejus exsequitur; nec frustra sperat parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis (*Prosp. in ps.* CXXIX, 4). C

XXXIX. *De jussionibus Dei.*

Nihil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. Ideo verus est Dominus, qui servo non indiget, et quo servus indiget (*Aug. ep.* 138, *ad Marcellin.*, *num.* 6).

XL. [i] *De intemporali scientia Dei.*

Id quod in tempore novum est, non est novum [j] apud Deum, qui condidit tempora, et sine tempore habet [k] omnia, quæ suis quibusque temporibus, pro eorum varietate, distribuit (*Aug. ibid.*, *n.* 7).

XLI. *De providentia Dei.*

Mutabilium dispositionem [l] immutabilis ratio continet, ubi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus non simul fiunt, quia tempora non simul currunt (*Aug. ibid.*, *n.* 8).

XLII. *De impunitate peccantium.*

Nihil infelicius est felicitate peccantium, [m] qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur (*Aug. ibid.*, *n.* 14).

XLIII. *De legis littera* [n].

Legis littera, quæ docet non esse peccandum, si Spiritus vivificans desit, occidit. [o] Sciri enim peccatum facit potius quam caveri : **550** et ideo magis augeri quam minui; quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit (*Aug. de Spir. et Litt. c.* 5, 14).

XLIV. *De lege et gratia.*

Lex data est ut gratia quæreretur : gratia data est ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis : quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit (*Aug. ibid.*, *c.* 19).

XLV. *De prômissione Dei.*

Hoc promittit Deus, quod ipse facit. Non enim ipse promittit et alius facit : quod jam non est promittere, sed prædicere. Ideo *non ex operibus, sed ex vocante* (*Rom.* IX, 12; *et* IV, 4) ; ne ipsorum sit, non Dei; et merces non imputetur secundum gratiam, sed secundum debitum ; atque ita gratia jam non sit gratia (*Aug. ibid.*, *c.* 24).

XLVI. *De fidelium culpis et infidelium bonis.*

Sicut non impediunt ab æterna vita justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur (*Aug. ibid.*, *c.* 27).

XLVII. [p] *De malæ voluntatis effectu.*

Cum voluntas mala potestatem accipit [q] ut efficiat quod cupit, ex judicio Dei venit, apud quem non est iniquitas. Punit enim etiam isto modo : nec ideo injuste, quia occulte. Cæterum iniquus puniri se ignorat, nisi cum [r] manifesto supplicio senserit nolens, quantum mali sit quod perpetravit volens (*Aug. ibid.*, *c.* 31).

XLVIII. *De superbia* [s].

Omnia vitia in malefactis tantummodo valent : sola superbia etiam in recte factis cavenda est (*Aug. lib. de Nat. et Gr. c.* 27).

XLIX. [t] *De impari usu fortunæ.*

Interest plurimum qualis sit usus, vel earum re-

[a] Ms. Colb. et edit. August., *meritum.* D

[b] Edit. Colon. vet., *Non conqueri de constitutionibus Dei.*

[c] Colon. vet. edit., *voluerit.*

[d] Colb. cod. ms., *cooperante ;* ac inf. loco, *custodia est, ordo est.*

[e] Ms. Joliensis, *et instantium dierum.* Ms. Remig., *et instantia dierum.* Postea.

[f] Colon. vet. edit., *perpetuitas infinita.... quorum erit omnium bonum, etiam quæ fiunt singulorum.*

[g] Editio Colon. vet., *perfectio est charitatis.*

[h] Ms. Joliensis addit hic, *Deo ;* et post aliquot verba, *qui mandatum ejus.*

[i] Emendamus ex ms. Joliensi, in quo melius exhibetur sententiæ subjectæ sensus quam in cæteris, ubi. *de temporali scientia* legitur.

[j] Ms. Joliensis, *apud eum qui*

[k] Edit. Colon. addit, *omnium.*

[l] Ms. Joliensis, *immutabilis dispositio.*

[m] Ms. Remigianus, *quia.*

[n] Edit. Colon. addit, *sine vita.*

[o] Ms. Jol., *Sciri,* ut in loco Augustini in margine citato. Codices alii nostri, *Scire,* cui non bene respondet *caveri.*

[p] Col. vet. edit., *De mala voluntate et potestate.*

[q] Edit. Colon. vet., *efficiendi quod cupit, ex judicio ejus venit.... quanti mali sit quod perpetravit volens.*

[r] Ms. Remig., *manifesta supplicia senserit nolens, tunc agnoscit quantum,* etc.

[s] Edit. Colon. vet. addit, *in bonis.*

[t] Colon. vet., *De pari usu.* Ms. Jol., *De usu prosperi et adversi.*

Digitized by Google

rum quæ prosperæ, vel earum quæ dicuntur adversæ. Nam bonus temporalibus, nec bonis extollitur, nec malis frangitur : malus autem ideo [a] hujusmodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur (*Aug. lib.* I *de Civit. cap*. 8).

L. *De morte sanctorum* [b].

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Non enim facit malam mortem, **551** nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est necessario morituris, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur (*Aug. ibid.*, *c.* 11).

LI. *De puritate* [c] *quam non perdit invitus.*

Ita non amittitur corporis sanctitas, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso; sicut amittitur sanctitas corporis, violata animi puritate, etiam corpore intacto (*Aug. ibid.*, *c.* 18).

LII. *De fortitudine tolerantiæ.*

Major animus merito dicendus est, qui vitam ærumnosam magis eligit ferre, quam fugere; et humanum judicium, [d] maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, præ conscientiæ luce ac puritate contemnere (*Aug. ibid.*, *c.* 22).

LIII. [e] *De libera servitute et dominio servili.*

Justis quidquid malorum [f] ab iniquis dominis irrogatur, non pœna est criminis, sed virtutis examen. Nam bonus etiamsi serviat, liber est : malus autem, etsi regnet, servus est; nec unius hominis, sed, quod est gravius, tot dominorum quot vitiorum (*Aug. lib.* IV *de Civ. c.* 5).

LIV. *De oblatione votorum.*

Nemo quidquam Domino recte voveret, nisi ab ipso acciperet quod voveret (*Aug. lib.* XVII *de Civ. cap.* 4, *et can.* 11 *conc. Arausicani* II).

LV. *De essentia Deitatis.*

Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est, et quæ creatura non est, Deus est. Nulla ergo differentia est in Deitate Trinitatis, quoniam quod Deo minus est, Deus non est (*Can.* 12 *conc. Arausicani* II).

LVI. *Quales nos diligat Deus.*

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

LVII. [g] *De intemporali opere Dei.*

Ordo temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua sunt apud illum nova, qui fecit quæ futura sunt.

LVIII. *De principali omnium rerum causa.*

Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium spiritaliumque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de invisibili atque intelligibili summi imperatoris aula, aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum, **552** atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica (*Aug. l.* III *de Trin. c.* 4).

LIX. [h] *De superbia diaboli et Christi humilitate.*

Diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem; Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit, et dejecit consentientem; sic iste humiliatus surrexit, et erexit credentem (*Aug. lib.* IV *de Trin. c.* 10).

LX. *De spiritalibus augmentis.*

In rebus spiritalibus cum minor majori adhæret, sicut Creatori creatura, illa fit major quam erat, non ille; et hoc est majus esse, quod est melius esse, quia adhærens creatura Creatori, non mole auctior, sed virtute fit major (*Aug. l.* VI *de Trin. c.* 8).

LXI. *De ineffabili excellentia Deitatis.*

Excedit supereminentia Deitatis non solum usitati eloquii nostri, sed etiam intelligentiæ facultatem. Verius enim cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur. Non [i] parva autem notitiæ pars est, si antequam scire possimus quid sit Deus, possumus scire quid non sit (*Aug. l.* VIII *de Trin. c.* 2).

LXII. *De vera beatitudine.*

Omnes beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuo sint beati. Continuo autem sunt miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Propior ergo beatitudini voluntas recta, etiam [j] non adepta quod cupit, quam prava, etiamsi quod cupit obtinuit (*Aug. l.* XIII *de Trin. c.* 5).

LXIII. [k] *Quid sit esse cum Deo.*

Magna hominis miseria est cum illo non esse sine quo non potest esse. In quo est enim, sine dubio sine illo non est : et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, neque diligit, cum eo non est (*Aug. l.* XIV *de Trin. c.* 12).

LXIV. *De incarnatione Verbi Dei.*

Divinitas Verbi æqualis Patri facta est particeps mortalitatis nostræ, non de suo, sed de nostro : ut

[a] Ms. Joliensis, *hujus mundi.*

[b] Edit. Colon. vet. addit, *bona*. Ms. Jol., *Quod non possit male mori qui bene vixerit.*

[c] Edit. Colon., *De puritate animi, oppresso corpore.*

[d] Colon. vet. edit., *maxime quod est vulgare.*

[e] Edit. Colon., *De libera servitute in domino servili*; forte pro, *et dominio servili*; cæteri codices, *De humilitate justorum:* non tam bene.

[f] Edit. Colon., *aliquis dominus irrogat.... Nam etiam bonus si serviat*, etc. Ms. Jol., *malus etiamsi.* Ms. Jol. initio, *Justis quidquid mali.*

[g] Codices omnes alii, præter ms. Joliensem, *De temporali:* cujus lectio magis congruere sententiæ visa est, ubi *sine tempore* dicitur esse *in Deo ordo temporum.*

[h] Hoc loco ms. cod. Colb. sententiam illam addit : *De finibus malorum et bonorum. Scire volens in qua rerum sis parte locandus, discute quid timeas, quidve sit quod amas.* Sumpta est ex libro Epigrammatum Prosperi, c. 59.

[i] Ms. Joliensis, *Non parva.... si antequam possimus scire*, etc. Nec distat Augustini liber. *Non enim parvæ notitiæ pars est..... si antequam scire possimus quid sit Deus, possumus jam scire quid non sit.*

[j] Edit. Colon. vet., *non adepto*. Ms. Joliensis, *quæ cupit.... quod concupivit.*

[k] Colon. vet. edit., *Quorum sit esse cum Deo.*

Digitized by Google

et nos efficeremur participes divinitatis ejus, non de nostro, sed de ipsius (*Aug. in ps.* CXVIII *ser.* 16, *n.* 6; *et ser.* 19, *n.* 6).

### LXV. [a] *Quo odio odiendi sint mali.*

Perfectum odium est, quod nec justitia, nec scientia caret: id est, ut nec propter vitia **553** homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Recte ergo in malis odimus malitiam, et diligimus creaturam: ut nec propter vitium natura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur (*Aug. l.* XIV *de Civ. c.* 6; *Prosp. in ps.* CXXXVIII, 22).

### LXVI. *De labore* [b] *fingentium mendacia.*

Difficilia et laboriosa sunt figmenta mendacii. Qui autem verum vult dicere, non laborat; quietiores enim sunt boni quam mali; et absolutoria sunt verba [c] veridicorum quam commenta fallacium (*Aug. in ps.* CXXXIX, *n.* 13).

B

### LXVII. [d] *De divinis Scripturis.*

Bonæ sunt in Scripturis sanctis mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vilescant; ob hoc quæruntur, ut exerceant; ob hoc [e] autem aperiuntur, ut pascant (*Aug in ps.* CXL, *n.* 1).

### LXVIII. [f] *De oratione Domini.*

Orans cum sudore sanguineo Dominus Jesus Christus significabat de toto corpore [g] suo, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones (*Aug. ibid., n.* 4; *et in ps.* LXXXV, *n.* 1).

### LXIX. [h] *De sacramentorum perceptione.*

Sacramentum pietatis in judicium sibi sumit indignus. Bene enim esse non potest male accipienti quod bonum est (*Aug. in ps.* CXLII, *n.* 16).

C

### LXX. *De laudando* [i] *Deum.*

Qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet etiam in terroribus ultionum. [j] Nam et blanditur et minatur. Si non blandiretur, nulla esset exhortatio; si non minaretur, nulla esset correctio (*Aug. in ps.* CXLIV, *n.* 8; *Prosp. in eumd. ps.*, 5).

### LXXI. *De acceleranda conversione* [k].

Remedia [l] conversionis ad Deum nullis sunt cunctationibus differenda; ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, dissimulanti diem crastinum non spopondit (*Aug. ibid., n.* 11).

### LXXII. *De humilitate orandi* [m].

Rectus est et bene invocat Deum, qui in omnibus malis quæ patitur se accusat, non Deum; et in bonis quæ facit, non se laudat, sed Deum. Sicut enim repellit Deus peccata sua defendentem, sic recipit confitentem (*Aug. ibid., n.* 12).

### LXXIII. *De admiratione creaturarum* [n].

**554** Mirabilis est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator. Et male occupatur creatis, qui [o] a Creatore discedit: [p] qui si hæserit superiori, inferiora calcabit; ne quod dilexerit contra naturam, convertatur in pœnam (*Aug. in ps.* CXLV, *n.* 5).

### LXXIV. *De anima inordinata.*

Anima rationalis superioribus inferiora præponens, non potest regere quod regebat, quia regi [q] noluit a quo regebatur (*Aug. ibid., n.* 5).

### LXXV. *De pœna peccati* [r].

Corpus carnis nostræ ornamentum nobis fuit: peccavimus, et compedes inde accepimus, ut vinculis mortalitatis omnis humanarum actionum cursus præpeditetur (*Aug. ibid., n.* 17).

### LXXVI. *De ratione* [s] *psallendi.*

Recte in Dei laudem psallit, cujus opera cum voce concordant. Nam finito carmine, vox tacet: vita autem in bonis actibus [t] permanens, numquam reticet ejus gloriam, quem in se gaudet operari (*Aug. in ps.* CXLVI, *n.* 2).

### LXXVII. *De timore* [u].

Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur: Deus sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum [v] confugiatur [x] (*Aug. ibid., n.* 20).

### LXXVIII. *De recta sollicitudine* [y].

Sicut præpostera securitas in periculum impellit: ita ordinata sollicitudo securitatem parit (*Aug. in ps.* CXLVII, *n.* 5).

### LXXIX. *De virginitate* [z].

Virginitas carnis, corpus intactum; virginitas animæ, fides incorrupta (*Aug. ibid., n.* 10)

[a] Edit. Colon. vet., *De hominibus malis odiendis.*
[b] Ms. Joliensis, *fallentium.*
[c] Mss. Colb. et Jol. cum edit. app. August. et omnes editi in ora libri, *veridicorum;* etsi hi in textu posuerint, *veracium.*
[d] Ms. Joliensis, *De quæstionibus Scripturarum.*
[e] In mss. Remig. et Joliensi deest *autem:* nec habetur in loco Augustini.

D

[f] Colon. vet. edit., *De oratione Christi in sanguine.*
[g] Ms. Joliensis addit pronomen *suo:* cui *ejus* respondet in loco posteriori Augustini.
[h] Colon. vet. edit., *De sacramentis ad malos.*
[i] Ms. Joliensis *Deo* legit, ubi cæteri *Deum.* Colon. vet. edit. *De laude Dei, in beneficiis et minis.*
[j] Ms. Joliensis, *nunc blanditur, et nunc minatur.* Ms. Remig., *Non enim blanditur et minatur,* ubi desideratur *non, et non minatur,* ut in locis Prosperi et Augustini habetur.
[k] Colon. vet. edit. addit, *in remedio.*
[l] Ms. Remig., *correctionis.*
[m] Edit. Colon. vet. addit, *in bonis ac malis.*
[n] Colon. vet. edit. addit *et calcatione.*
[o] Mss. Remig. et Jol., *ab auctore;* idemque margini inscribitur in editis omnibus, dempto Colon. vet.
[p] Colon. vet. edit., *cui si inhæserit.*
[q] Edit. Colon. vet. et Lugdun., *voluit;* errore manifesto ex loci sensu et Augustini libro.
[r] Colon. vet. edit. addit, *in compedibus.*
[s] Emendamus ex ms. Jol., cum in editis fere omnibus haberetur *psallentium.* Col. vet. edit., *De psallentibus cum opere et voce.*
[t] Ms. Joliensis, *permanentis.*
[u] Colon. vet. edit. addit *recto*
[v] Ms. Remig., *confugiamus.*
[x] Colbertinus codex addit *utile prudenti est mundana adversa cavere.* Initium est Prosperiani epigrammatis 73.
[y] Edit. Colon. vet. addit, *et securitate.*
[z] Colon. vet. edit. addit, *corporis et animæ.*

Digitized by Google

A

### LXXX. [a] *De modo habendi.*

Multa nos in facultatibus nostris superflua habere [b] probabimur, si necessaria sola retineamus. Nam vana quærentibus nihil sufficit, et alienorum quodam modo retentor est, qui profutura pauperibus inutiliter habet (*Aug. serm. in ps.* CXLVII, *n.* 12; *Prosp. in ps.* CXLIV, 5).

### LXXXI. *De cogitationibus* [c].

Quomodo aures nostræ ad voces nostras, **555**
[d] sic aures Dei ad cogitationes nostras. Non potest autem fieri ut [e] in mala opera exeant cogitationes bonæ, quoniam hoc actione promitur quod corde concipitur (*Aug. in ps.* CXLVIII, *n.* 2).

### LXXXII. *De cantico novo.*

Sicut veteris hominis vetus canticum ad temporalia, sic novi hominis novum canticum pertinet ad æterna; et ita unusquisque cantat ut vivit. Novum autem canticum, carmen est fidei quæ per dilectionem operatur (*Aug. in ps.* CXLIX, *n.* 1).

### LXXXIII. *De vera humilitate.*

Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare; nec ingratum esse, nec querulum, sed in omnibus Dei judiciis gratias Deo agere, Deumque laudare, cujus omnia opera aut justa sunt, aut benigna.

### LXXXIV. *De desperantibus.*

Nimis miser est qui non sperat [f] in Deo, et de se sibi secunda promittit, cum ex eo ipso quod non quærat Dei auxilium, ab omni spe veræ salutis exciderit (*Aug. in psal.* XXXIII, *enarrat.* 2, *n.* 13).

### LXXXV. *De divitiis.*

In magna egestate sunt qui de iniquitate sunt divites; justitiæ opes, et sapientiæ thesauros [g] non habent: qui autem Domino serviunt, ea bona acquirunt quæ perire non possunt (*Aug. ibid.*, *n.* 15).

### LXXXVI. *De vera bonitate.*

Non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est; et parum est nemini nocere, nisi studeas multis prodesse (*Aug. ibid.*, *n.* 19).

### LXXXVII. *De mali impunitate.*

Peccator [h] qui peccat, non ideo a Domino non videtur, quia male agentis pœna differtur: gravius autem in eum [i] decernitur, cui etiam ipsa correctio denegatur (*Aug. ibid.*, *n.* 21).

### LXXXVIII. *De bono humilitatis.*

Non acceditur ad altitudinem Dei, nisi per humilitatem; et cui propinquat subditus, longe ab eo recedit elatus (*Aug. ibid.*, *n.* 23).

### LXXXIX. *De sepultura.*

Sicut peccatoribus divitibus nihil prosunt exsequiæ sumptuosæ, ita nihil nocent aut viles, aut nullæ sanctorum pauperum sepulturæ (*Aug. ibid.*, *n.* 25).

### XC. *De gaudio i recto.*

Non potest umquam fraudari delectationibus suis,
**556** cui Christus est gaudium. Æterna enim exsultatio est, quæ bono lætatur æterno.

### XCI. [k] *Quid hominem Deo jungat.*

Deo, qui ubique est, non locis, sed actionibus, aut longinqui, [l] aut proximi sumus: quia sicut separat dissimilitudo, ita nos illi conjungit imitatio (*Aug. in ps.* XXXIV, *n.* 6).

### XCII. *De bono prælio.*

Humanæ ægritudinis est, in carne mortali delectationem habere peccandi. Sed discipulus amatorque virtutum, non pacem huic concupiscentiæ tribuere, sed bellum debet indicere (*Aug. in psal.* XXXV, *n.* 6). B

### XCIII. *De spe fidelium.*

Non te terreat, Christiane, quod credita differuntur: licet in abscondito sit promissio, in spe tamen perseveret oratio. Exercere operibus, cresce virtutibus. Dum fidei constantia probatur, gloria retributionis augetur.

### XCIV. *De temporibus* [m] *malorum.*

Omne tempus malorum pusillum est. Quid enim tam exiguum [n] quam quod in hoc tendit, ut non sit?

### XCV. [o] *De charitatis augmento.*

Crescit semper [p] charitatis facultas, dum usu
C major, et largitate fit ditior.

### XCVI. *De defectu malorum.*

Malorum impietatem perire necesse est, aut proprio judicio, aut sententia Dei. Nulla enim iniquitas permanet, cui finem aut correctio, aut damnatio facit.

### XCVII. *Unde adhæreatur Deo.*

Adhærens Deo et semper [q] ejus faciens voluntatem, numquam a suo habitatore deseritur: et si quædam dura atque adversa patiatur, non relinquitur, sed probatur.

### XCVIII. *De justitia.*

Tota justitiæ ratio est, ut declinentur mala et fiant bona: cujus observantiæ inter quaslibet adversitates forma servanda est: quia hoc solum numquam amit-
D titur, quod [r] operi pietatis impenditur.

### XCIX. *De tolerantia.*

Tolerentur præsentia mala, donec veniat beatitudo promissa. Sustineantur a fidelibus **557** infi-

[a] Edit. Colon. vet., *Contra superflua.*
[b] Mss. Remig. et Joliensis, *probabimus.*
[c] Colon. vet. edit. addit, *ad Deum.*
[d] Ms. Jol., *ita cogitationes nostræ ad aures Dei.*
[e] Ms. Joliensis, *mala opera exerceant;* ms. Remig., *mala opera exerant.*
[f] Mss. Remig. et Jol., *in Deum;* et infra, *quærit.*
[g] Mss. Remig. et Jol., *non habentes.* Editi omnes, *non habent.*
[h] Mss. Remig. et Jol., *cum peccat.*
[i] Colon. vet. edit., *desævitur.*
[j] Ms. Joliensis, *utili.*
[k] Ms. Joliensis, *Quid sit Deo esse vicinum.*
[l] Ms. Joliensis, *aut propinqui, aut longinqui sumus,* et paulo post Colon. vet. edit., *sicut nos separat.*
[m] Colon. vet. edit. addit hanc vocem, *malorum.*
[n] Editio Colon. vet., *tam exiguum est.* Cæteri codices omittunt verbum substantivum *est.*
[o] Ms. Joliensis, *De charitate.*
[p] Editio Colon. vet., *facultatis charitas.*
[q] Ms. Joliensis, *Dei faciens.*
[r] Ms. Remig., *quod opere.*

Digitized by Google

deles, et [a] exortorum inter frumenta zizaniorum A avulsio differatur. Quantumlibet sæviant impii, melior est etiam in hoc tempore causa justorum, qui quanto acrius impetuntur, tanto gloriosius coronantur (*Aug. serm.* 3 *in ps.* XXXVI, *n.* 17).

C. *Quid sit clamor ad Deum.*

Clamor ad Deum est intentio cordis, et flagrantia dilectionis : quia semper petitur, quod semper optatur. Hoc autem Deo absconditum non est; quoniam ad ipsum redit quod ab ipso processit (*Aug. in ps.* XXXVIII, *n.* 14).

CI. *De confitendo peccato.*

Bona est [b] peccati confessio, si curatio consequatur. Nam quid prodest detegere plagam [c], et non adhibere medicinam (*Aug. ibid.*, *n.* 24)?

CII. [d] *De perfectione.*

B In hac vita, quæ tota tentatio est, etiam in sublimissimis sanctis, non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit ascensio.

CIII. [e] *De laboribus præsentis vitæ.*

Dum præsentis vitæ cursus agitur, etiam si valde proficiat [f] cujus exterior homo corrumpitur, et interior renovatur, necesse est tamen, ut dum conditioni subjacet mortis, labores toleret vetustatis (*Aug. in ps.* XXXVIII, *n.* 8 *et* 9).

CIV. *Quod imago Dei homo sit,* [g] *nunc obnoxia vanitati.*

Imago quidem Dei est homo; et qui per justitiæ ambulat vias, et ad similitudinem sui tendit auctoris: et tamen dum in hac vita degit, conturbationes vanitatis incurrit (*Aug. ibid.*, *n.* 11).

C CV. *De eruditione divina.*

Prima divini muneris gratia est, ut erudiat nos ad nostræ humilitatis confessionem, et agnoscere faciat, quod si quid boni agimus, per illum possumus sine quo nihil possumus (*Aug. ibid.*, *n.* 18).

CVI. *Quod tota infidelium vita peccatum sit* [h].

Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono. Ubi enim deest agnitio æternæ et incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.

CVII. [i] *De fundamento spiritali.*

Sicut fundamentum corporeæ fabricæ in **558** imo est, ita fundamentum fabricæ spiritalis in summo est. Terrena ædificatio a terra incipit, cœlestis exstructio a superno crescit exordio.

CVIII. [j] *Quod recordatio vel oblivio non cadant in Deum.*

Tunc dicitur Deus meminisse, quando facit; tunc oblivisci, quando non facit. Nam neque oblivio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur; neque recordatio, quia nihil obliviscitur (*Aug. enar. in ps.* LXXXVII, *n.* 5).

CIX. [k] *Qui Dei miracula videant.*

Hi vident mirabilia Dei, quibus prosunt. Nam quod non intelligitur, vel unde non proficitur, non videtur (*Avg. ibid.*, *n.* 10).

CX. *De misericordia et veritate* [l] *jungendis.*

Non auferat veritas misericordiam, nec misericordia impediat veritatem. Si enim pro misericordia judicaveris contra veritatem, aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via Domini, in qua misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Aug. serm.* 1 *in ps.* LXXXVIII, *n.* 25).

CXI. *De tentatione et imitatione Christi* [m].

Tentatio Christi eruditio [n] Christiani est. Imitatores enim magistri debent esse discipuli, non in faciendis miraculis, quæ nemo exigit; sed in custodienda humilitate atque patientia, [o] ad quæ nos Dominus suo invitavit exemplo (*Aug. serm.* 1 *in ps.* XC).

CXII. *De cupiditate et charitate.*

Quomodo radix omnium malorum est cupiditas, sic radix omnium bonorum est charitas (*Aug. ibid.*, *n.* 8).

CXIII. [p] *De gaudio Christiani.*

Christiano [q] recte gaudendi causa non præsens sæculum, sed futurum est: et ita est utendum temporalibus, ne obsint æternis; ut in via qua peregrini ambulant, [r] hoc placeat quod ducit ad patriam.

CXIV. *De sabbato.*

Male celebrat sabbatum qui ab operibus bonis vacat. Otium autem ab iniquitate debet esse perpetuum, quia bona conscientia non inquietum, sed tranquillum [s] facit (*Aug. enar. in ps.* XCI, *n.* 2).

CXV. [t] *Quod bonum cum gaudio sit faciendum.*

**559** Cum bonum operaris, hilaris operare. Nam

D

[a] Ms. Remig., *et inter hortorum frumenta zizaniorum.* Editiones omnes sic distinguebant, *avulsio differatur, quantumlibet sæviant impii. Melior est etiam,* etc. August. app. editio distinctionem nostram, quæ commodior visa est, prima instituit.

[b] Edit. Colon. et posteriores, *peccatori.*

[c] Ms. Remigianus, *suam plagam.*

[d] Colon. vet. edit., *De profectionis* (forte pro *perfectionis*) *ascensu.*

[e] Colon. vet. edit. addit titulo, *in vetustate.* Ms. Jol. totum sic habet, *De profectu vitæ præsentis.*

[f] Editio Colon. vet., *cujus exercitio homo corrumpitur exterior.* Sub finem ms. Remigianus habet, *laborem,* non *labores.*

[g] Posteriorem hanc tituli partem prætermittit editio Coloniens. vet. Ms. Joliensis, *De homine ad imaginem Dei facto.*

[h] Editio Colon. vet. addit hic, *etiam optimis moribus.*

[i] Ms. Joliensis, *De cœlesti et terrena ædificatione.*

[j] Colon. vet. edit. addit, *et quomodo.* Ms. Joliensis aliter totum exhibet, *Qualiter accipi debeat, quod obliviscitur Deus.*

[k] Ms. Joliensis, *Qualiter videri possint mirabilia Dei.*

[l] Edit. Colon. vet., *obviantibus sibi.* Ms. Jol., *Qualiter intelligi debeat misericordia et veritas.*

[m] Colon. vet. edit. addit, *non in miraculis.*

[n] Ms. Remig. *Christianis est;* et sub finem, *ad quam nos.*

[o] Ms. Joliensis, *et patientia, ad quam nos Deus suo exemplo invitat.*

[p] Ms. Joliensis, *Quæ sit causa recte gaudendi.*

[q] Edit. Colon. et posteriores, *recta gaudendi causa.*

[r] Colon. vet. edit., *hoc placet,* non malo sensu

[s] Editio Colon. vet., *tranquillum facit animum.*

[t] Colon. vet edit., *Quod bonum cum gaudio sit faciendum.* Alii, *Bonum cum gaudio est faciendum.*

Digitized by Google

si quid boni tristis feceris, fit de te magis quam facis A (*Aug. enar. in ps.* XCI, *n.* 5).

CXVI. [a] *Quod non homines, sed hominum sit fugienda perversitas.*

Si in mores malorum non transeant boni, etiam inter cohabitantes magna divisio est. Non ergo homines, qui meliorum exemplo corrigi queunt, sed hominum est fugienda iniquitas.

CXVII. [b] *Quod sint vitanda peccata non timore pœnæ, sed amore justitiæ.*

Eam Deus innocentiam probat, qua homo non [c] metu pœnæ fit innocens, sed amore justitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult nocere, sibi tamen plurimum nocet; et abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate (*Aug. enar. in ps.* XCIII, *n.* 1).

CXVIII. [d] *De humili confessione et superba jactantia.*

Melior est in malis factis confessio, quam in bonis superba gloriatio (*Aug. ibid., n.* 15).

CXIX. [e] *Quod iniqui malitia prosit bonis.*

De malitia mali flagellatur bonus; et de servo emendatur filius (*Aug. ibid., n.* 25).

CXX. [f] *De fidelium perseverantia.*

Sicut stellas cœli non exstinguit nox, sic mentes fidelium, adhærentes firmamento sanctæ Scripturæ, non obscurat mundana iniquitas (*Zephirin. ep.* 1; *Aug. enar. in ps.* XCIII, *n.* 29).

CXXI. [g] *De propria facultate hominis.*

Ad peccandum homo abundat propria facultate: ad agendum autem bonum non sibi sufficit, nisi ab illo justificetur qui solus justus est (*Aug. enar. in ps.* XCVIII, *n.* 7).

CXXII. [h] *De contrariis moribus.*

Magnus bonorum labor est, mores tolerare contrarios: quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet justum [i] iniquitas aliena, quantum recedit a sua (*Aug. ibid., n.* 12).

CXXIII. [j] *Qualiter accedatur ad Deum, vel recedatur a Deo.*

560 Non locorum intervallis acceditur ad Deum, vel receditur ab eo; sed similitudo facit proximum, dissimilitudo longinquum. Et nimia miseria est ab eo bono longe esse, quod ubique est (*Aug. enar. in ps.* XCIX, *n.* 5).

CXXIV. *De vera libertate.*

Libera semper est servitus apud Deum, cui non necessitas servit, sed charitas (*Aug. ibid., n.* 7).

CXXV. [k] *De tolerantia.*

Qui ideo neminem vult hominem pati, quia multum, ut arbitratur, proficit; per hoc ipsum quod alios non tolerat, ostendit quod potius non proficit (*Aug. ibid., n.* 9).

CXXVI. [l] *Unde sit bonum nostrum.*

Totum bonum quod habemus, ab artifice nostro habemus. Sed si hoc in nobis est quod ipsi fecimus, B inde damnabimur; si autem hoc quod Deus fecit, inde coronabimur (*Aug. ibid., n.* 15).

CXXVII. [m] *De Incarnatione Verbi.*

Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, tempus præordinavit quo susciperet carnem; [n] non tempori cessit quo verteretur in carnem. Homo quippe Deo accessit, non Deus a se recessit (*Aug. ep.* 137, *n.* 10).

CXXVIII. [o] *De fide et intellectu.*

[p] Intellectui fides viam aperit, infidelitas claudit (*Aug. ibid., n.* 15).

CXXIX. [q] *De superbia.*

Quo primum vitio [r] superatus est homo, hoc ultimum vincit. Cum enim [s] omnia peccata superaverit, manet periculum ne bene sibi mens conscia, in se C potius quam in Domino glorietur (*Aug. enar. in psal.* VII, *n.* 4).

CXXX. [t] *De perfectione desideriorum.*

Finis curarum [u] perfectio est desideriorum; et in id quisque tendit ac nititur, ut ad illud perveniat quod delectatur. [v] Sapientis ergo est hoc appetere quod bonum facit, non id amare quod decipit (*Aug. ibid., n.* 9).

CXXXI. *De duobus* [x] *donis gratiæ.*

561 Sicut duo sunt officia medicinæ, unum quo

---

[a] Ms. Jol., *De consortio*. Colon. edit., *De cohabitatione bonorum et malorum.*

[b] Colon. vet. edit. non habet *pœnæ*, nec *justitiæ*. Ms. Joliensis, *Quæ sit vera innocentia*. Huic sententiæ similia leges apud August. lib. de Spir. et Lit. cap. 8 et 14, lib. de Nat. et Grat. cap. 57, et lib. II contra 2 Epist. Pelag. c. 9, et lib. III cap. 4.

[c] Colon. recentior editio et posteriores, *motu pœnæ*. Ms. Remig. post pauca, *sit innocens.*

[d] Ita ms. Joliensis, et quidem aptius quam alii codices, *De pharisæo et publicano*, etsi sententia hæc ex historia utriusque occasionem sumpsisse videatur.

[e] Ms. Joliensis, *De correctione disciplinæ.*

[f] Ms. Joliensis titulum substituimus antiquo, *De mundana iniquitate*, quem habent alii codices.

[g] Ms. Joliensis, *Qualiter possit agi quod bonum est.*

[h] Ms. Joliensis, *Qualiter boni sustinere debeant malos*. Colon. vet. addit titulo vocem *bonis.*

[i] Edit. Colon. vet., *alieni peccati iniquitas.*

[j] Ms. Joliensis, *Quid sit adhærere Deo.*

[k] Colon. vet. edit., *De tolerantia hominum*. Ms. Jol., *De tolerando nemine.*

[l] Codices omnes hactenus, *De artifice summo;* sed clarior visa est lectio ms. Joliensis, quam substituimus.

[m] Sic ms. Jol. Antea, *De Verbo Dei*; generaliori significatione.

[n] Ms. Remig., *non tempore accessit*; et infra, *quo* D *videretur in carne.*

[o] Ms. Joliensis, *De intellectu capiendo.*

[p] Ms. Jol., *Intellectum fides aperit*. Ms. Remig., *Intellectui auditum fides aperit.*

[q] Ita ms. Joliensis. Quod aptius visum titulo veteri, *De homine victo.*

[r] Colon. vet. edit., *superatur;* et post multa, *nihil conscia* pro *bene conscia.*

[s] Ms. Joliensis, *omnia vitia superaverit.*

[t] Ms. Jolien., *De perceptione desideriorum*. Colon. vet. ed., *De perfectione*. Nec male fortasse, si finis sententiæ respiciatur.

[u] Ms. Jol., *est perceptio desideriorum*. Idemque postea, *quod beatum facit.*

[v] Ms. Remig. et Colon. vet. editio, *Sapiens.*

[x] Ms. Joliensis interserit hæc, *officiis medicinæ, seu*, etc.

Digitized by Google

sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas; ita A duo sunt dona gratiæ, unum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animi perseverare virtutem (*Aug. ibid.*, *n.* 10).

CXXXII. [a] *De laboris fine.*

Non poterit hominis labor finiri, nisi hoc diligat quod ei non possit auferri (*Aug. ibid.*, *n.* 16).

CXXXIII. [b] *De iniquitatis læsione.*

Impossibile est ut iniquitas prius lædat hominem justum in quem tendit, quam cor injustum unde procedit (*Aug. ibid.*, *n.* 17).

CXXXIV. *De miraculis* [c] *visibilibus et invisibilibus.*

Visibile miraculum ad illuminationem vocat; invisibile autem, eum qui vocatus venit, illuminat. Omnia ergo narrat mirabilia Dei, qui credens visibilibus, ad intelligenda invisibilia transitum facit B (*Aug. enar. in ps.* IX, *n.* 2).

CXXXV. *De fugientibus diabolum* [d].

Melior causa est eorum qui diabolum persequentem fugiunt, quam qui præeuntem sequuntur, quia utilius est eum hostem habere [e] quam principem (*Aug. ibid.*, *n.* 4).

CXXXVI. [f] *De pravis cupiditatibus.*

Omnes pravæ cupiditates sunt portæ inferi, per quas itur in mortem, cujus dominatum subit, qui adeptum se ad perfruendum lætatur, [g] quod perdite concupivit (*Aug. ibid.*, *n.* 14).

CXXXVII. [h] *De adulatione.*

Adulantium linguæ alligant animas in peccatis: delectat enim ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam [i] auditur laudator C (*Aug. ibid. n.* 21).

CXXXVIII. [j] *De male conscio animo.*

Animus male sibi conscius, dum videtur sibi nullam pœnam pati, credit quia non judicet Deus: cum abuti patientia Dei, et non intelligere parcentis benignitatem, jam sit magna damnatio (*Aug. ibid.*, *n.* 23).

CXXXIX. [k] *Quod prior sit natura quam vitium.*

562 In creatura, quæ arbitrio suo peccat, prior est natura quam vitium: quod ita contra naturam est, [l] ut non possit nisi nocere naturæ. Non itaque esset vitium recedere a Deo, nisi naturæ, cujus hoc vitium est, potius competeret esse cum Deo (*Aug. l.* XI *de Civ. Dei*, *c.* 17).

CXL. *De angelis et hominibus* [m] *malis.*

Nullum Deus vel angelorum, vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus [n] commodaret: atque ita ordinem sæculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam antithetis [o] honestaret (*Aug. ibid.*, *c.* 18).

CXLI. [p] *De conditione creaturæ.*

Tria quædam nobis maxime scienda de conditione creaturæ oportuit intimari: quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. *Dixit Deus*, inquit, *Fiat lux, et facta est lux; et vidit Deus lucem quod bona esset* (*Genes.* I, 3). [q] Si ergo quærimus quis fecerit: Deus est. Si, per quid fecerit: Dixit, et facta est. Si, quare fecerit: quia bona est. Nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei verbo: nec causa melior, quam ut bonum crearetur a bono (*Aug. ibid.*, *c.* 21).

CXLII. *De bono et malo amore.*

Est amor quo amatur et quod amandum non est: et istum amorem odit in se qui illum diligit [r] quo amatur quod amandum est. Possunt enim ambo esse [s] in uno homine, et hoc bonum est homini, ut illo proficiente quo bene vivimus, iste deficiat quo male vivimus; donec ad perfectum sanetur, et in bonum [t] commutetur omne quod vivimus (*Aug. ibid.*, *c.* 28).

CXLIII. [u] *De bono creaturæ.*

Creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, non est nisi Deus: quod ei non ex se ipsa est, quia ex nihilo creata est; sed ex illo a quo creata est. Hoc enim adepto fit beata, quo amisso misera (*Aug. l.* XII *de Civ.*, *c.* 1).

CXLIV. [v] *De vitio naturæ.*

563 Vitium esse nec in summo potest bono, nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona [x] alicubi esse

[a] Ms. Joliensis, *Quid præcipue diligendum sit.*

[b] Ms. Jol., *Quod iniquitas prius sibi quam aliis nocet.*

[c] Colon. vet. edit. addit, *visibilibus et invisibilibus.* Ms. Jol., *De miraculo visibili et invisibili.*

[d] Colon. vet. edit. addit, *et participantibus.* Titulus in ms. Joliensi, *De persecutione diaboli.* D

[e] Edit. Colon. vet., *quam participem.*

[f] Ms. Jol., *Quæ sint portæ inferni.*

[g] Edit. Colon. vet., *quod periturum.*

[h] Ms. Joliensis, *De vitio adulationis.*

[i] Sic ms. Joliensis et edit. Colon. vet. Antehac editi, *laudatur auditor.*

[j] Ms. Joliensis, *De perversi animi malignitate.*

[k] Ms. Jol., *De creatura, quæ arbitrio suo peccat.*

[l] Ms. Remig., *ut nisi noceret naturæ, non utique esset vitium.* Colon. vet. edit. post ista, *nisi nocere naturæ: quod ita non esset vitium a Deo recedere, nisi naturæ cujuslibet vitium esset, cui potius competeret esse cum Deo.*

[m] Colon. vet. edit. addit hanc vocem, *malis.* Ms. Joliensis aliter habet, *De præscientia Dei.*

[n] Ita mss. Colb. Remig., et Jol. cum edit. Aug. tam in libro de Civit. Dei quam in append. At editi Prosperi, *commendaret.* Ms. Jol. habet, *nisi scisset* pro, *nisi nosset.* Colon. vet. edit., *atque in ordinem sæculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam pulcherrimis antithetis honestaret.*

[o] Ms. Remig., *demonstraret.*

[p] Ms. Joliensis, *De conditione lucis.*

[q] In Edit. Colon. vet. non leguntur sequentia, *Si ergo quærimus. . . . quia bona est.* Nec habentur in libro August. de Civ. Dei.

[r] Colon. vet. edit., *quo amat.* Ms. Jol., *qui illud diligit quod amandum est.*

[s] Lugd. et posteriores editiones, *in unum hominem.* Mss. Colb., Remig. et Jol., edit. August. app. et Colon. vet., *in uno homine*, ut in lib. de Civ. Dei.

[t] Ms. Remig., *consumetur.*

[u] Ms. Joliensis, *Quod non sit verum bonum, nisi Deus.*

[v] Ms. Jol., *De vero et summo bono, et de aliquo bono.*

[x] Edit. Colon. vet., *Alicui.... Et illæ quæ ex malæ voluntatis vitio vitiatæ sunt. . . . in quantum autem veræ sunt bonæ sunt.* In libro quoque de Civit. Dei

Digitized by Google

possunt, sola autem mala nusquam. Quoniam naturæ etiam illæ quæ ex malæ voluntatis initio vitiatæ sunt, in quantum vitiosæ sunt, malæ sunt : in quantum autem naturæ sunt, bonæ sunt (*Aug. l.* XII *de Civ.*, *c.* 3).

CXLV. [a] *Quod non sit in Deo aut pigra vacatio, aut laboriosa industria.*

Non est fas credere aliter affici Deum cum vacat, aliter cum operatur, quia nec affici dicendus est, tamquam in ejus natura fiat aliquid quod ante non fuerit. Patitur quippe qui afficitur, et mutabile est omne quod patitur. Non ergo in Deo aut pigra vacatio, aut laboriosa cogitetur industria, quia novit et quiescens agere, et agens quiescere : et quod in operibus [b] ejus prius quidem est, aut posterius, non ad facientem, sed ad facta referendum est. Æterna enim est et incommutabilis voluntas ejus, nec consilio alternante variatur ; in qua simul est quidquid in rebus creandis vel ordinandis, aut præcessit, aut sequitur (*Aug. ibid.*, *c.* 17).

CLVI. [c] *Quod Deus tantum est creator.*

Nullius, quamvis minimæ naturæ, nisi Deum creatorem credi aut dici licet [d] ab aliquo. Quia etiamsi angeli jussi vel permissi adhibent operationem suam rebus quæ gignuntur in mundo; tam non sunt creatores animalium quam nec agricolæ frugum atque arborum (*Aug. ibid.*, *c.* 24).

CXLVII. [e] *De prima et secunda corporis morte.*

De prima corporis morte dici potest, quod bonis bona sit, malis mala. Secunda vero sine dubio, sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona (*Aug. l.* XIII *de Civ.*, *c.* 2).

CXLVIII. *De morte piorum.*

Mors etiam piorum pœna peccati est. Sed ideo bona ipsis dicitur, quia illa bene utuntur, **564** quibus finis est ad mala temporalia, et transitus ad vitam æternam. Sicut enim injustitia male utitur non tantum malis, verum etiam bonis ; ita [f] etiam A justitia bene utitur, non tantum bonis, verum etiam malis (*Aug. ibid.*, *c.* 5).

CXLIX. *De martyribus non baptizatis.*

Qui [g] etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abolenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis (*Aug. ibid.*, *c.* 7).

CL. [h] *Quod non secundum hominem, sed secundum Deum vivendum sit.*

Cum homo secundum se vivit, non secundum Deum, similis est diabolo, quia nec angelo secundum angelum, sed secundum Deum vivendum fuit, ut staret in veritate, et veritatem de illius, non [i] de suo mendacium loqueretur. Unde non frustra dicitur omne peccatum esse mendacium, quia non pec- B catur, nisi ea voluntate, quæ est contraria veritati, id est, Deo (*Aug. lib.* XIV *de Civ. Dei*, *c.* 4).

CLI. [j] *De diversitate humanæ affectionis.*

Diversitas humanæ affectionis, ex diversitate est voluntatis : quæ si prava est, perversis erit [k] moribus inquieta ; si autem recta, non solum non culpabilis affectio hominis, sed etiam laudabilis erit (*Aug. ibid.*, *c.* 6).

CLII. [l] *De arbitrii libertate vera.*

Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non servit. Tale datum est a Deo, quod amissum, nisi a quo potuit dari, [m] non potest reddi. Unde Veritas dicit, *Si vos Filius liberaverit*, [n] *tunc vere liberi eritis* (*Aug. ibid.*, *c.* 11).

CLIII. [o] *Quod cor ad Deum sit habendum.*

C Bonum est sursum habere cor, non tamen ad seipsum, quod est superbiæ ; sed ad Deum, quod est obedientiæ. Plus autem appetendo minus est, qui dum se sibi sufficere confidit, ab eo qui vere ei sufficit deficit (*Aug. ibid.*, *c.* 13).

CLIV. *De vita beata.*

**565** Beata vita si non amatur, non habetur. Porro si amatur, [p] et habetur, cæteris omnibus rebus

habetur, *ex malæ voluntatis vitio*, observaturque in margine inferiori mss. plures et probæ notæ habere *initio;* quod codices nostri omnes, dempto Colon. vet., exhibent.

[a] Antehac editi generaliori sensu, *Quid credi debeat*. Ms. Joliensis exhibuit quod substituimus.

[b] Ms. Remig. addit pronomen *ejus;* idemque, *prius est atque posterius . . . . ad factum*, pro, *ad facta*. Ms. Joliensis, *in operibus ejus prius dicitur atque posterius*.

[c] Ms. Jol., *Quod omnis creatura a Deo sit condita*.

[d] Mss. Remig. et Jol. non habent *ab aliquo*. Sed post pauca *adhibent*, pro *adhibeant*. Idem Joliensis initio scribit *minimæ creaturæ*, pro quo alii, *minimæ naturæ*. Colon. vet. edit, *Quod si angeli . . . . tamen non sunt creatores animalium*, *sicut nec agricolæ*, etc.

[e] Hactenus editi, *De prima conditione mortis*. Ms. Jol., *De prima corporis morte*. Sensu pleniori, addita a nobis voce, *et secunda*. Per primam autem corporis mortem intelligit Augustinus, ex quo Prosper sententiam hausit, eam *quæ animam sejungit a corpore ;* per secundam vero *illam sine fine pœnalem*, quæ, ut alibi ait, *invitam animam tenet in corpore*.

[f] Ms. Jol., *ita justitia bene, non tantum bonis, sed etiam malis*. Quo propius accedere videtur ad locum libri de Civit. Dei.

[g] Mss. Remig. et Corb. et ex illo edit. Aug., *nondum*. In libro de Civ. Dei, *etiam non*, ut omnes alii nostri codices.

[h] Hunc titulum hausimus ex ms. Joliensi, qui subjectæ sententiæ magis convenire visus est quam qui in antehac editis, *Quod omne peccatum sit menda-* D *cium*.

[i] Ita emendamus ex ms. Joliensi, Colon. vet. edit. et libro ipso in margine citato, cum editi alii habeant, *de suo mendacio*, etiam append. Aug. et mss. Colb. et Remig.

[j] Ms. Joliensis, *De affectione hominis*. Alias editi, *De diversa voluntate affectionum*. Titulum clariorem ex primis sententiæ verbis expressimus.

[k] Ms. Joliensis, *motibus*. Sat bene, cum August. libro illo dicat, *perversos habebit hoc motus*. Alii omnes, *moribus*.

[l] Ms. Joliensis, *De reparatione liberi arbitrii*.

[m] Ms. Jol., *non potuit reddi*.

[n] Particula *tunc* abest a mss. Remig. et Joliensi et Vulgata nostra, cum tamen habeatur in Græco textu Evangelii Joan. VIII, 36.

[o] Ms. Jol., *Qualiter sursum cor habere debeamus*.

[p] Ms. Remig., *non habetur*. Colon. vet. edit., *non ideo habetur*. Melius in textu, ut in cap. libri de Civ. Dei legitur

Digitized by Google

necesse est ut excellentius diligatur: quoniam [a] propter hanc amandum est, quidquid aliud est amandum. Quia vero beatus esse non potest, nisi qui eam, [b] ut dignum est, amat: consequens est ut eam æternam velit; quæ tunc vere beata erit, quando terminum non habebit ( *Aug. ibid.*, *c.* 25 ). A

CLV. [c] *Quod nemo fiat bonus, nisi ex malo.*

Non omnes quidem mali in hoc proficiunt, ut sint boni; nemo tamen est, nisi ex malo, bonus ( *Aug. l.* xv *de Civ. Dei*, *c.* 1 ).

CLVI. [d] *De civibus terrenæ civitatis ac cœlestis.*

Cives terrenæ civitatis parit peccato vitiata natura, qui sunt vasa iræ. Cives vero cœlestis patriæ parit, a peccato naturam liberans, gratia, qui sunt vasa misericordiæ ( *Aug. ibid.*, c. 2 ).

CLVII. [e] *De ira Dei.*

B

Ira Dei non perturbatio est ejus, sed judicium quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio vero ipsius et recogitatio mutandarum rerum est incommutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pœnitet ( I *Reg.* xv, 29), cujus de omnibus omnino rebus tam fixa sententia quam [f] certa est præscientia ( *Aug. ibid.*, *c.* 25 ).

CLVIII. [g] *De persequentibus Ecclesiam.*

Inimici Ecclesiæ quolibet errore cæcentur, vel malitia depraventur; si accipiant potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam; si tantummodo male sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam; et ut etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam: quia Deus his qui eum diligunt, omnia cooperatur in bonum ( *Aug. l.* xviii *de Civ. Dei*, *c.* 1 ). C

CLIX. *De fine boni et mali*

Finis boni est, non quo consumatur ut non sit, sed quo perficiatur ut plenum sit. Et finis mali est, non quo esse desinat, sed quo usque nocendo perducat. Unde unum est summum bonum, aliud autem summum malum; illud propter quod appetenda sunt bona cætera, ipsum autem propter se ipsum; hoc, propter quod declinanda sunt mala cætera, ipsum autem [h] propter se ipsum (*Aug. l.* xvi *de Civit. Dei*, *c.* 11).

CLX. [i] *De natura.*

566 Est natura in qua nullum malum est, vel etiam nullum malum esse postet. Esse autem natura in qua nullum bonum sit, non potest ( *Aug. ibid.*, *c.* 13).

CLXI. *De animi æquitate.*

Melior est animi æquitas quam corporis sanitas; et convenientius [j] injustus dolet in supplicio, quam lætatus est in delicto ( *Aug. ibid.* ).

CLXII. *De præcepto charitatis.*

In præcepto charitatis tria invenit homo quæ diligat: Deum, se, et proximum. Et quia ille in sui dilectione non errat, qui Deum diligit; consequens est ut proximo ad diligendum Deum consulat, quem jubetur diligere sicut se ipsum ( *Aug. ibid.*, *c.* 14).

CLXIII. [k] *De concordia et obedientia.*

Pax domestica est ordinata cohabitantium imperandi obediendique concordia. Imperant enim qui consulunt; sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem quibus consulitur; sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. [l] Sed in domo justi viventis ex fide, et ab illa adhuc civitate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis quibus videntur imperare. Quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi beneficentia ( *Aug. ibid* ).

CLXIV. *De* [m] *conditione servitutis.*

Nomen et conditionem servitutis culpa genuit, non natura; et prima hujus subjectionis causa peccatum est; quia sicut scriptum est: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Unde melior ejus status qui famulatur homini, quam qui suæ servit cupiditati ( *Aug. ibid.*, *c.* 15 ).

CLXV. [n] *De prælatis.*

Veri patresfamilias subditis suis, tamquam filiis, ad colendum et promerendum Deum consulunt, desiderantes venire ad cœlestem domum, ubi imperandi necessarium non sit officium: quo donec veniatur, magis debent patres [o] quod dominantur, quam servi tolerare quod serviunt (*Aug. ibid.*, *c.* 16).

CLXVI. [p] *De regimine populi.*

Locus superior, sine quo regi populus non 567 potest, etiamsi ita sit tenendus atque administrandus, ut decet; tamen indecenter appetitur. Unde otium sanctum [q] quærat dilectio veritatis, negotium

[a] Ms. Remig., ut apud Aug. de Civit. Dei, *propter hanc.* Alii codices nostri, *propter hoc.* D

[b] Ms. Joliensis, ut in libro de Civ. Dei, *ut digna est.*

[c] Sic ms. Joliensis. Alii omnes, *Quod solus Deus bonus sit*, aut *solus Deus bonus.*

[d] Sic ms. Joliensis, complendo cæterorum titulum, *De civibus terrenis.*

[e] Ms. Joliensis, *Qualiter accipi debeat ira Dei.*

[f] Ms. Remig., *recta præscientia.* Edit. Colon. vet., Lugd. et Lovan., *præsentia.* Melius cum mss. Colb., Remig. et Jol. Duac. et Colon. conformiter Augustino, *præscientia.*

[g] Ms. Joliensis, *De inimicis Ecclesiæ.*

[h] Antehac editi plures, *propter summum*, nullo recto sensu. Corrigimus ex mss. Remig. et Jol. et editione Colon. vet. juxta textum Augustini loco in margine citato, *propter se ipsum.*

[i] Ms. Joliensis, *De Natura boni.*

[j] Editi nostri omnes habebant *justus.* Emendatur ex ms. Remig. et libro de Civ. Dei; emendatum jam erat ex ms. Colb. in edit. append. t. X Aug.

[k] Ms. Joliensis, *de pace domestica.* Colon. titulo vulgari *de concordia et obedientia*, addit, *imperantium et subditorum.*

[l] Edit. Colon. vet., *Sed in Domino justi viventes ex fide.... peregrinantes .... sed providendi beneficio.*

[m] Ms. Joliensis addit, *nomine et.*

[n] Ms. Joliensis. *De veris patribusfamilias.*

[o] Colon. vet. edit., *qui dominantur .... qui serviunt.*

[p] Ms. Joliensis, *Qualiter honor accipi debeat.*

[q] Ms. Jol., *quærat.* Alii omnes, *quærit.* In libro de Civit. Dei utrumque, *quærit et suscipit*, in indicativo legitur. Colon. vet. editio, *unde otium sanctum quærat, quærat directionem veritatis*, etc.

Digitized by Google

justum suscipiat necessitas dilectionis (*Aug. l.* XVI *de Civ.*, *c.* 19). A

### CLXVII. *De vita animæ.*

Sicut non est a carne, sed supra carnem, quod eam facit vivere; sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beate vivere; quia ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est (*Aug. ibid.*, *c.* 25).

### CLXVIII. [a] *De justitia hominum.*

Justitia nostra quamvis vera sit, propter verum boni finem, ad quem refertur; tamen tanta est in hac vita, ut potius [b] remissione peccatorum constet quam perfectione virtutum (*Aug. ibid.*, *c.* 27).

### CLXIX [c] *De plena pace.*

Quamdiu vitiis repugnatur, plena pax non est, quia et illa quæ resistunt, periculoso debellantur prælio;
B et illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio (*Aug. ibid.*).

### CLXX. *De prima et secunda morte.*

Prima mors animam nolentem [d] pellit e corpore, secunda animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de suo corpore patiatur (*Aug. l.* XXI *de Civit. Dei*, *c.* 3).

### CLXXI. [e] *De causis incognitis operum Dei.*

[f] In incognitis causis operum divinorum nonnihil novimus, cum scimus non sine ratione Omnipotentem facere, unde infirmus humanus animus rationem non potest reddere (*Aug. ibid.*, *c.* 5).

### CLXXII. [g] *De falsa fiducia.*

Frustra sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit (*Aug. Enchir.*, *c.* 110).

### CLXXIII [*Alias* CLXXII]. *Quod nihil prosit homini si invitus bene faciat.*

Nemo [h] invitus [i] bene facit, etiamsi bonum est
568 quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis (*Aug. l.* I *Confess. c.* 12).

### CLXXIV [*alias* CLXXIII]. [j] *De obedientia.*

Sicut in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur; ita Deus omnibus (*Aug. l.* III *Confess. c.* 28).

### CLXXV [*Alias* CLXXIV]. *De vera dilectione.*

Beatus qui diligit Deum, et amicum in Deo, et inimicum propter Deum. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, [k] qui numquam a non dimittente amittitur (*Aug. lib.* VI *Confess. c.* 9).

### CLXXVI [*Alias* CLXXV].[l] *De non corrumpendis.*

Manifestum est, quoniam bona sunt quæ corrumpuntur: quæ neque, si summa [m] bona essent, corrumpi possent, quia si summa bona essent, incor-
B ruptibilia essent; si autem nulla bona essent, quod in eis corrumperetur non esset (*Aug. l.* VII *Confess. c.* 12).

### CLXXVII [*Alias* CLXXVI]. [n] *Quod Deus omnes creaturas bonas fecerit.*

Cum Deus incommutabiliter bonus, omnes creaturas fecerit bonas, nec ulla omnino nisi ab ipso sit creata natura; [o] nulla est substantia mali: quia quod auctorem Deum non habet, non est. [p] Itaque vitium corruptionis nihil est aliud quam inordinatæ vel desiderium vel actio voluntatis (*Aug. ibid.*).

### CLXXVIII [*Alias* CLXXVII]. [q] *Quod justitia iniquis odiosa sit.*

Sicut palato non sano pœna est cibus qui sano
C suavis est, et oculis ægris odiosa lux qua incolumis gaudet obtutus: ita displicet iniquis justitia Dei, cui si subjicerentur, [r] non conturbarentur (*Aug. ibid.*, *c.* 15).

### CLXXIX [*Alias* CLXXVIII]. *De ægritudine animi.*

Ægritudo animi rationalis est, cum bonis inferioribus delectatus, superiora ex parte appetit, et ex parte non appetit. Ideoque in duas dividitur voluntates; [s] cumque una est, tota non est: et hoc adest uni, quod deest alteri (*Aug. l.* VIII *Confess.*, *c.* 9).

[a] Colon. vet. edit., *De venia unde constat beata vita.* Alii, *De venia.* Ms. Joliensis, *De justitia hominum.*

[b] Colon. vet. edit., *non tamen tanta est in hac vita, ut potius per remissionem peccatorum constet quam per fidem virtutum.*

[c] M. Joliensis, *De colluctatione vitiorum.*

[d] Colon. vet. edit., *tollit.* Ms. Remig., *pellet.* D

[e] Ms. Joliensis, *De occultis operibus Dei.* Alii, *De causis incognitis.* Addidimus, *operum Dei*, ex prioribus verbis sententiæ ipsius.

[f] Sic mss. Remig. et Jol. Editi omittunt præpositionem *In.*

[g] Ita ms. Joliensis. Alii codices, *De negligentiis.*

[h] In ms. Joliensi hæc verba, *Nemo invitus*, etc., novam sententiam constituunt, cui præfigitur titulus, *Quod nihil prosit homini, si invitus bene faciat.* In aliis codicibus hæc cum antecedentibus in sententiam unam coaluerant.

[i] Colon. vet. editio, *bonum facit.*

[j] Aptior visus est titulus ms. Joliensis, quam qui præferebatur in aliis codicibus, *De humana societate.* Et hoc plenius sensum sententiæ Prosperi repræsentat, quam *De diligendo Deo*, quod alii codices præferebant.

[k] Edit vet. Colon., *qui numquam ante dimittit te, nisi dimittatur.*

[l] Ms. Joliensis, *Quod solus Deus corrumpi et immutari non possit.*

[m] Ms. Remig., *bona essent, neque si bona non essent, corrumpi possent, quæ si summa bona essent, incorruptibilia essent.* Colon. vet. edit. *Neque si bona non essent, corrumpi possent; quia et si summa bona essent, incorruptibilia essent.*

[n] Sic ms. Joliensis. Alii omnes, *De incommutabili Deo.*

[o] Ms. Joliensis, *nulla est substantia quæ auctorem Deum non habet.*

[p] Ms. Joliensis, *Itaque*, alii omnes, *ita.* Colon. vet. editio, omisso *ita*, *quia quod auctorem Deum non habet, non est aliud quam desiderium aut actio inordinatæ voluntatis*

[q] Ms. Joliensis, *De spiritali sapore.*

[r] Mss. Remig. et Joliensis, *non minuerentur.* Idem in margine notarunt editiones omnes.

[s] Ms. Joliensis, *cumque una non est tota, non est.* Hic locus ex Augustini capite fit clarior, sic habente: *Et ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, et hoc adest alteri, quod deest alteri.*

Digitized by Google

CLXXX [*Alias* CLXXIX]. *De homine* [a] *benigno.*

**569** Homini benigno parum esse debet inimicitias aliorum non excitare vel augere male loquendo; nisi eas etiam exstinguere bene loquendo [b] studuerit (*Aug. l.* IX *Confess., c.* 9; *Cœlestin.* I *epist.* 1).

CLXXXI [*Alias* CLXXX]. [c] *De veritate odiosa.*

Beata vita est gaudium de veritate, quod Deus est; sed multis veritas odiosa est, quam audire nolunt docentem; et nolentes falli, volunt mendacia sua veritatem videri. Quibus juste retribuitur, ut ipsi veritatem non lateant, ipsos autem lateat veritas (*Aug. l.* X *Confess., c.* 23).

CLXXXII [*Alias* CLXXXI]. [d] *De tolerantia.*

Nemo quod tolerat amat, etiamsi tolerare amat; quia aliud est fortis patientia, aliud secura felicitas; nec ejusdem est temporis labor pugnæ, et beatitudo victoriæ (*Aug. ibid., c.* 28).

CLXXXIII [*Alias* CLXXXII]. [e] *De egestate humanæ intelligentiæ.*

Ideo plerumque in sermone copiosa est egestas humanæ intelligentiæ, quia plus loquitur inquisitio quam inventio; et longior est petitio quam impetratio (*Aug. l.* XII *Confess., c.* 1).

CLXXXIV [*Alias* CLXXXIII]. [f] *De vera æternitate Dei.*

Vera æternitas Dei est, qui solus habet immortalitatem, quoniam ex nulla specie motuve mutatur, nec temporalis est voluntatis. Non enim immortalis est voluntas, quæ alia, et alia est (*Aug. ibid., c.* 11).

CLXXXV [*Alias* CLXXXIV]. *De non desperandis peccatoribus.*

Non est desperandum de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosius est supplicandum, quia numerus sanctorum de numero semper est auctus impiorum (*Aug. enar. in ps.* XXXIX, *n.* 8).

CLXXXVI [*Alias* CLXXXV]. [g] *Qualiter pax a Deo quæratur.*

Quærens a Deo pacem, [h] sit sibi ipse pacatus; ne aliud in professione oris, aliud sit in cordis arcano. Nihil enim prodest hoc esse in corde quod verum est, si hoc dicitur voce quod falsum est; quia veritas et credenda est, et loquenda (*Aug. ibid., n.* 16).

CLXXXVII [*Al.* CLXXXVI]. [i] *Ne juste flagellatus doleat.*

Non conqueratur homo, quando in his **570** quæ A juste habet, patitur aliquas adversitates: per amaritudinem enim inferiorum docetur amare [j] meliora; ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat (*Aug. enar. in ps.* XL, *n.* 5).

CLXXXVIII [*Alias* CLXXXVII]. [k] *Ut peccator sibi displiceat.*

Bene currit ad remissionem peccatorum, qui displicet sibi. Apud judicem enim justum et misericordem, qui se accusat, excusat (*Aug. enar. in ps.* XLI, *n.* 12).

CLXXXIX [*Alias* CLXXXVIII]. *De quærendis præsidiis* [l] *in pace.*

In tranquillitate pacis comprehendenda est doctrina sapientiæ, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur. Nec facile inveniuntur in adversitate præsidia quæ non fuerint in pace quæsita (*Aug. ibid.*,
B *n.* 16).

CXC [*Alias* CLXXXIX]. *De altari Dei* [m] *duplici.*

Ad altare Dei invisibile, quo non accedit injustus, ille pervenit qui ad hoc præsens justificatus accedit. Inveniet enim illic vitam suam qui hic discreverit causam suam (*Aug. enar. in ps.* XLII, *n.* 5).

CXCI [*Alias* CXC]. [n] *De fine Legis.*

Finis legis Christus est, in quo lex justitiæ non consumitur, sed impletur. Omnis enim perfectio in ipso est, ultra quem non est quo se spes fidei et charitatis extendat (*Aug. enar. in ps.* XLV, *n.* 1).

CXCII [*Alias* CXCI]. *De malæ conscientiæ* [o] *pœna.*

Nullæ pœnæ graviores sunt quam malæ conscientiæ: in qua [p] cum Deus non habetur, consolatio non invenitur: et ideo invocandus est liberator, ut quem
C tribulatio exercuit ad confessionem, confessio perducat ad veniam (*Aug. ibid., n.* 2).

CXCIII [*Alias* CXCII]. [q] *De vera peccatorum remissione.*

[r] Quod gravius peccatum ægri, quam medici interfectio? Sed cum in baptismo hoc dimittitur, quid non dimittitur (*Aug. ibid., n.* 4)?

CXCIV [*Alias* CXCIII]. [s] *De ruminante verbum Dei.*

Auditor [t] verbi similis debet esse animalibus, quæ ob hoc quia ruminant, munda [u] esse dicuntur: ut non sit piger de his cogitare quæ in alvo cordis accepit: et cum audit, sit similis edenti; cum vero

[a] Alias editi, *religioso*. Ms. Joliensis melius, *benigno*.

[b] Mss. Remig. et Jol., *studuerit*. Alii codices *studeat*. Prioribus favet locus libri Confessionum in margine citatus.

[c] Ms. Joliensis, *De beata vita*.

[d] Sic ms. Joliensis. Alii omnes, *De forti patientia*.

[e] Ita ms. Jol. Alii codices, *De copiosa egestate*. Colon. edit. vet. addit, *in oratione*. In cap. citato in Augustino summatur, *Difficilis inquisitio veri*.

[f] In Ms. Joliensi plenior est sensus quam in aliis, ubi *De æternitate*.

[g] Ms. Joliensis, *De vera pace*.

[h] Ms. Remigianus, *sis tibi*. Ita quoque in Augustini libro citato.

[i] Ms. Joliensis, *De vera patientia*. Alii, *Ne juste*, forte *justus* melius legeretur, *flagellatus, doleat*.

[j] Ms. Remig., *meliorem*.

[k] Ms. Joliensis, *De vera pœnitentia*.

[l] Hæc duo, *in pace*, adduntur in edit. Colon. vet. Ms. Jol., *De providentia pacis*.

[m] Colon. vet. edit. supplet vocem hanc, *duplici*. Ms. Jol., *Qualiter accedi debeat ad altare*.

D [n] Ms. Joliensis, *De vero et perfecto fine*. Alii omnes, *De Lege*. Plenior sensus evadet, si legatur, *De fine Legis*, ex primis verbis sententiæ.

[o] Vocem hanc *pœna* sumimus ex ms. Joliensi. Alii habebant tantum, *De mala conscientia*. Ms. Jol., *De conscientiæ pœna*.

[p] Ms. Remig., *in qua Deus non habetur, consolatio*, etc.

[q] Ita ms. Joliensis, et quidem melius et clarius quam quod cæteri omnes, *De ægro*. Colon. vet. solus habet, *De ægro interficiente medicum*.

[r] Sic legitur in mss. Corb. et Joliensi, et August. tom. IV et in tom. X, append. In Prosperianis codicibus, *Quid gravius peccato ægri, quam*.

[s] Ms. Joliensis, *Qualiter verbum debeat audiri*.

[t] Ms. Joliensis, *Verbi Dei... animalium*. Ms. Remig. scribit etiam *animalium*, et postea, *quæ ab hoc*.

[u] Ms. Jol., *munda dicuntur... quæ alvo cordis*. Colon. vet. edit., *et non pigeat cogitare de his*.

Digitized by Google

audita in memoriam revocat, sit similis ruminanti (*Aug. enar. in ps.* XLVI, *n.* 1). A

CXCV [*Alias* CXCIV]. [a] *De imperio animæ.*

571 Rationalis anima domina est corporis sui; quæ inferiori non bene imperabit, nisi superiori se Deo tota charitatis subjectione [b] servierit (*Aug. ibid.*, *n.* 10).

CXCVI [*Alias* CXCV]. [c] *De misericordia Dei.*

Sicut terra de cœlo exspectat pluviam et lucem, sic homo ex Deo debet exspectare misericordiam et veritatem (*Aug. ibid.*, *n.* 15).

CXCVII [*Alias* CXCVI]. [d] *De discretione bonorum et malorum.*

Gaudendum est bonis Ecclesiæ filiis, quod in discretione eorum non fallitur divina justitia. Sed non temere dividant congregatos: quia ipsorum est velle colligere, Domini separare (*Aug. enar. in ps.* XLVII, *n.* 11). B

CXCVIII [*Alias* CXCVII]. [e] *De terreno amore.*

Dominus est rerum quas habet, qui nulla cupiditate [f] irretitur. Nam qui terrenorum amore obstringitur, non possidet, sed possidetur (*Aug. enar. in ps.* XLVIII, *ser.* 1, *n.* 2).

CXCIX [*Alias* CXCVIII]. *De hæreditate* [g] *æterna.*

Hæreditas, in qua cohæredes Christi sumus, non minuitur multitudine filiorum, nec fit angustior numerositate cohæredum: sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus (*Aug. enar. in ps.* XLIX, *n.* 2).

CC [*Alias* CXCIX]. [h] *De felicitate.*

Numquam debet secura esse felicitas; quia periculosiora sunt animo secunda, quam corpori adversa; prius enim corrumpunt prospera, ut inveniant adversa [i] quod frangant (*Aug. enar. in ps.* L, *n.* 4).

CCI [*Alias* CC]. *De remediis pœnitentiæ.*

Prima salus est, declinare [j] peccatum; secunda est, non desperare de venia. Nam ipse se in æternum perimit, qui apud misericordem judicem ad pœnitentiæ remedia non recurrit (*Aug. ibid.*, *n.* 5).

CCII [*Alias* CCI]. [k] *De bonis occultis sanctorum.*

Boni latent, quia bonum ipsorum in occulto est; [l] nec visibile enim est, nec corporale quod diligunt, et tam merita eorum sunt [m] in abscondito constituta, quam præmia (*Aug. enar. in ps.* LIII, *n.* 3).

CCIII [*Alias* CCII]. [n] *De inimicis bonorum.*

572 Nullus bonorum inimicum habet, nisi malum: [o] qui ideo esse permittitur, ut aut corrigatur, aut per ipsum bonus exerceatur. Orandum est ergo pro inimicis, ut aut obtineatur eorum conversio, aut in nobis divinæ bonitatis inveniatur imitatio (*Aug. enar. in ps.* LIV, *n.* 4, *et Cœlestin.* I, *ep.* 1).

CCIV [*Alias* CCIII]. [p] *De vigore fidei Christianæ.*

Vigor fidei Christianæ tribus temporibus [q] initiatur, vespere, mane, et meridie. Vespere enim Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione. Unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium ad gloriam pertinet majestatis in Patris dextera consedentis (*Aug. ibid.*, *n.* 18).

CCV [*Alias* CCIV]. [r] *De purgandis electis.*

Ad hoc [s] exagitantur homines tribulationibus, ut vasa electionis evacuentur nequitia, et impleantur gratia (*Aug. enar. in ps.* LV, *n.* 13).

CCVI [*Alias* CCV]. [t] *De bonis quæ nemo amittit invitus.*

Potest homo invitus amittere temporalia bona; numquam vero, nisi volens, [u] perdit æterna (*Aug. ibid.*, *n.* 19).

CCVII [*Alias* CCVI]. [v] *De fine fidelium.*

Finis fidelium Christus est: ad quem cum pervenerit currentis intentio, non habet quod possit amplius invenire, sed habet in quo debeat permanere (*Aug. enar. in ps.* LVI, *n.* 2).

CCVIII [*Alias* CCVII]. *De tristitia.*

Melior est tristitia iniqua patientis, quam lætitia C iniqua facientis (*Aug. enar. in ps.* LVI, *n.* 14).

CCIX [*Alias* CCVIII]. [x] *De peccatis præteritis.*

Revocandus est animus [y] a recordandis cum quadam delectatione præteritis, ne, subrepente concupiscentia, redeamus corde in Ægyptum (*Aug. enar. in ps.* LVII, *n.* 10).

CCX [*Alias* CCIX]. [z] *De veritate.*

Bonum est a veritate vinci. [aa] Ad correptionem superet veritas [bb] volentem; nam et invitum ipsa superabit (*Aug. ibid.*, *n.* 20).

CCXI [*Alias* CCX]. [cc] *De impunitate peccatorum.*

Peccata sive parva, sive magna, impunita esse
573 non possunt, quia aut homine pœnitente, aut [dd] Deo vindicante plectuntur. Cessat autem vindicta

[a] Ms. Jol., *De imperio animæ.* Alii, *De anima rationali.* D

[b] Ms. Jol., *subdiderit.*

[c] Ms. Jol., *De misericordia et veritate.* Forte plenius legeretur, *Unde homini misericordia et veritas.*

[d] Ita ms. Jol. Alii, *De bonis Ecclesiæ filiis.*

[e] Ms. Jol., *Qualiter possidenda sit terrena substantia.*

[f] Ms. Remig., *illuditur.*

[g] Ms. Jol., *æterna.* Alii, *Christi.*

[h] Ms. Jol., *De prosperitate et adversitate terrena.*

[i] Colon. vet. edit., *quæ frangant.*

[j] Ms. Remig., *declinare a peccato.*

[k] Ms. Joliensis, *De occulta vita sanctorum.*

[l] Edit. Colon. vet., *nec visibile est, nec corporale est.*

[m] Ms. Remig., *in abdito.*

[n] Ms. Remig., *Qualiter amandi sunt inimici.*

[o] Ms. Jol., *quod ideo.*

[p] Ms. Jol., *De resurrectione.*

[q] Ms. Jol., *incitatur.*

[r] Ms. Jol., *De probatione justorum.*

[s] Edit. vet. Colon., *excoquuntur homines tribulationibus.*

[t] Ms. Jol., *De libero arbitrio.*

[u] Ms. Remig., *perdet.*

[v] Ms. Remig., *De fine perfectorum.*

[x] Ms., *Qua cautela sint recogitanda peccata.*

[y] Col. vet. edit., *ad recordandum* (forte *a recordando*) *cum quadam delectatione de præteritis.*

[z] Ms. Jol., *Amandum ut a veritate vincamur.*

[aa] Ms. Remig., *ad correctionem superet te.*

[bb] Edit. vet. Colon., *nolentem.* Ms. Jol., *superet veritas nolentem; nam et volentem et invitum ipsa superabit.*

[cc] Ms. Jol., *Non posse impunita esse peccata.*

[dd] Col. vet. editio addit hic, *in judicio.* Ms. Jol., *Deo vindicante*; alii, *judicante*; priori favet locus August. citatus.

Digitized by Google

divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere; et eos qui semetipsos judicant, non judicare (*Aug. in ps.* LVIII *serm.* 1, *n.* 13).

CCXII [*Alias* CCXI]. [a] *De præventu misericordiæ Dei.*

Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur (*Aug. in ps.* LVIII *serm.* 2, *n.* 11; *can.* 14 *conc. Arausic.* II).

CCXIII [*Alias* CCXII]. [b] *De effectu supplicationis.*

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus [c] hujus vitæ, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus quam ægrotus. Si autem id postulat quod Deus [d] et præcipit et promittit, fiet omnino quod poscit; quia [e] accipit charitas quod parat veritas (*Aug. enar. in ps.* LIX, *n.* 7).

CCXIV [ *Alias* CCXIII ]. *De provectu* [f] *bonorum per tentationes.*

Provectus fidelium sine tentatione non provenit; nec sibi quisquam innotescit, nisi probationis examine; nec coronabitur, [g] nisi qui vicerit; nec vincet, nisi qui certaverit. [h] Quis autem certat, nisi inimicum habens, et tentationi resistens (*Aug. enar. in ps.* LIX, *n.* 2)?

CCXV [*Alias* CCXIV]. [i] *De prophetiis implendis.*

Stultus est qui non credit denuntiationibus prophetarum in paucis quæ restant; cum videat tam multa completa, quæ tunc non erant, quando [j] prædicebantur implenda (*Aug. enar. in ps.* LXII, *n.* 1).

CCXVI [*Alias* CCXV]. [k] *De idolis.*

Sic sunt qui colunt idola, quomodo qui in somnis vident vana. Si autem evigilet anima ipsorum, intelligit a quo facta sit, et [l] non colit quod ipsa fecit (*Aug. ibid.*, *n.* 4).

CCXVII [*Alias* CCXVI]. [m] *De corporibus humanis.*

Omnia corporis nostri, quæ [n] discerpta, vel putrefacta, vel etiam concremata, in quasdam dissolvuntur favillas, Deo perire non possunt. In illa enim elementa mundi eunt, unde sumpta sunt illa manu quæ tenet omnia (*Aug. ibid.*, *n.* 6).

CCXVIII [*Alias* CCXVII]. [o] *De siti bona.*

Qui Deo sitiunt, tota sua debent sitire 574 substantia, id est, et anima et carne, quia et animæ

A Deus dat panem suum, id est, verbum veritatis, [p] et carni necessaria Deus præbet, quia utraque [q] ipse pascit, qui utraque fecit (*Aug.*, *ibid.*, *n.* 7).

CCXIX [*Alias* CCXVIII]. [r] *De meditatione fidelium in otio et actione.*

Qui otiosus et quietus non cogitat Deum, quomodo inter actus multos, et laboriosa negotia de illo poterit cogitare? Meditetur ergo quæ Dei sunt fidelis, [s] cum vacat, et bene operandi substantiam quærat, ne in actione deficiat (*Aug. ibid.*, *n.* 15).

CCXX [*Alias* CCXIX]. [t] *De simulationis malo.*

Simulata innocentia, non est innocentia; simulata æquitas, non est æquitas; sed duplicatur peccatum, in quo est et iniquitas, et simulatio (*Aug. enar. in ps.* LXIII, *n.* 11).

B CCXXI [*Alias* CCXX]. [u] *Pœna animæ justitiam deserentis.*

Anima recedens a luce justitiæ, quanto magis quærit [v] quod inveniat contra justitiam, tanto plus repellitur a lumine veritatis, et in tenebrosa demergitur (*Aug. ibid.*).

CCXXII [*Alias* CCXXI]. *De duabus civitatibus.*

Duas in toto mundo civitates faciunt duo amores: Jerusalem facit amor Dei; Babyloniam, amor sæculi. Interroget ergo se quisque quid amet, et inveniet unde sit civis (*Aug. enar. in ps.* LXIV, *n.* 2).

CCXXIII [*Alias* CCXXII]. [x] *Quod præceptum Dei leve sit amanti.*

Omne præceptum Dei leve est amanti: nec ob aliud intelligitur dictum, *Onus meum leve est* (*Matth.*
C XI, 30), nisi quia dat Spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris (*Rom.* V, 5), ut diligendo liberaliter faciamus, [y] quod qui timendo facit, serviliter facit: nec est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est non juberi (*Aug. enar. in ps.* LXVII, *n.* 18).

CCXXIV [*Alias* CCXXIII]. *De charitate.*

Plenitudo legis charitas est (*Rom.* XIII, 10): quia per charitatem lex impletur, non per timorem. In tantum enim fiunt mandata justitiæ, in quantum adjuvat spiritus gratiæ (*Aug. ibid.*, *n.* 24).

CCXXV [*Alias* CCXXIV]. *De operibus bonis.*

Non sunt bona opera, nisi quæ per fidem et dile-

[a] Sic Ms. Jol., cum alii habeant *De misero.*

[b] Ita Ms. Jolensis. Alii omnes, *De remediis tribulationum.*

[c] Ms. Remig. et Jol., *istius vitæ.*

[d] Ms. Remig., *præcepit et promisit.*

[e] Ms. Jol., *accipiet charitas.*

[f] Ms. Jol., *De provectu fidelium per tentationes.* Alii tantum, *De provectu bonorum.*

[g] Ms. Jol., *sine probationis examine*; et paulo post, Ms. Jol., *nisi vicerit.... nisi certaverit.*

[h] Editio vet. Colon., *Nec certabit, nisi inimicum habens.*

[i] Ms. Jol., *De prænuntiationibus prophetarum.*

[j] Ms. Remigianus, *prædicabantur.*

[k] Ms. Remig., *De cultu idolorum.*

[l] Mss. Remig. et Jol., *non colet*; et antea Jol. ms., *Si vigilet anima.*

[m] Ms. Jol., *De resurrectionis veritate.*

[n] Colon. vet. edit. *discreta*; et sub finem sententiæ, *quæ donat omnia.*

D [o] Ms. Jol., *Qualiter sitiendum sit Deo.*

[p] Ms. Jol., *et carnis necessaria.*

[q] Plures ex editis et ms. Colon., *ipse facit.* Emendamus ex ms. Remig. et Jol. et edit Colon. vet., Augustino dicente loco citato, *qui fecit ambas res, ipse pascit ambas res.*

[r] Hæc verba *in otio et actione*, non inutiliter addit Colon. vet. editio. Ms. Jol., *Quo studio meditandum sit de Deo.*

[s] Ms. Jol., *dum vacat.*

[t] Ms. Jol., *De simulationis malo.* Alii, *De simulata innocentia.*

[u] Ita habet ms. Jol. Alii generalius, *De lumine.*

[v] Ms. Jol., *quid inveniat*; et post pauca, ms. Remig., *et in tenebris.*

[x] Sic ms. Jol. Alii, *De præcepto Dei.*

[y] Edit. Colon. vet., *quia quod quis timendo facit, serviliter facit; nec est animus rectus, quando mallet*, etc.



Digitized by Google

ctionem fiunt, quia alterum sine **575** altero nul- A
lius virtutis fructum parit (*Aug. ibid.*, *n.* 41; *et lib. de Gratia Christi*, *c.* 26).

CCXXVI [*Alias* CCXXV]. [a] *De lapsu Adam, et conversione fidelium.*

Ab eo quod formavit Deus mutatus est Adam, sed in pejus, per iniquitatem suam : ab eo quod operata est iniquitas, mutantur fideles, sed in melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi, hæc mutatio dexteræ est Excelsi (*Aug. in ps.* LXVIII *serm.* 1, *n.* 2; *et can.* 15 *conc. Araus.* II).

CCXXVII [*Alias* CCXXVI]. *De temporalibus deliciis et pœnis.*

In præsenti vita et deliciæ temporales dulces sunt, et tribulationes temporales amaræ sunt : sed quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignem B
gehennarum? et quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians bonis æternæ vitæ (*Aug. in ps.* LXVIII *serm.* 1 *n.* 3)?

CCXXVIII [*Alias* CCXXVII]. [b] *De Trinitate.*

In Trinitate divina tanta est substantiæ [c] unitas, ut æqualitatem teneat, pluralitatem non recipiat (*Aug. ibid.*, *n.* 5).

CCXXIX [*Alias* CCXXVIII]. [d] *Nullam mali esse naturam.*

Omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). Cum [e] itaque universæ naturæ per Verbum Dei factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas nulla substantia est : et peccatum non natura est, sed vitium naturæ, id ap-
petentis quod non est ordinis sui (*Aug. ibid.*). C

CCXXX [*Alias* CCXXIX]. [f] *Quid sublatum sit diabolo.*

Sublatum est diabolo iniquitate sua [g] vincto, non quod habebat proprium, sed quod rapuerat alienum. Auferendo enim Christus quæ de magna ejus domo perierant, non furtum fecit, sed furtum recepit (*Aug. ibid.*, *n.* 9).

CCXXXI (*Alias* CCXXX]. *De profunditate iniquitatis.*

Tunc hominem concludit [h] profunditas iniquitatis, quando non solum immersus peccatis jacet; sed etiam volens ea defendere, perdit aditum confessionis (*Aug. in ps.* LXVIII *serm.* 2, *n.* 1).

CCXXXII [*Alias* CCXXXI]. [i] *Quod Deus misericors sit in tribulationibus.*

Cum Deus permittit aut facit ut aliqua **576**
tribulatione vexemur, etiam tunc misericors est : quia excitans fidem, et differens opem, non auxilium negat, sed [j] desiderium movet (*Aug. ibid.*).

CCXXXIII [*Alias* CCXXXII]. [k] *De divitibus Christianis.*

Divites Christiani, si veri Christiani sunt, prorsus pauperes sunt; et in comparatione cœlestium bonorum quæ sperant, omne aurum suum arenam deputant, quia ibi quisque habet divitias suas, ubi delectationem (*Aug. ibid.*, *n.* 14).

CCXXXIV [*Alias* CCXXXIII]. *De fide Abrahæ.*

Fides Abrahæ, semen est Abrahæ. Proinde qui pertinent ad credulitatis similitudinem, ipsi pertinent ad hæredum promissionem (*Aug. ibid.*, *n.* 21).

CCXXXV [*Alias* CCXXXIV]. [l] *De perseverantia in bono.*

Nemo fidelium, quamvis multum profecerit, dicat, Sufficit mihi. Qui enim dixerit, remansit, et hæsit in via ante finem; qui non [m] perseverabit usque in finem (*Aug. enar. in ps.* LXIX, *n.* 8).

CCXXXVI [*Alias* CCXXXV]. [n] *Quod omnis locus in Deo sit.*

Nullus [o] in Deo locus est, nec est quo fugiatur ab ipso, nisi ad ipsum. Qui vult evadere offensum, confugiat ad placatum (*Aug. in ps.* LXX *serm.* 1, *n.* 5).

CCXXXVII [*Alias* CCXXXVI]. [p] *De duabus vitis.*

Duæ vitæ sunt, una est corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus : et quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, [q] si deserat Deus (*Aug. in ps.* LXX, *serm.* 2 *n.* 3).

CCXXXVIII [*Alias* CCXXXVII]. [r] *A quo bene sit homini.*

A quo habet homo ut sit, [s] apud illum habet ut ei bene sit (*Aug. ibid.*, *n.* 6).

---

[a] Ms. Jol., *De mutatione Adam*. Melius forte, *De mutationibus oppositis*. Ad plenam sententiæ subjectæ intelligentiam addimus, *et conversione fidelium*, auctoritate textus nostri.

[b] Ms. Jol., *De unitate Trinitatis.*

[c] Ms. Remig., *substantia et unitas.*

[d] Ms. Joliensis, *Nullam mali esse naturam*. Colon. D
vet. edit., *Quod mala sint creata*. Non bene, ut videtur, nisi legas cum negante particula.

[e] Ms. Remig., *Cum utique*. Ms. Jol. post pauca a prima manu, *factæ sint*; et infra Colon. vet. edit., *id appetens.*

[f] Ita ms. Joliensis. Alii, *De iniquitate diaboli.*

[g] Colon. vet. edit., *victo*. Melius, *vincto*. Alludit enim ad locum, Matth. XII, 29 : *Nemo in domum fortis intrat, et vasa ejus diripit, nisi prius alligaverit fortem*. Idem postea, *non quod non habuit proprium, sed quod rapuerat alienum. Auferendo enim Christus de magna domo ejus quæ perierant, non furtum fecit.* Aliorum lectioni favet quod ait August. loco citato in margine, *respondet tibi* (Dominus) *vasa ista de magna domo mea perierant; non furtum feci, sed furtum recepi.*

[h] Colon. vet. edit., *profunditatis iniquitas*; et eadem circa finem, *perdit confessionem, et aditum confessionis*. Hæc, *confessionem, et* in nullo alio codice habentur.

[i] Ita ms. Joliensis. In aliis, *De auxilio Dei.*

[j] Ms. Joliensis, *desideria movet.*

[k] Ms. Joliensis recte addidit vocem istam, *divitibus.*

[l] Ms. Joliensis, *De profectu fidelium.*

[m] Ms. Jol. et Colon. vet. edit., *perseveraverit.*

[n] Ita Ms. Joliensis. Alii omnes generatim, *De Deo.*

[o] Suspicamur legendum, *Omnis in Deo locus est*, aut *Nullus sine Deo locus est* : tum ex titulo ms. Joliensis, tum ex ipso Augustini textu : *Ego si mihi alium locum elegero, salvus esse non potero. Elige certe homo, si inveneris, munitiorem. Non est ergo quo fugiatur ab illo, nisi ad illum. Si vis evadere iratum, fuge ad placatum.*

[p] Ms. Joliensis, *Quod duæ vitæ sint.*

[q] Ms. Colon. vet. edit., *si deserat Christus.*

[r] Sic ms. Joliensis. Alii, *De homine.*

[s] Ms. Joliensis, *ab illo habet*. In Augustino, *apud illum*, ut in aliis codicibus.

Digitized by Google

CCXXXIX [*Alias* CCXXXVIII]. *De obedientia.*

Perfecte Deus evidenterque monstravit quantum sit bonum obedientia, cum hominem in paradiso positum [a] ab ea re prohibuit, quæ non erat mala. Sola [b] ibi obedientia potuit tenere palmam, sola inobedientia [c] incidit in pœnam (*Aug. ibid., n.* 7).

CCXL [*Alias* CCXXXIX]. [d] *De eruditione bonorum per malos.*

**577** Interdum Deus per malos erudit bonos, et per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam liberandorum (*Aug. enar. in ps.* LXXIII, *n.* 8).

CCXLI [*Alias* CCXL]. *De confessione.*

Apud misericordiam Dei plurimum valet confessio pœnitentis, quem facit peccator confitendo propitium, quem negando non facit nescium (*Aug. enar. in ps.* LXXIV, *n.* 3).

CCXLII [*Alias* CCXLI]. [e] *Quod non sit gloriandum de scientia.*

Humilium virtus est de scientia non gloriari: quia communis est omnibus; sicut [f] usus lucis, ita participatio veritatis (*Aug. enar. in ps.* LXXV, *n.* 17).

CCXLIII [*Alias* CCXLII]. *Qualiter regantur corpora.*

[g] Non caret regia potestate, qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Vere dominator est terræ qui carnem suam regit legibus disciplinæ (*Aug. ibid., n.* 18).

CCXLIV [*Alias* CCXLIII]. [h] *De timente pœnam et amante justitiam.*

Quantum ad opera attinet quæ forinsecus aguntur, et qui timet pœnam et qui amat justitiam, non facit contra mandatum; et ideo pares quidem sunt manu, sed dispares corde; similes actione, dissimiles voluntate (*Aug. enar. in ps.* LXXVII, *n.* 11).

CCXLV [*Alias* CCXLIV]. [i] *Quid colatur.*

Hoc ab homine colitur, quod diligit. Unde quia Deus omnibus rebus major et melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur (*Aug. ibid., n.* 20).

CCXLVI [*Alias* CCXLV]. [j] *De corde recto.*

Rectum cor cum Deo est, quando propter Deum quæritur Deus (*Aug. ibid., n.* 21).

A CCXLVII [*Alias* CCXLVI]. [k] *De benevolentia justi erga impios.*

De benevolentia est, non de malitia, cum lætatur justus in impios processisse vindictam, quia non peccatoris exitium placet, quem voluit corrigi; sed justitia Dei, qua scit multos posse converti (*Aug. enar. in ps.* LXXVIII, *n.* 14).

CCXLVIII [*Alias* CCXLVII]. [l] *De simulatione pacis cum inimico.*

Non vincit in bono malum, qui in superficie bonus est, et in alto malus, opere parcens, **578** corde sæviens, manu mitis, voluntate crudelis (*Aug. ibid.*).

CCXLIX [*Alias* CCXLVIII]. [m] *De amore et timore.*

Ad omne opus bonum amor ducit, et timor Dei; ad omne peccatum amor ducit, et timor mundi. Ut B ergo apprehendatur bonum, et declinetur malum, discernendum est quid et diligi debeat, et timeri (*Aug. enar. in ps.* LXXIX, *n.* 13).

CCL [*Alias* CCXLIX]. [n] *Quem non frangat infelicitas.*

Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit (*Aug. enar. in ps.* LXXXIII, *n.* 3).

CCLI [*Alias* CCL]. [o] *Qualiter dives pauper est Dei.*

Dives qui talis est, ut contemnat in se [p] quidquid illud est unde inflari superbia solet, pauper est Dei (*Aug. enar. in ps.* LXXXV, *n.* 3).

CCLII [*Alias* CCLI]. [q] *De gradibus pietatis.*

Ascensionum ad Deum gradus sunt, pietatis affectus. Iter tuum voluntas tua est; amando accedis, [r] negligendo recedis; constitutus in terra Deo jungeris, [s] si quæ Deo chara sunt diligis (*Aug. ibid., n.* 6).

C CCLIII [*Alias* CCLII]. *De petitionibus contrariis Deo.*

Deus, cum aliquid [t] male poscitur, dando irascitur, non dando miseretur (*Aug. ibid., n.* 8 *et* 9).

CCLIV [*Alias* CCLIII]. *De mendacio.*

Incredibile est, non mentiri hominem ne capiatur, qui mentitur ut capiat (*Aug. lib. contra Mendacium c.* 4).

CCLV [*Alias* CCLIV]. *Item de mendacio.*

Quamvis omnis qui mentitur, velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult celare verum, mentitur. Plerumque enim [u] vera non fallendo oc-

[a] Mss. Remig. et Joliensis, *ab arbore prohibuit.*

[b] Ms. Remig., *sola sibi obedientia.*

[c] Ms. Remig. et Colon. vet. edit. cum recentioribus nonnullis, *incidit in pœnam.* Mss. Jol. et Colb. cum edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., et Append. Aug., *incidit pœnam.* Aug. in Psal., *invenit pœnam.*

[d] Ita ms. Jol. Alii, *Quomodo erudiantur boni.*

[e] Ms. Jol. addit *Quod non sit gloriandum.*

[f] Mss. Remig. et Jol. auctoritate addimus vocem *usus.*

[g] Ms. Joliensis, *Non curet regiam potestatem.* Nec male, si inspiciantur verba hæc Augustini, loco citato : *Noli aviditate imperandi ponere tibi ante oculos provincias latissimas, qua tua regna diffundas, terram quam portas rege*, unde idem ms. pro titulo præfigit huic sententiæ, *Qualiter non curemus regiam potestatem*, et in textu, *novit* pro *noverit.*

[h] Alii codices, *de pœna et justitia.* Reliqua supplet ms. Joliensis.

[i] Ms. Joliensis, *Hoc colit homo quod diligit.* Forte melius in aliis legeris, *Quomodo Deus diligatur*; non, *Quid diligatur.*

[j] Addimus vocem hanc, *recto.* Ms. Jol., *De quærendo Deo.*

[k] Hæc addenda credidimus ad pleniorem sensum. Ms. Jol., *De benevolentia justi, et vindicta impiorum.* Melius utroque forte, *Quomodo lætetur justus de vindicta impiorum.* In fine sententiæ Ms. Jol. *multos con-* D *verti* absque voce hac *posse.*

[l] Ms. Joliensis, *De vincendo in bono malum.* Alii, *De simulatione*, scilicet, *dilectionis inimici*, aut, *pacis cum inimico.*

[m] Colon. vet. edit., *De opere amoris et timoris.*

[n] Sic ms. Joliensis. Cæteri, *De felicitate.*

[o] Ita ms. Joliensis. Alii, *De divite paupere.*

[p] Ms. Remig., *quidquid est.* Ita Aug. in psalmum citatum.

[q] Ms. Joliensis, *De gradibus ascensionum ad Deum.* Colon. vet edit., *De ascensu ad Deum.*

[r] Ms. Joliensis, *contemnendo recedis.*

[s] Idem sub finem, *si quæ Deo*; alii, *quia quæ Deo.*

[t] Ms. Joliensis, *Quando aliquid mali poscitur, Deus.* Et in textu sententiæ, *aliquid mali*, ubi alii codices habent, *aliquid male.*

[u] Ms. Joliens. et edit. Colon. vet., *vera*; ut apud

Digitized by Google

culimus, sed tacendo. Neque enim mentitus est Dominus, ubi ait (*Joan.* XVI, 12), [a] *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo* (*Aug. ibid.*, *c.* 10). A

CCLVI [*Alias* CCLV]. [b] *De primo et secundo homine.*

In primo homine patuit, [c] quid hominis arbitrium valeret ad mortem : in secundo autem, quid Dei adjutorium valeret ad vitam. Primus enim homo, non nisi homo : secundus vero homo, Deus et homo. Peccatum **579** ergo factum est, relicto Deo; justitia non fit sine Deo (*Aug. ep. ad Dardanum, c.* 9, *n.* 30).

CCLVII [*Alias* CCLVI]. [d] *De legis littera.*

Legis littera quæ docet non esse peccandum, si Spiritus vivificator desit, occidit. [e] Scire enim peccatum potius facit quam cavere; et ideo magis augeri quam minui : quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit (*Aug. lib. de Spiritu et Littera*, *c.* 5). B

CCLVIII [*Alias* CCLVII]. *De mandato Dei et timore.*

Mandatum Dei si timore fit pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; et ideo nec fit. Non enim bonus fructus est qui non [f] de charitatis radice procedit (*Aug. ibid.*, *c.* 14).

CCLIX [*Alias* CCLVIII]. [g] *Quod lex Dei secundum naturam sit.*

Lex Dei secundum naturam est, et cum homines quæ legis sunt faciunt, [h] naturaliter faciunt, superato vitio, quod nec præsidium legis abstulerat. Cum itaque per gratiam lex Dei in cordibus [i] scribitur (*Rom.* II, 14), quæ legis sunt naturaliter fiunt; non quia per naturam [j] præventa sit gratia, sed quia per gratiam reparata natura (*Aug. ibid.*, *c.* 27). C

CCLX [*Alias* CCLIX]. [k] *De gloria non habenda nisi in Deo.*

Nemo [l] ex eo quod videtur habere glorietur, tamquam non acceperit; aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur insonuit (I *Cor.* IV. 7). Nam *si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (*Gal.* II, 21). Porro autem si non gratis mortuus est; *Ascendens in altum* [m] *captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV, 8). Inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde habere se negat, aut non habet, aut id quod habet auferetur ab eo (*Aug. ibid.*, *c.* 29; *can.* 16 *conc. Araus.* II).

CCLXI [*Alias* CCLX]. [n] *Quid per inobedientiam perdidit homo.*

Homo factus erat immortalis, Deus esse voluit : non perdidit quod homo erat, [o] sed perdidit quod immortalis erat; et [p] de inobedientiæ superbia contracta est pœna naturæ.

CCLXII [*Alias* CCLXI]. *De laude* [q] *et præmio fidei.*

Laus fidei est non visa credere : præmium **580** erit, creditorum adeptione gaudere.

CCLXIII [*Alias* CCLXII]. [r] *Cur Sapientia Dei per carnem ad homines venerit.*

Sicut lac non transit nisi per carnem, ut parvulum pascat qui panem edere non potest; sic nisi Sapientia Dei, quæ panis est angelorum, ad homines dignaretur venire per carnem, nemo ad Verbi contemplandam divinitatem posset accedere. Quia ergo lux a tenebris non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatem subiit tenebrarum, et per similitudinem carnis peccati, participationem dedit luminis veri (*Aug. in ps.* XXXIII *serm.* 1, *n.* 6).

CCLXIV [*Alias* CCLXIII]. [s] *De bona fama.*

Odor bonus fama bona est, [t] quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum Christi vestigia sequitur, pedes quodammodo ejus pretiosi unguenti odore perfundit (*Aug. l.* III *de Doctr. Christi c.* 12).

CCLXV [*Alias* CCLXIV]. [u] *Quid recte diligatur.*

Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas : et ideo id solum recte diligitur, quod numquam bene amittitur (*Aug. ibid. c.* 18).

CCLXVI [*Alias* CCLXV]. [v] *De insipienti eloquentia.*

Qui affluit [x] insipienti eloquentia, tanto magis cavendus est, quanto magis ab eo, in his quæ audire inutile est, delectatur auditor, et eum quem ornate dicere audit, etiam vere dicere existimat (*Aug. lib.* IV *de Doct. Christi*, *c.* 5).

---

Aug. Alii codices, *verum*. Colon. vet. edit., *occultamus*.

[a] Ita post August. in hoc libro mss. Remig. et Jol. Alii codices nostri, *cum ait*.

[b] Ita ms. Joliensis. Alii vero, *De libero arbitrio*.

[c] Colon. vet. edit., *quod*, hic et paulo post.

[d] Sic ms. Jol. Alii, *De lege et peccato*. D

[e] Ms. Joliensis, *Sciri enim..... quam caveri*, ut in libro August. unde sumpta est sententia.

[f] Colon. vet. edit., *de charitate procedit*. Ms. Remig., *de charitate radice procedit*.

[g] Sic ms. Joliensis. Alii libri, *De lege*. Colon. vet., *De lege in natura*.

[h] Mss. Remigianus et Joliensis aliter habent locum istum : scilicet post, *naturaliter faciunt, superato vitio quod naturæ præsidium legis abstulerat*. Augustini verba sunt, loco citato in margine : *Proinde naturaliter homines quæ legis sunt faciunt; qui enim hoc non faciunt, vitio suo non faciunt. Quo vitio lex Dei est deleta de cordibus : ac per hoc vitio sanato, cum illic scribitur, fiunt quæ legis sunt naturaliter*.

[i] Ms. Jol., *inscribitur*.

[j] Apud August., *negata sit gratia*.

[k] Ms. Joliensis, *Quod non gloriemur de habitis, tamquam non acceptis*.

[l] Ms. Joliensis, *in eo quod*.

[m] Mss. Remigianus, *captivavit*, et infra, *Nam aut non vere habet*.

[n] Sic ms. Joliensis. Alii, *De homine et superbia*; alii, *De hominis superbia*. Colon. vet. edit., *De superbia inobedientiæ*.

[o] Ms. Remig., *Sed quia mortalis* (forte *immortalis*) *esse voluit*.

[p] Ms. Joliens., *et inobedientia superbiæ*.

[q] Ms. Joliensis supplet *et præmio*

[r] Ms. Jol. addit vocem *Dei* ad titulum *De Sapientia* aliorum codicum. Colon. vet. edit., *De sapientia in contemplando*. Forte plenius diceretur, *Quare sapientia Dei ad homines venerit per carnem*. Aut, *Cur sapientia Dei incarnata sit*.

[s] Ms. Jol., *De odore bonæ famæ*.

[t] Sic mss. Remig. et Jol., conformiter textui Augustini loco citato in margine. Alii codices, *quam quisque..... haurit, dum Christi*, etc.

[u] Ita ms. Joliensis. Alii codices, *De cupiditate*.

[v] Alii, præter ms. Jol., *De eloquentia insipientis*.

[x] Ms. Remig., *insipientiæ eloquentia*.

Digitized by Google

CCLXVII [*Alias* CCLXVI]. [a] *De indole bonorum ingeniorum.*

Bonorum ingeniorum clara est indoles, in verbis disserentium verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, [b] si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est (*Aug. ibid.*, *c.* 11).

CCLXVIII [*Alias* CCLXVII]. [c] *De diligendo et non diligendo peccatore.*

Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus; et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum : a quo habent omnes qui eum diligunt, et quod sunt, et quod eum diligunt (*Aug. l.* I *de Doct. Christ. c.* 27).

CCLXIX [*Alias* CCLXVIII]. [d] *Quod prima ad Deum via sit Christus.*

581 Dominus ait, *Ego sum via, veritas, et vita.* Hoc est, per me venitur, ad me pervenitur, in me manetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur, quia per æqualem ille, cui æqualis est, cognoscitur; vinciente atque [e] agglutinante nos Spiritu sancto, ut in summo atque incommutabili bono sine fine maneamus (*Aug. ibid.*, *c.* 34).

CCLXX [*Alias* CCLXIX]. [f] *Quod melior sit qui fallitur, quam qui mentitur.*

Multos invenimus qui fallere velint, qui autem falli, neminem. Cum vero hoc alius sciens faciat, alius nesciens patiatur, satis apparet, in una eademque re, illum qui fallitur, eo qui mentitur esse meliorem; quando quidem pati melius est iniquitatem quam facere (*Aug. ibid.*, *c.* 36).

CCLXXI [*Alias* CCLXX]. [g] *De dilectione bonorum æternorum, aut temporalium.*

Inter temporalia atque æterna hoc interest, quod temporale [h] aliquid plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum advenerit; non enim satiat animam, nisi incorruptibilis gaudii vera et certa æternitas : æternum vero ardentius diligitur adeptum, quam desideratum. Nemo enim plus de illo æstimat quam [i] se habet, ut fiat vilius, quia speratum est amplius : sed tanta est ibi excellentia, ut multo plus [j] adeptura sit charitas, quam vel fides credidit, vel spes desideravit (*Aug. ibid.*, *c.* 38).

CCLXXII [*Alias* CCLXXI]. *De fame et* [k] *fastidio spirituali.*

Qui in Scripturis sanctis non inveniunt [l] veritatem quam quærunt, fame laborant : qui autem non quærunt quod in promptu habent, fastidii languore marcescunt; et par utrorumque periculum est, dum sapientiæ cibum et illis obcæcatio, et his inedia subtrahit (*Aug. lib.* II *de Doct. Christ. c.* 6).

CCLXXIII [*Alias* CCLXXII]. *De laboribus* [m] *piorum.*

*Non sunt condignæ passiones hujus temporis*, [n] *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* 582 Sæviat et fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis : quidquid fecerit, [o] quantum illud erit ad id quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id quod spero; hoc quidem sentio, illud spero : et tamen incomparabiliter majus est quod speratur quam quod [p] infertur. Quidquid est quod contra Christi nomen sævit, si potest [q] vinci, tolerabile est; si non potest, proficit præmio citius consequendo, [r] et finis temporalis mali transit in perceptionem æterni boni (*Aug. serm.* 279, *de Paulo apost.*, *n.* 4).

CCLXXIV [*Alias* CCLXXIII]. *De charitate.*

Cum in duobus præceptis charitatis tota Lex pendeat et Prophetæ, quanto [s] magis est Evangelium, quo Lex non solvitur, sed adimpletur, et de quo Dominus dicit, *Mandatum novum do vobis*, [t] *ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34)! Charitas enim innovat homines; et sicut malignitas veteres, ita dilectio novos facit.

CCLXXV [*Alias* CCLXXIV]. [u] *De flagellis Dei.*

Quando corripit Deus genus humanum, et flagellis piæ castigationis exagitat, exercet ante judicium disciplinam, et plerumque [v] diligit quem flagellat (*Prov.* III, 12), nolens invenire quem damnet. Fla-

[a] Ms. Joliensis, *De indole ingeniorum.* Alii, *De ingenio* : addimus priori, *bonorum*, ex textu sententiæ.

[b] Ms. Remig., *si aperire potest.*

[c] Sic ms. Joliensis. Reliqui, *De homine peccatore.*

[d] Ms. Jol., *Ego sum via, veritas, et vita.* Alii, *De incommutabili bono.* Titulum a nobis substitutum ex libro Augustini citato, ut pleniorem, hausimus.

[e] Ita ms. Jol. et liber August. citatus in margine. Cæteri, *glutinante.*

[f] Sic ms. Jol. Alii, *De mendacio et fallacia.*

[g] Ms. Jol., *Quid distet inter temporalia et æterna.* Col. vet. edit., *De diligendis æternis bonis et temporalibus.*

[h] Ms. Jol. addit *aliquid*, quod legitur in Augustino; alii non addunt. Idem postea, *habeatur.... animam*, pro eo quod in cæteris, *habetur, et animum.*

[i] Ms. Jol., *se habet*, ut in August. loco citato in margine. Codices alii, *de se habet.*

[j] Mss. Rem. et Jol., *adepta sit.* Jol. vero postea *credit...*, *desiderat.*

[k] Alias editi habebant *et inedia.* Melius *fastidio* ; quod distinguitur contra famem in textu sententiæ. Ms. Jol., *De quærentibus et non quærentibus veritatem in Scripturis.* Colon. vet. edit., *De fame et inedia spirituali in Scripturis.*

[l] Ms. Remig., *charitatem quam quærunt.*

[m] Antea editi, *peccatorum.* In margine notarunt, *piorum* Duac., Colon. et his posteriores. Melius postremum hoc legi suadet textus sententiæ. Ms. Jol. pro titulo habet priora verba, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis*, etc.

[n] Mss. Remig. et Jol., *ad futuram*, ut in Augustino; alii, *superventuram.*

[o] Sic ms. Joliensis. Colon. vet. edit., *quantulum erit ad illud*; cæteri, *quantillum erit ad illud quod.* Aug., *quid faciet ad id quod accepturi sumus?* Quibus propius accedere visa est lectio ms. Jol.

[p] Colon. vet. edit., *quod aufertur.*

[q] Ms. Joliensis, *vivi.* Quod verbum est in Augustino; etsi quidam codices etiam ibi habeant *vinci.*

[r] Colon. vet. edit., *et fidelis, fine temporalis mali, transit.*

[s] Edit. Duac. et seq. in margine scriptum habent *majus est*; et post pauca. ms. Jol., *sed impletur.*

[t] Colon. vet. edit., *ut diligatis invicem.*

[u] Hactenus editi, *De flagello.* Ms. Jol., *De flagellis Dei.* Priori Colon. vet. addidit etiam vocem *Dei.*

[v] Ms. Remigianus, *eligit.* Ms. Joliensis, *non eligit.*

Digitized by Google

gellat autem simul et justos et injustos, quia nemo A est qui possit gloriari castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato (*Prov.* xx, 9). Ita [a] de gratia misericordiæ ejus veniunt etiam coronæ justorum.

CCLXXVI [*Alias* CCLXXV]. [b] *De passionibus fidelium.*

Labor piorum exercitatio est, non damnatio. Nec enim conturbari debemus, cum aliquis sanctus gravia et indigna perpetitur, si obliti non sumus quæ pertulerit Justus justorum, Sanctusque sanctorum; cujus passio omnes superat passiones: quia cum auctore universitatis nulla cujusquam est comparatio creaturæ.

CCLXXVII [*Alias* CCLXXVI]. [c] *De originali peccato.*

Miseria generis humani, cujus nullum hominum B ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertineret ad justum [d] Omnipotentis **583** judicium, si non esset originale peccatum (*Aug. lib.* I *Op. Imp.*, *n.* 3).

CCLXXVIII [*Alias* CCLXXVII]. [e] *De providentia Dei operantis.*

Creatoris [f] omnitenentis omnipotentia causa est subsistendi omni creaturæ: quæ virtus, si ab eis quæ condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species et natura concideret. Proinde quod Dominus ait, *Pater meus usque nunc operatur*, continuationem quamdam operis ejus, [g] qua simul omnia continet atque administrat, ostendit. In quo opere etiam sapientia ejus perseverat, de qua dicitur, *Pertingit a fine usque in finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* [h] Idem etiam Apostolus sentit, cum C Atheniensibus [i] Deum prædicans, ait, *In quo vivimus, et movemur, et sumus.* Qui si opus suum rebus creatis subtraheret, nec vivere, nec moveri, nec esse possemus. Et ideo sic Deus intelligendus est requievisse ab omnibus operibus suis, [j] ut jam nullam naturam conderet, non ut conditas continere, et gubernare cessaret (*Aug. l.* IV *de Gen. ad litt.*, *c.* 12).

CCLXXIX [*Alias* CCLXXVIII]. [k] *De observatione sabbati.*

Observatione sabbati, quæ vacatione unius diei figurabatur, ablata, perpetuum sabbatum observat qui spe futuræ quietis sanctis est operibus intentus; nec [l] in ipsis bonis actibus suis quasi de propriis, [m] et de his quæ non acceperit, gloriatur; illum in se operari cognoscens, qui simul operatur et quietus est (*Aug. ibid.*, *c.* 13).

CCLXXX [*Alias* CCLXXIX]. *De requie Dei.*

Requies Dei recte intelligentibus ea est [n] qua nullius indiget bono. Et ideo [o] certa etiam requies nobis in illo est, quia [p] nos beatificamur bono quod ipse est, non ipse bono quod nos sumus. Nam et nos aliquid bonum ab ipso sumus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit et nos. Porro alia res bona præter ipsum nulla est, quam ipse non fecit: ac per hoc [q] nullo bono alieno eget, qui bono quod fecit non eget (*Aug. ibid.*, *c.* 16).

CCLXXXI [*Alias* CCLXXX]. [r] *De initio temporum.*

**584** [s] Factæ creaturæ motibus cœperunt currere tempora. Unde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri ante tempora tempora. Motus enim si nullus esset vel spiritalis vel corporalis creaturæ, quo per præsens præteritis futura succederent, [t] tempus nullum omnino esset. Moveri autem creatura non utique posset, si non esset. Potius ergo tempus a creatura, quam creatura cœpit a tempore. Utrumque autem ex Deo. *Ex ipso enim* (*Rom.* XI, 36), *et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Aug. l.* V *de Gen. ad litt.*, *c.* 5).

CCLXXXII [*Alias* CCLXXXI]. [u] *Quod abjectissima etiam divina Providentia regit.*

Cum Salvator dicit, unum passerem non cadere in terram sine voluntate Dei, et quod fenum agri, [v] post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen formet, ac vestiat (*Matth.* X, 29; VI, 30), [x] nonne confirmat, non solum [y] totam istam mundi partem

Idemque in ora libri scriptum legere est in Lugdun. et omnibus posterius excusis, etiam in append. tom. X August.

[a] Mss. Remig. et Joliensis, *de gratia ejus*, omissa voce hac, *misericordiæ*.

[b] Ms. Joliensis, *De labore piorum*.

[c] Ms. Jol., *De miseria generis humani.*

[d] Ms. Remig., *ad justum Dei omnipotentis.*

[e] Ms. Remig., *De omnipotentia Creatoris.*

[f] Pro hac voce, *omnitenentis*, hanc *omnipotentis*, in margine notant edit. Duac. et Colon. cum recentioribus: at utramque usurpaverat August. loco illo: *Creatoris namque potentia et omnipotentis atque omnitenentis virtus.*

[g] Ms. Joliensis, *quo simul.... usque ad finem.*

[h] Ms. Remig. et Jol., *Idque etiam.* Aug., *Et illud.*

[i] Ms. Joliensis addit, *Deum;* quæ vox habetur etiam in libro August.

[j] Ms. Joliensis, *nullam naturam conderet.* Sic in Augustini opere legitur, *novam naturam ulterius nullam conderet.* Alii codices nostri, *ut jam nullam novam conderet creaturam.*

[k] Ita ms. Joliensis. Alii libri, *De vero sabbato.*

[l] Ms. Jol. addit præposit. *in*, cum Augustini libro.

[m] Ms. Remig., *et eis quæ.*

[n] Emendamus ex ms. Joliensi, qui concinit loco Augustini citato. Alii codices nostri, *quæ.*

[o] Ms. Jol. addit *etiam;* item ms. Remig., qui ita habet, *et ideo certa etiam bonis in illo est, quia nos beatificamur.* Colon. vet., *in Deo est*, ubi alii, *in illo est*, D

[p] Mss. Remig. et Jol. cum August. addunt *nos.* Idem Jol. et Aug. postea, *non ipse bono;* quo loco alii codices nostri, *non ipse eo.*

[q] Ms. Jol., *nullo alieno.*

[r] Ms. Jol., *De cursu temporum.*

[s] Colon. vet. edit., *Facta creatura, motibus.* Ms. Jol. omittit *Factæ*, et incipit, *Creaturæ motibus.* Idemque iterum habet *tempora*, ut et August. Cæteris semel habentibus.

[t] Ms. Jol., *tempus ullum omnino non esset.*

[u] Alias editi, *omnia Dei arbitrio regi.* Ms. Joliensis, *Quod abjectissima etiam divina providentia regit.*

[v] Sic ms. Joliensis, sicut legitur in libro Augustini. Cæteri, *quod post paululum mittendum est.*

[x] Colon. vet. edit., *sic confirmat.*

[y] Mss. Remig. et Jol. supplent vocem *totam*, qua carebant editiones Prosperianæ, quæ tamen legitur in loco Augustini citato.

Digitized by Google

rebus mortalibus et corruptibilibus deputatam; verum etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divina Providentia regi; ne fortuitis perturbari motibus ea quorum causas comprehendere non possumus, æstimemus (*Aug. ibid.*, *c.* 21 *et* 22)? A

CCLXXXIII [*Alias* CCLXXXII]. [a] *Animam rationalem in spiritalia erigi debere.*

Anima rationalis in ea debet erigi quæ [b] in spiritalium natura maxime excellunt: ut quæ sursum sunt [c] sapiat, non quæ super terram (*Aug. l.* VI *de Gen. ad litt.*, *c.* 22).

CCLXXXIV [*Alias* CCLXXXIII]. [d] *Quod in miraculis nihil fiat contra naturam.*

Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit, nec quod novum est [e] consuetudini, repugnans est rationi. Nobis ergo videntur B [f] contra naturam insolita, quibus aliter naturæ cursus innotuit; non autem Deo, cui [g] hoc est natura quod fecerit (*Aug. ibid.*, *c.* 13).

CCLXXXV [*Alias* CCLXXXIV]. *De incommutabili ratione operum Dei.*

[h] Omne corpus in omne corpus posse mutari **585** credibile est: quodlibet autem corpus in animam rationalem posse converti, credere absurdum est. Quoniam Deus sic est omnipotens, ut numquam suæ rationis instituta convellat (*Aug. lib.* VII *de Gen. ad lit. c.* 12 *et* 20).

CCLXXXVI [*Alias omittebatur*]. [i] *Quod naturale sit nobis velle vivere, non autem male vivere.*

Naturale nobis est velle vivere, male autem vivere jam non est naturæ, sed perversæ voluntatis, C quam juste pœna consequitur (*Aug. ibid.*, *c.* 27).

CCLXXXVII [*Alias* CCLXXXV]. [j] *Qualiter homo præsentia Dei illuminetur.*

Sicut aer ex præsente lumine non factus est lucidus, sed fit; quia si factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus permaneret: sic homo, Deo præsente illuminatur, absente autem [k] continuo tenebratur: a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur (*Aug. lib.* VIII *de Gen. ad lit. c.* 12).

CCLXXXVIII [*Alias* CCLXXXVI]. [l] *Deo obediendum.*

Magna est utilitas hominis, jubenti Deo, etiam incognita jussionis ratione, servire. Jubendo enim Deus utile facit, quidquid jubere voluerit: de quo metuendum non est, ne non profutura præcipiat; nec fieri potest, ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat (*Aug. ibid.*, *c.* 13).

CCLXXXIX [*Alias* CCLXXXVII]. *De excellentia humanæ naturæ.*

Quam excellens bonum sit natura humana, hoc maxime apparet, quod datum ipsi sit ut possit summi et incommutabilis boni adhærere naturæ. Quod si noluerit, bono se privat, et hoc ei malum est: unde per justitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quam ut bene sit desertori boni? Aliquando autem amissi superioris boni non sentitur malum, dum habetur quod amatum est inferius bonum. Sed divina justitia est, ut qui voluntate [m] amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, et naturarum Creator ubique laudetur. Adhuc enim bonum est, quod dolet amissum bonum. Nam nisi aliquod bonum remansisset in natura, nullius amissi boni dolor esset [n] in pœna (*Aug. ibid.*, *c.* 14).

CCXC [*Alias* CCLXXXVIII]. [o] *De potestate nocendi.*

**586** Nocendi cupiditas potest esse a suo cuique animo prava. *Non est* autem *potestas nisi a Deo*, [p] et hoc abdita, altaque ejus justitia; *quoniam non est iniquitas apud Deum* (*Aug. l.* XI *de Gen. ad litt. c.* 4).

CCXCI [*Alias* CCLXXXIX]. [q] *Quantum et quale bonum sit Deus.*

Quantum et quale bonum sit Deus, etiam ex hoc evidenter ostenditur, quod nulli ab eo recedenti bene est: quia et qui gaudent in mortiferis voluptatibus, sine doloris timore esse non possunt; et qui omnino malum desertionis suæ majore superbiæ stupore non sentiunt, aliis qui hæc discernere noverunt, [r] quanta miseria premantur, apparet: ut si nolint recipere medicinam talia devitandi, valeant

[a] Sic ms. Jol., qui tamen habet, *in spiritalibus*. Alii codices, *De anima rationali*.

[b] In libro August., *in spiritalibus natura maxime excellunt*.

[c] Editi nostri omnes, *sapiant*. Mss. Remig. et Jol. post Augustinum, *sapiat*. Colon. vet. edit., *in ea debet regi* (*f. erigi*) *quæ spiritalium naturam maxime excellunt, et quæ sursum sunt sapiunt*.

[d] Sic ms. Joliensis. Alii, *De miraculis naturalibus*.

[e] Ms. Joliensis cum Colon. vet. edit., *consuetudini*. Alii, *consuetudine*.

[f] Ms. Joliensis, *contraria videntur insolita*.

[g] Mss. Remig. et Jol., *hoc est in natura quod ipse fecit*. Colon. vet. edit., *cum hoc est natura quod ipse fecerit*.

[h] Ms. Joliensis, *Omne corpus in aliud*, *in animam vero numquam mutari posse*. Colon. vet., *De incommutabili mutatione animæ in corpus*.

[i] In mss. Remigiano et Joliensi post sententiam 285 (alias 284 præcedente), titulus est, *Quod naturale sit nobis velle vivere*. Cui subjicitur sententia hæc: *Naturale nobis est velle vivere, male autem vivere jam non est naturæ, sed perversæ voluntatis, quam* D *juste pœna consequitur*; quæ decerpitur ex libro septimo de Genesi ad litteram cap. 27. Aberat vero ab omnibus editionibus.

[j] Ita ms. Jol. Alii, *De merito*, ut Colon. vet., aut, *De merito voluntatis*, ut reliqui.

[k] Vox hæc *continuo* additur hic a ms. Remigiano, et habetur in Augustini loco, hic citato in margine.

[l] Ms. Joliensis, *De utilitate serviendi Deo*. Colon. vet. edit., *De utilitate hominis obediendo Deo in incognitis*.

[m] Ms. Joliensis, *dimisit* . . . . *laudatur*.

[n] Ms. Remig., Lugdun. et posteriores editiones, *in pœnam*. Mss. Colb. et Jol., edit. vet. Col. et append. tom. X Aug., *in pœna*; immo et locus ipse libri citati in margine.

[o] Ms. Jol., *De cupiditate et potestate nocendi*.

[p] Sic post Augustinum ms. Jol. Ms. Remig. cum Colon. vet edit., *et hæc abdita altaque* (Colon., *ejus*) *justitia*. Alii codices, *et hæc abdita altaque ejus judicia*.

[q] Ms. Jol. et Colon. vet. edit. addunt *Quantum et* aliis libris.

[r] Colon. vet. edit., *quanta sit miseria*.

Digitized by Google

ad exemplum, [a] quo possunt talia devitari (*Aug.* A lib. XI *de Gen. ad litt. c.* 5).

CCXCII [*Alias* CCXC]. [b] *Quod nulla creatura mala sit in natura.*

Sicut vera ratio docet meliorem esse creaturam, quam prorsus nihil delectat illicitum : ita eadem ratio docet etiam illam bonam esse quæ in potestate habet illicitam delectationem ita cohibere, ut non solum de cæteris licitis recteque factis, verum etiam de ipsius pravæ delectationis [c] cohibitione lætetur (*Aug. ibid., c.* 7).

CCXCIII [*Alias* CCXCI]. [d] *De magnis operibus Domini.*

*Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Prævidet bonos futuros, et creat : prævidet futuros malos, et creat : seipsum ad fruendum præ- B bens bonis, multa munerum suorum largiens etiam malis; [e] misericorditer ignoscens, juste ulciscens; itemque misericorditer ulciscens, juste ignoscens; nihil metuens de cujusquam malitia; nihil indigens de cujusquam justitia; nihil sibi consulens de operibus bonorum, et bonis consulens etiam de pœnis malorum (*Aug. ibid., c.* 11).

CCXCIV [*Alias* CCXCII]. *De superbia* [f] *et invidentia.*

Cum superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidentia vero sit odium felicitatis alienæ, quid unde nascatur in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, **587** ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur quisque invidus, non invidendo C superbus est (*Aug. ibid., c.* 14).

CCXCV [*Alias* CCXCIII]. [g] *Qualiter plenitudo divinitatis habitet in Christo corporaliter.*

Plenitudo divinitatis in Christo dicta est corporaliter habitare, non quia divinitas corpus est, sed quia sacramenta veteris Testamenti appellantur [h] umbræ futuri, propter umbrarum comparationem corporaliter dicta est in Christo plenitudo divinitatis habitare, quod in illo impleantur omnia quæ [i] in illis umbris figurata sunt, ac sic quodammodo umbrarum præcedentium ipse sit corpus, hoc est figurarum et significationum illarum [j] ipse sit veritas (*Aug. lib.* XII *de Gen. ad litt. c.* 7).

CCXCVI [*Alias* CCXCIV]. [k] *De vitiis expugnandis.*

Actio [l] in hac vita pia est Deum colere, et ejus gratia contra vitia interna pugnare, eisque usque ad illicita instigantibus [m] cogentibusve non cedere; et ubi ceditur, indulgentiam, atque ut non cedatur, adjutorium Dei, affectu religiosæ pietatis exposcere. In paradiso autem, si nemo peccasset, non esset actio pietatis expugnare vitia : quia felicitatis esset permansio vitia non habere (*Aug. l.* I *Op. Imp., n.* 70).

CCXCVII [*Alias* CCXCV]. *De fortitudine gentilium et Christianorum.*

Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit; quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est a nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Aug. ibid., n.* 83; *can.* 17 *conc. Araus.* II).

CCXCVIII [*Alias* CCXCVI]. [n] *Quod nullum malum sit, nisi in aliquo bono.*

Non potest esse ullum malum, nisi in aliquo bono: quia non potest esse nisi in aliqua natura : omnis autem natura, [o] in quantum natura est, bonum est (*Aug. ibid., n.* 114).

CCXCIX [*Alias* CCXCVII]. [p] *Nullis meritis gratiam præveniri.*

Debetur merces bonis operibus, si fiant : sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant (*Aug. ibid., n.* 133; *can.* 18 *conc. Araus.* II).

CCC [*Alias* CCXCVIII]. *De circumcisione et baptismo.*

Circumcisio carnis lege præcepta est; quia **588** non posset melius significari, per Christum regenerationis auctorem tolli originale peccatum. Cum præputio quippe omnis homo nascitur, quemadmodum cum originali peccato. Et octavo die lex circumcidi carnem præcepit, quia Christus die Dominico resurrexit, qui post septimum sabbati octavus est. Et circumcisus præputiatum gignit, trajiciens in illum, quo ipse jam caruit : sicut baptizatus in filium quem generat carne, reatum tamen trajicit originis, [q] a quo ipse jam liber est (*Aug. l.* II *Op. Imp., n.* 73).

[a] Ita conformiter Augustino editio append. to. X D ejusdem. Mss. Remig. et Jol., *quo possint caveri.* Editi alii omnes, post vocem hanc *medicinam, talia devitandi valeant ad exemplum quæ possunt habere.*

[b] Ms. Joliensis, *Quod creatura alia bona, alia melior.*

[c] Mss. Remig. et Joliens. post August., *cohibitione*, cum superius dictum sit, *cohibere.* Alii omnes, *coercitione.*

[d] Ms. Jol., *Quod opera Domini exquisita sint in omnes voluntates ejus.*

[e] Ms. Remig., *etiam misericorditer;* et infra, *etiam de bonis malorum.* Colon. vet. edit., *seipsum ad fruendum præbet bonis, multa bonorum suorum largiens . . . consulens autem bonis.*

[f] Ms. Jol. et Colon. vet. addunt, *et invidientia* aut *invidia.*

[g] Ita ex ms. Joliensi sic habente, *Qualiter divinitas habitet in Christo corporaliter;* et aliorum librorum titulo, *De plenitudine divinitatis in Christo.*

[h] Ms. Remig., *umbra futuri.*

[i] Ms. Joliensis et Colon. vet. edit., *in illis umbris.* Alii libri nostri carent præpositione *in*, quæ tamen habetur in August.

[j] Edit. Colon. recentior, cum ea posterioribus, *ipsa sit veritas.*

[k] Ms. Joliensis, *De pietate actionis in hac vita.*

[l] Ms. Remig. omittit hic præpositionem, *in*, quæ legitur in aliis codicibus Prosperi, et in append. tom. X Aug., non vero in libro in margine citato.

[m] Colon. vet. edit., *cogitationibus.*

[n] Ita ms. Jol. In aliis, *vitium nisi in aliquo bono esse non potest.*

[o] Ita ex Augustini libro mss. Remig. et Joliensis. Alii omnes, *in quantum natura, bona est.*

[p] Ms. Joliensis, *De mercede et gloria bonorum operum.*

[q] Apud August., *quo absolutus est ipse.*

Digitized by Google

CCCI [*Alias* CCXCIX]. [a] *De primo et secundo homine.* A

Primus homo Adam sic olim defunctus est, ut tamen post illum secundus homo sit Christus, cum tot hominum millia inter illum et hunc orta sint : et ideo manifestum est, ad illum pertinere omnem qui ex illa successione [b] propaginis nascitur; sicut ad istum pertinet omnis qui [c] in illo gratiæ largitate renascitur. Unde fit ut totum genus humanum quodammodo sint homines duo, primus et secundus (*Aug. l.* II *Op. Imp., n.* 163).

CCCII [*Alias* CCC]. *De judiciis Dei.*

Nullo modo judiciis hominum comparanda sunt judicia Dei : quem non dubitandum est esse justum, etiam quando facit quod hominibus videtur injustum (*Aug. l.* III *Op. Imp., n.* 24). B

CCCIII [*Alias* CCCI]. [d] *De nativitate justorum.*

Justus ex Deo, [e] non ex hominibus nascitur: quoniam renascendo, non nascendo fit justus. Unde etiam [f] regenerati filii Dei vocantur (*Aug. ibid., n.* 51).

CCCIV [*Alias* CCCII]. *De naturæ humanæ qualitate.*

Natura humana etsi mala est, quia vitiata est; non tamen malum est, quia natura est. Nulla enim natura, in quantum natura est, malum est : sed prorsus bonum, sine quo bono ullum esse non potest [g] malum : quia nisi in aliqua natura ullum esse non potest vitium; quamvis sine vitio possit esse vel numquam vitiata, vel sanata natura (*Aug. ibid., n.* 206).

CCCV [*Alias* CCCIII]. *De morte peccatorum.* C

Justum Dei judicium est, ut peccato suo quisque pereat, cum peccatum Deus non faciat : sicut mortem non fecit, et tamen quem **589** morte dignum [h] censet, occidit. [i] Unde legitur, *Deus mortem non fecit :* et legitur, *Mors et vita a Deo est.* Quæ duo inter se non esse contraria profecto videt quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit : quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem (*Aug. l.* IV *Op. Imp., n.* 32).

CCCVI [*Alias* CCCIV]. *De pœna peccati.*

Deus quidem mundum fecit, et corpora prorsus omnia. Sed ut corpus corruptibile aggravet animam, et caro concupiscat adversus spiritum (*Sap.* IX, 15), non est præcedens natura hominis instituti, sed consequens [j] pœna damnati (*Aug. ibid., n.* 67).

CCCVII [*Alias* CCCV]. [k] *De bona institutione hominis.*

Quantislibet vitiis turpetur quæcumque natura, institutio ejus semper est bona. Nam sicut institutio corporis bona est, etiam quando nascitur [l] morbidus, et institutio animi bona est, etiam quando nascitur fatuus; sic institutio ipsius hominis bona est, quando nascitur [m] peccati originalis obnoxius (*Aug. ibid., n.* 115).

CCCVIII [*Alias* CCCVI]. [n] *De abolitione peccati.*

Sicut quidam parentes aggravant originale peccatum, ita quidam relevant : sed nullus tollit, nisi ille de quo dictum est, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi :* cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum est insanabile (*Aug. ibid., n.* 132).

CCCIX [*Alias* CCCVII]. [o] *De gratia Dei.*

Non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinet, cum ex illa massa primi hominis, cui merito mors debetur, quisque liberatur. Non est enim iniquitas apud Deum : quia neque remittendo, neque exigendo quod debetur, injustus est; et ibi gratuita est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta (*Aug. ep.* 186, *ad Paulinum, c.* 6, *n.* 16).

CCCX [*Alias* CCCVIII]. *Neminem, nisi Deo miserante, salvari.*

Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde, cum sine Dei gratia salutem [p] non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest recuperare quam perdidit (*Aug. ibid., c.* 11, *n.* 37; *can.* 19 *conc. Araus.* II)?

CCCXI [*Alias* CCCIX]. [q] *Nihil excusationis competere peccatori.*

Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis: **590**

[a] Sic ms. Jol. Alii, *De Adam primo et secundo.*

[b] Mss. Remig. et Jol., *propaginis.* In Aug., *qui ex illo successione propaginis;* etsi alias *ex illa* legeretur. Editi Prosperiani, *ex illa successione propagatus.*

[c] Ms. Remig., *gratia largiente.*

[d] Ms. Jol., *De regeneratione.*

[e] Ms. Jol., *non ex homine.* Sic quoque in libro August. citato in margine.

[f] Ita mutamus auctoritate mss. Remig. et Jol., pro *renati,* quod habetur in editis nostris : quamquam et hi, a Lovaniensi, margini inscripserint *Alias regenerati.*

[g] Hæc verba, *malum : quia nisi in aliqua natura ullum esse non potest vitium,* supplemus ex ms. Remigiano et textu Augustini, licet exciderint a cæteris codicibus nostris. Ms. Jol. habet tantum, *nullum potest esse vitium.*

[h] Ita ms. Jol. post August. librum. Alii codices nostri, *sensit.*

[i] Hæc verba, *Deus mortem non fecit, et legitur,* addimus auctoritate mss. Remigiani et Joliensis, qui plenius locum Augustini citatum exhibent.

[j] Ita ms. Joliensis juxta textum Augustini, et app. tom. X ejusd. Alii codices nostri, cum in textu ponant *pœna peccati,* in margine indicant vocem *damnati.*

D

[k] Sic ms. Jol. Cæteri codices, *De opere in quacumque natura.*

[l] Duac. et Col. et recentiores habent *morbidum.* Cum tamen et Augustini locus tam in Opere Imperf. quam in Sententiis, et alii codices nostri habeant *morbidus.* Sic etiam scribi debere putavimus, cum sane subintelligi facile censeatur *homo,* qui talis nascatur : immo post aliquot lineas expresse habeatur, ubi ms. Jol. omittit vocem *ipsius* ante hanc *hominis.*

[m] August. habet, *contagioni peccati originalis.*

[n] Ms. Jol., *Quod parentes aggravant et relevant originale peccatum.*

[o] Ms. Joliensis, *De misericordia Dei.*

[p] Ms. Remig., *non possit :* ut in August. epist. Alii, *non posset.*

[q] Ms. Jol., *Quod inexcusabilis est omnis peccator.*

Digitized by Google

sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, A sive qui non judicat. Quia et ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo [a] in utrisque non est excusatio, sed justa damnatio (*Aug. ep.* 194, *ad Sixtum*, *c.* 9, *n.* 27).

CCCXII [*Alias* CCCX]. *De his qui Spiritu Dei aguntur.*

[b] Plus est procul dubio agi quam regi. Qui enim regitur, aliquid agit; et ideo regitur, ut recte agat: qui autem agitur, agere ipse aliquid vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se commendet qui mala agere non potest (*Aug.* B *l. de Gestis Pelag. c.* 3.)

CCCXIII [*Alias* CCCXI]. [c] *Quid sit liberari a corpore mortis hujus.*

Liberari a corpore mortis hujus, omni sanato languore concupiscentiæ carnis, est non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam (*Aug. lib.* I *contra duas epist. Pelag. cap.* 11).

CCCXIV [*Alias* CCCXII]. [d] *Nihil hominem posse sine Deo.*

Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo, quæ non Deus facit ut faciat homo (*Aug. lib.* II *contra duas epist. Pelag. cap.* 8; *et can.* 20 *Araus.* II *conc.*).

CCCXV (*Alias* CCCXIII]. *De vera justitia.*

Justitia secundum quam justus ex fide vivit, quo- C niam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera justitia est: quæ licet non immerito in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicatur, parva tamen est ad illam magnam quam capit æqualitas angelorum: [e] quam qui nondum habebat, et propter illam quæ jam inerat, perfectum; et propter istam, quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed plane minor ista justitia [f] facit meritum, major illa facit præmium. Unde qui istam non sequitur, illam non assequitur (*Aug. l.* III *cont. duas epist. Pelag.*, *cap.* 7).

CCCXVI [*Alias* CCCXIV]. [g] *Quod Christus solus sine peccato subiit pœnam peccati.*

De uno solo mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu fides catholica novit, quod pro nobis D mortem, id est, peccati pœnam sine peccato subire dignatus est. Sicut enim solus ideo factus est hominis filius, ut nos per illum Dei filii fieremus: ita solus suscepit **591** sine malis meritis pœnam, sicut nos per illum sine [h] bonis meritis gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Commendans ergo dilectionem suam in eos quibus daturus erat indebitam vitam, pati pro eis voluit indebitam mortem (*Aug. l.* IV *cont. duas ep. Pelag.*, *c.* 4; *can.* 2 *conc. Araus.* II).

CCCXVII [*Alias* CCCXV]. [i] *Quod gratia non sit ex natura.*

Sicut eis qui volentes in lege justificari, a gratia exciderunt, verissime dicit Apostolus, *Si ex lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est* (*Gal.* II, 21): sic eis qui gratiam, quam commendat et percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur, Si per naturam justitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Jam hic enim erat lex, et non justificabat: jam hic erat et natura, et non justificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est: ut et lex per illum impleretur, qui dixit, *Non veni solvere legem, sed implere* (*Matth.* V, 17); et natura per Adam perdita, per illum repararetur qui dixit, venisse se quærere et salvare quod perierat (*Aug. lib. de Gratia et Lib. Arb. c.* 13; *et can.* 21 *conc. Araus.* II).

CCCXVIII [*Alias* CCCXVI]. [j] *De misericordia et judicio.*

Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, [k] quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Sed cum voluntas credendi aliis [l] præparetur, aliis non præparetur a Domino, discernendum est quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio. *Universæ* enim *viæ Domini misericordia et veritas.* (*Psal.* XXIV, 10). *Investigabiles* [m] autem *sunt viæ ipsius* (*Rom.* XI, 33). [n] Investigabiles igitur sunt, misericordia, qua gratis liberat, et veritas qua juste judicat (*Aug. l.* I *de Prædest. Sanctor. c.* 5 *et* 6).

CCCXIX [*Alias* CCCXVII]. [o] *De erigendis lapsis.*

Nemo erigit [p] quemquam ad id in quo ipse est, nisi aliquantum ad id in quo est ille descendat (*Aug. epist.* 11, *ad Nebridium*, *n.* 4).

CCCXX [*Alias* CCCXVIII]. *De contemnenda mundi gloria.*

Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit. Quia [q] si cuiquam facile est laudem non cupere, dum negatur; difficile est ea non delectari, cum offertur (*Aug. ep.* 22, *ad Aurel.*, *n.* 8).

[a] Ms. Remig., *in utrumque.*
[b] Ms. Jol., *Quod plus sit agi quam regi.*
[c] Sic ms. Jol. Cæteri, *De resurrectione.*
[d] Ms. Joliensis. *De bonis quæ facit Deus in homine.*
[e] Colon. vet. editio, *quam Paulus qui nondum habebat.*
[f] Ms. Remig., *fecit meritum . . . . fit præmium.*
[g] Ita ms. Jol. Cæteri, *De mortalitate Christi secundum carnem.*
[h] Hæc vox *bonis* aberat a Lovan., Duac. et Colon. recent. Restituitur auctoritate mss. Remig. et Jol., ac edit. Colon. vet. et Lugd., conformiter textui Augustini.

[i] Sic ms. Jol. Alii, *De natura et gratia.*
[j] Ms. Jol., *De fide.*
[k] Ms. Remig. et Jol. et Colon. vet., *sicut habere charitatem.* Idem Remig. codex, *gratia est fidelium.*
[l] Ms. Jol., *præparatur . . . præparatur.*
[m] Ms. Remig., *investigabiles enim.*
[n] Ms. Remig. et Colon. vet., *Investigabilis*: eadem Colon. edit. *quæ gratis liberat, et veritas quæ.*
[o] Sic ms. Jol. Alii, *De auxiliando.*
[p] Ms. Jol. post Augustini epistolam citatam hic in margine, *quemquam.* Prosperi codices alii *quidquam.*
[q] Edit. vet. Colon. cum August. epist. citata, *Si quiquam.* Alii codices nostri, *etsi cuiquam.*

Digitized by Google

**CCCXXI** [*Alias* CCCXIX]. [a] *De temporalibus bonis relinquendis.*

A

Omnes mundi opes contemnit qui non solum **592** quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere contemnit. In quo cavendum est ne surrepat elatio. Utilius enim terrena opulentia humiliter tenetur, quam superbe relinquitur (*Aug. ep.* 31, *ad Paulinum, n.* 5).

**CCCXXII** [*Alias* CCCXX]. *De cohibenda ira.*

Nulli irascenti ira sua videtur injusta. Unde ab omni indignatione cito redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facile in ejus odium transit cui non celeriter ignoscitur (*Aug. ep.* 38, *ad Profuturum n.* 2).

**CCCXXIII** [*Alias* CCCXXI]. *De lege et gratia.*

Qui dedit legem, ipse dedit et gratiam : sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit : ut quia lex [b] ostendit peccata, non tollit; volentes legem suis viribus exsequi, nec valentes, cogantur ad gratiam, quæ et impossibilitatis morbum, et inobedientiæ aufert reatum (*Aug. tract.* 3 *in Joan. Evang. num.* 2).

**CCCXXIV** [*Alias* CCCXXII]. *De sabbato.*

Verum sabbatum Christianus observat, abstinens [c] se ab opere servili, id est, a peccato : quoniam *qui facit peccatum* (*Joan.* VIII, 34), *servus est peccati* (*Aug. ibid., n.* 19).

**CCCXXV** [*Alias* CCCXXIII]. [d] *De his quæ hominum propria sunt.*

Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo; ut ex eo quasi quibusdam guttis irrorati, non deficiamus in via (*Aug. tract.* 5 *in Joan. n.* 1; *can.* 22 *conc. Araus.* II).

**CCCXXVI** [*Alias* CCCXXIV]. [e] *De inseparabili opere Patris et Filii.*

Quod Pater cum Christo facit, Christus facit : et quod Christus cum Patre facit, Pater facit : [f] nec seorsum aliquid agit inseparabilis charitas, majestas, potestas : sicut ipse Dominus dicit (*Joan.* x, 30), *Ego et Pater unum sumus* (*Aug. ibid.*).

**CCCXXVII** [*Alias* CCCXXV]. [g] *Cui prosit baptismi sacramentum.*

Regenerationis gratiam ita etiam hi non minuunt qui ejus dona non servant, sicut lucis nitorem loca immunda non polluunt. Qui ergo gaudes baptismi perceptione, vive in novi hominis sanctitate; [h] et tenens fidem quæ per dilectionem operatur, [i] habe bonum quod nondum habes, ut prosit tibi bonum quod habes (*Aug. tract.* 6 *in Joan., n.* 16).

**CCCXXVIII** [*Alias* CCCXXVI]. [j] *Quomodo Christus sit veritas.*

**593** Sic est veritas Christus, ut [k] totum verum accipiatur in Christo : verum Verbum Dei, Deus æqualis Patri; vera anima, vera caro, verus homo, verus Deus, vera nativitas, vera passio, vera mors,

B

vera resurrectio. Si aliquid horum dixeris falsum, intrat putredo, de veneno serpentis nascuntur vermes mendaciorum, et nihil integrum remanebit; quia ubi fuerit [l] falsi alicujus corruptio, ibi veritatis integritas non erit (*Aug. tract.* 8 *in Joan., n.* 5).

**CCCXXIX** [*Alias* CCCXXVII]. *De charitate.*

[m] Quanta est charitas, quæ si desit, frustra habentur cætera; si adsit, [n] habentur omnia (*Aug. tract.* 9 *in Joan., n.* 8).

**CCCXXX** [*Alias* CCCXVIII]. *Quomodo Christus reliquerit Patrem et matrem.*

Reliquit Christus Patrem : quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est* [o] *esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II, 6). [p] Hoc est enim, reliquit Patrem, non

C

quia deseruit, et recessit a Patre; sed quia non in ea forma apparuit hominibus in qua æqualis est Patri. Reliquit autem matrem, relinquendo synagogam Judæorum, de qua secundum carnem natus est; et inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregavit.

**CCCXXXI** [*Alias* CCCXXIX. [q] *De comparatione primi Adam et secundi.*

[r] Dormit Adam, ut fiat Eva : moritur Christus, ut fiat Ecclesia. [s] Dormienti Adæ, fit Eva de latere : mortuo Christo, lancea [t] percutitur latus, ut profluant sacramenta, [u] quibus formetur Ecclesia. Unde merito Apostolus ipsum Adam dicit formam futuri (*Rom.* v, 14). Quia *sicut omnes in Adam moriuntur*

[a] Ms. Joliensis, *De contemptu mundi.*

[b] Ms. Jol., *ostendit peccatum;* et statim ms. Remig., *non tulit.*

[c] Colon. vet. editio juxta locum August. addit, *se*, quo carent alii codices nostri.

[d] Ms. Joliensis, *A nobis peccatum, a Deo habere justitiam.*

[e] Ms. Jol., *De operatione Patris et Filii.*

[f] Editio Colon. vet. hic inserit, *nec seorsum facit:* omittitque postea, *majestas, potestas*, quæ sunt aliorum librorum et Augustini.

[g] Ms. Joliensis, *De regenerationis gratia.*

[h] Ms. Remigianus, *Ne fidem quæ per dilectionem operatur male vivendo amittas, habe.* Ms. Jol. post, *sanctitate*, omissa particula *et, tenens.*, etc.

[i] Duac. et Colon. cum recentioribus in margine indicant *ave.*

[j] Ita ms. Jol., cæteri, *De veritate.*

D

[k] Ms. Remig., *totum vere.*

[l] Ms. Remigianus, *falsi hujus.*

[m] Colon. vet. edit., *Tanta est charitas.*

[n] Hic Augustinus dicit, *recte habentur omnia.* Quæ vox *recte* in mss. Augustini omittitur.

[o] Ita ms. Joliensis cum Augustino hic loci. Reliqui nostri codices, *esse se æqualem.*

[p] Mss. Remig. et Joliensis, *Hoc est enim, relinquere.* Idem Jol., *aut recessit.*

[q] Ms. Jol., *Sicut de Adam Eva, ita de latere Christi fit Ecclesia.*

[r] Ms. Joliensis, *Dormivit Adam.*

[s] Ita mss. Remig. et Jol. cum loco August. in Joan. Evang. Alii omnes etiam append. t. X, *Dormiente Adam.*

[t] Ms. Jol., ut in loco Aug. citato, *percutitur.* Cæteri, *perforatur.*

[u] Ms. Jol., *quibus fiat Ecclesia.*

Digitized by Google

(I *Cor.* xv, 22), *ita et in Christo omnes* [a] *vivificabuntur* (*Aug. ibid.*, n. 10).

CCCXXXII [*Alias* CCCXXX]. [b] *De Incarnatione Verbi.*

Deus homo factus est: quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo (*Aug. tract.* 10 *in Joan.*, n. 1)?

CCCXXXIII [*Alias* CCCXXXI]. *De duabus nativitatibus hominum.*

Una est nativitas de terra, alia de cœlo; una est de carne, alia de Spiritu; una est de æternitate, alia de mortalitate; una est de masculo et femina, alia de Deo et Ecclesia. Sed ipsæ duæ singulares sunt. Quomodo enim **594** uterus non potest repeti, sic nec baptismus iterari (*Aug. tract.* 11 *in Joan.*, n. 6).

CCCXXXIV [*Alias* CCCXXXII]. *De diversitate bonorum* [c] *in Deo.*

[d] Si visibilia attendas, nec panis est Deus, nec aqua est Deus, nec lux ista est Deus, nec vestis est Deus, nec domus [e] est Deus: omnia enim hæc visibilia sunt, et singula sunt. Quod enim est panis, non hoc est aqua; et quod est vestis, non hoc est domus; et quod sunt ista, non hoc est Deus; visibilia enim sunt, Deus autem totum tibi est, quod recte desideras: et omnium bonorum varietas uno fonte [f] profunditur. Quoniam cum sua tribuit, se ipsum sub diversis munerum suorum nominibus impertit (*Aug. tract.* 13 *in Joan.*, n. 5).

CCCXXXV [*Alias* CCCXXXIII]. [g] *De anima et intellectu.*

Anima carnalia appetens feminæ comparatur non habenti rectorem virum, qui est intellectus, cujus eam oportet sapientia gubernari: non quasi aliud sit quam anima; sed quia obtutus quidam [h] occultus sit animæ. Sicut enim exteriores oculi [i] quiddam sunt carnis, ita mens quiddam est [j] animæ, quod in ea secundum participationem divinæ rationis excellit. Et tunc omnibus [k] motibus suis bene præsidet, cum superna luce radiatur, ut sit in ea *lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Aug. tract.* 15 *in Joan.*, n. 19).

A CCCXXXVI [*Alias* CCCXXXIV]. [l] *De loco orationis.*

[m] Qui supplicaturus Deo locum aptum et sanctum requiris, interiora tua munda, et omni inde mala cupiditate depulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora; et ita age semper, ut Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat (*Aug. ibid.*, n. 25).

CCCXXXVII [*Alias* CCCXXXV]. [n] *De sensibus corporis, et judicio animi.*

Sensus corporis corporalia nuntiant cordi. [o] Et non omnium facultas eadem: quia non inde videtur, unde auditur; nec unde sapor, inde et odor capitur: nec hi ministri, sine tactu ad lævia et aspera, calida et frigida, humida et sicca, discernenda, sufficiunt. Incorporea vero animus suo tantum sensu
B dijudicat, et omnes varietates uno motu attingit: **595** et quidquid [p] discretionis inter bona et mala, justa et injusta rationabiliter invenit, [q] unius est intentionis effectus: ut ibi imago Dei appareat, ubi unum idemque est, [r] quo mens potest quantum potest (*Aug. tract.* 18 *in Joan.*, n. 9 *et* 10).

CCCXXXVIII [*Alias* CCCXXXVI]. [s] *De vita Filii Dei.*

[t] Dei Filius dicitur vitam habere in semetipso, sicut habet Pater, non participando adeptus, sed nascendo. Vitam enim genuit Pater vita: nec differt in aliquo essentia gignentis et geniti; cum sic ex Patre sit Filius, [u] ut consempiternæ æqualitatis, non una quidem persona, sed una sit Deitas (*Aug. tract.* 19 *in Joan.*, n. 12 *et* 13).

C CCCXXXIX [*Alias* CCCXXXVII]. [v] *Quare Filius, et non Pater, dicitur judicaturus.*

Quamvis numquam recedat a Filio Pater, ad judicandos tamen vivos et mortuos, non ipse dicitur, sed Filius affuturus: quia ibi nec Patris, nec Filii Deitas, sed illa forma videbitur Filii quam sibi per sacramentum incarnationis univit. Ipsa ergo erit judex, quæ sub judice stetit: ipsa judicabit, quæ judicata est; ut videant impii ejus gloriam, in cujus mansuetudinem [x] sævierunt. Talis ergo apparebit judex, qualis videri possit, et ab eis quos coronaturus est, et ab eis quos damnaturus est. Pater autem non apparebit; quia forma servi non est indutus:

[a] Ms. Remig., *vivificantur.*
[b] Ms. Jol., *Quid fiet homo, pro quo Deus factus est homo.*
[c] Ms. Jol., *Quod Deus sit invisibilis.* Quod parum accedit ad sensum sententiæ, cui, *in Deo* addimus majoris perspicuitatis gratia.
[d] Edit. Colon. vet., *in visibilia attendas.*
[e] Editi omnes, *domus ista.* Mss. Remig. et Jol. non habent pronomen *ista,* nec locus August. in Joan. Evang.
[f] Ms. Remig., *profluit.* Edit. Colon. vet. *perfunditur.*
[g] Ms. Jol., *De anima carnalia appetente.*
[h] Mss. Remig. et Jol., *oculusque sit animæ.*
[i] Ms. Remig., *quidam sunt carni.*
[j] Ms. Jol., *animæ, quod in ea.* Reliqui, *animi, quod in eo.*
[k] Edit. Colon. vet., *motibus ejus.*
[l] Ms. Joliensis, *Quod in nobis sit orandum.*
[m] Colon. vet. edit., *Quid supplicaturus, . . . re-*
D *quiris.*
[n] Ita Ms. Jol. Cæteri, *De homine interiore.*
[o] Mss. Remig. et Joliensis, *et non omnibus una facultas est.* Editi, *et non omnium facultas eadem.*
[p] Ms. Remigianus, *discretionum.*
[q] Sic ms. Jol. Alii, *unus est intentionis affectus.* Ms. vero Remig., *unius est intentionis ei effectus.*
[r] Ita Mss. Remig. et Jol.; cæteri, *quod mens potest.*
[s] Ms. Joliensis, *Quomodo Filius dicitur habere vitam in semetipso.*
[t] Sic ms. Jol. et edit. Colon. vet. Alii vero, *Dei Filius Deus habere vitam in semetipso, sicut Pater habet, non participando adeptus est, sed nascendo.*
[u] Colon. vet. edit., *ut consempiterna, non una quidem persona, sed una sit Deitas.*
[v] Sic ms. Jol.; cæteri, *De judicio.*
[x] Ms. Jol., *in cujus mansuetudinem sævierunt.* Remig., *in cujus mansuetudine sævierunt.* Alii in textu, *fremuerunt;* in margine, *sævierunt.*

Digitized by Google

sed Filio, [a] qui etiam homo factus est, dedit judicii potestatem (*Aug. ibid., n.* 16).

CCCXL [*Alias* CCCXXXVIII, *ante* CCCXXXVI]. [b] *Quomodo voluntatem Dei et nostram faciamus.*

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati: quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, a quo et præparatur et jubetur quod volunt (*Aug. ibid., n.* 19: *can.* 25 *conc. Araus.* n).

CCCXLI [*Alias* CCCXXXIX, *ante* CCCXXXVII]. [c] *De doctrina Patris per Verbum.*

Si illum docet Pater, qui audit verbum ejus: quære [d] quid sit Christus, et invenies Verbum ejus, *In principio erat Verbum;* non autem, In principio Deus fecit Verbum: sicut, *In principio Deus fecit cœlum et terram.* Verbum enim Dei Deus est, non creatura: **596** nec factum inter omnia, sed per quod facta sunt omnia. Ut ergo ad talis verbi doctrinam homo in carne constitutus possit accedere; *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Aug. tract.* 26 *in Joan., n.* 8).

CCCXLII [*Alias* CCCXL, *ante* CCCXXXVIII]. [e] *De carne Christi.*

Caro Christi fidelium vita est, si corpus ipsius esse non negligant. Fiant ergo corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi; de quo non vivit, nisi corpus Christi (*Aug. ibid., n.* 13).

CCCXLIII [*Alias* CCCXLI, *ante* CCCXXXIX]. [f] *Qui edunt corpus Christi.*

Escam vitæ accipit, [g] et æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, et cujus Christus habitator est. Nam qui discordat a Christo, [h] nec carnem ejus manducat, nec sanguinem bibit: etiam si tantæ rei sacramentum ad judicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat (*Aug. ibid., n.* 18).

CCCXLIV [*Alias* CCCXLII, *ante* CCCXL]. [i] *De malorum felicitate.*

Vellet mundana sapientia, ut numquam permitteret Deus eos qui mali sunt esse felices, [j] quod utique non sinet; sed ideo mali cum habent quod volunt, felices putantur, quia quid sit felicitas [k] ignorant (*Aug. tract.* 28 *in Joan., n.* 7).

CCCXLV [*Alias* CCCXLIII, *ante* CCCXLI]. *De mutatione cordis.*

[l] Aliud est migrare corpore, aliud corde. Migrat corpore, qui motu corporis mutat locum; migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, aliud amabas; non ibi es ubi eras (*Aug. tract.* 32 *in Joan., n.* 21).

CCCXLVI [*Alias* CCCXLIV, *ante* CCCXLII]. [m] *De chrismate.*

Christi nomen a chrismate est, id est, ab unctione. Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat se non solum sacerdotalis et regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem (*Aug. tract.* 33 *in Joan., n.* 3).

CCCXLVII [*Alias* CCCXLV, *ante* CCCXLIII]. [n] *De lumine.*

Sequamur Christum lumen verum, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ autem metuendæ sunt morum, non oculorum: et si oculorum, non exteriorum, sed [o] interiorum, unde discernitur non album et nigrum, sed justum et injustum (*Aug. tract.* 35 *in Joan., n.* 1).

CCCXLVIII [*Alias* CCCXLVI, *ante* CCCXLIV]. [p] *Quod verus Deus et verus homo sit Christus.*

**597** Catholica fides Dominum Jesum Christum et verum Deum et verum hominem credit, et prædicat. Utrumque enim scriptum est, et utrumque verum est. Qui Deum tantummodo asserit Christum, [q] medicinam negat, qua sanatus est. Qui hominem tantummodo asserit Christum, potentiam negat, qua creatus est. Utrumque ergo anima fidelis ac recta suscipe: et Deus Christus est, et homo Christus est. Qualis Deus Christus? Æqualis Patri, unum cum Patre. Qualis homo Christus? Virginis filius, trahens de homine mortalitatem, non trahens iniquitatem (*Aug. tract.* 38 *in Joan., n.* 2).

CCCXLIX, [*Alias* CCCXLVII, *ante* CCCXLV]. *De missione* [r] *Verbi.*

[s] Missus est Dominus Christus a Patre, non recessit a Patre. Missio ejus incarnatio fuit et invisibili Deitati hoc fuit in hunc mundum venire, quod apparere. Quod si cito caperetur, non opus erat ut cre-

[a] Ms. Remig., *quia etiam homo factus est, ei dedit.*
[b] Ita ms. Jol. Alii, *De voluntate Dei*, ut Colon. vet.; vel, *de voluntate Dei et hominis*, ut reliqui.
[c] Ms. Joliensis, *De Verbo Dei.*
[d] Ms. Remig., *Verbum ejus, quod est Christus, inveniet Verbum ejus*, cæteris omissis.
[e] Sic ms. Jol. Alii, *De corpore Christi.*
[f] Ms. Jol., *Qui accipiant et qui non accipiant corpus Christi.*
[g] Colon. vet. edit., *et poculum vitæ accipit.*
[h] Ms. Jol., *Nec carnem Christi manducat.*
[i] Ms. Jol., *De falsa felicitate malorum.*
[j] Ms. Remig., *quod utique Deus non sinet.* Alii, omissa voce *Deus*, *non sinet.* Ms. Joliensis, *non sinit;* nec male, cum dicat Augustinus, *numquam hoc permittit Deus.*
[k] Melius legeretur, *ignoratur* post Augustinum: quod in margine indicant editi Duac., Colon. et posteriores, si mss. Prosperi suffragarentur.

[l] Ms. Jol., *Aliud esse migrare corpore, aliud corde.*
[m] Ms. Jol., *Quod Christi nomen a chrismate sit.*
[n] Ms. Jol., *De tenebris interioribus.* Alii, *De lumine*, quibus adjecimus *vero.*
[o] Hæc duo verba, *sed interiorum*, supplemus auctoritate ms. Remigiano-Remensis etiam solius, quia in Augustini loco citato hic in margine leguntur, et sensui sententiæ sunt necessaria.
[p] Sic ms. Jol. Alii vero, *De incarnatione verbi.*
[q] Colon. vet. edit., *et potentiam negat qua creatus est, et medicinam negat qua creatus est..... est Deus Christus: est et homo Christus. Æqualis Deo Christus, æqualis Patri, unum cum Patre, æqualis homo Christus Virginis filius, trahens de homine mortalitatem, non autem iniquitatem.*
[r] Ms. Joliensis, *Filii.*
[s] Ms. Remig. et Colon. vet. edit., *Missus Dominus a Patre.* Eadem Colon. edit., *et invisibili deitate hæc* (f. *hoc*) *fuit in hunc mundum venire, quod appareret.*

Digitized by Google

deretur, [a] quia videretur. Credendo ergo capitur, A quod nisi credatur, numquam intelligitur (*Aug. tract.* 38 *in Joan. n.* 7).

CCCL [*Alias* CCCXLVIII, *ante* CCCXLVI]. [b] *De fide Patris et Filii.*

Ut recte credatur Pater et Filius, ipse Filius audiendus est, dicens, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Duobus enim verbis duæ simul hæreses detruncantur. Nam per id quod ait, *unum*, Arium perculit : per illud quod ait, *sumus*, Sabellium stravit : quia nec, *sumus*, de uno, nec, *unum* [c] diceret de diverso (*Aug. ibid.*, *n.* 9).

CCCLI [*Alias* CCCXLIX, *ante* CCCXLVII]. [d] *De Deo et homine Jesu Christo.*

[e] Utrumque oportet noverimus in Christo, et unde æqualis est Patri, et unde illo major est Pater. Illud B Verbum est, illud caro; illud Deus est, illud homo. Sed unus est Christus Deus et homo (*Aug. tract.* 37 *in Joan.*, *n.* 10).

CCCLII [*Alias* CCCL, *ante* CCCXLVIII]. [f] *De unitate divinæ Trinitatis.*

Multorum hominum multæ sine dubio animæ, et multa sunt corda : sed [g] si per fidem et dilectionem adhæreant Deo, fiunt omnes una anima, et cor unum. Si ergo *charitas Dei*, **598** quæ *diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5), tantam unitatem multarum animarum et multorum cordium facit; quanto magis certiusque in Patre et Filio et Spiritu sancto æterna et incommutabilis unitas manet, ubi indifferens Trinitas unus C Deus est, unum lumen, unumque principium (*Aug. tract.* 39 *in Joan.*, *n.* 5)!

CCCLIII [*Alias* CCCLI, *ante* CCCXLIX]. [h] *Quomodo docuit Pater Filium.*

Non sic docuit Pater Filium quasi indoctum genuerit, et scientiam contulerit nescienti : [i] sed intemporalis doctrina est intemporalis essentia; et hoc est a Patre doceri, quod est a Patre generari : quia simplici veritatis naturæ esse et nosse non est aliud atque aliud, [j] sed idipsum (*Aug. tract.* 40 *in Joan. n.* 5).

CCCLIV [*Alias* CCCLII, *ante* CCCL]. *De fide et veritate.*

Fides semper prævenit visionem. Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Fides ergo est, quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre (*Aug. ibid.*, *n.* 9).

CCCLV [*Alias* CCCLIII, *ante* CCCLI]. *De bono odore Christi.*

Bonus Christi odor est prædicatio veritatis, [k] quo odore vitam capit qui Evangelio bonis [l] moribus servit et congruit; mortem autem incurrit, cujus ab his quæ bene loquitur, vita dissentit. Quæ conditio etiam auditores obstringit, cum recta prædicatio ab aliis per incredulitatem auditur in mortem, ab aliis per fidem suscipitur in salutem (*Aug. tract.* 50 *in Joan.*, *n.* 8).

CCCLVI [*Alias* CCCLIV, *ante* CCCLII]. [m] *De facultate credendi.*

Fides Christi est, credere in eum qui justificat impium, credere in Mediatorem, sine quo nullus reconciliatur Deo; credere in Salvatorem, qui venit quærere et salvare quod perierat; credere in eum qui dixit, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). Sed hanc fidem non apprehendit, qui ignorans Dei justitiam, qua justificatur impius, suam vult constituere, [n] qua convincatur superbus. Talia enim sententes sua elatione obdurantur, et excæcantur : **599** quia negando Dei gratiam, non adjuvantur (*Aug. tract.* 53 *in Joan.*, *n.* 10).

CCCLVII [*Alias* CCCLV, *ante* CCCLIII] [o] *De vera dilectione.*

Charitatem habens, *quæ est de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*, diligit Deum et proximum sicut seipsum. Amator enim Dei, amator est sui : et non diligens Deum, non diligit proximum; quia non diligit seipsum. Pro hac autem dilectione patienter etiam mundi odia sunt toleranda; necesse est enim ut nos oderit, quos videt odisse [p] quod diligit (*Aug. tract.* 87 *in Joan.*, *n.* 1 *et* 2).

CCCLVIII [*Alias* CCCLVI, *ante* CCCLIV]. [q] *De bipartita mundi significatione.*

Duo hominum genera sub uno mundi nomine

[a] Hæc verba, *quia videretur*, addimus ex mss. Remigiano et Joliensi, et ex ipso textu Aug. in Joan. Evang. In aliis codicibus Prosperianis non habentur. Ms. Jol., *Credendo ergo capitur, quod nisi capitur* (forte *creditur*) *numquam intelligitur.*

[b] Ita ms. Jol.; cæteri, *De Patre et Filio.*

[c] Ms. Jol., *diceretur.* Ms. Remig., *dicere de diverso potest.* D

[d] Ms. Jol., *Unde æqualis sit Filius Patri, et unde minor.*

[e] Edit. Colon. vet., *Utrumque noverimus esse in Christo, et unum quo..... et unum quo illo major est Pater.*

[f] Ms. Joliensis, *Quomodo multi sint cor unum, et anima una, et de unitate Trinitatis.* Colon. vet. edit., *De unitate dilectionis.*

[g] Ita legimus in mss. Remig. et Jol. In editis, *sed ubi per dilectionem fidemque adhæreant Deo.* Colon. vet. edit. pergit, *una anima et unum cor fiunt*, et post aliquot lineas, *ut indifferens Trinitas unus Deus, et unum lumen et unum principium.*

[h] Sic ms. Jol. Alii, *De doctrina Patris ad Filium.*

[i] Antea editi, *sed temporalis doctrina est intemporalis essentia.* Colon., *intemporalis doctrinæ*, etc. Mutavimus ut in textu *intemporalis doctrina*, sic exhibente ms. Remigiano, Joliensi quoque scripturam præferente, *intemporalis doctrinæ est intemporalis essentia.* Ubi alludi omnino videtur ad hæc Augustini loco citato in margine. *Incorporaliter Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium.*

[j] Alii codices, *sed ipsum.* Ms. Remig., *sed id ipsum*, juxta id August., *sed hoc ipsum.*

[k] Ms. Jol., *quem odorem in vitam capit.*

[l] Mss. Jol. et Remig., *bonis moribus*, pro eo quod alii habebant, *bonis operibus*; prius tamen in margine indigitantes.

[m] Ms. Jol., *De fide Christi.*

[n] Edit. Colon. vet., *qua convincitur.* Ab eodem absunt hæc *Talia*, etc., ad finem sententiæ, quæ in August. et cæteris codicibus habentur.

[o] Ms. Joliensis, *de charitate.*

[p] Ms. Remigianus, *quos diligit.*

[q] Ms. Joliensis, *De duobus generibus hominum.*

Digitized by Google

nuncupantur. Sicut enim dicitur mundus in impiis, ita dicitur mundus in sanctis. Unde cum totus a semetipso et in odio et in amore discordet, nos eum et odisse jubemur, et amare, cum dicitur nobis, *Nolite diligere mundum* (I *Joan.* II, 15); et cum dicitur, *Diligite inimicos vestros* (*Matt.* v, 44), ut quorum exsecramur iniquitatem, optemus salutem (*Aug. ibid.*, *n.* 4).

CCCLIX [*Alias* CCCLVII, *ante* CCCLV]. [a] *De vitanda scientiæ gloria.*

Ad vitandam tentationem vanæ gloriæ, melior est [b] discentis conditio quam docentis. Tutius enim auditur veritas quam prædicatur. Quoniam cum doctrina recipitur, humilitas custoditur; cum autem disputatio placet, vix est ut disserentem non pulset quantulacumque jactantia (*Aug. tract.* 57 *in Joan.*, *n.* 2).

CCCLX [*Alias* CCCLVIII, *ante* CCCLVI]. [c] *De laude qua se prædicat Deus.*

Periculosum est homini sibi placere, cui cavendum est superbire. Deus autem quantumcumque se laudet, non se extollit excelsus, nec vult se sua videri majestate majorem. Sed cum homini loquitur potentiam suam, non hoc agit ut ipse gloriosior, sed ut ille melior fiat et doctior. Nobis enim prodest auctorem nostrum agnoscere, et ei qui est super omnia subjacere: [d] ne de quo non possumus comprehendere quid est, possimus sentire quod non est (*Aug. tract.* 58 *in Joan.*, *n.* 3).

CCCLXI [*Alias* CCCLIX, *ante* CCCLVII]. [e] *De remittendis peccatis.*

Christiana observantia ad perfectæ pietatis [f] profectum per mutuam maxime pervenit **600** indulgentiam peccatorum, dante nobis Domino suæ bonitatis exemplum. Nam si ille, in quo nullum omnino fuit peccatum, interpellat pro peccatis nostris, quanto magis nos invicem pro propriis orare debemus! Amplectenda quippe est homini, qui [g] non omni potest carere peccato, tam benigna conditio, ut dimittendo delicta aliena, diluat sua (*Aug. ibid.*, *n.* 5).

CCCLXII [*Alias* CCCLX, *ante* CCCLVIII]. [h] *De impletione desideriorum justorum.*

Justorum desideriorum [i] satietati tunc nihil deerit, quando Deus omnia in illis omnibus erit (I *Cor.* xv, 28). Ad quam beatitudinem hi perveniunt, qui huic sæculo ante separationem [j] animæ a carne moriuntur, nec in eis inveniuntur [k] cupiditatibus, quas sola superat dilectio Dei: [l] ut et id patiatur iniquitas, quod elegit; et eo bono fruatur justitia, quod amavit (*Aug. tract.* 65 *in Joan.*, *n.* 1).

CCCLXIII [*Alias* CCCLXI, *ante* CCCLIX]. *De confitendo homine Jesu Christo.*

Qui sic confitetur Christum Deum, ut eumdem hominem neget verum, habentem scilicet unitam sibi nostræ carnis animæque naturam, non est pro illo mortuus Christus, quia secundum hominem mortuus est Christus. Non reconciliatur per Mediatorem Deo. *Unus enim Deus*, [m] *et unus Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). Non justificatur per ipsum, quia *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius hominis justi constituentur multi* (*Rom.* v, 19). Non resurget [n] in resurrectionem vitæ, quia *per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes* [o] *vivificabuntur* (I *Cor.* xv, 21, 22). [p] Nec ullus se beati Petri defendat exemplo, qui se multis lacrymis et accusavit et lavit (*Matt.* xxvi, 75), ut principem suum Ecclesia non negationis, sed pœnitentiæ imitatione sequeretur (*Aug. tract.* 66 *in Joan.*, *n.* 2).

CCCLXIV [*Alias* CCCLXII, *ante* CCCLX]. *De æternitate.*

In quibusdam æternis potest aliqua esse distantia, ipsa autem æternitas absque diversitate mensuræ est. Multæ quippe mansiones, in una vita varias meritorum significant dignitates. Sed [q] ut Deus omnia in omnibus erit, fiet etiam in dispari claritate [r] par gaudium, **601** ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Quoniam per connexionem dilectionis, a gloria capitis nulla erit aliena pars corporis (*Aug. tract.* 67 *in Joan.*, *n.* 2).

CCCLXV [*Alias* CCCLXIII, *ante* CCCLXI]. *De fide.*

Fides eorum qui Deum visuri sunt, quod non vi-

[a] Ms. Joliensis, *De conditione discentis, et docentis.*

[b] Editio Colon. vetus, *discentis, quam docentis status.*

[c] Ms. Joliensis, *Quod non extollat se Deus laudando se.*

[d] Ms. Joliensis, *ut de quo non possumus cognoscere quod est, possimus*, etc. Ms. Remig., *ne de quo ..... quod est.* Editi plerique, *ne de quo ..... possumus sentire quod non est.* Duac. et Colon. cum recentioribus, *ne de quo ..... possimus sentire quod non est.*

[e] Ms. Jol., *De profectu pietatis per indulgentiam peccatorum.*

[f] Ms. Remig., *provectum.*

[g] Ms. Joliensis, *non omnino.*

[h] Ita ms. Joliensis. Alii, *De æternitate sanctorum.*

[i] ms. Remig. et Jol., *satietati;* ubi alii omnes, *societati.* Minus bene, cum respiciat verba hæc Augustini, *perducturus eos ad illum finem qui sufficiat eis, ubi satietur in bonis desiderium eorum.* Post aliquot verba, Duac. et Colon. recent., *omnis in illis omnibus.* Melius mss. Remig. et Jol., Col. vet., Lugd. et Lovan., *omnia.*

[j] Ms. Joliensis, *animæ a carne.* Alii omittunt præpositionem *a.*

[k] Ms. Remig., *cupiditates.* Ms. Jol., *invenientur cupiditatibus.*

[l] Edit. Colon. vet., *et ut ideo bono fruatur.*

[m] Sic mss. Remigianus et Jol. post Aug. loco citato. Editi Lovan. et posteriores, *et unus est.* Colon. vet., *Unus est enim Deus, et unus.*

[n] Sic cum August. mss. Remig. et Jol. Editi, *in resurrectione.*

[o] Mss. Remig., *vivificantur.*

[p] Editio Colon. vet., *Nullus se.*

[q] Mss. Joliensis et Remig., *ubi;* alii, *ut.*

[r] Emendamus ex editione Duac., sensu exigente, et Augustino scribente in loco quem intuetur S. Prosper, *propter unum denarium nullus separatur a regno.* Alii codices habent *per gaudium;* cui non convenit immediate antecedens, *in dispari claritate.*

Digitized by Google

det credit : nam si videt, non est fides. Credenti [a] colligitur meritum, videnti redditur præmium (*Aug. tract.* 68 *in Joan.*, *n.* 3).

CCCLXVI [*Alias* CCCLXIV, *ante* CCCLXII]. [b] *Quod propitius sit Deus non annuendo malorum votis.*

Male usurus eo quod [c] vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab eo petitur unde homo exauditus lædatur, magis metuendum est, ne quod [d] possit Deus non dare propitius, det iratus (*Aug. tract.* 73 *in Joan.*, *n.* 1).

CCCLXVII [*Alias* CCCLXV, *ante* CCCLXIII]. [e] *De duplici dilectione Christi erga diligentes se.*

*Qui diligit me*, inquit Dominus, *diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.* [f] Quid est, *diligam?* tamquam tunc dilecturus sit, et nunc non diligat? Absit. Quomodo enim nos Pater B sine Filio, aut Filius sine Patre diligeret? [g] Quomodo, cum inseparabiliter operentur, separabiliter diligunt? Sed ad hoc *diligam eum*, ad quod sequitur, *et manifestabo ei me ipsum; diligam, et manifestabo*, id est, ad hoc diligam, ut manifestem. Nunc enim ad hoc [h] dilexit, ut credamus, et [i] mandatum fidei teneamus : tunc ad hoc diliget, ut videamus, et ipsam visionem mercedem fidei capiamus. Quia et nos nunc diligimus credendo [j] quod videbimus; tunc autem diligemus videndo quod credidimus (*Aug. tract.* 75 *in Joan.*, *n.* 5).

CCCLXVIII [*Alias* CCCLXVI, *ante* CCCLXIV]. [k] *De vite et palmitibus vitis.*

Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. Sic quippe vitis est C in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc et manentem in se habere Christum, et manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam præciso **602** palmite, potest de viva radice alius pullulare : qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere (*Aug. tract.* 81 *in Joan.* *n.* 1; *can.* 24 *conc. Araus.* II).

A CCCLXIX [*Alias* CCCLXVII, *ante* CCCLXV]. [l] *De humanæ justitiæ modo.*

Divinitus dictum est, *Noli esse justus multum* (*Eccle.* VII, 17). [m] Quo notata non est justitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo fit nimis justus, ipso nimio fit injustus. Quis est autem qui se [n] nimis facit justum, nisi qui dicit se non habere peccatum (*Aug. tract.* 95 *in Joan.*, *n.* 2)?

CCCLXX [*Alias* CCCLXVIII, *ante* CCCLXVI]. [o] *Quod sola divina substantia vere sit simplex.*

Nullius, etiam incorporeæ creaturæ, vere simplex est substantia, cui non hoc est esse, quod nosse; potest enim [p] esse, nec nosse : at illa divina [q] non potest, quia idipsum est quod habet. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud illi sit scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrumque unum : quamvis non utrumque dicendum sit, quod verissime simplex et unum est. Habet enim Pater vitam in semetipso : nec aliud est ipse quam vita, quæ in illo est : et dedit Filio habere vitam in semetipso; hoc est, genuit Filium, qui et ipse [r] vita esset. Sic itaque debemus accipere quod de Spiritu sancto dictum est, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audierit, loquetur* (*Joan.* XVI, 13); ut intelligamus, non eum esse a semetipso. Pater quippe solus de alio non est. Nam et Filius de Patre natus est, et Spiritus sanctus de Patre [s] procedit : Pater autem nec natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sane aliqua disparilitas in summa illa Trinitate cogitationi occurrat humanæ : quia et Filius ei de quo natus est, et Spiritus sanctus ei de quo procedit, æqualis est (*Aug. tract.* 99 *in Joan.*, *n.* 4).

CCCLXXI [*Alias* CCCLXIX, *ante* CCCLXVII]. [t] *Quomodo* FUIT, *et* ERIT, *et* EST, *accipiantur in Deo.*

Quamvis natura incommutabilis non accipiat *fuit* et *erit*, sed tantum, *est* : ipsa enim veraciter est, quia aliter quam est, esse non potest : tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra

[a] Scripsimus *colligitur*, loco vocis *pollicetur*, quæ in antea editis legebatur, auctoritate mss. Remig. et Jol., et quia id quoque in margine indicarunt omnes editiones a Lugdunensi veteri ad ultimas, et in loco Augustini habetur.

[b] Ita ms. Jol. Alii, *De petitione contraria.*

[c] Ms. Remig., *acceperit.*

[d] Colon. vet. edit., *possit dare ut propitius.*

[e] Alias editi. *De dilectione*, quædam addenda duximus majoris perspicuitatis gratia. Ms. Jol. pro titulo habet, *Qui diligit diligetur a Patre meo*, etc.

[f] Ms. Remig. hic inserit verba ista, *Quid est diligam, et manifestabo me ipsum.*

[g] Sic ms. Jol. conformiter textui Augustini loco citato hic. Colon. vet. edit., *Quomodo inseparabiliter operantur, separabiliter diliguntur*, forte pro *diligunt?* Alii codices, *Cum inseparabiliter operentur, quomodo separabiliter diligunt?*

[h] Ms. Remig., *ad hoc diligit.* Alii omnes post Aug., *dilexit.*

[i] Ms. Remig., *mandata fidei.* Jol. ms., *mandatum fidei*, ut in August. Cæteri, *mandatum ejus* : qui tamen *mandatum fidei* in ora libri indigitant.

[j] Ms. Jol., *quod non videmus.* Alii ut in textu et August.

[k] Hactenus, *De palmitibus vitis.* Ms. Jol., *Quomodo sint in vite palmites.*

[l] Ms. Joliensis, *De eo quod scriptum est, Noli esse justus multum.*

[m] Sic ms. Remig. et edit. append. August. juxta eumdem in Joan. Evan. Ms. Jol., *Quod non est justi-* D *tia.* Cæteri codices, *Quoniam non est.*

[n] Vocem hanc *nimis* addimus ex ms. Remig. et Joliensi. Augustino dicente, *Multum enim se facit justum, qui dicit se non habere peccatum.*

[o] Ita ms. Jol. Reliqui, *De simplicitate.*

[p] Mss. Remig. et Jol., *et non nosse.*

[q] Sola editio Colon. vet. addit hic, *substantia*, quæ in aliis omnibus ex præcedentibus subintelligitur.

[r] Alii codices, *vita est.* Ms. Remig. post August. in Joan. Evang., *vita esset.*

[s] Ms. Remig. hic addit *et Filio*; et infra, *eis de quibus procedit.* Quæ cum nec in aliis codicibus, nec in ipso Aug. Tractatu legantur, videntur additamenta scribæ amanuensis. Maxime cum eodem quidem tractatu, sed post multa interposita, expresse instituat S. Doctor probare, quod Spiritus sanctus etiam a Filio procedit.

[t] Sic ms. Joliensis. Alii libri, *De intemporalitate deitatis.*

Digitized by Google

mortalitas et **603** nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, [a] et fuit, et erit, et est : fuit in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit quippe, quia [b] numquam defuit; erit, quia numquam deerit; est, quia semper est. Neque enim velut qui jam non sit, cum præteritis occidit; aut cum præsentibus, tamquam non maneat, labitur; aut cum futuris, tamquam non fuerit, orietur. Proinde cum secundum volumina temporum locutio humana variatur; qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit; et scire, et audire, hoc illi est, quod semper esse. Semper vero illi est esse, de Patre procedere. Nemo autem potest dicere quod non sit vita Spiritus sanctus, cum vita Pater, vita sit Filius. Ac per hoc sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, dedit et Filio habere vitam in semetipso : [c] sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut procedit et de ipso (*Aug. tract.* 99 *in Joan.*, *n.* 5 *et* 9).

CCCLXXII [*Alias* CCCLXX, *ante* CCCLXVIII].
[d] *Quod donum Dei sit diligere Deum.*

Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. [e] Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris et Filii, quem cum Patre amamus et Filio (*Aug. tract.* 102 *in Joan.*, *n.* 5; *can.* 25 *conc. Araus.* II).

CCCLXXIII [*Alias* CCCLXXI, *ante* CCCLXIX]. *De pace Christi.*

Pax Christi finem temporis non habet, et ipsa est omnis piæ intentionis actionisque perfectio. Propter hanc sacramentis ejus imbuimur : propter hanc mirabilibus ejus operibus et sermonibus erudimur : propter hanc [f] Spiritum ejus pignus accepimus; propter hanc in eum credimus et speramus, et amore ipsius, quantum donat, accendimur : propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax unitatem facit, quoniam (I Cor. VI, 17) : [g] *qui adhæ-*
A *ret Domino, unus spiritus est* (*Aug. tract.* 104 *in Joan.*, *n.* 1).

CCCLXXIV [*Alias* CCCLXXII, *ante* CCCLXX].
[h] *Omne tempus a Deo esse dispositum.*

**604** Omne tempus ab illo est dispositum, qui tempori subditus non est. Quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia habent [i] efficientes causas, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hora passionis Domini fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante. Non enim [j] siderea necessitas Christo intulit crucem; nec sidera coegerunt mori siderum conditorem : qui [k] intemporalis cum Patre, sic tempus quo carne moreretur, quemadmodum et quo de matre nasceretur, elegit (*Aug. ibid.*, *n.* 2).

B CCCLXXV (*Alias* CCCLXXIII, *ante* CCCLXXI]. [l] *De unitate Trinitatis.*

In eo quod dicitur, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3), ordo verborum est : [m] Ut te, et quem misisti Jesum Christum, cognoscant solum verum Deum. Consequenter enim intelligitur et Spiritus sanctus. Quia Spiritus est Patris et Filii, tamquam charitas substantialis et consubstantialis amborum. Quoniam non duo dii, Pater et Filius; nec tres dii, Pater et Filius et Spiritus sanctus; sed ipsa Trinitas unus solus verus Deus. Nec idem tamen Pater, qui Filius; nec idem Filius, qui Pater; nec idem Spiritus sanctus, qui Pater aut Filius : quoniam tres sunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus :
C sed ipsa Trinitas unus est Deus (*Aug. tract.* 105 *in Joan.*, *n.* 3).

CCCLXXVI [*Alias* CCCLXXIV, *ante* CCCLXXII].
[n] *Quod gignendo dedit Pater omnia Filio.*

Quidquid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit Filio Pater, sine quibus Filius esse non posset, sicut ei dedit ut esset. Nam quomodo Verbo verba daret aliqua, in quo ineffabiliter dixit omnia (*Aug. tract.* 106 *in Joan.*, *n.* 7)?

CCCLXXVII [*Alias* CCCLXXV, *ante* CCCLXXIII].
[o] *De custodia Dei circa nos.*

Custodiam circa nos Dei, non tam carnaliter de-

[a] Ms. Remig., *ut fuit, et erit, et est.* Ms. Jol., *et fuit, et erit, et est*, ut disponuntur verba in tract. Aug. Alii *et fuit, et est, et erit.* Ita post August. locum citatum hic ms. Joliensis. Ms. vero Remig. *in præteritis.* Alii autem, *in præterito.*

[b] Colon. vet. edit., *numquam desinit.* Ms. Joliensis, *numquam non fuit.*

[c] Ita mss. Remig. et Joliensis, juxta Augustini locum citatum. Codices alii Prosperiani, *sic Spiritui sancto dedit.*

[d] Ita ms. Joliensis. Alii, *De dilectione qua diligimus Deum.*

[e] Ms. Remig. cum Aug. tract. in Joan. et conc. Arausic. can. habet, *Diffundit.* Cæteri codices nostri, *Diffudit.*

[f] Ms. Remig., *Spiritum ejus pignus accipimus.* Ms. Jol., *Spiritum ejus pignus accepimus*, ut in tractatu August. in Joan, citato. Alii libri nostri, *Spiritus sancti pignus accepimus.*

[g] Ita habet ms. Remig. ut in utroque Apostoli textu. Alii codices nostri, *qui adhæret Deo.*

[h] Ita ms. Joliensis. Alii generalius, *De temporibus.*

[i] Pro voce *efficaces*, restituimus *efficientes*, quam habent mss. Remig. et Jol. ac locus August. in Joan. Evang.; immo et in margine notarunt omnes editiones post antiquam Lugdun., quæ in textu ferebant, *efficaces.*

[j] Colon. vet. edit., *Non enim causa necessitatis.*

[k] Quod Augustinus in Joan. Evang. exprimit his
D verbis, *cum Patre, de quo sine tempore natus est*; ms. Remig., *qui intemporalis cum Patre est, tempus quo in carne moreretur, et quod* (forte *quo*) *de matre nasceretur elegit.*

[l] Ms. Jol., *De ordine horum verborum : Ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.*

[m] Colon. vet. edit., *Ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum :* et in fine sententiæ, *sed ipsa Trinitas in his unus Deus.* Reliqui ut in textu et apud Augustinum.

[n] Ita ms. Jol. Cæteri, *Quid dedit Pater Filio.*

[o] Sic ms. Joliensis, Colon. vet. edit., *De custodia qua Deus servat suos.* Alii. *De custodia Dei, qua suos servat.*





Digitized by Google

bemus accipere, velut vicissim nos servent Pater et Filius, amborum in nobis [a] servandis alternante custodia, quasi alius, **605** alio discedente, succedat. Simul enim custodiunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui est unus verus [b] et beatus Deus. Sed Scriptura nos non levat, nisi descendat ad nos. Sicut Verbum caro factum descendit [c] ut levaret; non cecidit ut jaceret. Si descendentem cognovimus, cum levante surgamus : et intelligamus, cum ita loquitur, personas [d] eum distinguere, [e] non separare naturas.

CCCLXXVIII [*Alias* CCCLXXVI, *ante* CCCLXXIV].
*De gratia Dei, qua omne hominis meritum prævenitur.*

Si naturam cogitemus in qua creati sumus; [f] cum omnes Veritas creaverit, quis non est ex veritate? Sed non omnes sunt, quibus, ut audiant veritatem, et credant, ex ipsa Veritate præstatur, [g] nullis proculdubio præcedentibus meritis, ne gratia non sit gratia. Si enim dixisset, Omnis qui audit vocem meam ex veritate est: ideo dictus ex veritate [h] putaretur, quia obtemperat veritati. Non autem hoc ait; sed, *Omnis*, inquit, *qui est ex veritate*, [i] *audit vocem meam* (*Joan.* XVIII, 37). Ac per hoc, non ideo est ex veritate, quia ejus audit vocem; sed ideo audit, quia ex veritate est, id est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est. Quod quid est aliud quam: donante Christo, credit in Christum (*Aug. tract.* 115 *in Joan.*, *n.* 4)?

CCCLXXIX [*Alias* CCCLXXVII, *ante* CCCLXXV].
*De amore quo Deum amare debemus.*

Quisquis se ipsum, non Deum amat, non se amat: et quisquis Deum, non se ipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se; [j] non ergo se amat, qui ne vivat se amat. Cum vero [k] ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat de quo vivit (*Aug. tract.* 123 *in Joan.*, *n.* 4).

CCCLXXX [*Alias* CCCLXXVIII, *ante* CCCLXXVI].
[l] *De indiviso Patris et Filii opere.*

Quidquid illud est quod oportet Patrem agere ad Filium, non fit nisi per eumdem Filium: ad ipsum scilicet, quia filius hominis est, et factus est inter omnia; per ipsum autem, quia Filius Dei est, et per illum fiunt a Patre omnia (*Aug. lib* I *de Trinit. cap.* 7, *et lib.* VII *contra serm. Arian. c.* 11, *n.* 9).

CCCLXXXI [*Alias* CCCLXXIX, *ante* CCCLXXVII].
[m] *Quomodo Filius subjectus erit Patri.*

**606** Non est mirum dicere Apostolum, etiam in futuro sæculo Patri Filium subjectum futurum, ubi ait, *Tunc et ipse subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia* (I *Cor.* XV, 28). Quando quidem in Filio forma humana mansura est, qua semper major est Pater. Quamvis non defuerint, qui illam tunc Filii subjectionem ipsius humanæ formæ in divinam substantiam commutationem intelligendam putarunt, tamquam hoc cuique rei subjiciatur, quod in eam vertitur et mutatur. Sed intelligi potest, ideo magis dixisse Apostolum, etiam tunc Patri Filium subjectum futurum, ne quis in eo putaret spiritum et corpus humanum conversione aliqua consumendum: *ut sit Deus omnia*, non tantum [n] in illius forma hominis, sed *in omnibus* (*Ibid.*), quando capitis gloria universum corpus implebit (*Aug. l.* I *de Trin. c.* 8, *lib. cont. serm. Arian. c.* 27, *et lib.* II *cont. Maxim. Arian. c.* 18).

CCCLXXXII [*Alias* CCCLXXX, *ante* CCCLXXVIII].
[o] *Quod omnia bona ex Deo.*

Quantacumque bona, quamvis magna, quamvis minima, nisi ex Deo esse non possunt. Quid enim majus in creaturis quam vita intelligens? aut quid minus potest esse quam corpus? Quæ quantumlibet deficiant, et in id tendant ut non sint; tamen aliquid [p] formæ illis remanet, ut quoquo modo sint. Quidquid autem formæ [q] cujuspiam rei deficienti remanet, ex illa forma est quæ nescit deficere, motusque ipsos rerum deficientium vel proficientium excedere numerorum suorum leges [r] non sinit. Quidquid igitur laudabile advertitur in rerum natura, sive exigua, sive ampla [s] laude dignum judicetur, ad excellentissimam et ineffabilem laudem referendum est [t] Conditoris (*Aug. lib.* II *de Lib. Arb. c.* 17).

CCCLXXXIII [*Alias* CCCLXXXI, *ante* CCCLXXIX].
[u] *Quod præscientia Dei neminem peccare compellat.*

Neminem Deus ad peccandum cogit: prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet justus quæ fieri non cogit præscius?

[a] Mss. Remig. et Jol., *servandis*, ut Aug. *custodiendis*. Alii, *servandi*.

[b] Mss. Remig. et Jol. post Aug. in Joan. Evang. addunt *et beatus*, quod alii omiserant.

[c] Mss. Remig. et Jol., *ut levaret*, ut apud August.; alii, *ut relevaret*. Colon. vet. editio, *ut nos relevaret*.

[d] Ms. Joliensis, cum Aug. tract. in Joan., *eum*. Alii, *eam*.

[e] Ms. Joliensis, *non separare naturam*.

[f] Ms. Joliensis, *De eo quod Dominus ait, Qui est ex veritate audit vocem meam*.

[g] Colon. vet. edit., *Nullus proculdubio præcedentibus meritis salvatur*. Ms. Remig., *Ne ullis proculdubio præcedentibus meritis, gratia non sit gratia*.

[h] In ms. Remig., pro *putaretur*, scribitur *est*.

[i] Ms. Remig., *audiet*.

[j] Ms. Remig. hic addit, *non ergo se amat, qui ne vivat se amat*, quæ leguntur in Augustini oper. in Joan. Evang. hoc loco; absunt vero ab aliis codicibus nostris.

[k] Ms. Remig., *illo diligitur*.

[l] Ms. Joliensis, *Quod ad Filium per Filium agat Pater*.

[m] Sic ms. Jol., qui addit etiam, *quod ait Apostolus*. Alii, *De subjectione Filii*.

[n] Ms. Jol., *in illa forma hominis*.

[o] Ita ms. Jol. Alii vero, *Nihil in quibuscumque creaturis a Creatore inordinatum relinqui*.

[p] Codices nostri communiter, *formæ illius*. Ms. Remig. et Editio append. tom. X Aug., *formæ illis*, juxta id quod legitur in libro citato in margine.

[q] Ita ms. Alii, *cujuspiam rei deficientis*. Apud. Aug. hic, *cuipiam rei deficienti*.

[r] Mss. Remig., *non sinet*.

[s] Ita ms. Jol. post August. loco hic notato. Alii, *quod laude dignum*. Præpositione non nihil perturbabatur sensus loci.

[t] Ms. Remigianus, *Creatoris*.

[u] Ms. Jol., *Quod Deus neminem cogat ad peccandum, licet prævideat peccaturum*.

Digitized by Google

Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ fecit meminit, nec tamen omnia quæ meminit 607 [a] facit; ita Deus omnia quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor, justus est ultor (*Aug. lib.* III *de Lib. Arb. c.* 4).

CCCLXXXIV [*Alias* CCCLXXXII, *ante* CCCLXXX].
*De cognoscendis creaturis quæ non videntur.*

Humana anima naturaliter divinis ex quibus pendet connexa rationibus, cum dicit, [b] Melius fieret hoc quam illud, si verum dicit, et videt, quod dicit, in illis supernis rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse quod recto intellectu ab eo faciendum fuisse [c] cognovit; etiam si hoc in rebus factis non videt. Quia etiam si cœlum oculis videre non posset, et tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit [d] factum fuisse, quamvis id oculis non viderit. Non enim cogitatione cerneret faciendum fuisse, [e] nisi in his rationibus quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest vera cogitatione videre, [f] quam non est (*Aug. ibid., c.* 5).

CCCLXXXV [*Alias* CCCLXXXIII, *ante* CCCLXXXI].
[g] *Quo remedio vulnera humana curentur.*

Quid tam dignum misericordia quam miser, et quid tam indignum misericordia quam [h] superbus miser? [i] Ex quo factum est ut illud Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, et quo fruitur omnis angelica beatitudo, usque ad miseriam nostram porrigeret clementiam suam, et Verbum caro fieret, et habitaret in nobis. [j] Sic enim posset panem angelorum homo manducare nondum angelis adæquatus, si panis ipse angelorum hominibus dignaretur æquari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret; sed simul integer illis, integer nobis; illos intrinsecus pascens per id quod Deus est, [k] nos forinsecus admonens per id quod nos sumus, [l] idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualiter (*Aug. ibid., c.* 10).

CCCLXXXVI [*Alias* CCCLXXXIV, *ante* CCCLXXXII].
[m] *Quod omne vitium est contra naturam.*

Dubium non est, contra naturam esse omne 608 vitium, etiam ejus rei cujus est vitium. Quapropter quoniam in quacumque re non vituperatur nisi vitium, ideo autem vitium est, quia [n] contra naturam ejus rei est cujus est vitium, nullius rei recte vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur. Non enim in vitio displicet, nisi quod corrumpit quod in natura placet (*Aug. Ibid.*).

CCCLXXXVII [*Alias* CCCLXXXV *ante* CCCLXXXIII].
[o] *De pœna peccati.*

[p] Omni peccanti animæ duo sunt pœnalia, ignorantia et difficultas. Ex ignorantia [q] depravat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et, resistente repugnatione [r] carnalis vinculi, non posse ab illicitis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati (*Aug. ibid., c.* 18).

CCCLXXXVIII [*Al.* CCCLXXXVI, *ante* CCCLXXXIV].
[s] *De varietate remediorum.*

Ut ars medicinæ, cum eadem maneat, neque ullo modo ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo; ita divina providentia, cum sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ varie subvenit, et, pro diversitate morborum, [t] aliis alia jubet aut vetat: ut a vitio, unde mors incipit, et ab ipsa morte ad naturam suam et essentiam, ea quæ deficiunt, id est, ad nihilum tendunt, reducat et firmet (*Aug. lib. de Vera Rel. c.* 17).

CCCLXXXIX [*Alias* CCCLXXXVII, *ante* CCCLXXXV].
[u] *De primo vitio animæ.*

Primum animæ rationalis vitium est voluntas ea faciendi quæ vetat summa et intima veritas. Ita homo de paradiso in hoc sæculum expulsus est, id est, ab

[a] Apud Augustinum hic, *fecit.* Omnes nostri codices, *facit.*

[b] Ita mss. Remig. et Jol. cum edit. append. t. X August. In aliis nostris codicibus, *Melius fieri hoc;* prioribus concinit locus August. in libro ipso de Lib. Arbitrio.

[c] Ita ms. Remig. et Jol. et liber Aug. de Lib. Arb. Alii codices nostri, *cognoscit.*

[d] Ita mss. Remig. et Jol., juxta textum libri de Lib. Arbitr. Cæteri codices Prosperiani, *factum fuisse.*

[e] Sic mss. Remig. et Jol., conformiter libro Augustini citato. Alii autem, *nisi his rationibus in quibus.*

[f] Ms. Joliensis, *quam nosse.* Apud August. lib. de Libero Arb., *quam non est verum.*

[g] Ms. Joliensis, *Qui digni, et qui indigni misericordia.*

[h] Ms. Remigianus, *quam superbi miseri.*

[i] Ms. Remig., *Ex eo factum est...... pro quo facta sunt omnia.*

[j] Ms. Remig., *Nec enim posset;* Joliensis, *Non enim posset..... nisi panis,* etc.

[k] Editiones Duac., Colon. et posteriores, *non forinsecus admonens.*

[l] Ms. Joliensis post August. librum hoc loco omittit particulam *et*, quæ habetur in reliquis nostris codicibus.

[m] Ita ms. Joliensis. Non bene alii, *Nullum naturæ vitium ab auctore esse.*

[n] Mss. Remig. et Joliensis, *contra naturam est:* omittuntque hæc, *ejus rei cujus est vitium,* quorum tria postrema verba in omnibus editis Prosperianis duobus uncis inclusa designantur, quasi huic loco addititia. Leguntur tamen in textu ipso Augustini, loco unde hæc sententia est delibata.

[o] Ms. Jol., *De ignorantia et difficultate peccantium.*

[p] Colon. vet. edit., *Omne peccatum animæ est. Duo sunt pœnalia.*

[q] Apud August., *dehonestat*, quod margini inscriptum gerunt Prosperianæ editiones omnes, a Lugdunensi, nec tamen habetur etiam in mss. nostris.

[r] Ms. Remig. *carceralis..... non possit.* Colon. vet. editio, *et resistendo repugnationi carnalis vinculi.* Ms. Jol., *impugnatione carnalis vinculi.*

[s] Ms. Joliensis, *De diversitate præceptorum,* Ms. Joliensis, *varietate.*

[t] In Augustino, *alias alia jubet:* pauci ex nostris, *alii alia.*

[u] Sic ms. Jol. Alii, *De prima hominis prævaricatione.*

Digitized by Google

æternis ad temporalia, a copiosis ad egena, a firmitate ad infirma. Non ergo a bono substantiali ad malum substantiale, quia nulla substantia malum est; sed a bono æterno ad bonum temporale; a bono spiritali ad bonum carnale; a bono intelligibili ad bonum sensibile; a bono summo ad bonum infimum. Est igitur quoddam bonum, quod si diligit anima **609** rationalis, peccat; quia infra illam ordinatum est. Quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia quæ peccando diligitur (*Aug. lib. de Vera Rel. c.* 20).

CCCXC [*Alias* CCCLXXXVIII, *ante* CCCLXXXVI]. [a] *De lege omnium artium veritate.*

Lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, B satis apparet, supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur. Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra animam rationalem sit, Deum esse; et ibi esse primam vitam, et primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis artificis. [b] Itaque cum se anima sentiat nec corporum speciem [illegible]que judicare secundum se ipsam: simul oportet [c] agnoscat, præstare suam naturam ei naturæ, de qua judicat; præstare autem sibi eam naturam, secundum quam judicat, et de qua judicare nullo modo potest (*Aug., ibid., c.* 30 *et* 31).

A CCCXCI [*Alias* CCCLXXXIX, *ante* CCCLXXXVII]. [d] *Quo incitetur cor ad discendum.*

Ad discendum necessario dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione. Tempore auctoritas, **610** re autem ratio prior est. Aliud est enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur. Quia ergo et principium sapientiæ timor Domini est (*Prov.* I, 7), et per humilitatem ad sublimia gradus est; incedat humana ignorantia per fidem ut mereatur fides videre quod credit (*Aug. lib.* II *de Ordine c.* 9).

CCCXCII [*Alias* CCCXC, *ante* CCCLXXXVIII]. [e] *De divitiis*, etc., *non superbiendum.*

[f] Divitiis flores, et majorum nobilitate te jactas, et exsultas de patria, et pulchritudine corporis, et honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur: respice te ipsum, quia mortalis es, et quia terra es, et in terram ibis. Circumspice eos qui ante te similibus splendoribus fulsere. Ubi sunt quos ambiebant civium potentatus? Ubi insuperabiles imperatores? ubi qui conventus disponebant, et festa? ubi equorum splendidi [g] invectores? exercituum duces, satrapæ, tyranni? [h] non omnia pulvis? non omnia favillæ? non in paucis ossibus eorum vitæ memoria est? Respice sepulcra, et vide quis servus, quis dominus, quis pauper, quis dives. Discerne, si potes, vinctum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi. [i] Memor itaque naturæ, non extollaris aliquando. Memor autem eris si te ipsum respexeris.

[a] Alias editi, *De magistra*, etc. Ms. Jol., *De lege omnium artium quæ est veritas.*

[b] Ms. Joliensis, *A qua cum se.*

[c] Ms. Joliensis post August. librum de Vera Relig., *agnoscat:* alii *cognoscat.*

[d] Ms. Joliensis, *De auctoritate et ratione discendi.*

[e] Hæc postrema sententia abest a mss. Remigiano et Joliensi.

[f] Editio vetus Colon., *Divitiis*, *floribus*, *et majo-* C *rum*, etc.

[g] Editi omnes post Colon. vet. in margine scriptum ferunt, *alias nutritores.*

[h] Editio vetus Coloniensis, *Nunc omnia pulvis: nunc omnia favillæ: nunc in paucis versibus eorum vitæ memoria est.*

[i] Editio Coloniensis vetus, *Memor sis itaque; ne extollaris aliquando.*

# ADMONITIO

## IN S. PROSPERI EX SENTENTIIS S. AUGUSTINI EPIGRAMMATUM LIBRUM.

Epigrammata sex supra centum, quorum singulis argumentum ex selectis inter Augustini sententias præponitur, vel ex eo solo Prosperi esse judicarentur. Sed in tota illorum serie ita gratiæ divinæ dogmatibus aut explicandis aut defendendis intentus est Noster, adeoque pristinis conceptibus retractandis assuefactus, ut ex omnibus operæ lineis sese proderet inter millenos internoscendum, etsi omnes usquequaque mss. codices, omnesque editiones, et ætates talem non præferrent. *Hoc totidem verbis de isto opere judicium pronuntiat Josephus Antelmius, de quo tam sæpe mentio, dissert.* 9, *quæ est de poetice sancti Prosperi, inter Dissertationes Criticas in opera SS. PP. Leonis et Prosperi.*

*Quo autem consilio, quove cum fructu id tentaverit, facile judicabit lector æquus et prudens: cum intelliget id unum intendisse virum in omnibus suæ aliorumque ædificationi intentum, ut scilicet præcipuæ sententiarum superiori libro editarum partes, non tantum venæ poeticæ exercendæ utiliter assumerentur, verum etiam ut ex tali scribendi genere eadem et tenacius animo inhærerent, et suavius memoriæ commendarentur, ab his maxime quibus cordi est Carminum elegantia; quorum acumen et virtus hominum mentes tangit fortius, corda quoque efficacius afficit, nativæ suavitati utilitatem veram et duraturam adjungens, qua re nihil ad informandos mores utilius, juxta illud poetæ:*

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

*Vel potius, cum in usum spiritalis sapientiæ edocendæ poesis assumitur, id sibi eo nomine merito usurpat quod* Sap. VIII, 8, *dicitur de ipsa sapientia*, Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. *Et infra*, Non habet amaritudinem conversatio illius (*sapientiæ*), sed lætitiam et gaudium. *Et adhuc inferius*, Immortalitas est in cognatione sapientiæ, et in amicitia illius delectatio bona. *Quæ omnia soli illi sapientiæ, quæ in sanctorum operibus elucet, vere conveniunt.*

Digitized by Google

*Hanc sibi tali in opere mentem fuisse satis indicat sanctissimus vates noster in Præfatione cunctis Epigrammatis sequentibus prævia, cum ait primo :*

Dum sacris mentem placet exercere loquelis,
Cœlestique animum pascere pane juvat.

*Quidquid autem recti fuerit, quidquid laude dignum ibi reperiatur, totum illud ad supernum fontem unde effluxerat refluere vult omnino et satagit iterum in sequentibus, cum summa grati animi significatione canens :*

Nec nostræ hoc opis est, sed ab illo sumitur hic ros,
Qui siccam rupem fundere jussit aquas.

*Cum autem alicubi, id est, epigrammatis 65 et 66 videatur sanctus Prosper Eutychianos impugnare, quibus non placuit corpus Christi corpori nostro fateri consubstantiale, dum sic scribit :*

Hinc Verbum carni insertum, mortemque receptans,
Nec se confundit corpore, nec geminat.
Sic naturam hominis virtute augente superna,
Esset ut in vero lumine lumen homo.
Qui vires mortis cum vitæ absorbuit haustu;
Factum est æternum quod fuit occiduum.

*Et pressius epigrammate 66 sequenti :*

Quisquis consilio æterno contraria sentis,
Et Verbum in nostra carne manere negas;
Divinæ pietatis opus dissolvere quæris,
Speque sua mundum dispoliare cupis.
Nam quis ventura quemquam salvabit ab ira?
Quisve hominis primi crimine liber erit;
Si deitas Verbi nostræ non est insita carni,
Aut Christus falsi corporis umbra fuit?
Quis genitus puer est intactæ Virginis alvo?
Quæ natura annis crevit et aucta cibis?
In qua prole patrem mundi se credidit Abram?
Quæve ejus stirps est omnia sanctificans?
Quod regale genus simul est et pontificale,
Quisve idem David filius et Dominus,
Peccati servis, et mortis compede vinctis
Unum est dignatus ferre Redemptor opem?
Qui nostri generis carnem cum morte receptans,
Nostra hosti, ut nobis vinceret, opposuit.
Et carne exuta dominantem perculit hostem,
Ut caperet palmam præda vetusta novam.

*Ex his omnibus non ægre conjicias, hoc opus non longe ante tempus concilii Chalcedonensis, quod anno 451 congregatum constat, fuisse exaratum. Cum aliunde certum fiat S. Prosperum hujusce concilii temporibus supervixisse.*

# S. PROSPERI
## AQUITANI
# EPIGRAMMATUM
## EX SENTENTIIS S. AUGUSTINI
## LIBER UNUS.

### Praefatio.

615 Dum sacris mentem placet exercere loquelis,
Cœlestique [a] animum pascere pane juvat:
Quosdam, ceu prato, libuit decerpere flores,
Distinctisque ipsos texere versiculis.
Ut proprias canerent epigrammata singula causas,
Et pars quæque suo congrueret titulo.
Nec [b] nostræ hoc opis est, sed ab illo sumitur hic ros,
Qui siccam rupem fundere jussit aquas.
Ut quod in affectum cordis, pietate magistra,
Venerit, hoc promat carmine læta fides.

[a] Mss. Colbertini tres, et Colon. editio recentior, *animam.*

[b] Editi omnes, *Nec nostrum hoc opus est.* Mss. Regins unus, Colbertini tres, Theodoricensis unus, et Joliensis, *Nec nostræ hoc opis est.* Idemque in margine indicarunt editi Lovan. et posteriores. Quæ vox usurpatur etiam a Virgilio in eumdem sensum, pro auxilio, aut virtute. IV Æneid.: *Non opis est nostræ;* et alibi :

Vi propria nituntur, opis haud indiga nostræ.

Digitized by Google

# INCIPIT LIBER.

I. [a] *Quæ sit vera innocentia.*

Innocentia vera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet. Quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et nemo non prius in se, quam in alterum peccat.

Perfecte bonus est, et vere dicitur insons,
Nec sibi, nec cuiquam quod noceat faciens.
Nam [b] quicumque alium molitur lædere, primum
Ipsum se jaculo percutiet proprio.
617 Et cum forte animum non sit [c] subitura facultas,
[d] Non dubium in cordis viscere vulnus habet.
Nec fugit infecti sceleris mens prava reatum,
Cui nimis hoc solum quod voluit nocuit.

II. *De hominibus diligendis.*

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores, quia aliud est amare quod facti sunt, et aliud est odisse quod faciunt.

Naturæ quisquis propriæ non spernis honorem,
In quocumque hominum quæ tua noscis ama.
Sic tamen, ut pravos vitet concordia mores,
Nullaque sint pacis fœdera cum vitiis.
Namque quod artificis summi fecit manus, unum est:
Quæque [e] auctore bono condita sunt, bona sunt.
Divinum in nullo figmentum despiciatur,
Sola malis studiis addita non placeant.

III. *De vera æternitate.*

Vera æternitas et vera immortalitas non est nisi in Deitate Trinitatis: cui quod est esse perfectum est; quia natura initio carens, et incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem, etiam illæ quibus Deus æternitatem dedit, vel daturus est, non penitus omnis finis alienæ sunt, quia non sunt extra commutationem; dum illis finis est, et temporalis institutio, et localis motio, et ipsa in augmentum sui facta mutatio.

[f] Æternus vere est solus Deus omnicreator,
Vita in se vivens permanet esse quod est.
Hoc Pater, hoc Verbum Patris, [g] hoc est Spiritus almus,
Quorum natura est una, eademque simul.
Non cœptum, aut auctum, [h] non hic mutabile quidquam est,
Quod subeat leges temporis, aut numeri.
Virtus, præteritis prior ulteriorque futuris,
Nil recipit varium, nil habet occiduum.
Nam rerum, quas ut voluit sapientia fecit,
[i] Multis vita quidem est præstita perpetua.
Sed quodcumque potest sese amplius aut minus esse
Quodam fine [j] ipsi quod fuerat moritur.
Sic nihil æternum quod commutabile factum est.
[k] Et quod cuncta super, semper idem Deus est.

IV. *De patientia Dei.*

Patientia Dei [l] vera est, qua parcit contemptus, [m] parcitque negatus; et [n] magis vult vitam peccatoris quam mortem; eruditio est pœnitudinis, et oblatio correctionis. Nec ulla ipsius opera [o] misericordia vacant, quando homini et indulgentia consulit, et flagello.

619 Multa diu summi differt patientia Regis,
Suspendens æqui pondera judicii.
Et dum plectendis parcit clementia factis
Dat spatium, quo se crimine purget homo,
Denique committunt homines mala crimina semper,
Dat spatium, [p] ut pereant crimina, non homines.
Verbere nonnumquam castigans [q] corde paterno,
Ne cito consumant sæva flagella reos.
Sic pietate Dei terrarum non vacat orbis,
Et nihil est quod nos non trahat ad veniam:
Cum Rex salvandis ipsa quoque consulit ira,
[r] Ut curat medicus vulnera vulneribus.

V. [s] *De ultione Dei.*

Divina bonitas ideo maxime irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro: et misericorditer adhibet temporalem severitatem, ne æternam juste inferat ultionem.

[t] Cum Deus exserta peccantes verberat ira,
Ut norint homines quid mereantur agit.
Nam dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miseris ipsa flagella ferunt.
Et vindicta brevis sic noxia crimina finit:

[a] Mss. quatuor, *De vera innocentia.*

[b] Ms. Theod. solus, *quodcumque.*

[c] Hanc vocem *subitura* substituere editiones recentiores, pro ea quæ in antiquioribus legebatur non paris mensuræ. Ven. et Lovan. vetus, *secuta facultas* habebant. Lovan., Duac. et Colon., *secutura facultas.* Nec a posterioribus dissentiunt mss. codices.

[d] Ms. Theodor., *Non dubium vulnus, viscere cordis habet.*

[e] Ms. Joliensis, *auctore Deo.*

[f] Ms Theod. et Jol., *Æternus vere solus Deus,* absque *est.* Ms. unus ex Colb. initio pentametri, *In sese vivens.*

[g] Mss. Colb. tres et Theod. *hoc et.* Tum in fine pentametri mss. quinque et Venet. editio, *Una eademque simul*, ubi editi alii habent, *Una eademque trium.*

[h] Mss. septem, *non hic*, et editio Ven. Aliæ omnes, *non huic.*

[i] Editio Veneta., *Vita quidem multis præstita perpetua est.*

[j] Ms. Colb. unus, *ipsis quæ fuerat.* Ms. Jol., *ipso quo fuerat.*

[k] Ita mss. septem. Edit. Ven., *Cunctaque quod superat.* Aliæ omnes, *Quod cunctis superest.*

[l] Mss. Colb. unus et Cambronensis, *magna est.* Ms. alter Colb. et Joliensis, *Patientia Dei, qua . . . eruditio est*, etc., ut in libro Sententiarum.

[m] Ms. Colb. unus, *parcit etiam negatus.* Alter cum Jol., *parcit negatus.*

[n] Mss. Colb. duo et Theod., *mavult.*

[o] Ms. Joliensis et editio Ven., *a misericordia.* Alii codices carent præpositione.

[p] Mss. Colb. duo, Cambron. et Jol., *ut pereant crimina, non homines.* In quibus desunt duo versus qui in aliis sequuntur.

[q] Mss. tres cum edit. Ven., *corda paterno.*

[r] Mss. tres et editio Ven., *Et curat.* Lugdun., *Ut curet.*

[s] Ms. Joliensis, *De ultionibus Dei*

[t] Ms. Cambron., *Dum Deus.*

Digitized by Google

Ne sine fine habeat debita pœna reos.

### VI. *De vera* [a] *Dei laudatione*

Vera est confessio benedicentis, cum idem sonus est et oris, et cordis. Bene autem loqui, et male vivere, nihil est aliud quam sua se voce damnare.

Laus vera in Dominum depromitur ore precantis,
Si quæ voce fluunt, intima cordis habent.
Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,
Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.
Nam fari recte, miserum est, et vivere prave.
Damnat nota malum regula justitiæ.

### VII. [b] *De virtute charitatis.*

[c] Dilectio Dei et proximi propria et specialis virtus est piorum, atque sanctorum, cum cæteræ virtutes et bonis et malis possint esse communes.

Plurima sanctorum bona sunt communia multis,
Et quiddam recti constat inesse malis,
Sed pia pars summæ tendens virtutis ad arcem,
Omne operum meritum [d] vincit amore Dei.
Quo pariter quemcumque hominum sic [e] diligit, ut se:
Hoc optans aliis quod cupit ipse sibi.
Unde istis geminis virtutum qui caret alis,
Cœlorum ad regnum non habet unde volet.

### 621 VIII. *De doctrina apostolica.*

Doctrina apostolica tam salubris [f] tamque vitalis est, ut pro capacitate utentium neminem sui relinquat [g] exsortem. Quia [h] sive sint parvuli, sive magni, sive infirmi, sive fortes, habent in ea et unde alantur, et unde satientur.

Exueret Deus ut tetra caligine mundum,
Doctrinæ accendit lumen apostolicæ:
Quæ nullis animis, nullis non congruit annis,
Lacte rigans [i] parvos, pane cibans validos.
Non tempus, [j] non sexus huic, non causa resistit,
Omnes curat, alit, justificat, vegetat.
Sumite quæ magnæ apposuit [k] Sapientia mensæ,
Et variis pasci discite deliciis.
Quarum pars totum est epulum, et quo quisque juvatur,
Inde capit vitam, quam parit una fides.

### IX. *De quærendo Deo.*

Deum quærens, gaudium quærit. Sic ergo quærat, ut non in se, sed in Domino gaudeat. Accedendo enim [l] ad Deum, illuminatur ignorantia et corroboratur infirmitas, data sibi et intelligentia qua videat, et charitate [m] qua serviat.

A Scire Deum cupiens, gaudere et vivere quærit,
Si verum et summum norit [n] amare Deum.
Cui tribuat quidquid recte sapit, optat, agitque,
Et sine quo carnis gloria pulvis erit.
Non ergo in quoquam sua munera deserit auctor,
Perque suum Dominus se manifestat opus.
Inque illis habitat dives penetralibus hospes,
Quæ gaudent hoc [o] se comta quod ipse dedit.

### X. *De fastidio spiritali.*

Sicut corpori noxium est corpoream escam non posse percipere, ita animæ periculosum est spiritales delicias fastidire.

Ut perdunt propriam mortalia corpora vitam,
Si nequeunt escas sumere corporeas:
Sic animæ, nisi deliciis rationis alantur,
B Dum Verbi æterni pane carent, pereunt.
Nam quid erit quod dira procul fastidia pellat,
Cum se ipso refugit mens saturare Deo?

### XI. [p] *De bonorum et malorum finibus.*

Numquam multi sunt qui [q] ad non esse tendunt. Quid enim tam obnoxium paucitati, quam quod est debitum perditioni?

Esse Deo verum et proprium est, cui quisquis adhæret,
623 Æterni in regni lumine semper erit.
Nam qui justitiam spernunt, non esse laborant,
Inque nihil tendunt, [r] et nihil esse queunt.
Non ergo illorum poterit pars multa videri,
Quorum in sanctorum nullus erit numero.
Sed vere magni, et multi sine fine manebunt,
C In Christo quorum gloria perpes erit.

### XII. *De tranquillitate* [s] *ultionis Dei.*

Non concupiscit Deus pœnam reorum, tamquam saturari desiderans ultione. Sed quod justum est cum tranquillitate decernit, et recta voluntate disponit, ut etiam mali non sint inordinati.

Nulla Deum oblectat miserorum pœna reorum,
Nec scelerum vindex ira movet placidum.
Omnipotentis enim recta et tranquilla voluntas,
Quidquid decerni convenit, hoc statuit.
Ut nullis pateat Regis censura querelis,
Cum juste accipiet debitus ordo [t] malos.

### XIII. *De bono intellectu.*

Bonum intellectum habet qui [u] quod faciendum recte intelligit facit. Alioquin talis est sine opere

[a] Ms. Camb., *De vera confessione.*

[b] Mss. Camb. et Theod., *De dilectione Dei et proximi*. Ms. Theod., *et de virtute charitatis Dei.*

[c] Ita mss. sex et Ven. edit. Alii codices excusi, *charitas.*

[d] Mss. sex cum edit. Ven., *transit*. Reliquæ, *vincit* cum Colb. uno.

[e] Editio Ven., *diligat.*

[f] Mss. quinque et Ven. edit., *atque vitalis*. Colb. unus, *quam vitalis est.*

[g] Ms. Colb. unus, *expertem.*

[h] Ms. Colb. unus, *sive sint magni, sive parvi.*

[i] Mss. quatuor, et Ven. edit., *parvos*. Editi cæteri, *pueros*. Lugd., *parvulos*, pro *parvos.*

[j] In margine Duac. et Colon., *alias non sensus.*

[k] Conjunctionem *et* hic addunt mss. Colb. unus et Jol.

[l] Mss. Colb. duo cum edit. Ven., *ad Dominum.*

D [m] In libro Sententiarum legimus, *qua ferveat.*

[n] Ms. Colb. unus, *amare bonum.*

[o] Editi omnes in versu habent, *hoc se cuncta*. Lov. Duac. et Colon. in margine indicant *comta*, quam vocem mss. septem auctoritate substituimus: qua significari credimus ea penetralia seu corda a Deo inhabitari, quæ gaudent se hoc dono comta, id est, ornata, quod Deus ipse dederit, non quod a se ipsis habere se putaverint.

[p] Ita mss. Colb. unus et Jol. Ms. Remig., *De bonis et malis hominibus*. Alii, *De finibus malorum et bonorum.*

[q] Ms. Regius, *qui non ad esse.*

[r] Mss. quinque, *nec nihil esse queunt*. Alii, *et nihil.*

[s] Mss. tres, *ultionum Dei.*

[t] Mss. septem, cum edit. Ven., *malos*. Alii, *reos.*

[u] Ms. Regius, *quod est faciendum recte intelligit et facit*. Ven. edit., *quod recte faciendum intelligit, facit.*

Digitized by Google

intelligentia, qualis est sine timore sapientia, [a] cum sit scriptum, *Initium sapientiæ timor Domini.*

Scriptorum Domini plene videt omne profundum,
[b] Implet qui factis cognita verba piis.
Nam nimis [c] a sensu doctrinæ devius errat,
Si quæ curavit scire, fugit facere.

XIV. *De requie adhuc in carne* [d] *viventis.*

Habet [e] jam in hac vita requiem suam anima quæ de morte infidelitatis exempta est, et non ab operibus justitiæ, sed ab iniquitatis se abstinet actione, ut vivens Deo, et mundo mortua, in humilitatis et mansuetudinis [f] placida tranquillitate requiescat.

Est et in hac vita multis requies data sanctis,
Quorum animas mundus non tenet occiduus:
Quos desideriis nullis peritura fatigant,
Et quibus omne bonum est Christus, et omnis honor.
Utuntur terra ut cœlo, fugientia temnunt,
Quod credunt, quod amant, quod cupiunt, Deus est.

XV. [g] *De vovendo Deo.*

Quisquis bene cogitat quid Deo voveat, et quæ vota persolvat, [h] seipsum voveat, et reddat. Hoc exigitur, hoc debetur: imago [i] Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo. Sed sicut videndum est [j] quid et cui offeras, ita etiam [k] considerandum est ubi offeras. Quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam locus non est.

**625** Quid voveat Domino quisquis bene corde volutat,
Ipsum se totum præparet et voveat,
Major enim [l] offerri nequit hostia mentis in ara,
Nec Christi ex templo suavior exit odor,
Quam cum [m] homo castorum profert libamina morum,
Et de virtutum munere sacra litat.
Sic tamen, ut norit qui reddit vota Tonanti
Unum divinis cultibus esse locum,
In toto mundo quem vera Ecclesia præbet,
Et sine quo nullum justitiæ est meritum.

XVI. *De justitia et gratia.*

Duæ sunt retributiones justitiæ, cum aut bona pro bonis, aut mala redduntur pro malis. Tertia est retributio gratiæ, cum per regenerationem remittuntur mala, et retribuuntur bona. Atque ita manifestatur quia universæ viæ Domini [n] misericordia et veritas. Illam autem impiorum retributionem, qua pro bonis mala [o] restituunt, Deus nescit; [p] qui nisi retribueret bona pro malis, [q] non essent quibus retribueret bona pro bonis.

Justitiæ merces gemina est, vel cum bona rectis,
Vel pravis digne cum mala restituit.
Salvatrix autem cunctorum gratia Christi,
Non pensans meritum, diluit omne malum.
Credentesque omnes renovans baptismate sacro,
Dat bona, quæ propter det meliora bonis.

XVII. *De supernæ patriæ civibus.*

Omnis qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est [r] mundi: et dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena, ubi intèr multa illecebrosa et multa fallacia Deum nosse et amare paucorum est, [s] quibus fit *præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, [t] ut nec in Dei, nec in proximi charitate fallantur.

Cœlestem ad patriam Christo redimente vocatus,
Vitam [u] labentis temporis hospes agit.
Dumque ad promissam requiem [v] non per sua tendit,
Mundanæ patitur multa pericla viæ,
Quæ nunc obsessa adversis, [x] nunc plena secundis
Aut frangit [y] trepidos, obligat aut dubios.
Inter quos laqueos currentem [z] ad gaudia vera,
Non capiet mundus, cui via Christus erit.

XVIII. *De carnis cupiditate vincenda.*

Nemo est cujus [aa] animam corruptibile corpus et inhabitatio terrena non aggravet. Sed annitendum est ut cupiditates carnis spiritus vigore superentur; et interior homo, qui semper sibi sentit resisti, semper se divino [bb] exspectet auxilio adjuvari.

Nulla anima est, quæ non mortali carne gravetur,
[cc] Nec de corporea conditione gemat.
**627** Sed confirmare invalidam, et frenare rebellem,
Legitimum et proprium est mentis opus dominæ.
Quæ [dd] jus naturæ, ut moderamine temperet æquo,
Et subdat sceptris noxia quæque suis,
A Domino auxilium, et vires petat, ut valeat se
Vincere, [ee] nec sensus incitet ipsa suos.
Nam [ff] nullos famulæ poterit compescere motus,
Ni fuerit Christi semper amore potens.

---

[a] Ita mss. quatuor et edit. Ven. Cæteri, *cum initium sit sapientiæ timor Domini.*
[b] Mss. quatuor, *Qui factis implet.*
[c] Alias editi, *ascensu doctrinæ.* Emendatur ex mss. quinque.
[d] Mss. quatuor, *viventium.*
[e] Mss. quatuor et edit. Ven., *etiam.* Ex his ms. Camb. post aliquot verba, *quæ non ab operibus.*
[f] Ms. Theodoricensis solus, *placita.*
[g] Ms. Joliensis, *De vovendo.* Ms. Camb., *De bene vovendo.*
[h] Ms. Regius, *voveat se ipsum totum.*
[i] Mss. Regius, et Theod., et edit. Ven., *ut et imago Cæsaris.... et imago Dei.*
[j] Mss. quatuor, *quid offeras, et cui offeras.*
[k] Ms. Colb. unus, *videndum est,* ut in sententiis.
[l] Mss. quatuor, et edit. Ven, *nequit offerri.*
[m] Vox hæc, *homo,* abest a ms. Joliensi.
[n] Ms. Colb. unus et edit Ven., *sunt misericordia.*
[o] Mss. duo, *restituuntur.* Ms. Reg., *qua bonis mala restituuntur.*
[p] Mss. tres, *Quia nisi.* Edit. Ven., *Quia nisi Deus.*
[q] Ms. Reg., *non esset cui retribuerentur.*
[r] Mss. tres et edit. Ven., *mundo.*
[s] Ita mss. sex, et edit. Ven. Alii, *quibus præceptum Domini sit lucidum.*
[t] Ms. Regius, *ut nec in Dei dilectione, nec in proximi charitate fallantur.* Editio Ven., *ut nec in Dei charitate, nec in proximi dilectione fallantur.*
[u] Edit. Lovan. et recentiores in margine notant, *præsentis.*
[v] Mss. tres, *per non suam.*
[x] Mss. tres Colb. et Colon. edit., *non plena.*
[y] Ms. Joliensis. *tepidos.*
[z] Sic mss. quinque. Editi omnes, *ad gaudia vitæ.*
[aa] Mss. quinque, et Ven. edit., *animam,* Alii, *animum.*
[bb] Mss. Jol. et Camb., *expetat.*
[cc] Sic mss. septem, et edit. Ven. Alii, *nec quæ.*
[dd] Mss. quinque, *jus naturæ.* Quo forte designantur naturales inclinationes, et ex corruptæ naturæ infirmitate prodeuntes. Alii codices, *vis naturæ.*
[ee] Ms. Colb. unus, *ne sensus.*
[ff] Sic mss. quatuor. Alii, *nullus.*

Digitized by Google

A

XIX. [a] *De angusta vitæ via.*

Angusta est via quæ ducit ad vitam [b]. Et tamen per ipsam, nisi dilatato corde, non curritur, quia iter virtutum, quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est fidelium spei, etiam si arctum sit infidelium vanitati.

Arcta via est veræ quæ ducit ad atria vitæ,
 Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit spatiis [c] terrena voluptas,
 Angusto virtus limite celsa petit.
Et tamen hi calles, quos mundi vana pavescunt,
 Quædam magnificis æquora sunt animis.
Difficilisque nimis per dura, [d] per ardua gressus,
 Commendat fidei quod tolerare juvat.

XX. *De præmio Christianæ religionis.*

Hoc affectu et hoc desiderio colendus est Deus, ut sui cultus ipse sit merces. Nam qui Deum ideo colit, ut aliud magis quam ipsum promereatur, non Deum colit, sed id quod assequi concupiscit.

B

Hac desiderii Deus est pietate colendus,
 Justitiæ ut merces tota sit ipse Deus.
Nam sperans alio se munere posse beari,
 Non [e] quod poscit amat, sed quod habere cupit.

XXI. *De occultis non judicandis.*

De occultis cordis alieni temere judicare peccatum est; et eum cujus non videntur opera nisi bona, ex suspicione reprehendere iniquum est. Cum [f] eorum quæ homini sunt incognita solus Deus judex sit justus, qui et inspector est verus.

Culpare in quoquam quæ non sunt nota, malignum est,
 Præsertim [g] si quæ cognita sunt bona sunt.
Non pateant faciles sævis rumoribus aures.
 Quæ nescire juvat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo, qui si quid opertum est
 Inspicit, et nullis indiget [h] indiciis.

C

XXII. *De adjutorio Dei.*

Divini est muneris, [i] cum et recta cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, [j] Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.

629 Non dubie nostri Deus est et rector, et auctor,
 Cum toto affectu quæ bona sunt gerimus.
Ex operum specie clarebunt intima cordis,
 [k] Quisve hominis mentem spiritus intus alit.
Sanctus enim sanctos facit, et de lumine lumen
Exoritur: nullus fit bonus absque [l] Bono.

XXIII. *De passionibus sanctorum.*

Justo judicio Dei datur plerumque peccatoribus [m] optata potestas qua sanctos ipsius persequantur, ut qui Spiritu Dei [n] juvantur et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.

Quod plerumque mali in sanctos sævire sinuntur,
 Quodque bonis pravi sæpe nocere queunt;
Absque Dei nutu non fit, qui corda suorum,
 His etiam bellis glorificanda probat.
Crescunt virtutum palmæ, crescuntque coronæ,
 [o] Mutantur mundi prælia pace Dei.

XXIV. [p] *De scientia boni.*

Non est vera scientia boni, nisi ad hoc comprehendatur, ut agatur. [q] Non enim utiliter meditatur legem Dei, qui laborat ut memoria teneat quod actione non implet.

Scit legem, docteque tenet jussa Omnipotentis,
 Qui quod novit agens, diligit id quod agit.
Non satis est Domini præceptum volvere lingua:
 Is meminit legis, qui memor est operis.

XXV. *De amore legis.*

Qui legem Dei diligit, probat se [r] in omnibus iniquis id quod contra legem est odisse, non homines.

Legem spernentes odit cum legis amator,
 Non homines odit, [s] sed reprobat quod agunt.

XXVI. [t] *De scrutandis mandatis Dei.*

[u] Mandata Dei scrutari nisi quieta mens non potest. Ut ergo religiosum exerceatur studium, [v] abigenda sunt jurgia malignorum.

Scrutari legem possunt utcumque quieti,
 Si mundi a strepitu libera corda vacent.
Ut mens ergo piis studiis intenta juvetur,
 [x] Prælia divinus carnea vincat amor.
Nam templum Domini per sacra silentia crescit,
 Et tacite [y] struitur non ruitura domus.

XXVII. *De proficiendo.*

[z] Nemo tam eruditus, nemo tam doctus est, qui superna illustratione non egeat. Non enim [aa] ita 631 ulla divinorum bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper supersit aliquid quod mens rationalis et intelligendum desideret [bb] et gerendum.

Doctrinæ Domini penetralia, tempore in isto,
 Ad plenum nulli pervia sunt homini.

[a] Ms. Jol., *De angusta via.* Ms. Theod., *De angusta et arcta via.*

[b] Ms. Camb. addit hic vocem *æternam.*

[c] Ms. Regius, *terrena voluntas.*

[d] Edit. Lugd. et posteriores in ora libri, *per aspera.*

D

[e] Ms. Camb., *Non quem poscit amat.*

[f] Editio Ven., *eorum operum.*

[g] Ita disponitur versus in mss. sex et edit. Ven. In aliis,

Præsertim quæ sunt cognita, si bona sunt.

[h] Mss. tres, *indicibus.*

[i] Ms. Theod., *cum recte cogitamus.*

[j] Ms. Reg., *Deus nobiscum est.* Edit. Ven., *in nobis est;* tum uterque, *atque nobiscum operatur, ut operemur cum illo.*

[k] Ms. Camb., *agat.* Editi alias, *Quive.... alit.* Mss. quinque, *Quidve.... alat.*

[l] Editi communiter, *absque Deo.* Mss. nostri omnes, et Ven. editio, *absque bono*, scilicet spiritu.

[m] Abest vox hæc, *optata*, a mss. tribus et Ven. edit. ac Sententiarum libro.

[n] Ms. Camb., *vivunt.*

[o] Mss. tres, *Temnuntur.* Ms. unus, *Vincuntur.* Utrumque margini inscripserant editiones Lovan. et illa posteriores.

[p] Ms. Theod., *De scientia Dei.*

[q] Mss. quinque et Ven. edit., *Inutiliter enim.*

[r] Mss. quinque, *in hominibus*, ut in libro Sententiarum.

[s] Edit. Ven., omisso *sed, reprobat id quod agunt.*

[t] Ms. Camb., *De observandis.*

[u] Ms. Regius, *Mandata Dei, nisi sit quieta, mens scrutari*, etc.

[v] Mss. tres, et Ven. edit., *abjicienda sunt.* Colb. unus, *abigenda est injuria.*

[x] Mss. tres, *Jurgia.*

[y] Mss. tres, *instruitur.*

[z] Ms. Reg. et edit. Ven., *Nemo est tam doctus, et nemo est.*

[aa] Ms. Jol., *ita ulli.*

[bb] Ms. Regius, *et agendum.*

Semper enim sanctis superest quo crescere possint :
Et perfectorum gloria principium est.
Virtutem virtus pariat, de lumine lumen
Prodeat, atque [a] omnis palma gradum faciat.
Nam cur non cupide mens quærat quæ Deus offert,
Cui danda ut recte posceret ipse dedit ?

**XXVIII.** *De duplici opere Dei.*

Si omnes homines simul consideremus, quorum alii misericordia salvi fiunt, alii veritate damnantur, universæ viæ Domini, id est, misericordia et veritas, suo fine distinctæ sunt. Si autem solos sanctos intueamur, non discernuntur hæ viæ [b] Domini. Individua enim ibi est et a misericordia veritas, et a veritate misericordia, quia beatitudo sanctorum et de munere gratiæ est, et de retributione justitiæ.

Omnibus in rebus geminum est opus Omnipotentis.
Totum aut justitia est quod gerit, aut pietas.
Quæ simul in terras descendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti desit utrumque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miserantis egemus,
Præcedit semper gratia justitiam,
Damnantem elatos, salvantem justificatos,
Quos Deus et donis auxerit et meritis.

**XXIX.** *De observantia pacis.*

Christianæ perfectionis est pacificum esse, etiam cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis ; ut si nec exemplum, nec cohortationem dilectionis sequantur, causas tamen non habeant [c] quibus odisse nos debeant.

Moribus in sanctis pulchra est concordia pacis,
Cum multis unum convenit, atque placet.
[d] Nec tamen hoc cohibenda modo sunt fœdera amoris,
Ut solis pax hæc sit tribuenda bonis.
Injustis etiam præstetur justa voluntas,
Nec quemquam spernant vota benigna hominem.
Non ut amicitiæ vitiis socientur iniquis,
Adsit sed pravis ut medicina animis.
Quæ si pace sua non sedat turbida corda,
Nobis non possit nostra perire quies.

**XXX.** [e] *De custodia Dei.*

Custodit nos Dominus ab omni malo, [f] non ut nihil patiamur adversi, sed ut ipsis [g] adversitatibus anima non lædatur. Cum enim tentatio adest, fit quidam in id quod nos impugnat introitus ; et cum bono fine, id est, sine vulnere animæ, tentatio [h] consummatur, [i] ad æternam requiem de profundo temporalis laboris exitur.

A 633 Sæpe quidem Dominus sic cuncta adversa repellit,
Ut nullo attingi vulnere possit homo.
Sed mirabilior tunc est manus Omnipotentis,
Illata afflictum cum mala non superant.
Laudetur [j] custos, virtutem dans toleranti,
Intima corrumpat ne furor exterior.
Nam non certanti nulla est speranda corona,
Palmam, qua capitur gloria, finis habet.

**XXXI.** *De adjutorio Dei.*

Ad cœlestis Jerusalem consortium non ascendunt, nisi qui toto corde [k] profitentur non esse proprii operis sed divini muneris quod ascendunt.

[l] Cœlestem ad patriam tendens, cognosce vocantem,
B Cujus proveheris, si bene curris, ope.
Nam si te virtute tua ad cœlestia [m] credis
Scandere, de superis pulsus ad ima cades.

**XXXII.** *De odiis mundi in Christianos.*

Omnes qui in Christo volunt pie vivere, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria, et despiciantur tamquam stulti et insani, qui præsentia bona [n] perdant, et invisibilia sibi ac futura promittant. Sed hæc despectio et hæc irrisio in ipsos retorquebitur, [o] cum et abundantia eorum in egestatem, et superbia transierit in confusionem.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos :
Ridens nolentes opibus præsentibus uti,
Sperantesque sibi credita posse dari.
[p] Sed spernenda hæc sunt populis opprobria sanctis,
Quæ stulte jaciunt corda aliena Deo.
C Nam spes nostra ex hoc visu fit certior omni,
Quod spondens [q] quidquid credimus, hoc Deus est.

**XXXIII.** [r] *De patientia fidelium.*

Tota fidelium salus, tota patientiæ fortitudo ad eum qui in sanctis suis est mirabilis referenda est ; quia nisi in illis [s] Deus esset, furori impiorum fragilitas humana succumberet.

Cum constans anima adversis non frangitur ullis,
Et fidei virtus intemerata manet :
Norit inesse sibi Dominum patientia fortis,
Inque ejus donum quod steterit referat.
Nam quod non cecidit propriis si viribus aptat,
[t] Hoc ipso quo se stare putat cecidit.

[a] Ms. Colb. unus, *hominis palma.*

[b] Vox hæc *Domini* non legitur in mss. Colb. tribus, Jol. et editione Ven. Post aliquot verba, editio Ven. cum Colb. uno, *semper est de munere gratiæ et de retributione.*

[c] Ms. Jol., *Propter quas.*

[d] Ita ms. Cambronensis, qui solus nobis visus est sententiæ præfixæ epigrammati, et contextui ipsius convenire. Ms. Regius, *Sed tamen hoc cohibenda modo sunt fœdera amoris.* Mss. Colb. duo, *Sed tamen hæc toleranda modo.* Ms. Jol., *Sed tamen,* deinde pergit cum edit. Lugd. et posterioribus, in quibus st, *Sed tantum hoc toleranda modo,* etc.

[e] Ms. Theod., *De custodia animi.*

[f] Ms Cambr., *non ita ut.*

[g] Edit. Duac. et Colon., *adversantibus.* Ms. Theod., *ipsis adversitatibus.*

[h] Ms. Jol., *consumitur.*

[i] Et Theod. et edit. Ven., *sic.* Ms. Reg., *et sic.*

D [j] Ms. Reg. *custos virtutum, dans toleranti,* etc.

[k] Ms. Cambr., *confitentur.*

[l] Ms. Colb. unus, *Æternam.*

[m] Ms. Colb. unus, *credas.* Et in fine versus sequentis ms. Camb., *ruis,* aut *cadis.*

[n] Ms. Theod., *perdunt, sed invisibilia sibi affutura promittunt.*

[o] Ms. Reg. et edit. Ven., *cum et abundantia eorum in egestatem venerit, et superbia eorum transierit in confusionem.* Mss. quoque alii quatuor habent, *perdunt.... promittunt.*

[p] Ms. Jol., *Sed sunt hæc populis spernenda opprobria sanctis.*

[q] Mss. tres, *quidquid credimus est, Deus est.* Ms. Colb. unus, *quidquid credimus est Dominus.*

[r] Ms. Theodoric., *De causa fidelium et fortitudine patientiæ.*

[s] Mss. tres, *Dominus esset,* ut in libro Sententiarum.

[t] Ms. Theodor., *Hoc ipso quod,* etc.

Digitized by Google

XXXIV. *De obsequiis debitis.*

Ita et a plebibus principes, et a servis domini sunt ferendi, ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, et sperentur æterna. Auget enim merita [a] virtutis, quod propositum non violat religionis.

635 Reddendum est quidquid mundi bene postulat ordo,
Propositumque piæ non violat fidei.
Mitibus et sanctis nulla est spernenda potestas :
Æquum servire est regibus, et dominis.
Ut Christi famulis ad verum prosit honorem
Dilexisse bonos, et tolerasse malos.

XXXV. *De toleranda varietate mundana.*

Recti corde de præceptis Dei et constitutionibus [b] mundi non queruntur, quia justum est æquanimiter omnia accipi, quæ judicaturus voluit [c] tolerare.

Dum mutabilium decurrunt tempora rerum,
Dumque suis mundus motibus atteritur :
Rectorum est adversa pati, et tolerare modeste,
Nec querula in quoquam voce movere Deum.
Cujus judicio nulli parcetur iniquo,
Et perpes justos gloria suscipiet.

XXXVI. *De ædificatione domus Dei.*

Omnis sancti ædificii status, sicut Deo [d] cooperante proficit, ita Deo custodiente consistit. Quoniam utilis [e] præpositorum custodia est, cum Spiritus Dei populo suo præsidet, et non solum greges, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores.

Cum lapides vivi pacis compage ligantur,
Inque pares numeros [f] convenit una domus,
Claret opus Domini, qui totam construit aulam,
[g] Effectumque piis dat studiis hominum.
Quorum perpetui decoris structura manebit,
[h] Si perfecte auctor protegat, atque regat.

XXXVII. *De æternis gaudiis.*

Æternæ civitatis æterna sunt gaudia, et stantium dierum perpes infinitas nec variabitur nec labetur, quia incommutabili pace potientur, [i] quorum omnium erit bonum, quod fuerit etiam singulorum.

Semper erunt [j] quod sunt æternæ gaudia vitæ :
Gaudendi quoniam causa erit ipse Deus.
Nec varios pariet motus diversa voluntas.
Unum erit in cunctis lumen, et unus amor,
Inque bonis summis posita experientia felix,
Nec volet augeri, nec metuet minui.

XXXVIII. *De lege charitatis.*

Lex Christi perfectio charitatis est, qua Deus proximusque diligitur : et per quam dicitur Conditori legis, *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos*
A *dimittimus debitoribus nostris.* Bene enim exspectat promissionem Dei, qui mandatum ejus exsequitur : nec frustra sperat [k] parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis.

Verus amor Christi vera est custodia legis,
637 Et mandata Dei complet amans homines.
Quorum ignoscentes culpis sua crimina solvunt,
Quodque aliis tribuunt, hoc sibi prospiciunt.
Det peccatori veniam peccator, et æqua
Conciliet Dominum conditione sibi.
Cujus judicium de nostro examine pendet,
Quod serimus metimus, quod damus accipimus.

XXXIX. *De jussionibus Dei.*

Nihil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. Ideo [l] verus est Dominus, qui servo non indiget, et quo servus indiget.

B Non ideo quidquam mandat Deus, ut sibi prosit,
Nec servi officio verus eget Dominus.
Cujus præceptis augetur qui famulatur,
Fitque minor quisquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens, simul omnitenensque potestas,
Nil perdit proprium, [m] nil capit occiduum.
Numquam non habuit quod habet, dans quidquid haberi
[n] Proderit, et sumens non nisi quod dederit.

XL. [o] *De intemporali scientia Dei.*

Id quod in tempore novum est, non est novum [p] apud Deum qui condidit tempora, et sine tempore habet omnia, quæ suis quibusque temporibus, pro eorum [q] varia ætate, distribuat.

Insolitum si quid labentia tempora promunt,
Hoc mirum mundus dicit, habetque novum.
C Sed rerum Auctori nullus non cognitus ordo est,
Cernenti quidquid sæcula cuncta ferunt,
Quæ non incerto volvunt magna agmina motu,
Sed sub judicio stantque fluuntque Dei,
Ut nihil existat naturæ in partibus ullis,
Quod non ille suo temperet arbitrio.

XLI. *De providentia Dei.*

Mutabilium [r] dispositionem immutabilis ratio Dei continet, ubi sine tempore [s] simul sunt quæ in temporibus non simul fiunt quia tempora non simul currunt.

Lex æterna Dei stabili regit omnia motu,
Nec mutat vario tempore consilium.
Utque locis præsens simul est Deus omnibus unus,
Sic [t] ævi metas secum habet, et numeros.
Nec serum aut properum sibi sentit in ordine rerum,

[a] Mss. tres, *merita virtutis.* Ms. Colb. unus, *donum virtutis.* Alii, *meritum virtutis.*

[b] Mss. duo et Ven. edit. addunt *mundi.* Mss. Camb., *ejus.*

[c] Mss. tres et Ven., *voluit tolerare.* Alii, *tolerari.*

[d] Mss. duo, *Deo operante.* Ita in lib. Sententiarum.

[e] Mss. quatuor, et edit. Ven., *ordo præpositorum.*

[f] Ms. Colb. unus, *omnia conveniunt.*

[g] Mss. quatuor, *effectusque.*

[h] Ms. Theod., *Si perfectum.* Ms. Jol., *Si perfecta.*

[i] Ms. Joliensis, *quorum hominum.*

[j] Mss. tres Colb., *quod erunt* a prima manu ; a secunda, *quod sunt.*

[k] Mss. duo, *esse parcendum.*

[l] Ms. Colb. unus, *verus est Deus.* Mss. duo, *sed quo servus.*

[m] Mss. Colb. unus et Camb., *nil capit occiduum.*
D Ms. Regius, *Nil recipit varium, nil capit occiduum.* Ms. Colb. alter, et Camb., *Ipse sibi summum perpetuumque bonum.*

[n] Ms. Colb. unus, *Prosit, et accipiens,* etc.

[o] Ita ms. Joliensis. Alii, *De temporali scientia,* quibusdam addentibus *Dei.* Ms. Camb., *De futurorum Dei præscientia.*

[p] Mss. quatuor. et Ven. editio, *apud eum.*

[q] Mss. duo et edit. Ven. juxta quod in Sententiarum libro habetur, *varietate.*

[r] Ms. Regius et edit. Ven. *Mutabilium rerum dispositiones;* Ven. *dispositionem;* et post pauca mss. tres et Ven. editio *immutabilis ratio continet,* omissa voce, *Dei.*

[s] Mss. duo, *omnia simul sunt.* Ven. edit., *ubi omnia sine tempore simul sunt.*

[t] Sic. mss. septem. Editi vero, *rerum metas.*

Digitized by Google

Cui cuncta assistunt acta, et agenda simul.

**639** XLII. [a] *De impunitate peccantium.*

Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas, velut hostis interior, roboratur.

Qui se peccatis gaudet feliciter uti,
Infelix nimis est prosperitate sua.
Dumque capit miseros effectus prava voluntas,
A vera semper luce fit exterior.
Sumens pestifera de consuetudine robur,
Et sua complectens vincula mortis amor.
Deficiant potius vana oblectamina mundi,
Subdanturque pio colla domanda jugo,
Inque putres fibras descendat cura medentis :
Ut [b] blandum morbum pellat amica salus.

XLIII. *De legis littera.*

Legis littera [c] quæ dicit non esse peccandum, si Spiritus [d] vivificans desit, occidit. [e] Sciri enim peccatum facit potius quam caveri : et ideo [f] magis augeri quam minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit.

Index peccati lex est plectenda vetando,
Quæ, nisi cor mundet Spiritus, interimit.
Nullus enim est insons sola formidine pœnæ,
Qui sanctum et justum non amat imperium,
Hunc tamen [g] affectum non lex, sed gratia confert :
Quodque jubet legis littera, velle facit.

XLIV. *De lege et gratia.*

Lex data est ut gratia [h] quæreretur, et gratia data est ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis, [i] quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.

Non servit jussis legis prudentia carnis,
Peccati stimulos nec superare potest.
Sed quia mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere divinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit ut poscatur gratia Christi,
Ardua qua legis jussa queant fieri;
[j] Nec jam non valeant carnales vincere sensus,
Quos justæ legis conditor ipse juvat.

XLV. *De promissione Dei.*

[k] Hoc promittit Deus, quod ipse facit. Non enim ipse promittit, et alius facit, quod jam **641** non est promittere, sed prædicere. Ideo *non ex operibus*,
A *sed ex vocante;* ne ipsorum sit, non Dei, et merces non imputetur secundum gratiam, sed secundum debitum, atque ita gratia jam non sit gratia.

Quæ Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis viribus implet opus.
Hinc secura fides sperat quod credit, amatque
Auctorem, qui quod spondet [l], et efficiet.
Nam si quæ Dominus promittit, non operatur,
Sed solum humanum prævidet arbitrium :
Non hæc dona ejus, sed sunt prædicta vocanda.
Ceu quisquam ex proprio sit bonus, absque Deo.
Quod quia non recipit pietas, veroque repugnat,
Gratia non reparet, gratia justificet.
Quæ sic in cunctis implet sua dona vocatis,
Ut quorum dux est, fiat et ipsa comes.

XLVI. *De fidelium culpis et infidelium bonis.*

B Sicut non impediunt ab æterna vita justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.

Ut quædam tenues maculæ in splendore piorum,
Major virtutum quas vacuat numerus,
Æternæ donis nequeunt obsistere vitæ,
Nec merita obscurat grandia culpa levis :
Sic aliquid plerumque boni pars impia gestat,
Magni mole mali quod facile obruitur.
Nec prodest quiddam recti sapuisse malignis,
Si verum [m] et summum non coluere Deum.
Una fides igitur, spes una est, atque amor unus,
Quo fiat justus, sitque beatus homo.
C Nam bona, quæ pravis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

XLVII. *De malæ voluntatis effectu.*

Cum mala voluntas potestatem accipit efficiendi quod cupit, [n] ex judicio Dei venit, apud quem non est iniquitas. Punit enim etiam isto modo, [o] nec ideo injuste quia occulte. Cæterum iniquus puniri se ignorat, nisi cum manifesto supplicio senserit nolens, quantum mali sit, quod perpetravit volens.

Cum datur injusto peccandi optata potestas,
Ut mala mens prave quod cupit efficiat,
[p] Ira Dei magna est, qua multos sic quoque punit,
Ut quibus exsultant criminibus pereant.
Crescit enim occulte cum longo pœna reatu,

[a] Mss. Theod., *De felicitate peccantium.*

[b] Mss. tres, *Ut causas morbi.* Ex quibus Colb. unus in margine scriptum habet quod in edito.

[c] Mss. quatuor, *quæ docet.*

[d] Ms. Theod., *vivificare.*

[e] Edit. Ven., *Scire.... quam cavere.* Mss. duo, *Sciri... quam caveri.* Alii... *Scire... quam caveri.*

[f] Ms. Reg. et edit. Ven., *magis facit augeri.*

[g] Ita mss. quinque cum editione Ven. Alii, *effectum.*

[h] Edit. Ven. addit hic vocem hanc, *Christi.*

[i] Ms. Joliensis, *quia vitium.* Ms. Regius, *neque enim erat suo vitio quod non implebatur.... et per gratiam.* Ms Theod., *sed ex vitio prudentiæ carnis.*

[j] Ms. Colb. unus, *Ne jam;* alii codices, *Nec jam.* Mss. quinque, *carnalem vincere sensum*, sola Ven. editio, *Non valeat carnales vincere sensus.*

[k] Mss. sex et Ven. edit., *Hoc quod promittit Deus, ipse facit.* Eadem Ven. editio, *Non enim ipse promittit et aliud facit... Ideo homines non fiunt boni ex operibus suis, sed ex Deo vocante, ne ipsorum sit bonitas, sed Dei.* Ms. Regius, *quod jam non esset promittere. Ideo homines non fiunt boni ex suis operibus, sed ex vocante Deo, ut nec bonitas ipsorum sit, Dei* (f. *sed Dei*)*; et*
D *merces non imputetur secundum debitum, sed secundum gratiam.* Reliqua desunt in hoc codice. Ms. Colb. unus quoque habet, *ne bonitas ipsorum sit.* Ms. Joliensis et Camb., *ex vocante fit.* Ms. Theod., *non ex operibus justificantur homines, sed ex... ne ipsorum sit justificatio et non Dei.* Alii editi ut in textu, et in libro Sentent. supra, immo et apud Augustinum. lib. de Spirit. et Litter. cap. 19.

[l] Sic mss. omnes, et Ven., editio. Reliqui, *id efficiet.*

[m] Ms. Jol. et edit. Ven., *et sanctum.* Mss. quinque, *sancte.*

[n] Ms. Reg., *ex justo judicio Dei venit.*

[o] Mss. duo., *nec ideo facit injuste.* Ven. edit., *nec ideo injuste est.*

[p] Mss. tres, *Ira est magna Dei, qua*, etc.

Digitized by Google

Ausibus illicitis si nihil obstiterit.
Et magis erranti ne parcant flagra timendum est,
Quam ne non fiat quod voluisse nocet.

XLVIII. *De superbia.*

Omnia vitia in male factis tantummodo valent, sola superbia etiam in [a] recte factis cavenda est

643 Omne genus vitii proprio tantum valet actu,
Et peccata suam quæque gerunt speciem.
Sola est innumeris armata superbia telis,
Cui possunt vires, et bene gesta dare.

XLIX. [b] *De impari usu fortunæ.*

Interest plurimum qualis sit usus, vel earum rerum quæ prosperæ [c] dicuntur, vel earum quæ dicuntur adversæ. Nam bonus [d] temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur; malus autem ideo hujusmodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.

In rebus mundi non idem est omnibus usus,
Nec cuncti paribus cuncta [e] ferunt animis.
[f] Namque bonos non blanda inflant, non aspera frangunt.
Sed fidei invictæ gaudia vera juvant.
Terræ autem, et feni breviter florentis amator
Seu caret optatis, seu fruitur, miser est.

L. [g] *De morte sanctorum.*

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Non enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. [h] Non itaque multum curandum est necessario morituris, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur.

Cuncta bonis prosunt, quos et mors ipsa beatos
Efficit, ut sumant præmia principium.
Ille igitur finis malus est, quem pœna sequetur,
Et qui perpetui porta doloris erit.
Non quo [i] absumentur lacrymæ, cunctique labores:
Ut veteris pereant omnia signa mali.

LI. *De puritate quam* [j] *non perdit invitus.*

Ita non amittitur corporis sanctitas, manente animi sanctitate, [k] etiam corpore oppresso: sicut amittitur sanctitas corporis, violata animi puritate, etiam corpore intacto.

Mens illæsa [l] nihil violato corpore perdit:
Invitam carnis vulnera non maculant.
Nec crimen facti recipit non mixta voluntas:
A Velle magis facinus, quam tolerare nocet.
Sic autem ad cordis penetralia cuncta recurrunt,
Ut plerumque animus sit sine carne reus.
[m] Dum, quod ab intacto semotum est corpore, solus
Concipit, et tectis motibus intus agit.

LII. *De* [n] *fortitudine tolerantiæ.*

Major animus merito dicendus est, qui vitam ærumnosam magis [o] eligit ferre quam fugere; 645 et humanum judicium, maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, præ conscientiæ luce ac [p] puritate, contemnere.

Qui valet adversis oneratam ducere vitam,
Et tolerare magis vult mala, quam fugere,
Majoris multo est animi, quam ferre pavescens
[q] Indocti injustum judicium populi.
Mens etenim recta, et puri sibi conscia cordis,
B Hoc plus splendescit, quo magis atteritur.

LIII. *De humilitate* [r] *justorum.*

Justis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non pœna est criminis, sed virtutis examen. Nam bonus, [s] etiam si serviat, liber est. Malus autem, etiam si regnet, servus est; nec unius [t] domini, sed quod est gravius, tot dominorum quot vitiorum.

Oppressis quoties justis dominantur iniqui,
Non est puniti supplicium meriti;
Sed virtus fidei sub tali examine crescit,
Nec servile gravat libera corda jugum.
Solus peccator servit male; qui licet amplo
Utatur regno, sat miser est famulus;
Cum mens [u] carnalis, nimium dominante tyranno,
Tot servit sceptris dedita quot vitiis.

C LIV. *De oblatione votorum.*

Nemo quidquam [v] Domino recte voveret, nisi ab ipso acciperet quod voveret.

Optima vota Deo, quorum est dator ipse, voventur.
Hoc sursum dignum est ire, quod inde venit.

LV. *De* [x] *essentia Deitatis.*

Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est; [y] et quæ creatura non est, Deus est. Nulla igitur differentia est in deitate Trinitatis: quoniam quod Deo minus est, Deus non est.

Natura omnipotens una est, quæ cuncta creavit,
Et proprie quod sunt, omnibus esse dedit.

[a] Mss. duo, *in rectis factis*. Ms. Colb. unus, *in cunctis factis*; idemque in margine, *in rectis factis*.
[b] Ms. Jol., *De usu prosperi et adversi*. Ms. Theod., *contrariorum*.
[c] Mss. Colb. duo et Theod. omittunt hic, *dicuntur*; unus addit *rerum* secundo.
[d] Ms. Camb. addit, *homo*; et infra, *malus autem jam hujusmodi .... quam felicitate corrumpitur*. Edit. Ven. sola, *hujus mundi infelicitate*.
[e] Mss. duo Colb., *gerunt animis*.
[f] Ms. Colb. unus, *Nam non blanda bonos inflant*.
[g] In ms. Joliensi, *Quod non possit male mori, qui bene vixerit*.
[h] Mss. quatuor, *Non igitur*, etc.; deinde ms. Camb., *hominibus necessario morituris*.
[i] Alias editi cum mss. paucis, *assumuntur*, aut *assumentur*. Melius mss. Colb. tres, *absumentur*, aut Jol., *absumuntur*. Ms. Camb. utrumque exhibet.
[j] Mss. tres, *quam animus*. Ms. Colb. unus, *quam anima non perdit invita*.
[k] Edit. Ven., *in corpore oppresso*; et infra, *in corpore intacto*. Ms. Jol. vero habet, *animæ sanctitate....*
D *animæ puritate*.
[l] Mss. quatuor, *violato in corpore*.
[m] Mss. septem *Cum quod*. In eodem versu mss. quinque, *submotum est*.
[n] Ms. Camb., *De altitudine*.
[o] Ita mss. tres cum edit. Ven. et sent. supra 52. Mss. duo, *diligit ferre*. Editi alii, *potest ferre*.
[p] Ms. Reg. et Ven., *ac animi puritate*.
[q] Mss. quinque, *Injustum indocti*.
[r] Ms. Colb. unus, *sanctorum*. Ms. Camb., *De utilitate justorum*. Ms. Theod., *De malignitate servorum*. Ms. vero Jol. ante sent. 53, *De libera servitute et dominio servili*.
[s] Ms. Reg., *bonus homo*.
[t] Mss. tres, *hominis*. Ms. Reg., *nec est servus unius domini*; deinde, *est servus tot dominorum*.
[u] Ms. Theod., *carnali*.
[v] Edit. Ven., *Deo*. Mss. tres et editi, præter Ven., *acceperit*.
[x] Ms. Theod., *substantia*.
[y] Ms. Regius, *et quæ est creatura, non est Deus*.

Digitized by Google

[a] Quodque Deo minus est, non est Deus. A Patre natum A
Verbum, et qui amborum Spiritus est, Deus est.
Una eademque trium quoniam est essentia, quæ se
Numquam vel major, vel minor esse potest.

LVI. *Quales nos* [b] *diligat Deus.*

Tales nos amat Deus, quales [c] futuri sumus ipsius dono; non quales sumus nostro merito.

Tales a Domino, quales formamur, amamur;
Non quales nostris exstitimus meritis.
Sanctificet, doceat, plantet, riget, excolat, ornet:
**647** Et sibi perpetuo quod placeat, faciat.
Nam nihil est hominis, quod digne possit amari,
Perficiat proprium ni bonus auctor opus.

LVII. *De intemporali opere Dei.*

Ordo temporum in æterna Dei sapientia, sine tempore est, [d] nec aliqua sunt apud illum nova, qui fecit [e] quæ futura sunt. B

Artifice in summo sine tempore temporis ordo est,
Inque Deo rerum non variat series.
Æterno auctori simul adsunt omnia semper,
Cum quo in factorum est ordine, quidquid erit.

LVIII. *De principali rerum omnium causa.*

Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium, spiritaliumque motionum. Nihil enim fit visibiliter ac sensibiliter, quod non de invisibili atque intelligibili summi imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica.

Principium mundi Deus est, quo cuncta moventur,
Et quæ permittit, vel jubet auctor, [f] agunt C
Hinc mutabilium rerum immutabilis ordo,
Æterni servit legibus artificis.
Inque suos fines procedit quæque voluntas,
Nec variis meritis arbiter æquus abest:
[g] Corda regens, vires tribuens, peccata remittens,
Mitis subjectis, implacidus tumidis.
Ut nec pœna malum quemquam, nec gloria justum
Suscipiat, nisi cum laude et honore Dei.

LIX. *De finibus bonorum et malorum.*

Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore justitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult nocere, sibi tamen plurimum nocet, et abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate.

Scire volens, in qua rerum sis parte locandus,
Discute quid timeas, quidve sit id quod amas.
Nam cuncti hoc gemino nascuntur fomite motus,
Respondentque suis germina principiis.
[h] Et quod quisque bonum sibi tempore duxit in isto,
Hoc summi Regis judicio capiet.

LX. *De gaudio Christiani.*

Christiano recta gaudendi causa non præsens sæculum, sed futurum est. Et ita est utendum temporalibus, ne obsint æternis: ut in via, qua peregrini ambulant, hoc placeat quod ducit ad patriam.

Angelicos cives, [i] et Christi in membra renatos,
Non trahat ad veterem carnis origo hominem.
**649** Multa quidem in nostros mundus bona procreat usus,
Et pleno tellus servit opima sinu.
Sed terræ hospitibus, cœli super astra vocatis,
Virtutis palma est spernere [j] blanda soli;
Et sic præsentis spatium percurrere vitæ,
Ipsa peregrinis ne via sit laqueus.
Nam declinantes pro summis ferre laborem,
Terrenorum avidos infima suscipient.

LXI [*Alias* LX]. *De ineffabili excellentia* [k] *Deitatis.*

Excedit supereminentia Deitatis non solum [l] usitati eloquii nostri, sed etiam intelligentiæ facultatem. Verius enim cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur. [m] Non parva autem notitiæ pars est, si ante quam scire possimus quid sit Deus, possumus scire quid non sit.

Nulla quidem mens est mortali in corpore vivens,
Quæ plena videat cognitione Deum.
Sed miris operum signis ostenditur auctor,
Rectoremque suum condita [n] quæque canunt.
Unde licet fandi vires, animique vigorem
Vincat, et excedat gloria lausque Dei,
Nos tamen officio cordis gaudemus et oris,
Et tanto oblectat succubuisse bono.
Hinc fidei virtus, hinc flamma oriatur amoris,
Quod latet, exercet; quod superat, [o] reparat.

LXII [*Alias* LXI]. *De superbia diaboli, et Christi humilitate.*

Diabolus superbus hominem superbientem [p] seduxit ad mortem; Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit, et dejecit consentientem; sic iste humiliatus surrexit, et erexit credentem.

Lætifer [q] immodico naturæ elatus honore
Angelus, inde hominem subruit, unde ruit.
Sed Christus miserans deceptum fraude maligni,
In se illi ad vitam posse redire dedit:

[a] Editio Ven. cum mss. Theod. et duobus Colb. et Regio, *Nam quidquid minus est*. Ms. Jol., *Hac quidquid minus sit*. D

[b] Ms. Cambron., *Deus amet*.

[c] Editio Ven., *facti sumus dono ejus, non quales facti sumus*. Concinit ms. Regius.

[d] Editio Ven., *Nec apud eum aliqua opera fiunt nova*.

[e] Ms. Theod., *quæ ventura sunt*.

[f] Ita mss. omnes nostri. Editi, *agit*. Ms. Colb. unus, *Quæque jubet summus, vel sinit auctor agunt*.

[g] Mss. unus Colb., loco duorum versuum qui sequuntur.

Atque humilis humiles curans, pellensque superbos,
Augens subjectos, despiciens tumidos.

In altero Colb. posterior ex his dumtaxat versus legitur.

[h] Ms. Joliensis, *Nam quod*. Eodem versu ms. Reg., *sibi duxit tempore in isto*.

[i] Ms. Camb., *ad Christi membra renatos*.

[j] Ms. Regius, *blanda solis*. In sequenti vero dystichio ms. Theod., *Et nunc præsentis... Ipsa peregrinis nec via*.

[k] Ms. Camberon., *Dei*.

[l] Ms. Camb. et Ven. edit., *usitatam*.

[m] Alias editi., *Non parvæ*. Mss. quatuor, *Non parva*, ut in sent. supra 61.

[n] Ms. Camb., *cuncta canunt*.

[o] Ms. Colb. unus, edit. Ven. et Lugdun., *reparet*.

[p] Mss. Jol. et Camb., *deduxit*. In sent. 59, *perduxit*.

[q] Mss. tres, *immodice*.

Digitized by Google

Si caveat pactis hostis servire superbi,
Sectari et studeat formam humilis Domini.
Qui Patris in Deitate manens Deus omnicreator,
Verus de sacra Virgine natus homo est.
Sic nostrum assumens Matris de corpore corpus,
Esset ut assumptæ carnis origo Deus :
In quo per lavacrum, [a] fidei virtute renata,
Cœleste [b] accipiet gens nova principium.
Nil hominis primi retinens, sed plena secundi,
Splendore [c] in capitis glorificanda sui.

LXIII [*Alias* LXII]. *De vera beatitudine.*

[d] Omnes beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt continuo sint beati. 651 Continuo autem sunt miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Propior ergo est beatitudini voluntas recta, [e] etiam non adepta quæ cupit, quam prava, etiam si [f] quod concupivit obtinuit.

Non semper vere est felix impleta voluntas :
Cum sæpe [g] injustis sint mala vota animis.
Recta igitur cupiens, etiam si non sit adeptus,
Persistendo tamen velle bonum, bonus est.
At pravus, quod fert animo, si non habet actu,
Tam miser est quam si quod cupit obtineat.

LXIV [*Alias* LXIII]. [h] *Quid sit esse cum Deo.*

Magna hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, sine dubio sine illo non est : [i] et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, neque diligit, cum illo non est.

Majestate Dei concluditur omne quod usquam est :
Qua sine nil rerum stare, vel esse potest.
Huic homo si recte famulatur, proximus hæret;
Si resilit, misero degit in exsilio.
Omnia sic Dominus discriminat ordine justo.
Quo sint summa bonis, ima parata malis.

LXV [*Alias* LXIV]. *De Incarnatione Verbi Dei.*

Divinitas Verbi æqualis Patri facta est particeps mortalitatis nostræ, [j] non de suo, sed de nostro, ut et nos efficeremur participes divinitatis ejus, non de nostro, sed de ipsius.

Omnipotens Genitor, Natusque, et Spiritus almus,
Una in personis par tribus est deitas;
Quæ genus humanum, prostratum fraude maligni,
Ad vitam hac fecit posse redire via :
A Naturæ ut nostræ Christus causæque Redemptor,
Mortalis fieret, non minuens quod erat;
Perque habitum servi vacuaret jura tyranni,
Et lethum letho vinceret [k] innocuo.
Hinc Verbum carni insertum, carnemque receptans,
Nec se confundit corpore, nec geminat :
Sic naturam hominis virtute augente superna,
Esset ut in vero lumine lumen homo.
Qui vires mortis [l] cum vitæ absorbuit haustu;
Factum est æternum quod fuit occiduum.

LXVI. *De eodem* [m].

Catholica fides Dominum Jesum Christum et verum Deum, et verum hominem credit et prædicat. Utrumque enim scriptum est, et utrumque verum est. Qui Deum tantummodo asserit Christum, medicinam negat qua sanatus est. Qui hominem tantum asserit
B Christum, potentiam negat qua creatus est, utrumque ergo, anima fidelis ac recta, suscipe. Et Deus Christus est, et homo Christus est. 653 Qualis Deus Christus? Æqualis Patri, unum cum Patre. Qualis homo Christus? Virginis filius, habens de homine mortalitatem, non habens iniquitatem

Quisquis consilio æterno contraria sentis,
Et Verbum in nostra carne manere negas,
Divinæ pietatis opus dissolvere quæris,
Speque sua mundum dispoliare cupis.
Nam quis ventura quemquam salvabit ab ira ?
Quisve hominis primi crimine liber erit ?
Si deitas Verbi non nostræ est insita carni,
[n] Aut Christus falsi corporis umbra fuit ?
[o] Quis genitus puer est intactæ Virginis alvo ?
Quæ natura annis crevit, et aucta cibis ?
C In qua prole patrem mundi se credidit Abram ?
Quæve ejus stirps est omnia sanctificans ?
[p] Quod regale genus simul est et pontificale ?
[q] Quisve idem David filius et Dominus,
Peccati servis, et mortis compede vinctis,
Unam est dignatus ferre Redemptor opem ?
Qui nostri generis carnem cum morte receptans,
Nostra hosti, ut nobis vinceret, opposuit,
Et carne exuta, dominantem perculit hostem :
Ut caperet palmam præda vetusta novam.

LXVII [ *Alias* LXV ]. [r] *Quo odio odiendi sunt mali.*

Perfectum odium est, quod nec justitia nec scien-

[a] Ms. Colb. unus, *supera virtute renata.*

[b] Mss. duo, *accepit.*

[c] Mss. quinque, *et capitis;* alii codices, *in capitis.*

[d] Mss. Camb. et Jol. et Colb. duo : *Omnes qui habent quod volunt non continuo sunt beati. Continuo autem sunt miseri qui vel non habent quod volunt*, etc.

[e] Ms. Reg., *etiam si non est adepta.*

[f] Mss. quatuor, *quod cupit obtineat.*

[g] Mss. quatuor, *injusti sint mala vota animi.*

[h] Mss. Camberon., Theod., Colb. duo, et Jol., *Quorum sit.*

[i] Editio Ven., *Nam si ejus.*

[j] Ms. Regius, *non de suo vitio, sed de nostro... sed de ipsius dono.* Ms. Colb. unus, *de dono nostro;* et initio, *Divinitas vera*, ubi alii, *Divinitas Verbi*, quamquam alia manu scriptum habeat, *Verbi*. Mss. Theod. et Jol., *sed de suo*, pro, *de ipsius.*

[k] In ora edit. librorum a Lugdun. et deinceps, *immerito.*

[l] Sic mss. quatuor, quorum duo *obsorbuit*, pro *ab-*
D *sorbuit*, scriptum habent. Ms. Camb., *quia vitæ absorbuit haustu.* Editi omnes, *per vitæ absorbuit haustum.*

[m] Hic in omnibus codicibus qui nobis occurrerunt deest titulus novus, aut sententia. In aliquibus indigitatur distinctio aliqua a præcedentibus. In Camberonensi ms. titulus : *De eodem*. Titulum sententiamque posuimus quæ in libro Sententiarum S. Prosperi magis congruere visa est nobis. Idemque præstitum de epigram. 59 et 60.

[n] Ms. Jol., *Et Christus.*

[o] Ita mss. quatuor cum edit. Ven. Alii cum editis reliquis, *Qui genitus*

[p] Mss. quatuor, *Quis regale genus ?*

[q] Ms. Camb., *Quisque idem.* Ms. Jolieus., *Quisque idem David est filius et Dominus.* Primam in *David* produxerant Prudentius et Sedulius, corripuit Fortunatus.

[r] Mss. Theodor. et Jol. et Colb. duo, *Quo odio mali homines sint habendi.*

Digitized by Google

tia caret; id est, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Recte ergo in malis odimus malitiam, et diligimus creaturam : ut nec propter vitium natura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur. A

Recta volens animus sapiens, et amator honesti,
  Quosdam odio dignos judicat esse suo.
Nec tamen hos toto depellit fœdere, gnarus
  Naturam [a] errantum dividere a vitiis.
Sic generi indulgens proprio, ut peccata recidi
  Optet, et ut damnet crimina, non homines.

LXVIII [ *Alias* LXVI ]. [b] *De labore fingentium mendacia.*

Difficilia et laboriosa sunt figmenta mendacii. Qui autem verum vult dicere non laborat. Quietiores enim sunt boni quam mali; et absolutiora sunt verba veridicorum quam commenta fallacium.

Fallaces curis semper torquentur amaris,
  Et mala mens numquam gaudia pacis habet.
[c] Lubrica dum trepido mendacia plasmate fingit,
  Consumens totum [d] tempus in arte mali.
At simplex animus, commenti et liber iniqui,
  Nil amat injustum, nil gerit implacidum.
Sectator veri potietur luce serena,
  Est quoniam mendax, noxque, dolorque sibi.

655 LXIX [ *Alias pars altera* LXVI ]. *De eodem.*

Ad patriam vitæ [e] noctis de valle vocati,
  Virtutum gradibus scandite lucis iter.
Arduus atque arctus fert ad cœlestia callis :
  Devexa ad mortem ducit et ampla via:
Qua fallax [f] tumidi incedit sapientia mundi
  Commentisque suis ludificata ruit,
Et mala corporei sequitur dum gaudia sensus,
  Exsulat a vero lumine cæca procul :
Nec falsarum habitu virtutum ornata juvatur.
  Perdit mens veri nescia, quiquid agit.
Noverit ergo Deum sapiens, totisque medullis
  Diligat, inque ipso se quoque amator amet.
Sit bonus et justus, [g] sit verax, atque benignus,
  Sit forma et speculum, lux et imago Dei.
In Christo factus novus, et jam carne vetusta
  Exutus, vilem mente relinquat humum.
[h] Ut sacri templi quacumque in parte locetur,
Magnum erit, in capitis corpore quiquid erit.

LXX [*Alias* LXVII ]. [i] *De divinis Scripturis.*

Bonæ sunt in Scripturis sanctis mysteriorum [j] Dei profunditates, quæ ob hoc teguntur ne vilescant; ob hoc quæruntur, ut exerceant; ob hoc aperiuntur, ut pascant.

Quamvis in sacris libris, quos nosce laboras,
  Plurima sint, lector, clausa et opaca tibi,
Invigilare tamen studio ne desine sancto.
  Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus quem spes productior edit :
  Ultro objectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem :
  Qui dedit ut quæras, [k] addet ut invenias.

LXXI [ *Alias* LXVIII ]. *De oratione Domini.*

Orans cum sudore sanguineo [l] Dominus Jesus Christus, significabat de toto corpore suo, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones.

Ferre parans Christus pœnam, mortemque propinquam,
  Invictamque suis ingenerare fidem,
Cum prece sanguineas fundebat corpore guttas,
  Et pretium mundi sudor erat Domini.
B Nec crucis asperitas poterat terrere volentem
  Quæ regnaturæ gloria carnis erat.
Sed cruor ille pares sanctis spondebat honores,
  Orturis toto corpore martyribus.
657 Nam, cum sacra seges terrarum impleverit orbem,
  Omnis ab hoc uno semine messis erit.

LXXII [*Alias* LXIX]. *De sacramentorum perceptione.*

Sacramentum [m] pietatis in judicium sibi sumit indignus. Bene enim esse non potest male accipienti quod bonum est.

Magnum præsidium est sacro libamine pasci,
  Si cor participis crimina nulla premunt.
Nam geminat sibimet peccati pondera quisquis
C Quæ bona sunt sumit, quæ mala non refugit.

LXXIII [*Alias* LXX]. *De laudando Deum.*

Qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet etiam in terroribus ultionum. Nam et blanditur, [n] et minatur. Si non blandiretur, nulla esset exhortatio; si non minaretur, nulla esset correctio.

Qui laudat Dominum de mundi conditione,
  Et rerum [o] in specie prædicat artificem,
Laudet et æternam mortem, flammasque minantem,
  Et justi Regis judicium metuat.
Spes de promissis nihil ambigat; omne dabit Rex
  Quod parat, et meritis gratia major erit;
[p] Si properent sontes peccati abrumpere nodos,
  Ante diem mortis, dum locus est veniæ.

LXXIV [*Alias* LXXI]. *De acceleranda conversione.*

Remedia conversionis ad Deum nullis sunt cunctationibus differenda : ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, dissimulanti diem crastinum non spopondit. D

Converti [q] ad mores rectos, et vivere sancte

[a] Ita Mss. quinque cum edito Ven. Alii, *errantem.*
[b] Mss. quinque, *De labore fallentium.*
[c] Ms. Regius, *Ludicra.*
[d] Ms. Colb. unus, *cordis in arte malum.*
[e] Edit. Ven. et mss. quinque, *de noctis valle.*
[f] Ms. Colb. unus, *tumide incedit.*
[g] Ms. Colb. unus, *sit verus.*
[h] Ms. Camberon., *Et sacri templi.*
[i] Mss. Colb. duo et Camb., *De utilitate divinarum Scripturarum.* Ms. Theod., *De profunditate divinarum Scripturarum.* Ms. Joliensis, *De humilitate divinarum Scripturarum.*
[j] Abest vox hæc *Dei* a mss. duobus, et libro Sententiarum, sent. 67.
[k] Ms. Colb. unus addit, *ut invenias.*
[l] Mss. tres et Venet. edit., *Dominus noster.*
[m] Mss. quatuor, et Ven., *summæ pietatis.* Ms. Colb. unus deinde post pauca, *indignus homo.*
[n] Mss. Camb. et Theod., *Etenim.* Mss. Colb. unus, *Non enim blanditur, et non minatur.* Ms. Jol., *Nunc blanditur, et nunc minatur.* Edit. Ven., *Nunc enim in se blanditur et nunc minatur.* Ms. Regius, *Nunc enim blanditur, et nunc minatur.*
[o] Editi, præter Ven., *in speciem.* Melius, *in specie*, ex Ven. et mss. quinque.
[p] Ms. Theodor., *Sed properent.*
[q] Ms. Camb., *ad mores sanctos, et vivere recte.* Item Colb. unus.

Digitized by Google

In Christo meditans, quod cupit acceleret.
Cedant virtuti vanarum obstacula rerum,
Ne perdat voti tempora lenta fides.
Quid juvat in longum causas producere morbi?
Cur dubium exspectat cras hodierna salus?
Scimus correctis veniam non esse negandam,
Sed nulli nostrum est ultima nota dies.

LXXV [*Alias* LXXII]. *De timore* [a].

Omnia quæ timentur rationabiliter declinantur: [b] Deus sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur.

Utile prudenti est mundana adversa cavere,
Et quod [c] vitandum prospiciat, fugere.
Sed cum peccati merito manus Omnipotentis,
Omnia concludens arctat ubique reum:
Unum [d] profugium tutum est Deus ipse timenti,
**659** A quo discedens, ne pereat, redeat.
Converti namque ad Dominum certissima vita est,
Et pacem offensi quærere, sola salus,
Qui terret, parcit; qui percutit, ipse medetur.
Vivere vis, illi subdere, quem metuis.

LXXVI [*Alias* LXXIII]. *De virginitate* [e].

Virginitas carnis, [f] corpus intactum; virginitas animæ, fides incorrupta.

Carnis virginitas intacto corpore habetur:
Virginitas animæ est intemerata fides,
Qua sine corporei nil prodest cura pudoris;
Sed mentis pietas auget utrumque bonum.

LXXVII [*Alias* LXXIV]. *De modo habendi.*

Multa nos in facultatibus nostris habere superflua [g] probabimur, si necessaria sola retineamus. Nam vana quærentibus nihil sufficit; et alienorum quodam modo retentor est, qui profutura pauperibus inutiliter habet.

Magnum peccatum est amor immoderatus habendi,
Et plus quam vitæ sufficiat, cupiens.
Nam quod nos vestit, quod pascit, cura salutis,
Si vanis sit mens libera, non onerat.
Si qua igitur superant, quorum non indiget usus,
Debilibus prosint, atque juvent inopes.

A Quisquis enim cupide [h] non expendenda recondit;
[i] Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

LXXVIII [*Alias* LXXV]. [j] *De divitiis.*

[k] In magna egestate sunt qui de iniquitate sunt divites: justitiæ opes et sapientiæ thesauros non habent. Qui autem [l] Domino serviunt, ea bona acquirunt, quæ perire non possunt.

Terrenis opibus cum dives gaudet iniquus,
Veris se miserum nescit egere bonis.
Nam quid erit, quod non momento temporis uno
Perdere mundana conditione queat?
[m] Cui licet, adversis cessantibus, omnia parcant;
Lege tamen mortis sit faciendus inops.
At bona justorum nullis obnoxia damnis,
Hostes, furta, ignes, et mare non metuunt.
Indemnis servat proprium sapientia censum,
B [n] Nec perdunt meritum paxque fidesque suum.
Omnis virtutum semper substantia salva est,
Invitis Christi munera nemo rapit.

**661** LXXIX [*Alias* LXXVI]. *De vera bonitate.*

Non sufficit abstinere a malo, nisi [o] fiat quod bonum est. Et parum est nemini nocere, nisi studeas, multis prodesse.

Dignus laude quidem est, vitam sine crimine ducens,
Et quæcumque sibi [p] sunt nocitura, cavens.
Sed non hoc pietas contenta est limite claudi,
Nec [q] justo, vetitis abstinuisse, sat est.
Major cura boni est, fratrum relevare labores,
[r] Et ferre optatum tristibus auxilium:
Pascere jejunos, nudos vestire, ligatos
C Solvere, discordes conciliare sibi,
Et quæcumque homines miseri solatia quærunt,
[s] Hæc, ut possibile est, promere corde pio.
[t] Ut recti vere cupidus, vereque benignus,
Quæ mala sunt fugiat, quæ bona sunt faciat.

LXXX [*Alias* LXXVII]. [u] *De mali impunitate.*

Peccator cum peccat, [v] non ideo a Domino non videtur, quia male agentis pœna differtur: gra-

[a] Ms. Camb. addit, *Dei*; mss. Colb. duo et Theod. addunt, *recto*.

[b] Ms. Camb., *Sic autem Deus*.

[c] Editi, *vitandum est*. Melius mss. plures omittunt, *est*.

[d] Mss. tres, *perfugium*.

[e] Ms. Camberon. addit, *animæ et corporis*.

[f] Mss. Camb. et Regius, *est corpus.... est fides*.

[g] Edit. Ven., mss. Colb. unus et Theod., ut in sentent. 80 supra, *probabimur*. Edit. Lugd. et Lovan., *probamur*. Duac. et Colon., *probamus*. Mss. Jol. et Camb., *probabimus*.

[h] Ita mss. quatuor; quibus accedere videtur edit. Ven., ubi *expandenda*, pro *expendenda* legimus. Alii editi, *expedienda*. Ms. Reg., *expetenda*.

[i] Mss. duo Colb., *Quæ nullis tribuit*.

[j] Ms. Theodor., *De egestate divitum*. Mss. Colb. duo et Camb., *De differentia divitiarum*; item Joliensis, qui tamen ex lapsu scribæ, pro *divitiarum*, habet *divinorum*.

[k] In hac sententia, ubi mira inter codices occurrit varietas, editio Lugdun. et posteriores, ut in textu, juxta sententiam supra 85. Mss. Theodor. et Colb. unus, *In magna egestate sunt divites justitiæ opes et sapientiæ thesauros non habentes*. Mss. Colb. alter, Joliensis, et Camberon., *divites justitiæ inopes, et sapientiæ thesauros non habentes*. Easdem voces habet editio Ven., sed diverso modo dispositas.

[l] Ms. Colb. unus et Theod., *Deo serviunt*. Ms. Camb., *ea bona requirunt*. Ms. Colb. unus, *quæ sibi perire non possunt*.

[m] Mss. Regius et Theodoric. et editio. Ven., *Cum licet*.

D [n] Versus hic, qui in cæteris omnibus antepenultimus legitur, ultimus est in ms. Camberonensi.

[o] Ms. Camb., *faciat*. Idem ac ms. Reg. postea, *studeat*. Editio Ven., *studeatur*. Reliqua ut supra in textu.

[p] Ms. quatuor, *sibi scit nocitura*; edit. Ven., *sint nocitura*.

[q] Ita mss. Colb. unus et Camberon. Alii, *justis*.

[r] Mss. Colb. duo, *Et fieri*. Ms. Theodoric., *Et ferri*.

[s] Mss. quinque, *Hæc*. Alii codices, *Hoc ut possibile est*.

[t] Ms. Camberonensis, *Et recti*.

[u] Mss. Colb. duo et Theodor., *De impunitate peccantis*. Ms. Joliensis, *De mala impunitate*. Ms. Camberon., *De impunitate peccandi*.

[v] Editio Ven. sola, *ideo a Domino non videtur*; et post aliquot lineas, mss. Colb. duo, *correptio denegatur*.



Digitized by Google

vius autem in eum decernitur, cui etiam ipsa correctio denegatur.

Gaudet transgressor peccato impune potitus,
Si non infertur debita pœna reo.
Ceu nulla offendant hominum commissa Tonantem,
Aut aliqua Excelsi notitiam lateant.
Sed vetitorum avidis gravior tunc ira timenda est,
Cum sese removent verbera justitiæ.
Nam quid erit morbi, quod non dominabitur illi,
[a] Cui supera auxilium jam medicina negat?

LXXXI [*Alias* LXXVIII]. *De gaudio* [b] *recto.*

Non potest umquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Æterna [c] enim exsultatio est quæ bono lætatur æterno.

Felices fere faciunt, semperque beatos,
De vero et summo gaudia nata bono.
Nam mundi ex opibus brevis ac peritura voluptas,
Edita perpetuæ semina mortis habet.
Non placeat vanis animum [d] submittere rebus,
Pestiferisque avidam mentem [e] onerare cibis.
Cor mundum et sapiens fructu virtutis alatur,
Et Christi in nostro pectore regnet amor,
Quo semel impletus, numquam vacuabitur illo.
Æterna æterni flumina fontis erunt.

663 LXXXII [*Alias* LXXIX]. *Quid hominem Deo jungat.*

Deo, qui ubique est, non locis, sed actionibus, aut longinqui, aut proximi sumus, quia sicut separat dissimilitudo, ita nos illi [f] conjungit imitatio.

[g] Ambitum mundi totum Deus implet et ambit,
Nec præsens ulli desinit esse loco.
A quo longinquus multum est, nimiumque remotus, C
Quisquis sinceræ luce caret fidei:
Cujus si radiis, depulsa nocte nitescat,
Divino impletus lumine lumen erit.
Non igitur terrarum orbis, non æquora ponti
Invia circuitu sunt obeunda vago,
Ut possit rerum dominator et auctor adiri,
[h] Quem templo in cordis mens pia semper habet.
A quo ut dissimilis [i] tetra in deserta recedit,
Sic vitæ merito proximus est similis.

LXXXIII [*Alias* LXXX]. *Quod* [j] *tota infidelium vita peccatum sit.*

Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono. Ubi enim deest agnitio A æternæ et incommutabilis veritatis, [k] falsa virtus est, etiam in optimis moribus.

Quamvis multa homini post vulnera prima supersint,
Quæ vitam hanc faciant laudis habere decus:
[l] Si tamen ingenio claro et probitatis amori
Fons desit fidei, subdita corda rigans;
Cunctarum frugum marcescit inutile germen,
Nec fruitur vero lumine falsus honor.
Ignoratus enim Deus, et non credita virtus,
Quæ vera ad summum provehit arte bonum,
Non sinit eniti regna ad cœlestia mentem,
[m] Obstructam vanis, occiduisque gravem.
Perque omnes calles errat sapientia mundi,
Et tenebris addit, quæ sine luce gerit.

B LXXXIV [*Alias* LXXXI]. [n] *De sabbato.*

Male celebrat sabbatum, qui ab operibus bonis vacat. Otium autem ab iniquitate debet esse perpetuum, quia bona conscientia non inquietum, sed tranquillum facit [o].

Non recto servat legalia sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum.
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos:
[p] Omnia conveniunt tempora justitiæ.
Nec corrumpuntur virtutibus otia sancta:
Tantum a peccatis libera corda vacent.

LXXXV [*Alias* LXXXII]. *De vera libertate.*

Libera semper est servitus apud Deum; cui non necessitas servit, sed charitas.

665 Libertas nulla est melior, majorve potestas,
Quam servire Deo, cui bene servit amor.
C Absque jugo posita est ditionis amica voluntas:
Quæ viget affectu, non gemit imperio.

LXXXVI [*Alias* LXXXIII]. *De superbia* [q].

Quo primum vitio superatus est homo, [r] hoc ultimum vincit. Cum enim omnia peccata superaverit, manet periculum ne mens bene sibi conscia in se potius quam in Domino glorietur.

Qua primum in mortem est homo pulsus fraude maligni,
Hanc illi extremam bella [s] peracta movent.
Sublimes ut cum palmas clarasque coronas
Sumpserit, atque hostem subdiderit pedibus,
Virtuti propriæ velit assignare triumphum,
Non Domino, cujus munus opusque fuit.
In quo uno semper superat qui non superatur;

[a] Ms. Theodoric., *Cui vera.*
[b] Ms. Joliensis a prima manu, *utili*; ab altera, *recto*. Ms. Camb. addit. *in Christo habito.*
[c] Mss. tres, *autem.*
[d] Mss. quinque, *subnectere.*
[e] Ms. Regius, *onerare curis.*
[f] Mss. quatuor et edit. Ven., *jungit imitatio.*
[g] Mss. septem, *Omnem habitum mundi totus Deus.*
[h] Ms. Joliensis, *Quem in templo.* Mss. Colb. tres omittunt præpositionem *in.*
[i] Ms. Camb., *terræ in deserta.*
[j] Ms. Camberon., *omnis.* Eodem modo habetur etiam in Ven.
[k] Mss. duo et edit. Ven., *falsa etiam virtus est in optimis moribus.* Ms. alter Colb., *falsa etiam ibi virtus est.*
[l] Ms. Joliensis solus aliter habet, scilicet:

D Si non ingenio claro, et probitatis amori,
Fons adsit fidei, etc.

[m] Mss. quinque, *Obstrictam vanis.*
[n] Mss. quatuor, *De observantia sabbati.*
[o] Mss. tres et Ven. editio addunt *animum.*
[p] Ms. Joliensis:

Omnia justitiæ tempora conveniunt.

[q] Mss. quatuor subjiciunt, *quam boni ultimam vincunt.*
[r] Ms. Jol., *hoc ad ultimum.* Ms. Theodor., *hoc ultimum vincitur.* Mss. Colb. duo, *ad ultimum vincunt.*
[s] Ita in omnibus codicibus nostris, præter ms. Regium, qui habet *parata*, pro *peracta*; suspicamur tamen posse aliter legi, nimirum.

Hæc illi extremum bella parata movet.

Digitized by Google

Quo dignante manum subdere, nemo cadit.

LXXXVII [*Alias* LXXXIV]. *De diligendo Deum* [a].

Non poterit hominis labor finiri, nisi hoc diligat quod ei non possit auferri.

Ancipitis vitæ qui vis superare labores,
  Dilige quod semper verus amator habet.
Instant terrenis infesta pericula rebus,
  Fervent pro damnis prælia, proque lucris.
Et nihil est inter carnalia vota quietum,
  Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.
In solo est mens tuta Deo, quem linquere nolens,
  Numquam erit æterno non opulenta bono.

LXXXVIII [*Alias* LXXXV]. *De adulationis vitio.*

Adulantium [b] linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur.

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat,
  Et delectatum crimine laude ligat.
Nulla sit ut lapso reparandæ cura salutis,
  Blanditur sonti dum malesuasus honor.
Libera sit potius vox [c] correctoris amici,
  Serpere nec fibris cæca venena sinat.
[d] Nec credens medici verbis fallacibus æger,
  Noxia laudatæ vulnera pestis amet.

LXXXIX [*Alias* LXXXVI]. *De martyribus non baptizatis.*

[e] Qui etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet [f] ad abolenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis.

Si mundo moritur divino fonte renascens,
  **667** Fitque novus vita, qui sepelitur aqua:
[g] Fraudati non sunt sacro baptismate Christi,
  Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit.
Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri,
  Id totum implevit gloria martyrii.

XC [*Alias* LXXXVII]. *De venia,* [h] *qua etiam justi indigent.*

Justitia nostra, quamvis vera sit, propter verum boni finem ad quem refertur, [i] tamen tanta est in hac vita, ut potius remissione peccatorum constet quam perfectione virtutum.

Magna quidem in multis est excellentia sanctis,
  Quorum [j] animos superi gratia roris alit.

A Sed dum mens quædam patitur mala corporis ægri,
  Et pugnam [k] interius exteriora movent;
Numquam ita perfecto capitur victoria bello,
  Vera ut securus pace fruatur homo.
Inter discordes motus contagia serpunt,
  Ipsaque virtutum gaudia vulnus habent.
[l] Ut faciat cunctis longa experientia notum,
  Non esse hoc plenam tempore justitiam:
Ni Dominus miserando lavet delicta suorum;
  Et dans virtutum munera, det veniam.

XCI [*Alias* LXXXVIII]. [m] *De causis incognitis operum Dei.*

Incognitis causis operum divinorum, non nihil novimus, cum scimus non sine ratione Omnipotentem facere, unde infirmus humanus animus rationem non potest reddere.

B Divinorum operum secretas noscere causas
  Humanis non est possibile ingeniis.
Nec nullo tamen intuitu speculatur operta,
  Qui multa ut lateant scit placuisse Deo.
In quo mens imbuta fide simul omnia discit,
  Perque operum speciem [n] suspicit artificem,
Fingentem rebus formas, loca, tempora, motus,
  Mensuris, numeris, ponderibusque suis.
Scrutari [o] ne cura procax obstrusa laboret,
  Cui cuncta in Christo nosse, et habere datur.

XCII [*Alias* LXXXIX]. *De non desperandis* [p] *peccatoribus.*

Non est desperandum de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosius supplicandum. Quia numerus sanctorum de numero semper est auctus [q] impiorum.

C Ut morbo [r] oppressis præstanda est cura medendi,
  Donec in ægroto corpore vita manet;
Sic pravis, multa et vitiorum mole gravatis,
  **669** Sanctarum pietas est adhibenda precum.
Ut dum possibile est mutari corda malorum,
  Horrescat noctis devia lucis amor,
Conversisque novam mentem det gratia Christi,
  Qua fiunt homines justificante boni.

XCIII [*Alias* XC]. [s] *De quærendis præsidiis in pace.*

In tranquillitate pacis comprehendenda est doctrina sapientiæ, quæ inter tribulationum turbines diffi-

[a] Titulus hic ex Camb. ms. habetur. Sententiam ex libro Sententiarum alias 135, quæ aptior visa est, addidimus. In hujus capite erat summatum, *De laboris fine.*

[b] Ms. Regius, *lingua alligat.*

[c] Ms. Theodoric., *correptoris.*

[d] Ms. Colb. unus., *Ne credas. . . . Noxia laudantem.*

[e] Mss. quatuor, et edit. Ven., *Qui nondum.* Ms. unus, *Qui non.*

[f] Ms. Regius et edit. Ven. addunt hic, *effusio sanguinis.*

[g] Editio Ven., *Non sunt fraudati.*

[h] Hæc verba, *qua etiam justi indigent*, adduntur ex Mss. quatuor. Aberant a reliquis codicibus. Ms. Theodoric., *De justitia nostra.*

[i] Edit. Ven., *tanta est in hac vita fragilitas, ut,* etc. Ms. Reg., *tamen est tanta in hac vita humana fragilitas, ut potius in remissione.*

[j] Mss. tres, *animas.*

[k] Mss. quinque, *internis.*

[l] Sic disponitur versus in mss. sex et edit. Ven. In aliis vero,

Ut faciat notum longa experientia cunctis.

D [m] Mss. tres, *De incognoscibilibus.* Titulus erat in aliis aut nullus, aut hic, *De causis incognitis*, addidimus *operum Dei*, ex prioribus verbis sententiæ, hic et in libro Sentent. sent. 171.

[n] Alias editi, *suscipit artificem.* Mss. quatuor, *suspicit*, id est, conspicit et cognoscit. *Invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Rom. I, 20.

[o] Mss. quatuor habent, *ne cura procax.* Alii, *nec cura.*

[p] Ms. Theodor., *malis.* Ms. Jol., *Quod non desperandum de peccatoribus.*

[q] Ms. Theodoric., *peccatorum.*

[r] Mss. quinque, *obsessis.*

[s] Mss. tres, *De tranquillitate.* Quartus addit vocem, *pacis.* Alter, *De providentia pacis.* Reliqui, *De quærendis præsidiis*, cui additum a nobis *in pace* ex titulo sent. supra 169.

Digitized by Google

culter agnoscitur. Nec facile inveniuntur in adversitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita.

Dum non perturbant animum discrimina mundi,
Dumque diem pacis prælia nulla [a] premunt;
Exercere fidem divinis convenit armis,
Consilioque omnes anticipare minas.
Tranquillam et curis vacuam sapientia mentem
[b] Imbuet, et placidi pectoris hospes erit.
Nam quod non fuerit conceptum corde quieto,
Acquiri in sævo turbine non poterit.

XCIV [*Alias* XCI]. [c] *De bonis quæ nemo amittit invitus.*

Potest homo invitus amittere temporalia bona; numquam vero, nisi volens, perdit æterna.

Omne bonum mundo concretum, et tempore partum
Quacumque amitti conditione potest.
[d] Et quamvis damnis vigilanter cura resistat,
Sæpe tamen propriis dispoliatur homo.
At bona, quæ vere bona sunt, nec fine tenentur,
Semper habet, quisquis semper habere cupit.
Nec vim ferre potest [e] Christo subnixa voluntas,
In quo persistens omnia vincit amor.

XCV [*Alias* XCII]. *De remediis tribulationum.*

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus quam ægrotus. Si autem id postulat quod Deus præcipit [f] et promittit, fiet omnino quod poscit. Quia accipit charitas, [g] quod parat veritas.

Inter mundanæ mala conflictantia vitæ,
Sæpe [h] quibus Domini corripitur populus,
Qui tempestatum varia sub clade laborant,
Noscant [i] se justi ferre flagella Dei:
[j] Atque ipsum toto gemitu planctuque precentur,
Ut, qua scit, miseris auxilietur ope.
Non etenim proprio arbitrio curabitur æger.
Nec vero leges ipse dabit medico.
Morbida rimetur penetralia dextra salutis,
Et depressa gravi viscera peste [k] levet.
671 Absque dolore quidem nequeunt [l] mala sueta repelli:
[m] Sed quod læserunt dulcia, amara novant.
Pœniteat morum, et vitiis virtute fugatis,
Regnum peccati respuat aula Dei.
Ad veniam tendunt justi [n] pia verbera Regis.
Ira brevis rectis gaudia longa dabit.

XCVI [*Alias* XCIII]. [o] *De bello intestino.*

Actio in hac vita pia est, Deum colere et in ejus A gratia contra vitia interna pugnare, eisque usque ad illicita instigantibus cogentibusve non cedere: et ubi ceditur indulgentiam, atque ut non cedatur adjutorium Dei, affectu religiosæ pietatis exposcere. In paradiso autem, si nemo peccasset, non esset actio pietatis expugnare vitia, quia felicitatis esset permansio vitia non habere.

Numquam bella bonis, numquam discrimina desunt,
Et cum quo certet, mens pia semper habet.
Quæ carnem oblectant, sancto sunt noxia cordi,
Contra animi legem prælia corpus habet.
Pulsant exterius diversis motibus hostes,
Intus civile est et sociale malum.
Ut possit mundi illecebris vitiisque resisti,
Vis est corporei mortificanda hominis.
Sed quæ mens recto famulam sub jure tenebit,
B Edomitæ ut regnet carnis in officiis;
Excelso nisi quæ servit, bene subdita Regi,
Unde est facta volens, fiat [p] et inde valens?

XCVII [*Alias* XCIV]. *Nullam mali esse naturam.*

Omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Cum itaque universæ naturæ per Verbum Dei factæ sint, iniquitas per ipsum facta non est. Quia iniquitas nulla substantia est, et peccatum non natura est, sed vitium naturæ, id appetentis quod non est ordinis sui.

Per Verbum omnipotens Deus omnia condidit unus,
A quo natura est nulla creata mali.
Et quod non fecit dives sapientia Verbi,
Non habet in rerum conditione locum.
Nulla igitur vitiis substantia, nullaque vita est,
C Quæ vegetet corpus, [q] materiamque suam.
Sed cum libertas discedit ab ordine recto,
Nec servant proprium quæ bona sunt, modulum,
[r] In culpa et vitio est vagus in contraria motus,
Fitque malum veram deseruisse viam.
In quam si toto properet quis corde reverti,
Nullus neglecti limitis error erit:
Totaque [s] deleti peccati pœna peribit,
Condita in integrum restituente Deo.

XCVIII [*Alias* XCV]. *De petitionibus contrariis* [t] *Deo.*

Deus cum aliquid male poscitur, dando irascitur, non dando miseretur.

673 Cum Deus [u] effectum precibus non præstat iniquis,
Multum concedit, quod nocitura negat.
Errantes voto non vult delinquere facto,
Iratus sineret, quod prohibet placidus.

[a] Sic mss. septem cum edit. Ven. Cæteri, *movent.*
[b] Ms. Joliensis, *imbuat.*
[c] Mss. quinque, *De bono quod nemo invitus perdit,* aut *amittit;* unus, *accipit.*
[d] Ms. Camberon., *Ut quamvis..... dispolietur.* Ms. Theodoric. habet etiam, *dispolietur.*
[e] Ms. Regius, *Christo submissa.*
[f] Mss. sex. et edit. Ven. non habent hic, *et promittit.* Habetur in libro Sententiarum sentent. 213.
[g] Ms. Regius, *quod parat Dei veritas.*
[h] Ita mss. quinque. Alii libri, *quidem,* sensumque finiunt comate in fine hujus versus.
[i] Ms. Joliensis, *se juste.*
[j] Ms. Colb. unus, *Adque ipsum.*
[k] Ms. Regius et editio Ven., *lavet.*

D [l] Ms. Joliensis, *male sueta repelli.*
[m] Ms. Reg., *sed quæ læserunt dulcia.* Mss. quatuor, *amara novant.* Ms. Jol., *amara novent.* Editi omnes, *amara movent.* Non tam bene.
[n] Ms. Camberon., *per verbera.*
[o] Titulum addimus ex mss. Theod. Jol. et 2 Colb. In Camb., *De eodem.* Sententiam ex Prosperianis quæ maxime convenire credita est.
[p] Mss. duo, cum edit. Ven. et Lugd., *ut inde.*
[q] Mss. tres, *materiamve suam.*
[r] Ms. Jol., *In culpæ vitio est.* Ms. Colb. unus, *In culpa est vitio vagus.*
[s] Mss. septem, *deleti.* Editi omnes, *debenti.*
[t] Mss. tres carent hac voce, *Deo.*
[u] Mss. tres, *effectus.*

Digitized by Google

Discat felici supplex gaudere [a] repulsa,
Incipiatque animo pellere quod voluit.
Parcentemque Deum noscat sibi, cum ruituros
Non exaudiri, ne rueret, meruit.

XCIX [*Alias* XCVI]. *De judiciis Dei* [b].

Nullo modo judiciis hominum comparanda sunt judicia Dei, quem non dubitandum est esse justum, etiam quando facit quod hominibus videtur injustum.

Judicium humanum, quod falli sæpe necesse est,
Non semper recipit regula justitiæ.
At Domini in cunctis æqua est veraxque potestas,
Aspectum cujus nulla remota latent.
Talis laudetur judex, timeatur, ametur,
Qui vere justus permanet atque bonus :
[c] Adversos revocans, conversis cuncta remittens,
Atque malis veniam dando bonos faciens.
Non ergo audacter mens veri nescia culpet,
Quod placuit summi judicis arbitrio.
Sed subdat sese justo ignorantia Regi,
Qui numquam quæ sunt [d] non bona velle potest.

C [*Alias* XCVII]. *De cohibenda* [e] *ira*.

Nulli irascenti ira sua videtur injusta : unde ab omni indignatione cito redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facile in ejus odium transit, cui non celeriter [f] ignoscitur.

Nemo suæ mentis motus non æstimat æquos,
Quodque volunt [g] homines, se bene velle putant.
Unde animus celeri pace est revocandus ab ira :
Ne robur sævis tempora dent odiis.
Offensas sibimet parcentia corda remittant,
Nam nemo est qui non indigeat venia :
Quam nostri memores, mundi inter vana vicissim,
Omnibus in causis, et damus, et petimus.

CI [*Alias* XCVIII]. *De fine sanctorum*.

Cultor justitiæ, divinæ et pacis amator,
Quem vocat ad summum vita beata bonum :
Scandere constanter dextros adnitere calles,
Despiciens lævæ noxia plana viæ.
Tutius est duros mundi tolerare labores,
Infestique hostis prælia sæva pati,
Quam [h] victum officiis animum submittere blandis,
675 Captaque servili subdere colla jugo.
Tempore [i] in occiduo non longi est usus honoris,
Et celeri lapsu gaudia falsa fluunt.
A Finem igitur proprii sapiens speculabitur ævi,
Et via [j] qua currit, quo ferat aspiciet.
Nam mundo [k] innexis pars est cum principe mundi;
At servis Christi gloria Christus erit.

CII [*Alias* XCIX]. *De desideriis carnis castigandis*.

Corporeos inter sensus, moribundaque membra
Multa animus patitur carnis ab hospitio :
Quæ vitæ, de qua vivit, contraria quærens,
Legem vult mentis solvere lege sua.
Sed prudens præsul famulam frenare rebellem
Æterni Regis [l] discat ab imperio ;
Et verum accipiens supero de lumine lumen,
Noctem peccati cordis ab æde fuget.
[m] Nam quia cuncta Deus bona condidit, ipsaque nostri
Exsilii regio est pulchra decore suo;
B Auditus, visus, [n] gustus, contactus, odorque,
Præberi gaudent undique quod placeat.
Fitque nocens homini præsentis temporis usus,
Si captum blandis inferiora ligant.
Mens igitur sapiens, superas [o] enitere ad arces,
Et summis fieri suesce beata bonis,
Delicias jam nunc promissi concipe regni,
[p] Virtute atque fide quod cupis esse tene.
Neve ad spem dubiam frustra te currere credas ;
Naturæ in Christo prospice [q] liba tuæ.
A quo susceptum si te non ambigis esse,
Totus homo in capitis corpore semper eris.
Tantum ut jussa velis [r] nutu observare docentis,
Quis [s] quod ait verbo, prævenit auxilio.

C CIII [*Alias* C]. *De altitudine fidei, spei et charitatis*.

In Deitate gradus, [t] mensura et tempora non sunt :
Et, quod idem est, [u] majus non habet atque minus.
Corporeæ longe moles formæque [v] recedant,
Virtus summa caret finibus et spatiis :
[x] Quod Pater, hoc simul est Verbum Patris, hoc utriusque
Spiritus. Hic Deus est unus, et una fides :
[y] Per quam verorum spes non incerta bonorum
Sublimem [z] ignito scandit amore viam.
677 Et prægustata superi dulcedine roris,
Doctrinis pasci gaudet apostolicis.
[aa] Tu qui ergo indignas non vis incurrere curas;

[a] Mss. tres, *repulsu*.
[b] Mss. tres addunt, *non comparandis judiciis hominum*.
[c] Ms. Camberon., *Aversos revocans*, et initio pentametri sequentis, *Deque malis veniam*.
[d] Ms. Theodoric., *ni bona velle potest*.
[e] Ms. tres, *iracundia*. Ms. Jol. tantum, *De ira*.
[f] Mss. tres, *ignoscit*.
[g] Ms. Colb. unus, *omnes, hoc bene velle putant*.
[h] Mss. duo, *vinctum*. Alii, *victum*. Ms. Camb.,

Quam victum vanis animum submittere rebus.

[i] Ms. Colb. unus, *nam occiduo*; et postea, *non longe est*, in quo ultimo Camb. convenit.
[j] Mss. tres, *quam currit*.
[k] Ms. Camb., *innixis*. Et in alio versu. Ms. Colb., *ut servis*.
[l] Mss. sex, *discit*. Et secundo post versu, *fugat*.
[m] Mss. tres cum Ven. edit., *Nam quia*. In aliis, *Nam quæ*.

D [n] Mss. tres et Ven. editio, *contactus, gustus, odorque*.
[o] Sic mss. omnes cum Ven. edit. Aliæ, *adnitere*.
[p] Ms. Reg. et Camb., *virtute et fidei*.
[q] Mss. duo, *membra tuæ*.
[r] Ms. Reg., *nutu servare*. Ms. Colb. unus, *nutu complere*. Ms. alter Colb., *nutu admoveare*. Alter, *et moveare*. Ms. Jol., *ac moveare*.
[s] Mss. quatuor, *quod agit verbo*. Unus ex his, *provehit auxilio*.
[t] Mss. tres, *mensuræ*.
[u] Ms. Theodor., *magis*.
[v] Ms. Camb., *recedunt*.
[x] Ita legitur in mss. et editione Ven., at in aliis :

Quod Pater, hoc Verbum Patris est, simul hoc utriusque.

[y] Mss. duo, *Per quem*.
[z] Ms. Camb., *noto*; edit. Ven., *ignoto*.
[aa] Edit. Ven. :

Indignas quisquis non vis incurrere causas

Digitized by Google

Innecti vanis occiduisque cave.
Mortalis vitæ brevitas non multa requirit,
Paucorum exigui temporis usus eget.
[a] Esse volens, gaudere optans, scire abdita quærens,
Ut te non teneant [b] infima, summa pete.
Delectare Deo rege, in cœlestibus esto,
Et quæ spe sequeris, credita amore tene.
Nulla in te maneant hominis vestigia primi,
Nec formam veteris gestet imago novi.
Exsulta agnoscens te Verbi in carne renatum,
[c] Cujus si pars es, pars tua Christus erit.
Qui, ne damnandi legeres mala gaudia mundi,
Promissum ad regnum se tibi fecit iter.

CIV [*Alias* CI]. *De confitendo uno Deo.*

Quod Pater cum Christo facit, Christus facit; et quod Christus cum Patre facit, Pater facit: nec seorsum aliquid agit inseparabilis charitas, majestas, potestas. Sicut ipse Dominus dicit, *Ego et Pater unum sumus.*

Cum Pater in Verbo sit semper, et in Patre Verbum,
Sitque unus [d] Verbi Spiritus atque Patris;
Sic de personis tribus est tibi non dubitandum,
Unum, ut docta fides, confiteare Deum.
Corde Patris genitum creat, et regit omnia Verbum,
Nec tamen est aliquid quod sine Patre gerat.
Unus enim [e] amborum motus, ratio una volendi est,
Par virtus, idem spiritus, unus amor.

Mss. Camb. et Colb. tres, *Quisque ergo*. Ms. Jol., *Quisquis ergo*.

[a] Ms. Theodoric., *Posse volens.*

[b] Mss. quatuor, et editio Ven., *ultima*. Alii, *infima.*

[c] Ms. Colb. unus, *Pars si cujus eris.*

[d] Mss. sex et Ven., *sitque unus*. Alii codices, *sitque idem.*

[e] Edit. Lovan. et posteriores cum aliquot mss., *unus en amborum.*

[f] Mss. Reg. et Colb. unus, et edit. Ven., *Sic magnus Deus est.* Ms. Colb. alter. *Se magnus Deus est.* Ms. Jollensis, *Hic magnus Deus est.*

CV [*Alias* CII]. *De eodem.*

Dei Filius Deus vitam habere in semetipso, sicut habet Pater, non participando adeptus est, sed nascendo. Vitam enim genuit Pater vita; nec differt in aliquo essentia gignentis et geniti, cum sic ex Patre sit Filius, ut consempiternæ æqualitatis, non una quidem persona, sed una sit Deitas.

[f] Sic Deus est magnus, de se valet, et manet in se,
Cui summum et proprium est, semper id esse quod est.
Splendet enim [g] verum vero de lumine lumen,
Ut Genitum agnoscens noverit Ingenitum.
Una trium Deitas, una est essentia [h] cunctis.
[i] Idem est et Verbi Spiritus atque Patris.
Nullum opus abjunctum, nulla est non æqua potestas,
In cunctis unum, [j] non tria, principium.

CVI [*Alias* CIII]. *De quærendo perseveranter Deo.*

Nemo fidelium, quamvis multum profecerit, dicat, Sufficit mihi. Qui enim dixerit, remansit, et hæsit in via ante finem, qui non perseverabit usque in finem.

679 Cum pia mens in laude Dei superata [k] laboras,
Gaude, quod tantum te bene vincit opus.
Teque aliquid superi cognosce hausisse vigoris,
Si tibi non satis est, [l] quod cupis atque sapis,
Quære bonum [m] sine fine bonum, et persiste reperto;
Quærere non habeant talia vota modum.
Nam qui se nullo jam munere credit egere,
Crescere non cupiens, perdit adepta tepens.

[g] Ms. Reg., *summum* (forte *summo*) *de lumine lumen.*

[h] Ms. Camb., *cunctis*, i. e. *tribus personis*. Alii, *ab uno.*

[i] Mss. quatuor.
Idem est cum Verbo Spiritus atque Patris
Ms. unus, *Idem cum Verbo.*

[j] Ms. Joliensis, *non tria*. Alii omnes, *sunt tria.*

[k] Ita mss. duo. Alii, *labores.*

[l] Ita mss. quatuor. Alii codices, *quod cupis.*

[m] Sic mss. quinque; cæteri, *sine fine, bono et persiste reperto.*

# ADMONITIO IN CHRONICUM S. PROSPERI.

*Ne aliqua sancti Prosperi Aquitani Operum portio huic desit editioni, quam, in quantum potuit fieri, et emendatissimam et amplissimam prodire cupimus, exhibendum superest, ex veris et indubitatis Auctoris nostri laboribus, Chronicum seu Chronica (nam ita varie opus illud citant veteres) ejusdem nomine insignita: quem librum pro genuino Prosperi partu omnes hactenus (si perpaucos excipias) habuerunt.*

*Paucorum illorum ex viris doctis quibus hoc opus alii quam Aquitano nostro assignare placuit, momenta solide diluuntur a nupero SS. Patrum Leonis et Prosperi Operum critico ac vindice eruditissimo Antelmio (Dissertatione 8, de Chronico sive Chronicis S. Prosperi pag. 371), de quo non semel a nobis facta est mentio. Ac primum quidem antiquorum auctoritates adductæ Prosperum Chronici auctorem asserunt. Illi autem sunt magni nominis viri, testesque omni, ut aiunt, exceptione majores, quos ementitam inscriptionem decepisse suspicio esse non potest.*

*Primus ordine temporis occurrit, eo attentius auscultandus, quod vel ex nomine Aquitani nostri popularem et conterraneum, ex studio et professione chronographum, seu temporum calculatorem, ex ævo coætaneum se prodit; et ex gestis tandem ac necessitudinibus cum S. Prospero consuetudine ac familiaritate probabilissime conjunctum. Is est Victorius, vel Victorinus, qui ex Leonis pontificis jussione, cui erat a consiliis et epistolis Prosper, procurante Hilaro R. E. tum diacono, postea pontifice, Cyclum Paschalem indagatione cautissima concinnavit. Iste autem in præfatione ad Hilarum ita loquitur.* Recensitis fidelibus historiis veterum, beati scilicet Eusebii Cæsariensis... Chronicis, prologoque, ac proinde his quæ a sanctæ memoriæ Hieronymo hisdem Chronicis sunt adjecta presbytero, per quem in Latinum quoque probantur translata sermonem; hisque etiam QUÆ A SANCTO ET VENERABILI VIRO PROSPERO, usque ad consulatum Valentiniani Augusti VIII et Anthemii, constat fuisse suppleta, reperi a mundi principio ad diluvium... A cujus (*Nini*) tempore gestarum rerum publici scriptores esse cœperunt. Quapropter vir venerabilis prædictus Eusebius Chronicorum ab hinc exorsus est historiam, volens industriæ suæ fidem mundanorum quoque Annalium coætaneo relatu perpendi, et professæ veritatis etiam gentilium litteras testes sciscitari, contentus præterita sæcula sacris voluminibus explicari, ætates tantum summatim retro generationum ex prologi textu patefaciens, et operis plenitudine sub annorum recapitulatione pariter comprehendens. Cujus tenorem VIR VENERABILIS PROSPER secutus, hisdem Chronicis, hæc eadem egregia brevitate composuit, ut eorum initium a mundi inchoaretur exordio. *Hæc Victorius Aquitanus, qui hoc in arduo opere non alios secutus esse declarat duces quam Eusebium, Hieronymum ac Prosperum, quem sanctum ac venerabilem, tum venerabilem virum appellat, qua vel simili*

Digitized by Google

*nuncupatione designatur Aquitanus noster apud antiquos : ne quis alium a populari suo indigitare voluisse Victorium suspicetur...*

*Victorio Aquitano Gennadium Massiliensem subjicimus, cujus assertioni quemadmodum auctoritatem confert ætate superior ille, ita et istius testimonium alter, post annos circiter quadraginta, virorum illustrium Catalogum curiose recensens robur conciliat : dum expresse Chronicorum auctorem Prosperum Aquitanum et Massiliensium adversarium determinat. Quod ne et ei fortuito elapsum esse dubitaretur, illud ipsum in duobus insignibus locis retractat. Namque non satis habens dum de Prospero loquitur cap.* 84 *eidem pro primo ingenii partu Chronicorum opus his verbis ascripsisse :* Composuisse multa dicitur ex quibus ego Chronica nomine illius prætitulata legi, continentia a primi hominis conditione, juxta divinarum Scripturarum fidem, usque ad obitum Valentiniani Augusti, et captivitatem urbis Romæ a Genserico Vandalorum rege factam : *quasi, inquam, hæc tradere non satis illi fuisset, et posterorum dubitationes auguratus, eas antevertere sategisset, post duo capita, de Victorio jam laudato sermonem habens, hæc ad illius mentem profert :* Composuit Paschalem cursum indagatione cautissima, post quatuor priores qui composuerant; id est Hippolytum, Eusebium, Hieronymum et Prosperum. *Sed nec sic ista prætermittenda sunt. Dum enim audimus Gennadium asserentem* Prosperi Chronica legisse continentia a primi hominis conditione, juxta divinarum Scripturarum fidem, *et ea* usque ad Valentiniani obitum *perduxisse, in memoriam revocandum, fidem jam fecisse Victorium, quod Prosper Eusebii, pariter* a mundi principio *historiam suam, seu chronologicos calculos auspicantis,* etc., *tenorem secutus,* hisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate composuit, ut eorum initium a mundi inchoaretur exordio... *et insuper* ad Valentiniani Aug. *consulatum hæc continuavit. Quibus quidem ita mire invicem coeuntibus, nunc id nobis certum exploratumque est, Gennadio alia non fuisse suppeditata Chronica, quam ea quibus usus est ipse Victorius, eaque tandem verum, non ementitum auctorem prætulisse : quandoquidem illius operis, penes utrumque diligentissimum scriptorem par invenitur et una delineatio.*

*Calculatori et historico succedat scriptor utroque studio commendandus, Cassiodorus senator : qui etsi solus per se tantam forte, quantam alii sibi non prærogaret auctoritatem ; iis tamen ducibus ac fidejussoribus præ aliis posterioribus audiri debet : quod ipse Prosperi subpar, Gennadii lucubrationum peritus, et Chronici alterius concinnator, istius lucubrationes sæpe sæpius non tractare, resumereque non potuerit; ut etiam ex hac necessitate ejus partus internoscendi major illi potiorque facultas debuerit accedere. Is autem cap.* 17 *lib. de Inst. divin. litter. habet :* Sanctus quoque Prosper Chronica ab Adam ad Genserici tempora et Romæ deprædationem perduxit.

*Atque in istorum trium testimoniis sistere proponentibus, conspectui nostro quartus se exhibet ; et ille tam nobilis ac reverendus, ut ejus assertionem, nec citra illius injuriam, nec citra jurium Prosperi nostrorumque imminutionem, præteriri posse videatur. Et hic quidem alter est insignis calculator et historicus, Isidorus videlicet Hispalensis, in Bœtica post Leandrum germanum sexto exeunte sæculo, episcopus; cujus hanc lib.* VI *Origin. c.* 17 *assertionem legimus :* Paschalem cyclum Hippolytus episcopus temporibus Alexandri imperatoris primus conscripsit. Post quem probatissimi auctores Eusebius Cæsariensis, Theophilus Alexandrinus, Prosper quoque natione Aquitanus, atque Victorius; amplificatis ejusdem festivitatis rationibus, multiplices circulos ediderunt. *Hæc accuratus scriptor, qui sua æque sui fide, eam quæ præcedenti sæculo his Chronicis habebatur ultro adhibuit ac confirmavit : quin de aliis posterioribus in medium proferendis amplius solliciti simus. Nam et huic etiam præcedentes omisimus Victorem Tunnonensem in Africa episcopum, qui a consulatu* XVIII *Theodosii Junioris historiam persequi testatur, ubi Prosper reliquit ( quod utique postremum ejus exemplar auctius non habuerit). Quem et Victorem Joannes abbas Biclariensis continuans a Justino juniore, ubi desierat alter, qui præierant Eusebium, Hieronymum, nec non et* Prosperum *virum religiosum, atque victorem Tunnonensem initio operæ laudare non omittit. Quæ non persequimur.*

*Ex istis namque luce meridiana clarius est, Prosperum Aquitanum scilicet, Chronica litterarum monimentis tradidisse, quibus et coætanei scriptores versatissimi, in Ecclesiæ causa usi sunt, aliique sagaces deinceps viri citra suppositi tituli metum, eadem suis genuinis lineamentis repræsentarunt ac commendarunt.*

*Cum ex dictis satis constet Chronica Prosperum scripsisse, et ea nullo suppositionis vitio notata, pura, genuinaque coætaneis subparibusque auctoribus innotuisse : facile agnoscetur pro indubitato Chronicum quod Prosperi nomine circumfertur, et infra a nobis exhibetur, illud ipsum esse quod Aquitanus digessit, non vero aliud ab hoc omnino diversum : immo Chronici istius scriptorem Prosperum a Collatoris et Massiliensium adversario nullatenus esse diversum. Quod quidem ex Eruditorum pene omnium consensu satis arguitur : et insuper inconcussum remanebit, cum discussæ legentur apud supra citatum auctorem dissertationis* 8 *in opera SS. Leonis et Prosperi difficultates paucæ illæ et leves, ex duobus aut tribus calculi erroribus, qui aut pro erroribus haberi non debeant, aut facile a Prospero ipso admitti potuerint, aut nec forte aliunde quam a scribis amanuensibus irrepserint : quibus tamen moti quidam, in opinionem diversam abire voluerunt. Quæ si nos hic referre tentemus, longiores fient admonitionis nostræ fines, quam par foret.*

*Dum porro supra asserimus Prosperum Chronicum suum a mundi exordio duxisse, non ita illud accipiendum est, quasi novum opus ad novæ chronologiæ exactioris calculos apparare sibi proposuisset. Quin potius in eodem concinnando Chronico nonnisi epitomatorem Eusebii prodere se voluit, ut de eo jam egregie fidem fecisse Victorius reperitur, cujus superius allata sunt verba ista :* Eusebii tenorem vir venerabilis Prosper secutus, hisdem Chronicis, hæc eadem egregia brevitate, composuit, ut initium eorum a mundi inchoaretur exordio. *Quæ rem expresse testantur, convincuntque Aquitanum hæc eadem Eusebii Chronica,* egregia brevitate *perstrinxisse. Sed idipsum operc ipsa Prosperiana demonstrat. Nam, ut Sirmundus Hist. Prædest. c.* 5 *opportune monet :* Chronicum hoc, Chronici Eusebiani, quousque cum Hieronymi supplemento porrigitur, mera est Epitome : unde et Epitomen Chronicorum interdum vocant; aut excerpta ex Chronicis : quia inde Prosper omnia decerpsit, nisi quod consulum fastos, quibus illi carebant, a Christi usque baptismo, *seu, ut vocat ipse, ab ejus manifestatione,* suis Prosper locis inseruit, ac cætera quoque deinceps ad operis finem de suo contexuit. *Attamen etsi ille abbreviatoris dumtaxat partes susceperit, et in suorum priori parte Chronicorum Eusebium atque Hieronymum contrahere voluerit; non ita tamen eorum vestigia pressit, ut eos quandoque non abjecerit, phrasesque ac periodorum membra de suo non concinnarit; immo et calculos alios non supposuerit. Unde et semper locuples ad Ecclesiasticæ Historiæ integritatem censeri debet accessio, quod monimentum istud tamdiu inter tenebras densiores servatum, sine ullo decremento ad nos tandem illæsum pervenerit. De alia autem Chronici parte, quam idem Prosper prosecutus est, ubi ab Eusebio ductam continuationem Hieronymus absolvit, non est cur moneamus eam variis additamentis ab ipso Prospero illustratam, quod editi codices alii aliis auctiores satis repræsentant, ad fidem utique mss. exarati, quorum quæ posterius reperta sunt exemplaria, historiam perducunt ad annum* 455, *hoc est usque ad Vandalicam Urbis deprædationem, cum alia eidem, ante annos undecim, sub consulatu Theodosii Aug.* XVIII *et Albini terminum posuissent.*

*Chronicum S. Prosperi decem annis auctius ediderat primo doctissimus Duchesnius tom.* I *Histor. Franc.*

Digitized by Google

*Hoc idem deinde integrum edidit R. P. Labbeus. S. J. tomo primo Bibliothecæ novæ Manuscriptorum. Hujus editionem ut ampliorem cæteris nos hic secuti sumus : non omissis tamen aliarum editionum differentiis, ubi opus visum est.*

*Denique observatum legimus a viro rerum ecclesiasticarum peritissimo, S. Prosperum ter Chronicum suum ad incudem, ut aiunt, revocasse, terque, si sic loqui fas sit, illud in lucem edidisse : scilicet anno 433, iterum anno 445, demum anno 455. Et illud ex eo conjicitur, quod in pluribus libris legitur quoddam totius chronologiæ compendium ad annum 433. Scaligeriana tamen editione id exhibente ad annum 445, quo finem ponit toti Chronico, cum omnibus aliis qui Duchesnii editionem antecesserunt. Immo Victor Tunnunensis, qui supplevit illud Prosperi Chronicum, illud anno 444 desiisse observat. At vero in his mss. quorum ope usi sunt tum Duchesnius, tum Labbæus, opus protenditur usque ad Romanum excidium per Gensericum, consulibus Valentiniano VIII et Anthemio, ad annum scilicet 455. Revera enim Victorius biennio post Gennadium scribens, Cassiodorus quoque huc usque extendi illud affirmarunt. Immo et Marius Abricensis sive Lausannensis episcopus, cum Prosperi opus supplere aggrederetur, idem et ipse testatus est. Unde conjicias anno demum 455 assignandos Chronici Prosperiani limites.*

# S. PROSPERI
## AQUITANI [a]
# CHRONICUM INTEGRUM [b]
## IN DUAS PARTES DISTRIBUTUM.

# *PRIMA PARS.*
## AB ORTU RERUM AD MORTEM VALENTIS.
### *Cum annotatione consulum a morte Christi.*

685 Adam, cum esset annorum [c] CCXXX, genuit A Seth.

Seth, cum esset annorum CCV, genuit Enos.

Enos, cum esset annorum CXC, genuit Cainan.

Cainan vero, cum esset annorum CLXV, genuit [d] Malaleel.

Malaleel, habens annos LXV, genuit Jared.

Jared autem, cum esset annorum [e] CLXII, genuit Enoch.

At Enoch, cum esset annorum [f] CLX, genuit Mathusalem.

Mathusalem vero, cum esset annorum CCXCVII, genuit Lamech.

Lamech quoque, cum esset annorum [g] CCXCII, genuit Noe.

686 Noe autem erat annorum D, cum genuit tres filios Sem, Cham et Japheth.

Post annos vero centum, quando genuit Sem, factum est diluvium, cum esset annorum DC.

Ad probandam fidem temporum, hæ generationes ab initio retexuntur, quibus annorum ascriptus est numerus. Nam Cain fratricidæ posteritas non fuit digna cum Dei populo computari. Sed cum latius serpente peccato, maxima pars bonorum connubiis se alienigenarum mulierum miscuisset, crimen illicitæ societatis diluvio meruit expiari, solo Noe justo, cum uxore et tribus filiis, ac totidem nuribus, ad reparationem humani generis reservato.

Fuerunt igitur ab Adam usque ad diluvium 687 generationes decem, anni [h] MMCCXLII.

Post diluvium succedunt hæ generationes.

Sem filius Noe cum esset annorum [i] centum, genuit Arphaxad, anno post diluvium secundo. B

Arphaxad autem, cum esset annorum [j] CXXXV, genuit Cainan.

[a] Apud Labbeum tom. I Biblioth. novæ mss., *Viri clarissimi Tironis Prosperi*, etc. Hoc nomine designatur etiam in ms. Colb. uno et aliquot aliis.

[b] In annum Christi 455 desinens.

[c] Semel monuisse sufficiet, quod observavit Arnaldus Pontacus Vasatensis olim episcopus, in notis ad Eusebii Chronicon, et observatum antea in aliquot mss. Colbertinis, Eusebium in ratione supputandi annos ab orbe, secutum præcipue editionem Bibliorum juxta LXX Interpretes, ut ipso docet circa annum 547. Quod facit etiam ipse Josephus, licet Judæus. Unde videmus antiquos Patres tam Græcos, quam Latinos, et ipsam Ecclesiam catholicam tam in conciliis œcumenicis, quam in Martyrologiis, secutos calculum Eusebii, relicta Hebraica illa supputatione. Quo observato cessabit scrupulus omnis qui oriri posset legendo Adamum anno 230 genuisse Seth, cum textus Hebræus Vulgataque versio id contigisse narrent anno ipsius 130; idemque esto judicium de numeris generationum subsequentium.

[d] In Chronico Labbei legitur hic *Jared*, pro *Malaleel*, omittiturque sequens generatio, quam restituimus auctoritate ms. Colb. et editionis Chronici Eusebiani a Pontaco procuratæ et illustratæ : cum non omittatur in textu Hebræo, nec in versione Latina.

[e] Huic 162 annorum numero favet, præter Hebræum et Vulgatam, ms. Colb. unus, et editio Chronici Eusebiani a Pontaco data. In Chronico Labbei erant 212.

[f] Ms. Colb. et Chron. Pontaci, cum Hebræo et Vulg. 65.

[g] Ita ms. Colbert., Chronic. Pontaci, cum Vulg. et Hebræo textu. Labbeus, 188.

[h] Secundum Hebræorum numerum MDCLVI *Chron. Eusebii.*

[i] Ms. Colbertinus unus, *centum duorum annorum.* Ms. Colb. alter, *annorum centum.*

[j] Deinceps ms. Colb. unus convenit cum Vulg. et Hebræo. Chronicon vero Eusebii Pontac. cum superioribus præter pauca : scilicet, *Seruch cum esset annorum* 79, pro 130; *Nachor cum esset annorum* 89, pro 79. Ms. autem Colb. alius in omnibus consentit cum his quæ habentur in textu. C

Et Cainan, cum esset annorum cxxx, genuit Salem.

Deinde Salem, cum esset annorum cxxx, genuit Heber.

Heber quoque, cum esset annorum cxxxiv, genuit Phalec.

Hoc tempore, ad perturbandam superbæ turris exstructionem, divisæ sunt linguæ, et per orbem terræ facta est gentium dispersio.

Phalec autem, cum esset annorum cxxx, genuit Ragau.

Ragau quoque, cum esset annorum cxxxii, genuit Seruch.

Seruch vero, cum esset annorum cxxx, genuit Nachor.

Porro Nachor, cum esset annorum lxxix, genuit Thare.

Thare autem, annorum lxx, genuit Abraham, qui, cum esset annorum lxxv, divino monetur alloquio, ut exeat de terra sua et de domo patris sui, ut transeat in terram Chanaan. Quo tempore promissio ad Abraham facta est, quod futurus esset gentium pater.

Et inveniuntur ab anno lxxv Abraham, in quo est repromissionis exordium, usque ad Moysen et egressum Hebrææ gentis ex Ægypto anni ccccxxx.

Fiunt itaque a diluvio usque ad primum annum promissionis[a] mclxvi, ab Adam vero anni mmmccccxcviii.

Abraham nonagenarius ex ancilla Agar genuerat Ismael, a quo Ismaelitæ, qui postea Agareni, ad postremum Saraceni dicti.

In hoc tempore Abraham fide justificatus, qua credidit in semine suo omnes gentes benedicendas, mandatum circumcisionis accepit: quæ usque ad nativitatem D. N. Jesu Christi, promissionis corporeum fuit signum, quod in spiritale sacramentum veræ cordis circumcisionis transivit.

Abraham anno ætatis suæ centesimo, repromissionis autem vicesimo quinto, genuit Isaac ex libera.

**688** Isaac autem, cum esset annorum lx, genuit geminos, quorum prior Esau, qui et Edom, a quo Idumæi.

Hoc tempore apud Argos regnabat Inachus, cujus filia Io, quam Ægyptii Isidem vocitatam divino honore coluerunt.

Sequens Jacob, qui postea Israel, a quo Israelitæ, qui nunc Judæi.

Erat autem annus repromissionis[b] xxcvi.

A primo vero anno Jacob, usque ad principatum Joseph in Ægypto, fiunt anni cxxi.

Cujus temporis anno xv, qui est promissionis c, moritur Abraham annorum clxxv.

In hæc tempora Niobe, ut Græci perhibent, mistus est Jupiter, exque illo concubitu natus est Apis, quem Serapin vocant.

Igitur, Abraham, Isaac et Jacob antiquiores Serapide.

Hoc tempore Messana, quæ et Mamertina, condita est.

Jacob autem, agens annum lxxviii, descendit in Mesopotamiam, et servivit apud Laban annis vii.

Jacob, cum esset annorum xcii, genuerat Joseph; qui, cum esset annorum xvii, venditus est a fratribus, anno patris sui Jacob cix.

Isaac vero moritur anno ætatis suæ cxxc, relinquens filium Jacob habentem annos cxx.

Hoc tempore Memphis ab Api in Ægypto condita.

Joseph dux Ægypti annis xxc; quorum cum ageretur annus vigesimus sextus, Jacob obiit, anno ætatis suæ cxlvii, prophetans de Christo et vocatione gentium.

Anno principatus Joseph ix, qui erat famis annus secundus, ingressus est Jacob in Ægyptum, cum filiis suis.

Ipse autem Joseph moritur anno ætatis suæ cx. Hebræorum in Ægypto servitutis[c] clxiv.

Hujus servitutis anno xx, Atlas astrologus insignis habebatur frater Promethei.

Hujus servitutis anno lxv, qui est repromissionis annus cccl, Aram genuit Mosen, cum esset annorum lxx.

Hoc tempore Epidaurus condita, et templum Apollinis Delphici ab Erisichthone conditum.

Anno servitutis Hebræorum lxxvii, primus in Thessalia regnavit Hæmon.

Anno vero xxc, Phorbas Rhodum obtinuit.

**689** Anno vero xxcii, Hercules Antæum luctæ certamine superat.

Anno xxcvii, primus Trochilus quadrigam junxisse perhibetur.

Anno xc, Xanthus Triopus Lesbon condidit.

Anno c, Cecrops regnavit in Attica; sub quo[d] in

[a] Ex enumeratis supra patriarcharum annis, quo singulis nati sunt liberi, exsurgit summa annorum 1145 a diluvio ad factam Abrahæ promissionem: ad summum 1147 ex notis ad Chron. Eusebii, ab Adam vero conflatur numerus 3412.

[b] Mss. Colb. duo cum editione Pontaci ponunt annos 90.

[c] Supplendum videtur, *anni fuerunt*. Pro 164 Eusebius, tam in edit. Pont., quam in mss. quinque Colbertinis, notat tantum 144; sic: cx *anno Joseph moritur. Post cujus interitum Hebræi Ægyptiis servierunt annis* cxliv. *Fuerunt autem omnes anni quos Hebræi in Ægypto fuerunt* ccxv, *qui ab eo tempore computantur, quo Jacob cum filiis suis descendit in Ægyptum*. Ergo anno 71 post ingressum illorum mortuus est Joseph. De quo Pontacus in notis: *Sunt qui respuunt tot annos, dum incredibile judicant tam diuturno spatio populum illum serviisse, et tam dura servitute pressum ita potuisse propagari, ut sexcenta armatorum millia, absque mulieribus et pueris, ex Ægypto eduxerit. Nihilominus quoniam Augustinus lib.* ii *QQ. in Exod. q. 47, ubi multa hac de re agitasset, tandem concludit, Proinde illa nimirum computatio, quam secutus est Eusebius in Historia sua Chronica, perspicua veritate subnixa est; non est quod rejecta tanti viri auctoritate, ab Eusebii opinione deflectamus.*

[d] Illustrissimus Pontacus in notis: *Conjiciebam* (ait) *legendum, seu primum in Atta, seu primum in Acte, pro in arce; cum constet ex Plinio, Herodoto, Hygino, et aliis primum ortam olivam in Attide, seu in regione Actica; et cum sequentia loquantur de Athenis: tamen cum nullius codicis præsidio juvarer, reliqui integrum. Utraque enim lectio tolerari potest. Arx enim illa erat in Acte.*

Digitized by Google

Arce oliva nata est, et ex Minervæ nomine, quæ A Græce Athena dicitur, Attici Athenæ vocati.

Anno CXIII, Curetes et Corybantes Cnosson condiderant, qui modulatam et inter se convenientem in armis saltationem repeiiunt.

Moyses octogesimum agens ætatis suæ annum, impletis ab initio promissionis CCCCXXX, dux itineris ab Ægypto Hebræorum gentis efficitur, legem eis in eremo tradens per annos XL.

Hoc tempore Corinthus conditur, quæ prius Ephyre dicta est.

Cujus temporis anno quinto, primus apud Hebræos pontifex constitutus frater Moysis Aaron.

Hoc tempore Apollinis Delphici templum ab Erisichthone fabricatum.

Hucusque quinque libri Moysis continent gesta B annorum [a] MMMDCC secundum LXX Interpretes.

Mortuo Moyse, dux constituitur Josue, qui principatum tenuit annis XXVII, et terram Palæstinorum Judæis sorte distribuit.

Hoc tempore apud Hebræos pontificatum suscepit Eleazar.

Post mortem Josue Hebræos alienigenæ octo annis subjectos habent, qui junguntur temporibus Gothoniel, secundum Judæorum traditionem.

Hac ætate apud Hebræos pontifex erat Phinees.

Supputantur itaque omnes anni Gothoniel XL. Fuit autem ipse ex tribu Juda.

Post Gothoniel Hebræi alienigenis subjecti fuere annis XVIII, qui copulantur temporibus Aod, secundum Judæorum traditionem. C

Supputantur itaque omnes anni Aod Judicis ex tribu Ephrem octoginta.

In fine hujus ætatis Amphion Thebis regnabat.

Debbora cum Barach annis XL, ex quibus sunt [b] anni XXX quibus post obitum Aod Hebræos **690** alienigenæ habuere subjectos. Fuit autem Debbora ex tribu Ephrem, Barach vero ex tribu Nephtalim

Hujus ætatis anno XVII, Ilium ab Ilo conditum.

Gedeon ex tribu Manasse annis XL, in quibus sunt anni VII quibus Hebræos alienigenæ habuere subjectos, juxta Hebræorum traditionem.

Hoc tempore Tyrus condita. Argonautæ his temporibus fuere. Cyzicus hoc tempore condita. Orpheus Thrax clarus habebatur.

Abimelech filius Gedeonis annis tribus.

Hæc et Herculis tempora.

Tholam annis [c] XXVI [*Vel* XXII, *ex alio codice*].

Huic ætati ascribitur bellum Lapitharum et Centaurorum. Priamus post Laomedontem regnat. Medea Colchis, mors Androgei, et Minotauri fabula hoc tempus habuerunt.

Jair ex tribu Manasse annis XXII.

Hac ætate regnabant Agamemno Mycenis, Menelaus Lacedæmone.

Horum annorum sexto Carthaginem Tyrii condiderunt.

Hæc ætas habuit Atreum Argis regnantem, eadem Phædram et Hippolytum.

[d] Jephte [e] annis VI, [f] Esbon annis VII.

Hoc tempus fuit raptus Helenæ. Bellum Trojanum.

[g] Labdon XVIII [*Alias* VIII]. Cujus principatus anno tertio Troja capta. Ejusdemque Labdon anno octavo, Latinis regnat Æneas annis tribus.

[h] Samson annis XX.

Cujus anno tertio Ascanius, Æneæ filius Albam condidit.

Ascanius regnat Latinis annis XXXVII, seu XXXVIII.

Post quem Sylvius Æneæ posthumus filius annis XXVII [*Alias* XXIX]. A quo Albanorum reges Sylvii appellati.

Heli sacerdos annis XL [i].

Mortuo Heli sacerdote, arca Testamenti ab alienigenis possidetur.

Samuel et Saul annis XL.

Primus rex Hebræorum Saul ex tribu Benjamin, cujus regni anno nono, Latinis regnat Æneas Sylvius annis XXXI.

Post quem regnat Latinus Sylvius annis quinquaginta.

**691** Ab initio principatus Moysis, usque ad ortum regni David anni CCCCXXXIX.

David ex tribu Juda primus regnavit annis XL. Quo tempore Abiathar pontifex clarus habebatur: prophetabant autem Gad, Nathan, et Asaph.

Salomon filius David, annis XL, qui templum Jerosolymis ædificare cœpit, consummavitque annis octo. Quo tempore Sadoc Hebræorum sacerdos clarus habebatur.

Anno regni Salomonis XL, Latinis regnare incipit Sextus Albanus Sylvius, annis XXXVIII.

D Roboam annis XVII.

Post mortem Salomonis regnum Hebræorum seditione divisum est, vocabanturque qui in Samaria

[a] Chronicon Eusebii edit. Pont., cum quinque ejusdem mss. Colbertinis 3730.

[b] In mss. quinque Colb. Eusebiani Chron. et edit. Pont., *anni* 20.

[c] Apud Eusebium, *annis* 22, *vel* 23 *secundum Hebræos*. Hæc autem postrema *vel* 23, etc., non habentur in mss. Colb. quatuor, sed in uno alio et edit. Pont.

[d] In Chron. Eusebii, *Post Jair Hebræos in ditionem suam redigunt Ammanitæ annis* 18, edit. Pont. 8, *qui cum temporibus posteriorum copulantur secundum Hebræorum traditiones.*

[e] In cod. Chron. Eusebii additur *Jephte in libro Judicum ab ætate Mosi usque ad semetipsum ait supputari annos* 300.

[f] In aliis codicibus *Esebon*: in aliis, *Abesan*.

[g] Chron. Euseb. tam in mss. Colb. quatuor quam in edit. Pont.: *Post Esebon in libro Judæorum* (*f. Judicum*, alii *Hebræorum*) *fertur judex Aelon vel Ahialon rexisse populum annis* 10 *qui non habetur apud LXX Interpretes*; quem tamen ibi haberi contendit Pontacus, in notis p. 308.

[h] Apud Eusebii Chron., *Post Labdon Hebræos in ditionem redigunt alienigenæ annos* 40, *qui copulantur temporibus judicum posteriorum, secundum Judæorum traditionem.*

[i] Observant codices mss. et edit. Chron. Eusebii quod, *In libro Hebræorum* 40 *anni inveniuntur, in LXX autem interpretatione* 20.

Digitized by Google

erant, Israel, quibus primus regnavit Jeroboam.

Roboam filius Salomonis regnavit in Jerusalem, duabus tribubus sibi subjectis, quæ vocabantur Juda, ab rege Judæorum ex stirpe Judæ.

Hoc tempore apud Latinos Ægyptus Sylvius septimus regnat annis XXIII.

Septimo autem regni Jeroboæ, Susachin rex Ægypti contra Judæos dimicans templum exspoliat.

Abia annis tribus, Hebræorum pontifex Abimelech illustris habebatur: prophetabant autem Achias, Sameas, Jemoded, Azarias; qui et Addo, et Anani.

Asa justus annis XLI.

Josaphat justus annis XXV. Prophetabant apud Hebræos Abdias, [a] Jenozias, et Micheas.

Hujus regni anno XII, apud Latinos Capys Sylvius regnat annis septem. Deinde IX. [b] Compartus Sylvius annis quinque,

Joram annis octo: quo tempore prophetabant Elias et Eliseus.

[c] Osias anno uno. Jonadab filius Rechab clarus habebatur.

[d] Gotholia mater annis septem.

Hoc tempore in Græcia Homerus poeta clarus fuit.

Joas annis XL. His temporibus apud Hebræos Joiada insignis pontifex erat, qui solus post Moysen vixit annis CXXX. Hoc tempore Azarias propheta occiditur: Zacharias **692** quoque propheta a rege Joas interficitur.

Latinis XII, Aremulus Sylvius annis XIX. Post quem Aventinus Sylvius regnavit annis XXXVII, a quo mons Aventinus. Post quem, XIV, Procas Sylvius, annis XXVI. Post quem, XV, Amulius Sylvius annis XLIII.

Amasias annis XXIX.

Azarias, qui et Osias, annis LII.

Hujus regni sextus agebatur annus, cum reges Assyriorum defecerunt, imperio in Medos translato.

Apud Hebræos autem prophetabant Osee, Amos, Isaias, Jonas, cum esset annus Osiæ vicesimus primus.

Quadragesimo vero et nono ejusdem anno constituitur Olympias prima: Eliis agentibus quinquennale certamen, quatuor mediis annis vacantibus. Et hoc certaminis tempus Olympiadem vocaverunt auctore Iphito.

Joathan annis XVI. Prophetabant Osee, Amos, Isaias et Joel, qui et Jobeth.

Achaz annis XVI.

Hujus regni anno quinto Romulus, Roma condita, regnare orsus est.

Ejusdem autem regni Achaz anno XI decem tribus gentis Hebrææ, quæ vocabantur Israel, et erant in parte Samariæ, victæ a Sennacherim, qui et Salmanasar, rege [e] Chaldæorum, translatæque sunt in montes Medorum, cum regnatum esset in Samaria annis CCL. Sennacherim autem ad custodiendam regionem Judææ accolas misit Assyrios, qui æmulatores Judæorum legis facti, Samaritæ nuncupati sunt, quod Latina lingua exprimitur, custodes.

Ezechias annis XXIX. sub quo apud Hebræos prophetabant Isaias et Osee.

Romulus primos milites sumpsit ex populo, et nobiles centum senes, quos ob ætatem senatores, ob curam patres appellavit.

Eodem tempore Syracusæ et Catana in Sicilia conditæ.

Manasses annis LV.

Cujus regni initio apud Romanos regnabat Numa Pompilius, annis XLI, cum post Romulum regnasset senatus annum unum.

Ammon, [f] annis XII.

Hujus regni initio Tullus Hostilius Romæ **693** septimum decimum imperii sui gerebat annum, regnavitque annis XXXII.

Josias [g] annis XXXII, quo regnante Hebræorum pontifex maximus Chelcias insignis habebatur: et prophetabant eadem tempestate, Jeremias, et Sophonias, et Olda mulier.

Apud Romanos autem regnabat Ancus, qui Ostiam condidit civitatem, regnavitque annis XXIII. Post quem regnat Tarquinius Priscus annis XXXVII.

[a] Apud Euseb. Chron. *Jehu*, *Ozias*.

[b] In Euseb. Chron. *Carpentus Sylvius*.

[c] Eusebii Chronicon. cum vulg. et Hebr., *Ochozias. Sic quoque LXX tam Romæ quam Antuerpiæ editi, et Eusebius lib.* X *de Præparat. cap.* 3, *et Theophil. Antiochen. lib.* III, Pontacus pag. 332.

[d] In vulg., *Athalia* vocatur, IV Reg. XI. Sequitur S. Prosper Eusebii lectionem, quem (ait Pontacus) *novum non est in plurimis a nostris Bibliis tam Hebraicis quam vulgatis, immo etiam aliquando a Græcis discedere: quod et diserte docet lib.* X *de Præpar. cap* 3, *ubi enumerans omnes reges post Ochoziam, recenset Gotholiam: Gotholia an.* 7. *Theophil., lib.* III *post Ochoziam, nominat Gothoniel, nulla facta mentione Athaliæ.* In Chron. Eus., *Oded*.

[e] Pontacus, p. 346, in notis monet hæc verba *qui et Salmanasar* abesse a codicibus non paucis, saltem in textu. Codices Colbertini variant; in uno solus Sennacherib, in altero Salmanasar solus nominatur, in aliis tribus uterque. Cum autem utroque retento, *Sennacherib et Salmanasar*, videantur confundi duæ personæ, cum hic illius pater fuisse legatur, Tobiæ I, et IV Regum XVII decem tribus legantur translatæ a Salmanasar, tribu Juda incolumi, Sennacherib vero ascendisse super omnes civitates Juda munitas et eas cepisse et obsidione Jerosolymam cinxisse, Isaiæ XXXVI, Ezech. XIV et IV Reg. XVIII, inter quæ ingens haud dubio intervallum. Respondet ab Eusebio nullam fieri mentionem obsidionis Jerosolymitanæ, sed tantum dici Salmanasar dictum etiam Sennacherib, abegisse Israel in exsilium. Unde satius fore contendit dicere cum S. Thoma in Isaiæ XX Salmanasar habuisse sex nomina, et eumdem dictum fuisse Sennacherib. Nam etiam ante jam pridem observarat Hieronymus in cap. XXXVI nonnullos existimasse Salmanasar multis nominibus appellatum; quod neque alienum a lingua sancta, ubi frequenter eadem nomina patri et filio sunt communia.

[f] Eusebii Chron. *Ammon secundum LXX senum interpretationem 12 annis, secundum Hebræos annis* 2.

[g] Huic 32 annorum numero favent mss. quatuor Colb. Vulg. 31 numerat; editio Pontaci cum ms. Colb. unico 22.

Digitized by Google

Josias rex Judæorum, cum Nechaone Ægyptiorum A rege congressus occiditur.

Thales Milesius primus physicus philosophus agnoscitur.

Anno XXI regni Tarquinii Prisci, Massilia condita.

Joachaz mensibus tribus.

Joachim, qui Eliachim, annis XI. Anno III Joachim Nabuchodonosor rex Babyloniæ Judæam capit, et in ditionem suam redactis plurimis Judæorum, cum jam partem vasorum templi invasisset, et Joachim tributarium fecisset, victor ad patriam rediit.

Joatham seu Joachim, qui et Jechonias, menses tres.

In Babylone Ananias, Daniel, Azarias, Misael clari habebantur.

Hunc [a] rex Babylonius captum secum pertrahit secundo veniens ad Judæam.

Sedecias annis XI.

Nabuchodonosor rex Chaldæorum, Jerosolymis captis, templum incendit, quod ab initio ædificationis suæ permanserat annos [b] CCCXLII [*Alias* CCCLII].

Captivitatis Judæorum anni LXX, qui supputantur usque in secundum annum Darii.

Apud Romanos post Tarquinium Priscum, regnat Servius annis XXXIV. Cui successit Tarquinius Superbus, qui regnavit annis XXXV. Hujus regni anno XXV, prophetabant apud Hebræos Aggæus, et Zacharias, et Malachias, Pontifice Jesu filio Josedech.

Hoc tempore Pythagoras philosophus clarus habebatur.

A David usque ad LXX annos captivitatis Judæorum, supputantur anni DLV.

A septuagesimo anno captivitatis Judæorum, supputantur Darii regis Persarum anni XXXIII.

Cujus regni anno decimo apud Romanos regii dominatus finis est factus : quæ potestas apud eos mansit annis CCXL. Hinc apud Romanos a Bruto consules esse cœperunt, dein Tribuni plebis ac dictatores, et rursum consules rempublicam obtinuerunt, per annos CCCCLXIV, seu CCCCXLIV, usque ad Julium Cæsarem.

Xerxes regnat annis XX, filius Darii, quo tempore Sophocles et Euripides clari habebantur. **694** Herodotum quoque historiarum scriptorem eadem ætas habuit.

Post Xerxem Artabanus regnavit mensibus septem.

Artaxerxes annis XL.

Hoc regnante Esdras sacerdos apud Hebræos insignis habebatur, cujus ætate pontifex maximus fuit Eliachim, alias Eliasib, filius Joachin, filii Jesu, filii Josedech.

Empedocles et Parmenides, Zeno, et Heraclitus philosophi claruerunt. Tunc etiam Poricides historicus, Cratinus comicus, Aristarchus tragicus exstiterunt.

Vicesimo regni Artaxerxis; Nehemias Hebræus minister regis, concedente domino suo, de Babylone venit in Judæam, et XXXII anno muros urbemque restituit. Si quis autem LXX hebdomadas a Daniele scriptas ab hoc tempore numerat, quæ faciunt annos CCCCXC, reperiet eas in regno Neronis expletas, sub quo obsideri Jerusalem cœpta, secundo postea Vespasiani anno capitur.

His temporibus Hippocrates medicus et Socrates philosophus illustres fuerunt.

Xerxes menses duos. Plato nascitur.

Socdianus menses VII, in his supputatur annus unus.

Darius cognomento Nothus annis XIX, alias XVIII.

Dionysius in Sicilia tyrannidem exercet.

Romani per legatos jura ab Atheniensibus petierunt, ex quibus XII Tabulæ conscriptæ.

B Artaxerxes Mnemon, Darii et Parysatidis filius, annis XL.

Hujus regni anno XV Galli Senones Romam, excepto Capitolio, occupaverunt.

Aristoteles XVIII ætatis suæ anno Platonis auditor est.

Artaxerxes, qui et Ochus, annis XXVI.

Cujus regni initio Camillus Gallos, qui Romanis bellum intulerant, superavit.

Eodem tempore Alexander Philippi filius nascitur.

Demosthenem quoque oratorem eadem ætas clarum habuit.

Arses Ochi filius annis quatuor.

Hoc tempore descriptione facta Romæ, inventa sunt civium CLX millia.

C Apud Judæos Jaddus pontifex maximus clarus habebatur.

Darius Arsami filius annis sex.

Quo tempore apud Romanos consul Manlius Torquatus filium suum, quod contra imperium in hostes pugnaverat, virgis cæsum securi percussit.

Hac tempestate Alexander Philippi filius regnare orsus, sexto imperii sui anno regnum Persarum subvertit, et in Ægypto urbem Alexandriam condidit.

**695** Appius Claudius cæcus apud Romanos clarus habetur, qui Claudiam aquam duxit, et viam Appiam stravit.

Romani Samnitas subjugant.

ALEXANDER, post finem regni Persarum, regnavit annis septem, qui XXXII ætatis suæ anno apud Babylonem moritur. D

Regnum Alexandrinorum nascitur, quo potitus est Ptolemæus Lagi filius annis XL. Hic regni sui anno quarto, Jerosolymis et Judæa in ditionem suam redactis, plurimos captivorum in Ægyptum transtulit. Tunc Judæorum pontifex Onias Jaddi filius clarus habebatur.

Machabæorum autem Hebræa historia hinc Græcorum supputat regnum. Verum [c] hi libri ab Hebræis inter divinas Scripturas non recipiuntur.

[a] Scilicet Jechoniam ex mss. Colb., Chron. Eusebiani et edit. Pontaci; ubi hæc, *In Babylone Daniel*, etc., post narratam captivitatem Judæorum collocantur.

[b] In Chron. Euseb., mss. Colb. quatuor, et edit. Pontaci, 442; in unico ms., 342.

[c] Ad similia Eusebii verba Pontacus in notis, pag. 446. *Cum in Ecclesia ante concilium Carthaginense in*

Digitized by Google

Romani Marsos, et Hernicos, et Pelignos superant. A

His annis Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Apamiam, Edessam, Berœam, et Pellam urbes condidit, in quibus Judæis, quos transtulerat, jus civium dedit. Seleucus Babylonem obtinuit.

xxv anno regni Ptolemæi, Judæorum pontifex maximus Simon Oniæ filius insignis erat.

Romæ vero censu agitato, inventa sunt civium millia CCLXX.

Pontificatum apud Judæos suscepit Eleazar frater Simonis, cujus filius Onias, ob ætatem pueritiæ, non potuerat patri succedere.

Eo tempore a Romanis Beneventum et Ariminus conditæ.

Ptolemæus, qui et Philadelphus, annis xxxviii. Hic Judæos qui in Ægypto erant liberos esse permisit, et vasa Eleazaro pontifici Jerosolymorum votiva transmittens, divinas Scripturas in Græcum sermonem ex Hebræa lingua per LXX Interpretes transferri curavit, quas in Alexandrina Bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere litterarum comparaverat. B

Argenteus nummus primum in Urbe figuratus, regni hujus anno xiii. Hujus regni autem xxiv, Romani Carthaginenses navali certamine superant, et centum Libyæ urbes capiunt.

Judæorum pontificatum post Eleazarum avunculus ejus Manasses accepit : post quem Onias pontifex Simonis justi filius clarus habebatur, qui consueta Ptolemæo tributa non reddens, ad iram eum commovit. Verum Josephus vir inter suos nobilis, legatus a Judæis ad **696** Ptolemæum missus, cum familiaritatem regis ob plurima in eum meruisset obsequia, dux Judææ et finitimarum regionum constituitur. C

Parthis ab imperio Macedonum recedentibus, primo regnavit Arsaces, unde Arsacidæ dicti.

Ptolemæus Evergetes annis xxvi.

Hujus temporis Judæorum pontifex Simon Oniæ filius clarus habebatur : sub quo Jesus filius Sirach Sapientiæ librum composuit, quem Panareton vocant.

Ennius poeta Tarenti nascitur.

Rhodo terræ motu concussa, Colossus ruit.

A Romanis xl fere millia Gallorum cæsa.

Ptolemæus Philopator annis xvii. Judæi victi et xl millia armatorum ex numero eorum cæsa. D

Romani vero Capuam et Siciliam subjugant.

Antiochus rex Syriæ, victo Philopatore, per Ptolemæum, Judæam sibi sumit.

Ptolemæus Epiphanes annis xxiv. Hic Scopa principe militiæ destinato, Judæam capit, et plurimas Syriæ civitates. Secundus liber Machabæorum hujus temporis gesta continet.

Hac tempestate, cum ab Antiocho per legatos Hannibalem Romani reposcerent, cui se victus a Scipione sociaverat, idem Hannibal ad Prusiam regem Bithyniæ transfugit : et cum etiam ab eo per Flaminium reposceretur, tradendusque esset, venenum bibit, et apud Libyssam Bithyniæ sepultus est.

Cæcilius poeta comicus.

Ptolemæus Philometor annis xxv, seu xxxv. Hujus anno quarto Hyrcanus Josephi ducis Judææ filius, cum ad Ptolemæum perrexisset, honorifice ab eo susceptus est. Verum fratres ejus seditione contra eum mota, magnarum calamitatum Judææ genti causa exstiterunt.

Aristobulus, natione Judæus, Peripateticus philosophus claruit, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Moysen Commentarios scripsit.

Eodem tempore Antiochus Epiphanes, cum de regione Ptolemæorum, quam subito invaserat, territus senatus Romani imperio recessisset, Judæam venit, ibique Jesu et Jasoni fratri Oniæ pontificatum tradidit. Quo deinde expulso, Oniam cognomento Menelaum successorem ei dedit. Itaque ob sacerdotii dignitatem orta seditione inter principes, ingentium miseriarum semina pullulaverunt.

**697** Samaritæ et Judæi Alexandriæ, Ptolemæo judicante, contendunt de honoribus ex utraque parte templo suo deferendis, et superant Judæi.

Vicesimo autem ejusdem regni anno, Judæ Machabæo, post Alcimi inimici ejus interitum, sacerdotium et principatus, omnium Judæorum favore decernitur. Qui dignitate suscepta, legatos Romam misit, et obtinuit decreto senatus, ut Judæi amici et auxiliatores Romanorum haberentur. Idem Judas duces Antiochi, qui legem Judæorum multa profanitate impugnaverat, de Judæa expulit, et templum ab idolorum imaginibus emundans, patrias religiones post triennium civibus suis reddidit.

Ennius poeta moritur, sepeliturque in monimento Scipionum, via Appia.

Judas Machabæus triennio pontificatu gesto dimicans adversus Demetrii duces occiditur.

*omnes libri tam veteris, quam novi Testamenti canonici, non uno et eodem tempore et eadem fide recepti sint apud omnes Ecclesias..... Hinc tempore Eusebii non constabat apud omnes, maxime apud Græcos, de libris duobus Machabæorum. Nec sunt propterea rejiciendi ex Catalogo, non magis quam liber Esther, quem perinde Eusebius non recipit inter divinas Scripturas; quem sequuntur Athanasius in Synopsi, Gregorius Nazianz. de Genui. Script. Amphilochius merito, apud Eusebium lib.* IV *Hist. cap.* 26, *et alii Græci, nec etiam magis quam Apocalypsis aut Epistola Pauli ad Hebræos, quarum posteriorem sicut Latinorum consuetudo non recipiebat inter canonicas Scripturas, sic nec Græcorum Ecclesia Apocalypsim, ut ait Hieron. epist. ad Dardanum. Sed postquam Ecclesia in concilio illo* III *Carthaginensi (cui Augustinus interfuit), cap.* 47, *constituit indicem seu canonem librorum sacrorum seu canonicorum, deinceps duo libri Machabæorum, sicut etiam cæteri, pro divinis et canonicis sunt apud omnes habiti. Unde August., lib.* VIII *de Civitate cap.* 36 *: Libros Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet*, etc. Quibus addi poterit auctoritas concilii Tridentini sessione 4, in decreto de canonicis Scripturis.

Digitized by Google

Terentius Carthaginensis comœdiarum scriptor moritur. A

Pacuvius Tragicus clarus habetur, Ennii poetæ ex filia nepos, vixitque Romæ quoad picturam exercuit, ac fabulas venditavit : deinde Tarentum transgressus, prope nonagenarius diem obiit.

Romæ descriptione facta, inventa sunt civium [a] CCCXXXII millia, quo tempore Carthago in ditionem Romanam per Scipionem redigitur.

Ptolemæus Evergetes annis XXIX.

Jonathas pontifex Judæorum a Triphone occiditur, et in sacerdotium Simon Jonathæ frater assumitur : cui interfecto succedit filius ejus Joannes, qui contra Hyrcanos bellum gerens, Hyrcani nomen accepit, et a Romanis decreto senatus inter amicos relatus est. Idem Samariam obsidione captam solo B æquavit, quam postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti vocari voluit.

Attalus moriens [b] populum Romanum reliquit hæredem.

Ptolemæus Physcon, qui et Soter, annis XXVII [*Alias* XVII].

Hujus regni anno octavo Cicero Arpini nascitur, matre Helvia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorum genere.

Triennio post, Cn. Pompeius Magnus oritur.

Septimo decimo autem hujus regni anno, C. Marius V consul juxta Rhodanum Cimbros superat, quorum ducentis millibus cæsis, LXXX capit, et de his cum Catulo triumphat.

Jugurtha contra Romanos dimicans capitur. In Si- C cilia rursus bellum servile consurgit. Thraces a Romanis victi.

Aristobulus filius Jonathæ (Joannis) rex pariter et pontifex, primus apud Judæos **698** diadematis sumpsit insigne. Post quem regnavit Jannæus, cognomento Alexander, qui pontificatum quoque administrans crudelissime civibus præfuit.

Ptolemæus, qui et Alexander, annis VIII.

Syriæ regnabat Philippus, quem dux Romanus Gabinius cepit, cum jam ante eum Antiochus in Parthos fugiens Pompeio se deinceps tradidisset. Ita Syria in Romanam ditionem transivit.

J. Pomponius Bononiensis Attellanarum scriptor clarus habebatur.

T. Lucrecius poeta hoc tempore exstitit, qui ama- D torio poculo in furorem versus, propria manu se interficit.

Plotius Gallus primus Romæ Latinam rhetoricam docuit.

Ptolemæus Cleopatræ filius annis VIII.

Sallustius Historiarum scriptor in Sabinis Amiterni nascitur.

Descriptione Romæ facta, inventa sunt hominum [c] CCCCLXIII millia.

P. Terentius Varro, vico Atace in Provincia Narbonensi nascitur, qui XXXV annum agens Græcas litteras didicit.

Ptolemæus Dionysius annis XXX.

Ab hujus regni anno sexto Alexandra, quæ et Selina, uxor Alexandri, Jerosolymis per novem regnavit annos : ex cujus ætate Judæos rerum confusio et variæ clades oppressere. Ac mox per Cn. Pompeium Jerosolymis captis, temploque usque ad sanctorum sancta reserato, Judæi vectigales Romanorum facti, Hyrcano apud eos pontifice constituto, et Antipatro Herodis Ascalonitæ filio procuratore Palæstinæ facto.

M. Porcius Cato stoicus philosophus agnoscitur.

Quæ de Catilina Sallustius scribit hoc gesta sunt tempore.

Decimo autem Ptolemæi regnantis anno, Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, juxta Mantuam nascitur, Pompeio et Crasso consulibus.

Et post septem annos Horatius Flaccus poeta satiricus et lyricus Libertino patre Venusii nascitur.

Crassus consul cum filio apud Carras capitur.

Pompeius imperator appellatus, Lusitaniam et quasdam insulas in Oceano capit.

Cleopatra annis XXII, ex quibus duo tantum supputandi, quia Romanis continua nascuntur imperia : quorum deinceps tempora numeranda sunt a C. Julio Cæsare, qui primus apud Romanos singulare obtinuit imperium, a quo Romanorum principes appellati Cæsares.

Cæsar Rhenum transiens, Germanos vastat, Gallos subigit.

**699** Principium belli civilis inter Cæsarem et Pompeium.

Ex hoc loco continua Romanorum annotantur imperia, et regnat apud eos primus omnium C. Julius Cæsar.

C. Julius Cæsar primus annos IV, [d] menses sex.

Pompeius victus et fugiens, a spadonibus Alexandrini regis occiditur.

Decretum senatus et Atheniensium ad Judæos mittitur, qui per legatos amicitiam postularant.

Cleopatra regio comitatu Urbem ingressa.

Antonius decernit Quintilem mensem Julium debere dici, quia in eo natus fuisset Julius.

Cassius, Judæa capta, templum spoliat.

Idibus Martiis C. Julius Cæsar in curia occiditur.

Cæsar Augustus, qui et Octavianus, annis LVI [e] a quo reges Romanorum Augusti appellati.

Ovidius Naso in Pelignis nascitur.

Cicero in Formiano suo ab Herennio et Popilio occiditur.

Antonius adversus Augustum bellum movet.

E Taberna meritoria trans Tiberim oleum terræ

[a] In hoc calculo variant mss. Eusebii. In uno habes 222,000; in alio et in edit. Pontaci 322,000; in aliis duobus 334,000. In alio 335,000. in edit. Pont.

[b] Codices Eusebii addunt hic, *regni sui*.

[c] Mss. Colb. tres. 464,000; unus, 414,000.

[d] In Chronici Eusebiani mss. et edit. Pont., *menses septem*.

[e] In Eusebii Chronico adduntur menses sex.

Digitized by Google

erupit, fluxitque toto die sine intermissione, significans Christi gratiam ex gentibus. A

Antiochus superatus ab Augusto, in amicitiam ejus, interveniente senatu, redit.

Herodes Antipatri Ascalonitæ et matris Cypridis Arabicæ filius a Romanis Judæorum accipit principatum. Cujus tempore Christi nativitate vicina, regnum et sacerdotium Judææ, quod prius per successiones minorum tenebatur, destructum est, completa prophetia, quæ per Moysen ita loquitur : *Non deficiet princeps ex Juda,* [a] *neque rex de femoribus ejus, donec veniat* [b] *semen, cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). In hoc etiam loco Christus, quem Daniel scribit, accepit finem. Nam usque ad Herodem christi, id est, sacerdotes erant reges Judæorum, qui imperare cœperunt a B LXV olympiade, et ab instauratione templi sub Dario usque ad Hyrcanum, et ad CLXXXVI olympiadem, annis CCCCLXXXIV in medio transactis, quos Daniel quoque significavit dicens : *Et scies et intelliges, ab initio sermonis respondendi et ædificandi Jerusalem, usque ad Christi principatum hebdomades septem, et hebdomades* LXII (*Dan.* IX, 25). Quæ hebdomades LXIX in quibus christi, id est, sacerdotes per unctionem consecrati, regnaverunt, faciunt annos CCCCLXXXIII, usque ad Hyrcanum. Quo extremo omnium a Parthis capto, Herodes Antipatri filius nihil ad se pertinentem Judæam ab Augusto et senatu **700** accepit, filiique ejus post eum regnaverunt, usque ad novissimam Jerosolymorum captivitatem, nequaquam ex successione sacerdotalis generis C pontificibus constitutis, neque perpetuitate vitæ, secundum legem Moysis, servientibus Deo. Ignobiles vero quidam, et alio tempore alii, et nonnulli unius anni, sive modico amplius, a Romanis imperatoribus sacerdotium emebant. Quæ omnia etiam propheta Daniel vaticinatur ita dicens : *Et post hebdomadas septem et sexaginta duas, interibit chrisma, et judicium non erit in eo, et templum et sanctum corrumpet populus duce veniente; et cædentur in cataclysmo belli* (*Ibid.*, 26). Et in consequentibus : *Super templum,* inquit, *abominatio desolationum, et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem* (*Ibid.*, 27).

Sallustius diem obiit quadriennio ante bellum Actiacum. D

Vinium Maximum quæstorem designatum agnovit dominus suus, et abduxit.

Lunæ secundum Romanos cursus invenitur.

Cleopatra et Antonius semet interficiunt, et Ægyptus fit Romana provincia.

Cæsar Augustus appellatur, a quo Sextilis mensis Augusti nomen accepit.

Augustus cum monarchia offerretur recusavit.

Augustus Calabriam (Cantabriam) et Gallos (Galæcos) vectigales facit.

Tiberius ab Augusto missus occupavit Armeniam.

Cantabri res novas molientes opprimuntur.

Augustus Caium Agrippam adoptat in filium.

Tiberius Vindelicos [c] et confines Rætiarum Romanas provincias facit.

XVII anno imperii Augusti censu Romæ agitato, inventa sunt civium Romanorum [d] XLI centena et septuaginta quatuor millia.

XXIV Augusti imperii anno, Tiberius de captis Pannoniis triumphavit.

Ejusdem imperii anno XXV, Virgilius Brundusii moritur, et Neapoli secundo a civitate milliario sepelitur.

Herodes Samariam, olim jam in cineribus sedentem, a fundamentis suscitans, in honorem Augusti, Augustam, id est, Sebasten, appellavit, et in Paneade, id quod Panion vocatur exstruxit. Idem Cæsaream in nomine Cæsaris condidit, quæ prius Turris Stratonis vocabatur. Idem Hyrcanum, qui olim sacerdos Judæorum fuerat, de captivitate Parthica regressum, et filium ejus, qui sacerdotio patris successerat, interficit : sororemque ejus uxorem suam, cum duobus filiis propriis jam adolescentulis, et matrem uxoris occisæ socrum suam crudelissime necat. **701** Virum etiam sororis suæ Salomæ interfecit : et cum eam alii tradidisset uxorem, etiam ipsum peremit : scribas quoque et interpretes divinæ legis simili scelere occidit.

Augustus Juliam filiam suam in adulterio deprehensam damnat exsilio : Tiberium et Agrippam in filios adoptavit.

Judas Galilæus ad rebellandam Judæos cohortatur.

XLIV imperii Augusti anno, Quirinus ex consilio senatus ad Judæam missus, census hominum possessionesque describit.

Eodem anno JESUS CHRISTUS Filius Dei in Bethleem Judæ nascitur.

Colliguntur autem omnes anni ab Abraham exordio, usque ad nativitatem Christi ex Maria, [e] duo millia XVIII seu XV.

Herodes cum Christi nativitatem Magorum indicio cognovisset, universos in Bethleem parvulos jussit interfici : ipse autem biennio post morbo intercutis aquæ, et scatentibus toto corpore vermibus, misere, sed digne moritur.

In Herodis locum Archelaus ab Augusto constituitur (et tetrarchæ fiunt fratres ejus Herodes, Antipater, Lysias et Philippus) annis IX.

Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque redigit in Romanam potestatem.

Athenienses res novas contra Romanos molientes opprimuntur.

[a] Codices Chronici Eusebiani, *neque dux,* ut in Vulgata nostra et Hebræo.
[b] In Eusebio omittitur hæc vox, *semen.*
[c] Libri Chronic. Eusebii, *et eos qui Thraciarum confines erant.*

[d] In duobus mss. Colb. numerantur 1,514,000.
[e] Mss. tres Colb.. 2014. Melioris notæ duo ex eadem bibliotheca habent 2015, et editio Chronici Eusebiani a Pontaco procurata.

Digitized by Google

Augustus cum Tiberio filio suo LIII imperii sui A anno censum Romæ agitans, invenit hominum nonagies et ter centena et [a] LXX millia.

Messala Corvinus Orator ante biennium quam moreretur, ita memoriam perdidit, ut vix pauca verba conjungeret.

Archelaus in Viennam urbem Galliæ relegatur, anno regni sui IX. Post quem Herodes tetrarches fuit annis XXIV.

Tiberius Drusum consortem regni facit.

TIBERIUS, III, annis XXIII. Cujus imperii anno V tredecim urbes terræ motu corruerunt.

Ejusdem imperii anno XIV Pilatus procurator Judææ mittitur.

Herodes Tiberiadem et Liviadem condidit.

Tiberius multos reges ad se per blanditias evocatos, B numquam remisit, regnaque eorum in provincias vertit.

Joannes filius Zachariæ in deserto juxta Jordanem fluvium prædicans Judæis, Christum Filium Dei in medio eorum adesse testatur.

Ipse quoque Dominus JESUS CHRISTUS **702** hinc in populos salutarem viam annuntiat, signis atque virtutibus vera comprobans esse quæ diceret.

Drusus Cæsar veneno periit.

[b] Josephus circa hæc tempora die Pentecostes sacerdotes Judæorum primum commotiones locorum templi, et quosdam sonitus sensisse testatur: deinde ex adyto erupisse vocem dicentium: Transmigremus ex his sedibus.

Scribit idem Josephus, quod eodem anno Pilatus C præses secreto noctis imagines Cæsaris in templo statuerit.

Computantur itaque in annum XV Tiberii Cæsaris, ab instauratione templi, quæ facta est sub altero anno Darii regis Persarum, anni DXLVIII; a Salomone autem et prima ædificatione templi, anni computati sunt MLX; a Moyse et egressu Israelis ex Ægypto, anni [c] MDXVI [Alias XXXVIII]; ab anno repromissionis primo, anni MDLXXII; ab anno quo natus est Abraham, anni [d] MMXLVII; a diluvio autem usque ad primum annum Abrahæ, anni nongenti XLII Eusebius vir disertissimus annumeravit. Ab Adam vero usque ad diluvium, anni duo millia CCXLII. Sunt ergo omnes anni ab Adam, usque in annum XV Tiberii Cæsaris, anni MMMMMCCCLX aut CCXXVIII. Anni D vero secundum Geneseos scripturam et Africani historici supputationem amplius inveniuntur CXXIX.

[e] Quidam putant Dominum nostrum Jesum Christum XV anno regni Tiberii Cæsaris, id est, duobus Geminis consulibus crucifixum, quo anno, secundum indubitabilem Lucæ Evangelistæ auctoritatem, baptizatum eum esse manifestum est, et Evangelium regni cœlorum prædicare cœpisse. Secundum vero Joannis Evangelium, festivitati Paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus: ut appareat tertium fuisse illud Pascha, quod verus Agnus suo sanguine consecravit.

Proinde consules quidem a Manifestatione Domini, id est, a RUFINO GEMINO et RUBELLIO GEMINO consulibus inchoamus: sed tertios ab iis consules Dominicæ Passioni ascribimus, sequentes quod auctoritas tradidit et ratio.

INCIPIT ANNOTATIO CONSULUM, [f] CUM HISTORIA.

RUFINO GEMINO, ET RUBELLIO GEMINO COSS.

VINICIO ET LONGINO.

SULPICIO ET SULLA.

**703** Ecclesiæ Jerosolymorum primus episcopus ordinatus est Jacobus, qui habitus est frater Domini.

PRISCO ET VITELLIO.

GALLO ET NONIANO.

GALLIENO ET PLAUTIANO.

Pilatus sacrum thesaurum, quem Corban Judæi vocant, in aquæductum Jerosolymorum expendens, secundæ seditionis præbuit semina. Ab hoc tempore innumeræ calamitates Judæorum gentem oppresserunt.

PROCULO ET NIGRINO.

JULIANO ET ASPRENATE.

PUBLICOLA ET NERVA.

Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad senatum, ut inter cætera sacra reciperetur. Verum cum ex consulto Patrum, Christianos eliminari Urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus comminatus est mortem.

CÆSARE ET JULIANO.

Tiberius in Campania moritur.

CAIUS CÆSAR CALIGULA, IV, regnavit annis tribus, mensibus decem.

CÆSARE II ET SATURNINO.

SATURNINO II ET VENUSTO.

TIBERIO ET GALLO.

Hoc tempore Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit.

Caligula cum se in deos retulisset, Petronio præfecto Syriæ præcepit, ut Jerosolymis statuam suam,

[a] Ms. Colb. unicus, *et* 60 *millia*. Hæc descriptio in aliis codicibus assignatur anno 55 Augusti, in aliis anno 54.

[b] Articulus hic cum sequenti in Chronico Eusebii rejicitur in annum 18 Tiberii, post passionem Christi.

[c] In Eusebii Chronico 1539.

[d] Apud Eusebium, 2044.

[e] Aliam hujus loci lectionem in quibusdam codicibus haberi docet Ph. Labbeus in Auctuario tom. I Biblioth. novæ mss. pag. 22 scilicet: *Quidam ferunt anno 18 Tiberii Jesum Christum passum. Et argumentum huic rei ex Evangelio assumunt Joannis: in quo post 15 annum Tiberii Cæsaris triennio Dominum prædicasse intelligitur. Sed quia usitatior traditio habet Dominum nostrum 15 anno Tiberii Cæsaris duobus* GEMINIS *consulibus crucifixum, nos sine præjudicio alterius opinionis, successiones sequentium consulum a suis consulatibus ordiemur: manente annotatione temporum quæ cujusque imperium habuit.*

[f] Auctuarium tom. I Biblioth. novæ mss. addit *a passione D. N. J. C.*

Digitized by Google

sub nomine Jovis Optimi Maximi poneret: sed etiam per totum orbem Romani imperii, in Judæorum Synagogis statuæ, et imagines, et aræ C. Cæsaris consecrabantur.

CRISPINO ET TAURO.

Plurimi nobilium a Caio interfecti.

Caius a protectoribus suis in palatio occiditur.

Claudius, V, regnavit annis XIII, mensibus VIII, diebus XXVIII. Ipse est Claudius patruus Drusi, qui apud Moguntiacum monimentum habet.

VINICIO ET CORNELIO.

ASIATICO ET SILANO.

Petrus apostolus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans XXV annis ejusdem urbis episcopus perseverat.

TIBERIO II ET VITELLIO.

Marcus evangelista interpres Petri Ægypto et Alexandriæ Christum annuntiat.

Initium cycli primi.

VITELLIO II ET PUBLICOLA.

Primus Antiochiæ ordinatus episcopus Evodius.

VERINO ET GALLO.

VETERE ET NERVILIANO.

Censu Romæ acto, inventa sunt civium LXVIII centena et [a] LXIV seu XLIV millia.

704 Paschalis cycli ratio ab his consulibus incœpit, per annos XXCIV, et ad eamdem legem revertens.

CLAUDIO ET ORPHITO.

Sub procuratore Judææ Cumano in diebus Azymorum, tanta est Jerosolymis orta seditio, ut in portarum exitu populo corruente, [b] XXXIV millia Judæorum perierint.

Prophetia Agabi, qui in Actis Apostolorum famem in toto orbe futuram dixerat, sub Claudio expletur.

Thracia huc usque regnata, in provinciam redigitur.

SILANO ET SILIO.

TIBERIO III ET ANTONINO.

SILANO ET OTHONE.

Paulus apostolus apud Felicem procuratorem Judææ in defensionem sui perorat.

SILANO II ET ANTONINO.

MARCELLINO ET AVIOLA.

Sub Felice procuratore Judææ exstiterunt multi qui populum sua persuasione deciperent. Inter quos et Ægyptius quidam pseudopropheta fuit, qui plurimos sibi associans, in ipso magnarum rerum conatu per exercitum Felicis opprimitur, secundum quod in Actibus Apostolorum Paulo dicitur: *Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies concitasti et eduxisti in desertum quatuor millia virorum?*

NERONE ET VETERE.

NERONE II ET PISONE.

Claudius moritur in Palatio, anno ætatis suæ LXIV.

Nero, VI, regnat annis XIII, mensibus VII, et diebus XXVIII aut XXX. Hujus avunculus fuit C. Caligula.

NERONE III ET MESSALA.

NERONE IV ET CORNELIO.

Festus succedit Felici, apud quem, præsente Agrippa rege, Paulus apostolus religionis suæ rationem redditurus, vinctus Romam mittitur.

Nero tantæ luxuriæ fuit, ut frigidis et calidis lavaret unguentis, retibusque aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur.

PIO ET TURPILIANO.

MARBINO ET GALLO.

CRASSO ET BASSO.

SILVANO ET PAULINO.

Nero Agrippinam matrem suam et sororem patris interfecit.

Jacobus frater Domini, quem omnes Justum appellabant, a Judæis lapidibus opprimitur: in cujus thronum Simeon secundus assumitur.

Nero omnes cithara contendens superat.

CELSINO ET APULEIO.

Ante mensam Neronis fulmen cecidit.

Post Marcum evangelistam, primus Alexandrinæ Ecclesiæ ordinatur episcopus Anianus.

705 CAPITONE ET RUFO.

SILIO ITALICO ET TURPILIANO.

SILVANO ET OTHONE.

VESPASIANO ET TITO.

VESPASIANO II ET TITO II.

VESPASIANO III ET NERVA.

Nero in Olympiaco agone coronatur, cerycas, citharistas, tragœdos, aurigas, vario certamine superans.

Nero, ut similitudinem Trojæ ardentis videret, plurimam partem Romanæ urbis incendit.

Musonius et Plutarchus philosophi insignes habentur.

Prima persecutio. [c] Primus Nero, super omnia

[a] In Chronico Eusebii sunt post 68 *centena*, et 44 *millia*.

[b] Apud Eusebium numerantur tantum 30000.

[c] *Duo animadversione digna* hic notat Illust. Pontacus ad hunc locum: *Primum quod auctor hanc persecutionem in Christianos nominet primam, vel dicat Neronem primum illam excitasse. Nam intelligit non solum de prima universali, seu gentium (quæ enim narratur Act.* XVIII *fuit particularis in Judæa et Samaria, et a Judæis), sed etiam de prima cruenta. Unde eleganter Tertullianus in Scorpiaco cap.* 14: *Orientem fidem Nero primus Romæ cruentavit. Si quidem non solum auctore Suetonio, sed etiam ipso Luca Act.* XV *et* XVIII: *Claudius Christianos antea cum Judæis Urbe expulerat. Alterum, eum forsan loqui de persecutione hoc anno facta, non tam ut ejus initium seu motum prodat et indicet, quam ut ejus occasione exprimat martyrium Petri et Pauli. Nam certum est ex Tacito, lib.* XV, *persecutionem Neronis cœptam anno* 10 *imperii ejus, occasione incendii urbis Romæ, et ut tormentis et suppliciis Christianorum aboleret rumorem illius incendii, et exstingueret odium quod propterea omnes in eum conceperant.*



Digitized by Google

scelera sua, etiam persecutionem in Christianos fa- A cit, in qua Petrus et Paulus apostoli gloriose Romæ occubuerunt.

Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit LINUS [a] annis XII sive XIII.

Vespasianus magister militiæ ad debellandos Judæos a Nerone mittitur.

VESPASIANO IV ET TITO III.

Vespasianus duobus prœliis superatos Judæos ad muros compellit.

Antiochiæ secundus episcopus ordinatur Ignatius.

Nero cum a Senatu quæreretur ad pœnam, de Palatio fugiens, ad quartum Urbis milliarium semet interfecit.

VESPASIANUS, VII, regnavit annis IX, mensibus IX, et diebus XXII seu XXIX.

VESPASIANO V ET TITO IV.

Post Neronem, Galba in Iberia, Vitellius in Germania, Otho Romæ imperium arripuerunt. Sed Galba septimo mense Romæ capite truncatur; Otho apud [b] Bebriacum propria manu occubuit; Vitellius a Vespasiani ducibus occisus, in Tiberim projicitur.

Vespasianus apud Judæam ab exercitu imperator appellatur : bellum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiscitur.

VESPASIANO VI ET TITO V.

Titus, Judæa capta et Jerosolymis subversis, sexcentena millia virorum interficit. Josephus scribit, undecies centena millia fame et gladio periisse, et alia centum millia captivorum publice venumdata. Ut autem tanta multitudo Jerosolymis reperiretur, C causam Azymorum festum fuisse : ob quod ex omni
706 gente Judæi ad templum confluentes, urbe quasi carcere sunt reclusi. Oportuit enim in his diebus eos interfici in quibus Salvatorem crucifixerant.

Colligitur itaque omne tempus in secundum annum Vespasiani et novissimam Jerosolymorum eversionem. A quinto decimo anno Tiberii Cæsaris, et ab exordio evangelicæ prædicationis, anni XLII. A captivitate autem quam ab Antiocho perpessi sunt, anni [c] CCXXIX. Porro a Darii secundo anno, sub quo rursum templum ædificatum est, anni [d] DLXXX aut XC. A prima autem ædificatione templi sub Salomone, usque ad novissimam ejus ruinam, quæ sub Vespasiano facta est, anni [e] MCIII.

VESPASIANO VII ET TITO VI.

COMMODO ET RUFO.

Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samos, Cilicia, Comagene, quæ ante liberæ sub regibus et amicis erant, in provincias redactæ.

VESPASIANO VIII ET TITO VII.

VESPASIANO IX ET TITO VIII.

SILVANO ET VERO.

DOMITIANO ET MESSALINO.

DOMITIANO II ET RUFO II.

Vespasianus circa Sabinos in villa propria moritur, anno ætatis [f] LXIX.

TITUS, VIII, regnavit [g] annis tribus, mensibus duobus.

Titus Vespasiani filius in utraque lingua disertissimus fuit, et tantæ bonitatis, ut cum quadam die recordatus fuisset in cœna, se nihil in illa die cui- B quam præstitisse, dixerit, Amici, hodie diem perdidi.

DOMITIANO III ET SABINO.

DOMITIANO IV ET RUFO III

Titus Amphitheatrum Romæ ædificavit, et in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit.

DOMITIANO V ET DOLABELLA.

Romanæ Ecclesiæ II constituitur episcopus [h] CLETUS annis XII.

Titus morbo periit in ea villa in qua pater, anno ætatis XLII.

DOMITIANUS, IX, frater Titi junior, regnavit annis XV, mensibus V.

DOMITIANO VI ET RUFO IV.

Domitiani uxor Augusta appellata.

Domitianus eunuchos fieri prohibet : Mathematicos philosophos Romana urbe pellit.

707 FLAVIO ET TRAJANO.

Domitianus plurimos senatorum in exsilium mittit, de Dacis et Germanis triumphavit.

DOMITIANO VII ET NERVA.

Duo menses aliter appellati : September, Germanicus; et October, Domitianus.

Primus Domitianus Dominum se et Deum appellari jussit.

Secundus Alexandriæ ordinatur episcopus Abilius.

TRAJANO II ET GLABRIONE.

Quintilianus rhetor Calaguritanus Romæ clarus habetur.

DOMITIANO VIII ET SATURNINO.

SILVANO ET PRISCO.

D Domitianus prohibuit [i] vites in urbibus seri.

ASPRENATE ET CLEMENTE.

[a] Eusebiani chronici mss. tres, *annis* 12. Alii duo cum edit. Pont., *annis* 11.

[b] Mss. Colb. duo, *Vetriacum*. Alii tres, *Metriacum*.

[c] In Chronico Eusebii edit. Pont., 239; et mss. quinque Colb. 239, quorum unus supra pro 42 habet 43.

[d] In Eusebii Chronico edit. Pont., 591. Idem in ms. Colb. uno. Quatuor alii habent 590.

[e] Mss. Colb. tres, 1102.

[f] In ms. Colb. unico, 64.

[g] Codices chronici Eusebiani assignant Tito annos duos, menses duos. Pont. menses octo.

[h] Hunc pontificem Romanum *Anacletum* vocant mss. quatuor Colbertini. *Cletum* unicus omnium antiquissimus. De quo vide notam Pontaci pag. 584 et 585. Lege etiam alios qui contra unicum sub utroque nomine designari probant: Vales. not. ad Euseb. p. 49 col. 1, Coteler. not. ad const. Apost. p. 300, Nat. Alexand. to. I p. 515, et alios.

[i] Suetonius rationem reddit hujus edicti per Italiam et provincias, *Eo quod nimio vinearum studio negligi arva existimaret :* unde conjicit Pontacus in notis p. 594 pro *in urbibus*, legendum forsan, *in orbe; nisi intelligas dictum pro, in arvis vicinis urbibus. Vineta enim nonnisi urbibus et locis habitatis plerumque adjacent. Philostratus in Vita Apollonii reddit aliam rationem, quod rixæ, pugnæ, cædes ex ebrietate orirentur.*

Digitized by Google

Apollonius Thyaneus, et Eufrates philosophi insi- A gnes habentur.

Multa opera Romæ facta : in quibus Capitolium, Forum Transitorium, Divorum Porticus, Isium, Serapium, Stadium, Horrea [a] Piperata, Vespasiani templum, [b] Minerva Chalcedonica, Odium, Forum Trajani, Thermæ Trajanæ et Titianæ, Senatus, Ludus matutinus, Mica Aurea, Meta sudans, et Pantheon.

Domitianus tantæ superbiæ fuit, ut aureas et argenteas statuas sibi in Capitolio poni jusserit.

DOMITIANO IX ET CLEMENTE.

Multi nobilium necati, plures in exsilium acti.

FULVIO ET VETERE.

NERVA II ET RUFO.

SABINO ET ANTONINO.

NERVA III ET TRAJANO III.

Romæ III Ecclesiæ præfuit episcopus Clemens annis IX.

SENECIONE ET PALMA.

TRAJANO IV ET FRONTONE.

Secunda persecutio. Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur : et sub eo apostolus Joannes in Pathmum insulam relegatus, Apocalypsim vidit, quam Irenæus interpretatur.

Domitianus eos qui de genere David erant interfici præcepit, ut nullus Judæorum regni reliquus foret.

TRAJANO V ET ORPHITO.

Scribit Brutius, plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse martyrium, inter quos et Flaviam Domitillam Flavii Clementis consulis ex sorore neptem in insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam esse testata sit.

SENECIONE II ET SURA

Domitianus occisus in palatio, anno ætatis suæ XXXV.

708 Nerva, X, regnavit annum unum et menses quatuor.

TRAJANO VI ET MAXIMO.

Justus a Tiberiade Judæorum scriptor agnoscitur.

Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus ordinatur tertius Cerdo.

Aiunt apostolum Joannem hoc tempore exsilio solutum, Ephesum recessisse : cum senatus decrevisset, ut omnia quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur.

Nerva morbo periit in hortis Sallustianis, anno ætatis suæ LXXIII [*Alias* XXCII], cum jam Trajanum adoptasset in filium.

Trajanus, XI, regnavit [c] annis XVIII et mensibus septem. Trajanus Agrippinæ in Galliis imperator factus, natus Italicæ in Hispania.

SENECIONE III ET SURA II.

Terræmotu Asiæ quatuor, et duæ Græciæ urbes subversæ.

Trajanus de Dacis et Scythis triumphavit.

URBANO ET MARCELLO.

CANDIDO ET QUADRATO.

COMMODO ET CEREALE.

Decreto senatus, Nerva in deos relatus.

Romanæ Ecclesiæ IV episcopus præest Evaristus annis IX.

Joannem apostolum usque ad Trajani tempora Irenæus episcopus permansisse scribit. Post quem Papias Hierapolitanus episcopus, Polycarpus Smyrnæus, et Ignatius Antiochenus.

SENECIONE IV ET SURA III.

GALLO ET BRADUA.

AFRICANO ET CRISPINO.

CRISPINO II ET BOLENO.

B PISONE ET RUSTICO.

Alexandrinæ Ecclesiæ IV episcopus ordinatur nomine Primus.

TRAJANO VII ET AFRICANO.

Tertia persecutio. Trajano adversus Christianos persecutionem movente, Simon filius Cleophæ, qui in Jerosolymis episcopatum tenebat, crucifigitur : cui succedit Justus.

Ignatius quoque Antiochenæ Ecclesiæ episcopus Romam perductus, bestiis traditur. Post quem tertius constituitur episcopus Eron.

CELSO ET CRISPINO.

ASTA ET PISONE.

Plinius secundus, cum quamdam provinciam regeret, et in magistratu suo plurimos Christianorum C interfecisset; multitudine eorum perterritus, quæsivit de Trajano, quid facto opus esset : nuntians ei, præter obstinationem non sacrificandi, et antelucanos cœtus, ad canendum cuidam Christo ut Deo, 709 nihil apud eos reperiri. Præterea [d] ad conserendam disciplinam, vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, et his similia. Ad quæ commotus Trajanus rescripsit, hoc genus quidem hominum inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere.

MESSALA ET PEDONE.

Quintus Romanæ Ecclesiæ præest Alexander annis X.

ÆMILIANO ET VETERE.

NIGRINO ET APRONIANO.

D Plinius secundus Novocomensis insignis orator, dum invisit apud Vesuvium, periit : et tres Galatiæ civitates terræmotu excisæ.

Post Justum, IV Jerosolymitanæ Ecclesiæ episcopatum suscipit Zachæus : post quem quintus Tobias, cui succedit sextus Benjamin, ac deinde septimus Joannes, octavus Matthias, in cujus locum nonus constituitur Philippus.

CLARO ET ALEXANDRO.

ADRIANO ET SALINATORE.

[a] In Chron. Eusebii *piperataria*.
[b] In Eusebii Chron., *Chalcidica*. Edit. Pont., *Templum Minervæ Chalcidicæ*.
[c] Apud Eusebium annis 19, mensibus 7, in quibusdam codicibus 6.
[d] Mss. quinque Colb. Chron. Eusebii, *ad confœderandum*.

ADRIANO II ET RUSTICO.

SERVILIANO ET FULVIO.

Hoc tempore Judæi qui in Libya erant, et qui in Ægypto, quique apud Cyrenem et Thebaidem, adversus cohabitatores suos magnas seditiones movent.

Judæis [a] Alexandriæ rebellantibus, Trajanus imperator Lysiæ Quieto præcepit, ut eos e provincia exterminaret : adversus quos Quietus aciem instruens, infinita eorum millia interfecit, et ob hoc procurator Judææ ab imperatore decernitur.

Salaminam urbem Cypri subvertere Judæi.

Trajanus in Selinunte, sive, ut alii ferunt, apud Seleuciam Isauriæ civitatem moritur, anno ætatis [b] LXIV. Ossa ejus in urnam auream conlata, et in foro sub columna posita, solusque omnium intra Urbem sepultus est.

ADRIANUS, XII, regnavit annis XXI. Hic Italicæ in Hispania natus, consobrinæ Trajani filius fuit.

VERO ET AUCURINO.

AVIOLA ET PANSA.

Senatus Trajanum in deos refert, et Adrianus reliqua tributorum urbibus relaxat, chartis publice incensis, plurimosque ipsis tributis liberos facit.

Adrianus Judæos capit, secundo adversus Romanos rebellantes.

PATERNO ET TORQUATO.

GLABRIONE ET APRONIANO.

Bellum gestum contra Sarmatas.

Romanæ Ecclesiæ VI episcopatum suscipit XISTUS [c] annis IX.

Alexandriæ V episcopus ordinatur Justus.

ASIATICO ET QUINTILLO.

Cephissus fluvius Eleusinam inundavit : quem Adrianus ponte conjungens, Athenis hiemem exegit.

**710** VERO ET AMBIGUO.

GALLICANO ET TITIANO.

Jerosolymis post Philippum constituitur X episcopus Seneca; post quem XI Justus; cui succedit XII Levi; post quem XIII Ephres; XIV Joseph; XV Judas. Hi omnes usque ad eversionem, quam per Adrianum Jerusalem passa est, ex circumcisione episcopi præfuerant.

Terræmotu Nicomedia ruit, et Nicææ urbis plurima : ad quarum instaurationem Adrianus de publico est largitus impensas.

TORQUATO ET LIBONE.

CELSO ET MARCELLINO.

CATULINO ET APRO.

PONTIANO ET RUFINO.

Finis cycli primi, et sequentis exordium.

Quadratus discipulus apostolorum, et Aristides noster philosophus, libros pro Christiana religione compositos edidere.

Serenus Granius vir apprime nobilis, litteras ad imperatorem misit, iniquum esse dicens clamoribus A vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, et sine ullo crimine, nominis tantum et sectæ reos fieri. Quibus commotus Adrianus, Minucio Fundano proconsuli Asiæ scribit, sine objectu criminum Christianos non condemnandos. Cujus epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum.

AUCURINO ET SERGIANO.

TIBERIO ET SILANO.

Romæ VII episcopus ordinatur Telesphorus annis XI.

Antiochenæ Ecclesiæ IV præficitur Cornelius.

SERGIANO II ET VERO.

POMPEIANO ET ATILIANO.

Alexandrinæ Ecclesiæ VI præest Eumenes.

POMPEIANO II ET COMMODO.

B LÆLIO ET ALBINO.

Judæi in arma versi, Palæstinam depopulati sunt, tenente provinciam Tænio Rufo : cui ad opprimendos rebelles Adrianus misit exercitum.

CAMERINO ET NIGRO.

Basilides hæresiarches in Alexandria commoratur, a quo Gnostici. Hoc autem Basilides distabat a Simonis dogmate, quod CCCLXV cœlos esse credebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est ABRAXAS, quia hujus nominis litteræ, secundum supputationem Græcam, eumdem numerum complent. Gnostici autem a præsumptione excellentioris scientiæ nominati sunt, quos quidam Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem quam in suis C mysteriis exercere dicuntur. Tradunt autem fabulosissimis dogmata plena figmentis. Animarum substantiam dicunt Dei esse naturam : Deum quoque bonum et Deum malum **711** in sua perhibentur habere doctrina.

Barcochebas, dux Judæorum, nolentes sibi adversus Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat. Bellum Judaicum, quod in Palæstina gerebatur, finem rebus Judæorum posuit penitus oppressis. Ex quo tempore etiam introeundi eis Jerosolymam licentia ablata est; primum Dei nutu, sicut prophetæ vaticinati sunt, deinde Romanorum interdictionibus.

ANTONINO ET PRÆSENTE.

Jerosolymis primus ex gentibus constituitur epi- D scopus Marcus, cessantibus his qui fuerant ex Judæis.

ANTONINO II ET PRÆSENTE II.

SEVERO ET SILVANO.

Ælia ab Ælio Adriano condita est, et in fronte ejus portæ, qua Bethleem egredimur, sus sculptus in marmore, significans Romanæ potestati subjacere Judæos.

Adrianus apud Baias moritur major LX annorum.

ANTONINUS TITUS cognomento Pius, XIII, cum filiis Aurelio et Lucio regnavit annis [d] XXII et mensibus III.

[a] Apud Eusebium, tam in mss. Colb. quinque, quam in edit. Pont., *Mesopotamiæ*, aut *Mesopotamiam*.

[b] In Chron. Eusebii edit. Pont. et mss. duobus Colb., 63. Mss. tres, 73.

[c] In Eusebii Chron., *annis* 10.

[d] In edit. Pont., 23, *mens*. 3. In ms. Colb. uno, *annis* 23. Alii ut in textu nostro.

Digitized by Google

RUFINO ET TORQUATO

Romæ VIII episcopus ordinatur HYGINUS annis IV.

TORQUATO II ET HERODE.

AVIOLA ET MAXIMO.

Antoninus pater patriæ appellatur.

[a] Valentinus hæresiarches, et Cerdo magister Marcionis Romam venerunt. Valentinus de natura rerum multa fabulosa confinxit, asserens XXX æonas, id est sæcula, exstitisse, quorum sit principium Profundum et Silentium, quod Profundum etiam Patrem appellat. Cerdonianus vero duo principia sibi adversantia dogmatizat, dominumque legis ac prophetarum non esse Patrem Christi, nec bonum esse Deum, sed justum; patrem vero Christi bonum. Ex quibus, duorum velut ex conjugio, processisse perhibet intellectum et veritatem, et protulisse æonas octo. De intellectu et voluntate processisse Verbum, et protulisse æonas decem. Porro de Verbo et vita processisse hominem, et Ecclesiam protulisse æonas duodecim. Itaque VIII et X et XII fieri tricies æonas, habentes principium de Profundo et de Silentio. Christum autem a Patre missum, id est a Profundo, spiritale vel cœleste corpus secum attulisse : nihil assumpsisse de Virgine Maria; sed per illam, tamquam per rivum aut fistulam, sine ulla de eadem sumpta carne transisse. Negat etiam **712** resurrectionem carnis, solum per Christum spiritum vel animam salutem accipere affirmans. [b] Christumque ipsum neque natum ex femina, neque habuisse carnem, nec vero mortuum, vel quidquam passum, sed simulasse passionem. Quidam eos in duobus principiis suis ita duos perhibent deos dicere, ut unus eorum sit bonus, alter autem malus. Resurrectionem mortuorum negant, spernentes novum Testamentum.

Marcion quoque, a quo Marcionitæ appellati, Cerdonis dogma sectatus est, hoc adjiciens, ut non duo tantum, sed tria assereret esse principia, unum scilicet bonum, alterum justum, tertium pravum. Quamvis tertii principii auctorem quidam Sirenum quemdam, potius quam Marcionem fuisse existiment.

ANTONINO III ET AURELIO.

CRATO ET SELEUCO.

Romæ IX episcopus ordinatur PIUS [c] annis XV.

Hoc tempore Justinus philosophus librum pro nostra religione conscriptum Antonino imperatori tradidit.

Antiochiæ V episcopus constituitur Heros.

ANTONINO IV ET AURELIO II.

LARGO ET MESSALINO.

TORQUATO III ET JULIANO.

Alexandriæ VII episcopatum suscipit Marcus.

ORPHITO ET PRISCO.

GLABRIONE ET VETERE.

GORDIANO ET MAXIMO.

GLABRIONE II ET ROMULO.

PRÆSENTE ET RUFINO.

COMMODO ET LATERANO.

VERO ET SABINO.

SILVANO ET AUGURINO.

BARBARO ET REGULO.

Alexandrinæ Ecclesiæ VIII præfuit Celadion.

TERTULLO ET SACERDOTE.

Crescens Cynicus in nostri dogmatis philosophum Justinum, a quo ob nimiam gulam prævaricator philosophiæ arguebatur, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit.

QUINTILLO ET PRISCO.

VERO II ET BRADUA.

Romanæ Ecclesiæ episcopatum X suscipit ANICETUS annis X, sub quo Polycarpus Romam veniens multos ab hæretico errore correxit.

ANTONINO III ET AURELIO III.

P. C. ANTONINI III ET AURELII III.

Jerosolymæ episcopatum post Marcum XVII suscepit Cassianus, XVIII Publius, Maximus XIX, **713** deinde XX Julianus, sic XXI [d] Grajanus, XXII Symmachus, tum XXIII Caius, XXIV Julianus, atque inde XXV Capito.

Antoninus Pius apud Lorium in villa sua, XII ab Urbe milliario moritur, anno vitæ suæ LXXII [e] [Alias LXXVII].

M. ANTONINUS, qui et VERUS, et L. AURELIUS COMMODUS, XIV, regnavit annis XIX et mense uno.

DUOBUS AUGUSTIS.

Hi primitus æquo jure imperium simul administraverunt, cum usque ad hoc tempus singuli Augusti fuerint.

RUSTICO ET AQUILO.

LÆLIANO ET PASTORE.

MACRINO ET CELSO.

ORPHITO ET PUDENTE.

PUDENTE II ET POLLIONE.

Alexandriæ IX præfuit Agrippinus.

QUARTA PERSECUTIO. Persecutione orta in Asia, Polycarpus et [f] Pœonius fecere martyrium : quorum scriptæ quoque feruntur passiones.

[a] In aliis codicibus, quos se præ manibus habuisse testatus est Ph. Labbeus, sic exprimitur hic articulus : *Valentinus hæresiarches, et Cerdo, magister Marcionis, Romam venerunt. Valentinus rerum naturæ duo dixit esse principia, Profundum et Silentium. A quibus 30 orta sunt sæcula. Profundum autem Patrem esse Christi, qui spiritale vel cœleste corpus habuerit, nihilque de natura matris Virginis assumpserit, sed per ipsum, tamquam rivus, sine carnis humanæ veritate transierit. Resurrectionem quoque carnis negant, spiritui tantum vel animæ promittunt salutem. Cerdo quoque duorum principiorum, id est, unius boni et alterius mali assertor fuit : et Patrem Christi Deum esse legis ac prophetarum negavit. Christum ipsum neque natum ex femina, neque habuisse carnem, nec vere passum, nec vere mortuum dixit. Resurrectionem etiam carnis refutans, et Testamentum vetus spernendum esse decernens.*

[b] Vox, *bonum*, additur ex Augustino lib. de Hæres. hær. 22.

[c] Ms. unus ex Colb., *annis* 10. Mss. tres, *annis* 12. Quintus ms. antiquior et edit. Pont., *annis* 15.

[d] In Eusebii Chronico, *Gaianus*.

[e] Editio Pontac. cum mss. quatuor Colb. habent 77; ms. alius, item Colb., 72.

[f] Apud Eusebium *Pionius*, aut *Pyonius*.

Digitized by Google

In Gallia quoque plurimi ob nomen Dei interfecti: A quorum usque in præsentem diem condita libris certamina perseverant.

VERO IV ET QUADRATO.

APRONIANO ET PAULO.

Romanæ Ecclesiæ episcopatum XI suscipit SOTER [a] annis VIII.

APRONIANO ET PAULO.

Antiochiæ VI episcopus ordinatur Theophilus, cujus plurima ingenii opera exstant.

PRISCO ET APPOLLINARE.

CETHEGO ET CLARO.

Lucius imperator anno regni sui IX, sive, ut quidam putant, [b] X, inter Concordiam et Altinum apoplexia exstinctus est.

Antonino imperatori Melito Asianus episcopus B Apologeticum pro Christianis tradidit.

Apollinaris Asianus Hierapolitanus episcopus insignis habetur.

Eodem tempore Dionysius episcopus Corinthiorum clarus fuit, et Pinytus Cretensis vir eloquentissimus.

Hac tempestate pseudoprophetia, quæ Cataphrygas nominatur, accepit exordium, Montano auctore, [c] Prisca Maximillaque insanis vatibus. Nomen errori provincia Phrygia **714** dedit, quia inventores ejus illic primitus exstiterunt, ibique vixerunt, et nunc etiam in eisdem partibus populos habent. Adventum Spiritus sancti a Domino promissum, in se potius quam in apostolos fuisse asserunt: secundas nuptias pro fornicationibus habent; et ideo dicunt eas per- C misisse apostolum Paulum, quia ex parte sciebat et ex parte prophetabat; nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum, et in ejus prophetissas venisse delirant. Sacrificia perhibentur habere funesta. Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes. Qui puer, si mortuus fuerit, pro martyre habetur; si autem vixerit, pro maximo sacerdote.

SEVERO ET HERENNIANO.

[d] Tatianus hæreticus, a quo appellati Encratitæ, quorum dogma est non admittere ad communionem suam nisi continentes, et eos qui sæculo ita renuntiaverint, ut propria nulla possideant.

[e] Bardesanes quoque alterius auctor erroris, eodem tempore innotuit, in Valentini hæresim ex parte prolapsus.

ORPHITO ET MAXIMO.

SEVERO ET POMPEIANO

In regione Quadorum exercitu Antonini imperatoris siti oppresso, [f] pluvia divinitus missa est: cum e contrario Germanos et Sarmatas fulmina persequerentur, et plurimos eorum interficerent. Exstant litteræ Marci Aurelii gravissimi imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum militum precationi imbre concesso, discussam contestatur.

GALLO ET FLACCO.

PISONE ET JULIANO.

POLLIONE ET APRO.

COMMODO ET QUINTILLO.

Antoninus Commodum filium suum consortem regni facit.

ORPHITO ET RUFO.

Antoninus cum filio de hostibus triumphavit, quos per triennium apud [g] Carnuntum **715** habens stativa castra vastaverat.

COMMODO II ET VERO II.

Alexandriæ X ordinatur episcopus Julianus.

Antoninus in Pannonia morbo periit.

COMMODUS, XV, regnavit annos XIII.

PRÆSENTE ET BURRO.

Irenæus Lugdunensis episcopus insignis habetur.

Commodus Septembrem mensem nomine suo appellavit.

MAMERTINO ET RUFO.

Thermæ Commodianæ Romæ factæ.

COMMODO IV ET VICTORINO.

Jerosolymis XXVI ordinatur episcopus [h] Mormius; post quem XXVII Antoninus, XXVIII Valens, XXIX Dachianus, XXX Narcissus, XXXI Dius, XXXII Germanio, XXXIII Gordius, XXXIV alius Narcissus.

---

[a] Ms. Colb. unus ætatis non contemnendæ, *annis* 14, cum alii et edit. habeant, *annis* 8. D

[b] Codices Eusebiani Chronici habent 11.

[c] In libris Eusebiani Chronici, *Priscilla*.

[d] Auctior legitur articulus iste in codicibus aliis a Ph. Labbeo visis. *Tatianus hæreticus agnoscitur, a quo appellati Encratitæ. Nuptias damnant, paresque eas fornicationi et omni turpitudini esse definiunt: nec recipiunt in consortium marem vel feminam conjugio utentem. Prolationes quasdam sæculorum de fabulis Valentini sequuntur. Saluti primi hominis contradicunt.*

[e] Articulo sequenti ibidem diffusiori sermone legitur: *Bardesanes alterius hæreseos princeps innotescit, qui Bardesanes, cum aliquamdiu in fide fuisset insignis, postea in Valentini transivit errores, quamvis non omnia ejus secutus sit.*

[f] Plura de hac pluvia divinitus missa orationibus Christianorum, apud Orosium lib. VII cap. 15; Eusebium lib. V cap. 5, qui illa transcripsit pene ad verbum ex Tertulliano in Apolog. cap. 5 et ad Scapulam; Nicephorum, lib. IV cap. 12; Justinum, in Apolog.; Diaconum, lib X; Dionem, qui artibus magicis tribuit hanc pluviam; Capitolinum, qui precibus Antonini erga Deum extortam ait. Xiphilinus tradit *legionem* (Christianorum) *ideo vocatam fuisse* κεραυνοβόλον, *id est, fulminatricem*. Anno 14 Antonini contigisse patet ex litteris ipsius imperatoris ad senatum, de tanta victoria precibus Christianorum obtenta, quæ ex bibliotheca Vaticana reperiuntur apud Onuphrium in Fastis pag. 350, in quibus inscribitur, Antoninum fuisse tribunitiæ potestatis 28, tum ex nummis et veteribus inscriptionibus, ex quibus dignoscitur fuisse 15 tribunitiam potestatem eo anno quo ipse Antoninus suscepit imperium. Hæc Pontacus.

[g] Ms. unicus, *Carnutum*. Carnuntum urbs est in Pannonia, ex Plinio. lib. IV cap. 12, et lib. XXXVII cap. 3, et Anton. in itinerar. Sunt viri docti qui putant idem esse quod hodie *Petronilla* dicitur in Austria, ubi visuntur moles et situs castrorum. *Pontac.*

[h] In Eusebii Chron., *Maximus*, XXXIX *Dulchianus*.

Digitized by Google

MARULO ET HELIANO.

MATERNO ET BRADUA.

COMMODO V ET GLABRIONE.

CRISBINO ET HELIANO.

FULCIANO ET SILANO.

Alexandriæ XI constituitur episcopus Demetrianus annis XLIII.

Commodus Colossi capite sublato, suæ imaginis caput jussit imponi.

Serapion Antiochiæ episcopus VIII ordinatur.

DUOBUS SILANIS.

COMMODO VI ET SEPTIMIANO.

APRONIANO ET BRADUA.

Commodus multos nobilium interficit.

COMMODO VII ET PERTINACE.

Commodus strangulatur in domo Vestiliani.

HELVIUS PERTINAX, XVI, regnavit menses sex : qui cum major septuagenario præfecturam Urbis ageret, ex senatus consulto imperare jussus est.

Romæ episcopatum suscepit XIII VICTOR annis XII; cujus [a] non mediocria de religione exstant volumina.

Pertinax, obsecrante senatu ut uxorem suam Augustam, et filium suum Cæsarem faceret, contradixit : sufficere testatus, quod ipse regnaret invitus.

Pertinax occiditur in palatio, scelere Juliani jurisperiti, quem postea Severus ad Pontem Milvium interfecit.

SEVERUS, XVII, regnavit annis XVIII. Qui ortus provinciæ Tripolitanæ oppido Lepti, solus ex Africa usque in præsentem diem ex Romanis imperatoribus fuit, et in honorem Pertinacis Pertinacem se cognominari jussit.

FALCONE ET CLARO.

SEVERO ET ALBINO.

TERTULLO ET CLEMENTE.

DEXTRO ET PRISCO.

Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, **716** et Pantænus stoicus philosophus in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.

LATERANO ET RUFINO.

Narcissus Jerosolymorum episcopus, et Theophilus Cæsariensis, Polycarpus quoque et Bachilus Asianæ provinciæ episcopus, hæc tempora illustraverunt.

SATURNINO ET GALLO.

ANULINO ET FRONTONE.

SEVERO II ET VICTORINO.

FABIANO ET MUCIANO.

SEVERO III ET ANTONINO.

Hoc tempore bellum Judaicum et [b] Sarmaticum : et Severus de nominibus gentium subactarum, Parthicus, Arabicus, Adiabenicus appellatus est.

Quæstione orta in Asia inter episcopos, an secun- A dum legem Moysis decima quarta mensis primi Pascha observandum esset, Victor Romanæ urbis episcopus, et Narcissus Jerosolymorum, Polycrates quoque et Irenæus, et Bachilus, plurimique Ecclesiarum pastores, quid eis probabile visum fuerit litteris ediderunt, quorum memoria ad nos usque perdurat.

GETA ET PLAUTIANO.

CHILONE ET LIBONE.

Romæ XIV episcopus fuit ZEPHIRINUS annis [c] XIV.

QUINTA PERSECUTIO. Persecutione Christianis facta, Leonides Origenis pater gloriosa martyrii morte translatus est.

Alexander quoque ob confessionem Dominici nominis clarus exstitit.

B Qua tempestate Perpetua et Felicitas pro Christo passæ sunt, nonis Martii, apud Carthaginem Africæ in castris bestiis deputatæ.

ANTONINO II ET GETA.

ALBINO ET ÆLIANO.

APRO ET MAXIMO.

Clemens multa conscribit.

ANTONINO III ET GETA III.

Clodio Albino, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, interfecto Lugduni, Severus ad Britannos transfretavit, ut receptas provincias ab incursione barbarica faceret tutiores, fossam et aggerem per CXXXII millia passuum a mari ad mare deduxit, et non multo post intra Britanniam Eboraci moritur.

POMPEIANO ET AVITO.

C FAUSTINO ET RUFINO.

ANTONINUS cognomento CARACALLA Severi filius, XVIII, regnavit annis sex.

GENTIANO ET BASSO.

DUOBUS ASPRIS.

Antiochiæ IX episcopus constituitur Asclepiades : Jerosolymis vero XXXV Alexander, adhuc vivente Narcisso : et cum eo pariter Ecclesiam regit.

ANTONINO IV ET BALBINO.

**717** MESSALA ET SABINO.

Finis cycli secundi, et initium tertii.

LÆTO ET CEREALE.

SABINO II ET VENUSTO.

Antoninus interficitur inter Edessam et Charras, anno ætatis suæ XLIII.

D MACRINUS, XIX, regnat anno uno.

PRÆSENTE ET EXTRICATO.

Antiochiæ X episcopus ordinatur Philetus.

M. AURELIUS ANTONINUS, XX, regnavit [d] annis tribus.

ANTONINO ET ADVENTO.

Romæ episcopatum suscepit XV CALLISTUS [e] annis sex.

[a] Abest negans particula a codicibus Eusebianis.

[b] Libri Chronici Eusebiani, dempto manuscripto Colb. uno, *Samariticum*, vel *Samaritanum*. De quo Pontacus in notis : *Germanior communis lectio* (qua *Samariticum* dicitur) *et eam sequuntur, præter alia exemplaria, Contractus, Vincentius, Antoninus. Quod enim Severus bellum Sarmatis indixerit, nullus, quod sciam, scripsit. Eruditissimus vir ait se numquam invenisse bellum Judaicum a Severo gestum. At poterat illud hic advertere.*

[c] Editio Pont., 17 : mss. tres Colberti, 18.

[d] In codicibus Eusebianis notantur, *anni quatuor.*

[e] Edit. Pontaci., *annis* 5. Ms. tres, *annis quatuor* : unus 15, alius 5.

Digitized by Google

**Macrinus occiditur in Archelaide.**

Antoninus Romæ Thermas nominis sui ædificavit.

ANTONINO II ET SACERDOTE.

ANTONINO III ET COMAZONTE.

GRATO ET SELEUCO.

Antoninus Romæ tumultu militari occiditur.

Alexander Mammææ filius, XXI, regnavit annos XIII, sumpto nomine ab imperatore Alexandro.

Alexander Xerxem regem Persarum gloriose vincit.

MAXIMO ET ÆLIANO.

JULIANO ET CRISPINO.

Romæ XVI episcopus creatur Urbanus annis IX.

[a] His temporibus Sabellius fuisse perhibetur. Cujus error est, ut in Trinitate divina, quem nominat Patrem, eumdem Filium, eumdem asserat Spiritum sanctum. Unde impietatis istius impostores merito etiam Patropassiani vocantur : qui hoc sentientes, passionem Domini nostri Jesu Christi, quam pro humani generis salute pertulit, Patri convincantur asserere.

Ulpianus jurisconsultus insignis habetur.

FUSCO ET DEXTRO.

Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ.

ALEXANDRO II ET MARCELLO.

ANIANO ET MAXIMO.

ALBINO ET MAXIMO.

[b] Geminus presbyter Antiochenus, et Hippolytus, et Beryllus episcopus Arabiæ Bostrenus clari scriptores habentur.

Antiochiæ XI episcopus fit Zebennus.

MODESTO ET PROBO.

Alexandrinæ Ecclesiæ XII præest episcopus Heraclas.

Hoc tempore Origenes Alexandriæ clarus videbatur. [c] Hic qui per multam eloquii facultatem, perversa quædam est conatus astruere, condens libros quorum est titulus Περὶ Ἀρχῶν, in quibus, præter multa sacræ doctrinæ adversa, **718** etiam de commutatione hoc totius rationalis creaturæ asserit, quod non solum impiorum animæ, sed et ipse quoque diabolus, longa purificatione revocandus sit in suæ originis dignitatem, succedentibus sibi semper revolutionibus de bonis ad mala, et de malis ad bona. Quia hæc alternatio non possit non esse perpetua, et vicissim ut de miseris beati, et de beatis miseri.

ALEXANDRO III ET DIONE

GRATO ET SELEUCO.

POMPEIANO ET FELICIANO.

LUPO ET MAXIMO.

Romæ XVII episcopatum suscepit Pontianus annis [d] quinque.

A Alexander apud Mogontiacum tumultu militari occiditur.

MAXIMO ET PATERNO.

Maximinus, XXII, regnat annis tribus.

MAXIMO II ET URBANO.

SEVERO ET QUINTIANO.

MAXIMINO ET AFRICANO.

Sexta persecutio. Maximinus adversus Ecclesiarum sacerdotes persecutionem movet.

Maximinus Aquileiæ a Pupieno occiditur.

Gordianus, XXIII, regnavit annis sex.

PERPETUO ET CORNELIANO.

Romæ XVIII fit episcopus Anterus : post cujus unum mensem XIX constituitur Fabianus annis XIII.

PIO ET PROCULO.

B GORDIANO ET AVIOLA.

SABINO ET VENUSTO.

GORDIANO II ET POMPEIANO.

ATTICO ET PRÆTEXTATO.

Gordianus cum Parthorum natione superata victor revertitur ad patriam, fraude Philippi præfecti prætorio haud longe a Romano solo interfectus est.

Philippus, XXIV, regnavit annis septem.

ARIANO ET PAPPO.

Philippus Philippum filium suum consortem regni facit : primus omnium ex Romanis imperatoribus Christianus fuit.

PEREGRINO ET ÆMILIANO.

PRÆSENTE ET ALBINO.

PHILIPPO II ET PHILIPPO.

C Regnantibus Philippis millesimus Romanæ urbis annus expletur.

Philippus urbem sui nominis in Achaia condidit.

PHILIPPO III ET PHILIPPO II.

ÆMILIANO ET AQUILINO.

Alexandriæ XIII ordinatur episcopus Dionysius.

Philippus senior Veronæ, Romæ junior occiditur.

Decius, XXV, regnat anno uno, et mensibus tribus.

**719** DECIO ET GRATO.

DECIO II ET RUSTICO.

Septima persecutio. Decius cum Philippos patrem et filium interfecisset, ob odium eorum persecutionem in Christianos movet.

D Antonius monachus nascitur.

Alexandro Jerosolymorum episcopo ob martyrium interfecto apud Cæsaream Palæstinæ, et Antiochiæ Babyla eadem gloria occiso, [e] Mazabamus et Fabius episcopi constituuntur.

Decius cum filio [f] in Abritto, quæ est civitas Mysiæ, occiditur.

Gallus et Volusianus Galli filius, XXVI, regnavit [g] annis tribus et mensibus quatuor.

[a] Hæc adduntur in nostra editione ex Auctuario quod Ph. Labbe Chronico Eusebiano et Hieronymiano subjunxit.

[b] Quidam mss., *Germinus;* alii, *Gemianus.*

[c] Hæc quæ sequuntur articulo addita habentur ex Auctuario Ph. Labbe tom. I Biblioth. novæ.

[d] In ms. Colb. uno, *novem.*

[e] Ms. Colb. unus, *Arabanes.* Quatuor alii et edit. Pont., *Mazabanus.*

[f] Ms. Colb. unus, *in Abrutio.* Mss. Colb. tres, *a Bruto.*

[g] Apud Eusebii Chronicon ubique, *annis duobus.*

Digitized by Google

Romanæ Ecclesiæ episcopatum post Fabiani glo- A
riosam mortem XX suscipit CORNELIUS annis duobus, qui post biennium eodem martyrio coronatur.

GALLO ET VOLUSIANO.

VOLUSIANO II ET MAXIMO.

Novatus presbyter Cypriani Romam veniens, Novatianum et cæteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius pœnitentes apostatas recepisset. Ab hoc hæresis Novatianorum sumpsit exordium, qui se propter munditiam quam sibi superbissime arrogant, Catharos appellari volunt : secundas nuptias [a] non admittunt, reconciliationem pœnitentibus negant.

Antiochiæ [b] XIV constituitur episcopus Demetrianus.

Romanæ Ecclesiæ episcopatum tenet XXI Lucius mensibus [c] octo. Post quem XXII STEPHANUS B
annis tribus. Exstant ad utrumque Cypriani epistolæ.

Gallus et Volusianus adversus Æmilianum res novas in Mœsia molientem Roma profecti, [d] Interamnæ occisi sunt.

Æmilianus tertio mense occupatæ tyrannidis exstinctus est.

VALERIANUS et GALLIENUS, XXVI, regnaverunt annis XV.

VALERIANO ET GALLIENO.

Cyprianus primum rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis episcopus, martyrio coronatur.

MAXIMO ET GLABRIONE.

Romæ XXIII constituitur episcopus XISTUS annis C
[e] septem.

OCTAVA PERSECUTIO. Valerianus in Christianos persæcutionem movet.

VALERIANO III ET GALLIENO II.

Valerianus a rege Persarum Sapore capitur, 720
ibique servitute misera consenescit.

TUSCO ET BASSO.

Valeriano in Persas ducto, Gallienus nostris pacem reddidit.

Antiochiæ XV ordinatur episcopus Paulus Samosatenus.

ÆMILIANO ET BASSO.

SÆCULARE ET DONATO.

GALLIENO IV ET GENTIANO.

Gallieno in omnem lasciviam dissoluto, Germani D
Ravennam usque venerunt. Alamanni vastatis Galliis in Italiam transiere. Græcia, Macedonia, Pontus et Asia per Gothos depopulatæ sunt. Quadi et Sarmatæ Pannonias occupaverunt. Germanis Hispanias obtinentibus, Tarraco expugnata est. Parthi Mesopotamiam tenentes Syriam incursaverunt.

GALLIENO V ET VICTORINO.

ALBINO ET MAXIMO.

Alexandriæ XIV episcopus ordinatur Maximus.

Romæ XXIV præficitur episcopus DIONYSIUS [f] annis XI.

GALLIENO VI ET SATURNINO.

VALERIANO ET LUCILLO.

Jerosolymorum episcopatum tenet XXXVI Hymenæus.

GALLIENO VII ET SABINILLO.

Paulus Samosatenus a cunctorum prædicatione desciscit, Artemonis hæresim suscitans, quæ asserit Christum non semper fuisse, sed initium ejus ex quo de Maria natus est prædicat, nec eum aliquid amplius quam hominem putat. [g] Hujus erroris etiam Photinus assertor fuit, qui vehementiore studio, ut sectatores impietatis hujus Photiniani potius quam Pauliani dicerentur obtinuit. Hos baptizari in Ecclesia catholica synodus Nicæna constituit. Unde credendum est eos regulam baptismi non habere.

Antiochiæ in locum Pauli XVI ordinatur episcopus Domnus.

PATERNO ET ARCHESILAO.

PATERNO II ET MARIO.

CLAUDIUS, XXVIII, regnat anno uno, mensibus novem.

CLAUDIO ET PATERNO.

Claudius Gothos Illyricum et Macedoniam vastantes superat : ob quæ illi in Curia clypeus aureus, et in Capitolio statua aurea collocatur.

ANTIOCHIANO ET ORPHITO.

Claudius Sirmii moritur, cujus frater Quintillus.

[h] Claudius a senatu Augustus appellatus, 721
septimo decimo die imperii sui Aquileiæ occiditur.

AURELIANUS, XXIX, regnat annos quinque, menses sex.

VALERIANO ET BASSO.

Antiochiæ XVII ordinatur episcopus [i] Timæus.

Aurelianus, Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum suum, Gallias recepit.

QUIETO ET VOLDUMIANO.

Zenobia [j] apud Immas haud longe ab Antiochia

[a] Hæc verba, *non admittunt : reconciliationem pœnitentibus negant*, ex codicibus in Auctuario tom. I Biblioth. Labbei expressis, substituimus pro verbis fere similibus, quibus antea legebatur, *denegantes, ad pœnitentiam non admittentes*.

[b] Numeratur 13 in editione Pontaci et ms. Colb. unico. In aliis dicitur 14.

[c] In ms. Colb. unico, *septem*.

[d] Apud Eusebium, *In Foro Flaminii, vel ut alii putant, Interamnæ*.

[e] In edit. Pontaci et ms. Colb., *annis octo*. Ms. unus omittit Sixtum. Mss. tres alii Sixto Dionysium præire volunt, priori annos 11, posteriori 9 assignantes.

[f] In edit. Pont. annis 12. Mss. Colb. *annis* 9.

[g] In Auctuario tomi I Biblioth. Mss. Labbei ex mss. : *Hæc hæresis prius Artemonis fuit, sed efficaciore versutia Paulus Samosatenus in ea obtinuit principatum; accedente postea prævaricatore Photino, factum est ut discipuli eorum Photiniani quam Pauliani celebrius nuncuparentur. Hos baptizari*, etc., ut supra.

[h] Aliter in Chronico Eusebii tam in edito, quam in mss. Colb. post ista, *Syrmii moritur. Quintilius Claudii frater a Senatu*, etc., nec repetitur vox hæc, *Claudius*.

[i] Mss. tres, *Timotheus;* alius, *Timotheus vel Timæus;* alius *Timæus*, cum edit. Pontaci.

[j] Mss. Colb. quatuor, *Timas*. Deinde pro *Odoacro*, omnes Eusebii codices *Odenato*, vel *Denato*.

Digitized by Google

vincitur, quæ occiso Odoacro marito Orientis tenebat imperium. In qua pugna strenuissime adversus eam dimicavit Pompeianus dux cognomento Francus.

TACITO ET PLACIDIANO.

Eusebius Laodicenus episcopus insignis habetur.

Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus et Zenobia præcesserunt. Ex quibus Tetricus Corrector postea Lucaniæ fuit, et Zenobia in Urbe summo honore consenuit, a qua hodieque Romæ Zenobia familia nuncupatur.

AURELIANO ET CAPITOLINO.

Romæ XXV episcopatum suscepit FELIX annis quinque.

AURELIANO II ET MARCELLO.

Aurelianus cum adversus nos persecutionem movisset, fulmen juxta eum comitesque ejus ruit : ac non multo post inter Constantinopolim et Heracleam in [a] Cœnophrurio viæ veteris occiditur.

TACITUS, XXX, regnat mensibus sex : quo apud Pontum occiso, FLORIANUS, XXXI, obtinuit imperium, regnavitque diebus XXCVIII.

Floriano apud Tarsum interfecto, PROBUS, XXXII, regnat annis sex, mensibus octo, alias quatuor.

PROBO ET PAULINO.

Anatolius Laodicenus episcopus, philosophorum disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur.

Insana Manichæorum hæresis exorta, [b] Persa quodam, qui Manes vocabatur, auctore. Quorum impietates et sacrilegia ac turpitudines explicare in hoc opere nimis longum est. Sufficit enim sciri, quod duo adversa sibi et coæterna principia, et duas boni scilicet et mali asserunt esse naturas. De Christo nihil secundum veritatem sentiunt. Cujus nativitatem ex Maria secundum carnem, et passionem et resurrectionem, simulationes dicunt fuisse, nec ita, ut prædicantur effecta. Vetus Testamentum et Prophetas refutant, Scripturarumque illarum non Deum bonum, sed malæ naturæ principem auctorem opinantur. De **722** novo Testamento ea accipiunt quæ putant apocryphis consonare. Resurrectionem carnis negant, nuptias damnant, adulterinos concubitus pro licitis habent, baptismum regenerationis nihil conferre existimant. Sacra eorum tam nefanda quam mores.

PROBO II ET PATERNO II.

PROBO III ET PATERNO III.

MESSALA ET GRATO.

Antiochiæ XVIII constituitur episcopus Cyrillus.

Romæ XXVI ordinatur episcopus EUTYCHIANUS mensibus octo : post quem CAIUS XXVII creatur annis XV.

PROBO IV ET TIBERIANO.

PROBO V ET VICTORINO.

Alexandriæ XV episcopus præfuit Theonas.

Probus tumultu militari apud Sirmium in Turri, quæ ferrata vocabatur, occiditur.

CARUS cum filiis CARINO et NUMERIANO, XXXIII, regnavit annis duobus.

CARO ET CARINO.

CARO II ET NUMERIANO.

Carus Narbonensis, cum omni Parthorum regione vastata, Cochen et Ctesiphontem nobilissimas hostium cepisset urbes, super Tigrin castra ponens, fulmine ictus interiit. Numerianus autem cum ob oculorum dolorem lecticula veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est. Porro Carinus prælio apud Margum victus occubuit.

DIOCLETIANUS, XXXIV, regnavit annis XX.

DIOCLETIANO ET ARISTOBULO.

MAXIMO ET AQUILINO.

Diocletianus in consortium regni HERCULIUM MAXIMIANUM assumit. Qui rusticorum multitudine oppressa, quæ seditioni suæ [c] Bacaudarum nomen indiderat, pacem Galliis reddidit.

Carausius sumpta purpura Britannias occupavit.

DIOCLETIANO II ET MAXIMIANO.

MAXIMIANO II ET JANUARIO.

Constantius et Galerius Maximianus assumuntur in regnum. Quos Diocletianus ut etiam affinitate conjungeret, Constantio privignam Herculii Theodoram uxorem dedit, Galerio autem filiam suam Valeriam tradidit : utque hæc conjugia firmaret, ambos repudiare uxores suas, quas prius habebant coegit.

BASSO ET QUINTIANO.

DIOCLETIANO III ET MAXIMIANO III.

TIBERIANO ET DIONE.

HANNIBALIANO ET ASCLEPIODOTO.

DIOCLETIANO IV ET MAXIMIANO III.

Primus Diocletianus adorari se ut Deum jussit, et gemmas vestibus calceamentisque inseri : cum ante eum imperatores in modum **723** judicum [d] sollicitarentur, et chlamyde tantum purpurea a privato habitu discernerentur.

CONSTANTIO ET MAXIMO.

TUSCO ET ANULINO.

Romæ XXVIII episcopatum suscepit [e] MARCELLINUS annis IX.

[a] Interpres Cedreni Xilander, *in loco qui dicitur Novumcastrum*, *ipsorum lingua*. Pontacus in notis pag. 658.

[b] In Auctuario Labbei Biblioth. novæ tom. I : *Manichæis Manes quidam auctor dementissimi dogmatis fuit. apud quos duo principia prædicantur, boni scilicet et mali : quorum naturæ adversæ sibi et coæternæ semper exstiterunt ; de quorum compugnantia prodigiosas fabulas et mendacia vana commenti sunt, promittentes discipulis suis purgationem per sacrilega sacramenta, in quibus nihil est, nisi exsecrabilis turpitudo confœderationis obscenæ. Testamentum vetus non recipiunt, corrumpentes per omnia Evangelicam veritatem.*

[c] Mss. tres. Colb., *Bagaudarum*.

[d] Apud Eusebium in Chronico, tam edito, quam in mss. quinque Colb. *salutarentur*.

[e] In uno ex Colb. codicibus, *Marcellianus. Alia tamen lectio magis est recepta*, ut observat Pontacus in notis in Eusebii Chronicum, ubi statim hæc subdit : *Mirum autem est Eusebium præterire Marcellum, cum de unico Marcellino loquatur, sed forsan deceptus fuit similitudine nominis. Tamen ex Augustino epist.* 165 (nunc 53), *Optato lib.* II, *Martyrologiis*, *et omnibus historicis constat duos et diversos fuisse Mar-*

Digitized by Google

DIOCLETIANO V ET CONSTANTIO II.

Jerosolymis XXXVII Zabdas episcopus ordinatur.

MAXIMIANO IV ET MAXIMIANO II.

FAUSTO ET GALLO.

Veturius magister militiæ Christianos persequitur.

Finis cycli tertii, quartique principium.

DIOCLETIANO VI ET MAXIMIANO V.

CONSTANTIO III ET MAXIMIANO III.

Thermæ Diocletianæ Romæ, et Carthagine Maximianæ ædificatæ.

Jerosolymis XXXVIII episcopus præfuit Hermon.

Antiochiæ XIX constituitur episcopus Tyrannus.

Alexandrinæ ecclesiæ XVI post Theonam ordinatur episcopus Petrus, qui postea persecutionis anno nono gloriose martyrium perpetravit.

TITIANO ET NEPOTIANO.

CONSTANTIO IV ET MAXIMIANO IV.

Diocletianus et Maximianus Augusti ingenti pompa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei conjuge, sororibus, liberis et omni præda qua Parthos spoliaverant.

DIOCLETIANO VII ET MAXIMIANO VI.

NONA PERSECUTIO. Decimo nono anno Diocletiani, mense Martii, in diebus Paschæ Ecclesiæ subversæ sunt.

DIOCLETIANO VIII ET MAXIMIANO VII.

Secundo anno persecutionis Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt.

GALERIUS, XXXV, biennio solus imperium tenuit, [a] mox cum alio annis sex.

CONSTANTIO V ET MAXIMIANO V.

Romæ XXIX episcopus constituitur EUSEBIUS: post cujus septimum mensem XXX Ecclesiam tenet MELCHIADES [b] annis tribus.

724 CONSTANTIO VI ET MAXIMIANO VI.

His consulibus Timotheus Romæ pro Christo passus est x kal. Julias. Maximinus et Severus a Galerio Maximiano Cæsares facti.

Constantius XVI imperii sui anno diem obiit in Britannia Eboraci. Post quem filius ejus CONSTANTINUS [c] ex concubina Helena procreatus, regnum invadit. Cujus regni initio quartus jam persecutionis annus agebatur.

A CONSTANTINUS, XXXVI, regnavit annis XXX, mensibus X.

DIOCLETIANO IX ET CONSTANTINO.

Maxentius Herculii Maximiani filius, a prætorianis militibus Romæ Augustus appellatur.

Severus Cæsar a Galerio Maximiano contra Maxentium missus Ravennam, secundo imperii sui anno interficitur.

DIOCLETIANO X ET MAXIMIANO VII.

LICINIUS a Galerio Carnuti imperator factus.

Herculius Maximianus a filia Fausta detectus, quod dolum Constantino pararet viro ejus, Massiliæ fugiens occiditur.

POST CONSULATUM X ET VIII.

Quirinus episcopus Sciscianus cum sociis gloriose B pro Christo interficitur.

ITEM ANN. II POST X ET VIII COSS.

Galerius Maximianus moritur [d] XXI imperii sui anno, quod partim Cæsar, partim Augustus exegit.

Romæ XXXI ordinatur episcopus SILVESTER annis XXII.

MAXIMINO VIII ET LICINIO.

Maximinus persecutione in Christianos facta, cum jam a Licinio puniendus esset, apud Tarsum moritur, anno imperii sui sexto.

CONSTANTINO II ET LICINIO II.

CONSTANTINO III ET LICINIO III.

Alexandriæ XVII ordinatur episcopus Achillas.

Maxentius juxta Pontem Milvium a Constantino superatus occiditur.

C VOLUSIANO ET ANIANO.

Jerosolymæ XXXIX constituitur episcopus Macharius.

CONSTANTINO IV ET LICINIO IV.

Pax nostris a Constantino reddita.

725 Diocletianus haud procul a Salonis in villa sua Spalato moritur.

SABINO ET RUFINO.

Crispus et Constantinus filii Constantini, et Licinius adolescens Licinii Augusti filius ex sorore Constantini, Cæsares appellantur. Quorum Crispum Lactantius erudivit vir omnium suo tempore eloquentissimus, sed adeo in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit.

---

*cellinum et Marcellum. Non tamen celabo in Lodonensi ms. ita haberi ad annum* 12 *Diocletiani: Romanæ Ecclesiæ* XXVIII *episcopatum suscepit Marcellianus annis* 8, *Marcellus annis* 3, *cum in aliis sit tantum expressum nomen Marcellini seu Marcelliani, et illi tribuantur anni* 9. *Hunc Marcellinum ad infulas ecclesiastici imperii vocatum si velis anno* 9 *Diocletiani, allegare poteris, O., Vi., Mar.; sin anno* 10, *Fa. et impressos; sin anno* 11, *Pi.; sin demum anno* 12, *Fux., Peta., Lo.* (mss. sunt quos præ oculis habuerat); *quibus adhæreo. Sic enim facilius comperientur anni* 15 *Caii seu Gaii superioris pontificis, et anni* 9, *qui inter hunc et Eusebium ejus successorem interponendi sunt. Adde quod minus recedes a summis viris Baronio et Onuphrio, qui sedis illius initium a decimo tertio Diocletiani numerant.*

[a] Hæc desunt in codicibus Chron. Eusebiani, præter ms. unum Colb., qui post hæc, *Galerius solus biennio Augustus imperium tenuit*, addit, *mox cum annis* D 16. Vide notam Pontaci (*supra tom. XXVII, col.* 1115).

[b] Ms. Colb. unus, *annis quatuor*. Alius cum edit. Pont., *annis sex*. Tres alii, *annis tribus*.

[c] Hac voce non indicatur Helenam Constantis Chlori minime fuisse uxorem. Sed alias sic vocabatur uxor sive indotata, sive aliis insignibus carens quæ matribus familias competebant. Licet ergo non ejus esset sortis Helena, quæ juxta leges viro e stirpe imperatoria Vespasiani oriundo, et Claudio II imperatori consanguineo jungeretur: patet tamen ex numismatibus antiquis, ipsam ex legitimo matrimonii vinculo Constantio Chloro adhæsisse: quidquid in contrarium protulerint quidam filii Constantini gloriæ æmuli, aut etiam quidam e sanctis Patribus fama a maledicis dispersa decepti, in contrarium sensisse videantur.

[d] Ms. Colb. unus 20 ponit. Idemque infra Silvestri pontificatui annos assignat 21, cum alii 22 numerent.

Digitized by Google

GALLICANO ET BASSO.

LICINIO V ET CRISPO.

CONSTANTINO V ET LICINIO CÆS.

Licinius Christianos de palatio suo pellit.

CONSTANTINO VI ET CONSTANTINO CÆS.

Basileus Amasiæ Ponti episcopus sub Licinio martyrio coronatur.

Alexandriæ XVIII ordinatur episcopus Alexander.

CRISPO II ET CONSTANTIO II.

[a] Arius presbyter, ab Alexandro episcopo de Alexandrina Ecclesia ejectus, multos suæ impietati sociat, prædicans Patrem et Filium et Spiritum sanctum non esse unius ejusdemque naturæ, aut, ut expressius dicitur, essentiæ; utpote creaturam: Spiritum vero sanctum creaturam creaturæ; id est ab ipso Filio creatum. Ad quam perfidiam coarguendam synodus trecentorum decem et octo episcoporum in Nicæam urbem Bithyniæ congregata, omnes hæreticorum machinas Homousii oppositione dejecit.

PROBIANO ET JULIANO.

SEVERO ET RUFINO.

Constantius Constantini filius Cæsar factus.

CRISPO III ET CONSTANTINO III.

Licinius Thessalonicæ occiditur.

PAULINO ET JULIANO.

Crispus filius Constantini et Licinius junior Constantiæ Constantini sororis et Licinii superioris filius interfecti.

CONSTANTINO VII ET CONSTANTIO.

Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, et sequenti anno Romæ edita.

CONSTANTINO II ET MAXIMO.

Hucusque historiam perduxit Eusebius, Pamphyli martyris contubernalis. Post hæc Hieronymi presbyteri succedit auctoritas.

Drepanam Bithyniæ civitatem in honorem Luciani martyris ibi conditi Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit.

JANUARIO ET JUSTO.

**726** [b] Donatus agnoscitur, a quo per Africam Donatistæ, qui primum propter ordinatum contra voluntatem suam Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis episcopum schisma fecerunt, objicientes ei crimina non A probata, et maxime, quod a traditoribus divinarum Scripturarum fuerat ordinatus. Sed post causam convictam atque finitam, pertinaci discordia in hæresim transierunt: definientes propter Cæciliani crimina, seu vera, seu, quod magis apparuit, falsa, Ecclesiam Christi in toto orbe terrarum contagione communionis exstinctam, in sola Donati parte superesse. Audent etiam rebaptizare catholicos: cum Ecclesiæ catholicæ placuerit, nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere.

Antiochiæ, post Tyrannum, XX ordinatur episcopus Vitalis; post quem, XXI [c] Philogonus; cui successit XXII Paulinus: post quem XXIII fuit Eustathius. Quo in exsilium ob fidem truso, usque in præsentem diem Ecclesiam Ariani obtinue- B runt.

CONSTANTINO VIII ET CONSTANTINO CÆS. IV.

CONSTANTIO III ET SYMMACHO.

Alexandriæ XIX ordinatur episcopus Athanasius.

BASSO ET ABLABIO.

Hieronymus nascitur.

PACATIANO ET HILARIANO.

Romæ XXXII ordinatur episcopus MARCUS mensibus octo.

Post quem XXXIII ordinatus est JULIUS annis XVI, mensibus quatuor.

Edicto Constantini Gentilium templa subversa sunt.

Romani Gothos in Sarmatarum regione vicerunt.

C Constans filius Constantini provehitur ad regnum.

DALMATIO ET XENOPHILO.

OPTATO ET PAULINO.

CONSTANTIO ET ALBINO.

Constantinus cum liberis suis honorifice ad Antonium monachum litteras mittit.

NEPOTIANO ET FACUNDO.

Tricennalibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur.

Nazarii Rhetoris filia Eunomia Christiana virgo in eloquentia patri coæquatur.

[d] Eustachius Constantinopolitanus presbyter innotescit, cujus industria Jerosolymis [e] martyrium constructum est.

**727** [f] Constantinus extremo vitæ suæ tempore

---

[a] In Auctuario tomi I Biblioth. Mss. Ph. Labbei: *Arius Patrem et Filium et Spiritum sanctum negans unius esse naturæ, vel ut expressius dicamus, essentiæ, ita ut Filius Patre minor, Spiritus autem sanctus Filio etiam habeatur inferior.* Cætera ut supra.

[b] Auctuarium tomi I Biblioth. mss. novæ Labbei: *Donatus agnoscitur, a quo per Africam Donatistæ sunt. Qui propter Cæcilianum Carthaginis episcopum, quia ipsis renitentibus ordinatus est, in schisma divisi sunt, principe et auctore Donato, objicientes Cæciliano quædam crimina quorum nullum probarunt. Unde pervicacia sua etiam hæretici facti sunt, baptizatos in catholica rebaptizantes, et in Trinitate deitatis unam quidem substantiam confitentes, sed Filium non æqualem Patri, et Spiritum sanctum minorem Filio sentientes. In quam impietatem illos alius Donatus, qui ab illo tertius fuit impulisse dicitur.*

D [c] Quidam codices Chron. Eusebiani, *Philogonius.*

[d] In ms. antiquissimo Colb. Biblioth. et editione Pont. vocatur *Eustathius.*

[e] Templum intellige. Quare autem hoc templum in honorem gloriosissimi sepulcri Salvatoris constructum ex quinque, quæ ipse Constantinus ædificari jussit Jerosolymis, nuncupatum fuerit *Martyrium*, explicat Cyrillus Jerosolymitanus catech. 14, quasi *testimonium et monimentum* resurrectionis Christi: Hoc ipsum vocatur *basilica Constantiniana* actione 4 conc. Nic. II. Pontacus in not. in Chron Eusebii.

[f] Prima pars istius articuli, quod *Constantinus extremo vitæ suæ tempore fuerit baptizatus*, confirmatur testimonio Socratis libro primo cap. 39, Sozomeni libro secundo cap. 34, Theodoreti libro primo cap. 31, Freculfi libro tertio cap. 20, Mariani et Eusebii lib. IV de Vita Constantini cap. 24, 61 et 62, et post

Digitized by Google

ab Eusebio Nicomediensi episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinavit. A

FELICIANO ET TITIANO.

Constantinus cum bellum pararet in Persas, in Ancyrone villa publica juxta Nicomediam moritur, anno ætatis suæ LXVI; post quem tres liberi ejus ex Cæsaribus Augusti appellantur.

CONSTANTINUS, CONSTANTIUS et CONSTANS, XXXVII, regnavit annis XXIV, mensibus quinque, diebus duodecim.

URSO ET POLEMIO.

Dalmatius Cæsar, quem patruus Constantinus consortem regni cum filiis reliquerat, factione Constantii patruelis occiditur.

Jacobus Nisibenus agnoscitur, ad cujus preces sæpe urbs discrimine liberata est, cum oppugnaretur a B Sapore rege Persarum.

CONSTANTIO II ET CONSTANTE.

Ex hoc tempore impietas Ariana [a] Constantii imperatoris fulta præsidio, exsiliis, carceribus et variis afflictionum modis, primum Athanasium, deinde omnes non suæ partis episcopos persecuta est.

ACYNDINO ET PROCULO.

Constantinus bellum fratri inferens juxta Aquileiam, [b] Alsæ occiditur, anno imperii sui XXIII.

MARCELLINO ET PROBINO.

Audæus in Syria agnoscitur, a quo hæresis Audæana, [c] et Audæani, quos et Anthropomorphitas vocant: quia Deum humanæ imagini credunt esse conformem. In quibus etiam illud arguitur, quod C Pascha Christianum Judaica perhibentur observantia celebrare.

CONSTANTIO III ET CONSTANTE II.

Hermogenes magister militiæ Constantinopolim [d] tractus a populo ob episcopum Paulum, quem regis imperio et Arianorum factione pellebat.

728 [e] Macedonius artis plumariæ in locum Pauli ab Arianis episcopus subrogatur, a quo hæresis Macedoniana, cujus dogma est, Patrem quidem et Filium unius divinitatis ejusdemque substantiæ confiteri, sed Spiritum sanctum dicens creaturam.

Paulus crudelitate præfecti Philippi, nam fautor Macedonii partium erat, et Arianorum insidiis strangulatur.

PLACIDO ET ROMULO.

Maximinus Treverorum episcopus clarus habebatur, a quo Athanasius Alexandrinus episcopus, cum a Constantio quæreretur ad pœnam, honorifice susceptus est.

LEONTIO ET SALUSTIO.

Sapor Persarum rex Christianos persequitur.

CONSTANTIO IV ET CONSTANTE III.

Athanasius ad Constantis litteras Alexandriam regreditur.

AMANTIO ET ALBINO.

POST CONS. AMANTII ET ALBINI.

RUFINO ET EUSEBIO.

Quadragesimus Maximus post Macarium Jerosolymorum episcopus moritur: post quem Ariani Ecclesiam invadunt.

PHILIPPO ET SALIA.

Romanæ Ecclesiæ XXXIV episcopus ordinatur LIBERIUS, quo in exsilium nono episcopatus sui anno ob fidem truso, omnes clerici juraverunt quod nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotio substitutus, plurimi perjuraverunt

eum Ambrosii in orat. de obitu Theodosii. Quod pertinet ad alteram partem, videlicet *Constantinum declinasse in Arianum dogma*, solus Lucifer ex veteribus lib. I de Reg. apost. idem sentire videtur, hinc forsan suspicionis ansam captans, quod episcopos catholicos, ut Athanasium et alios, in exsilium amandarit circa ultimos vitæ annos. Sed hoc factum non provenit ex fide corrupta, sed quia ipse artibus et fallaciis Eusebianorum deceptus (qui licet simularent se catholicos, Arianis tamen occulte favebant), existimabat ex eo effecturum ut hoc pacto Athanasius liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant, sicut loquitur Athanasius epist. D ad solitariam vitam agentes; ubi non solum illum de suo exsilio excusat, sed etiam tuetur ab hac labe hæreseos. Idem facit Epiphan. hæresi 69, Hilarius lib. I ad Constantium, et Theodoretus lib. II Hist. cap. 5. His adde quod sacra antiquitas venerata est Constantinum ut orthodoxum, et memoriam ejus recolit Ecclesia Græca 21 Maii. Hæc pauca ex pluribus, quæ disserit illustr. Pontacus in notis. Quibus aliqua subjungit ad fulciendam lectionem codicis unius, qui integram sententiam refert ad Constantium. Denique licet fateatur non videri quomodo possit dici Hieronymus hæc intellexisse de Constantio, cum talia ab omnibus libris referantur ad annum 31 Constantini, nullo modo autem ad tempora Constantii, suspicatur dici posse Arianos jam ab initio Chronici in lucem editi, hæc quæ dicebantur de Constantio, transposuisse in ultimum annum Constantini. Ex quibus omnibus colligit acri et maturo judicio Baronium tom. III Annal. pag. 210 exclusisse hunc paragraphum, tamquam adulterinum, et *ab alio appositum, atque totius Ecclesiæ consensione et usu continuato improbatum et rejectum.* Quem nihilominus ob codicum tam mss. quam excusorum auctoritatem non mutavit.

[a] Unicus ex mss. Colb. habet *Constantini.* Alii omnes cum edit. Pont., *Constantii.*

[b] Emendamus pro *Asiæ* ex mss. quinque Colb. et edit. Pont. Chron. Euseb. Nam constat ex Aurelio in Epitome Constantinum fuisse projectum in fluvium, cui nomen Alsa, non longe ab Aquileia; et Rufinus lib. I cap. 15, *Constantino non longe ab Aquileia apud Alsam fluvium a militibus interfecto;* et eo sensu Eusebius vocat Aquileiam Alsæ, hoc est, quæ adjacet Alsæ fluvio, ut testatur Plinius lib. III cap. 18. Pontacus in notis Chron. Euseb.

[c] In Auctuario t. I Biblioth. nov. mss. Ph. Labbei: *Audæani ab Audæo quodam cognominati*, etc., ut supra.

[d] Quorum verborum is sensus est: Non quod Constantinopolim perductus sit, sed quod, cum in eum populus insiluisset, captum et interfectum fune traxerit. Sic enim Socrates lib. I cap. 13. Pont. in notis.

[e] Auctuarium Labbei: *Macedonianis Macedonius fuit auctor erroris, quos Græci Pneumatomachos vocant: eo quod Spiritui sancto D[e]o confitendo repugnent. Nam de Patre et Filio recte sentiunt, quod unius sunt ejusdemque substantiæ: sed hoc de Spiritu sancto nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Quidam hos Semiarianos vocant, quod in hac quæstione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum.*

Digitized by Google

et post annum reverso in Urbem Liberio, cum Felice ejecti sunt. A

LIMENIO ET CATULINO.

Magnentio apud Augustodunum arripiente imperium, Constans haud longe ab Hispania, in castro cui Helena nomen est, interficitur : ob quam rem turbata republica, Vetranio Mursæ, Nepotianus Romæ imperatores facti.

729 SERGIO ET NIGRIANO.

Nepotiani caput pilo per Urbem circumlatum.

Vetranioni apud Naissum a Constantio regium insigne detractum, et Magnentius Mursæ magna reipublicæ clade superatus est.

POST CONS. SERGII ET NIGRIANI.

Gallus, qui et Constantius, Constantii patruelis Cæsar factus. B

CONSTANTIO V ET CONSTANTIO CÆS.

CONSTANTIO VI ET CONSTANTIO CÆS. II.

CONSTANTIO VII ET CONSTANTIO CÆS. III.

Magnentius Lugduni in palatio propria manu seipsum interficit, et Decentius frater ejus, quem ad tenendas Gallias Cæsarem miserat, apud Senonas laqueo vitam finiit.

Gallus Cæsar sollicitatus a Constantio patruele, cui in suspicionem [a] ob regiam indolem venerat, in Istria occiditur.

Paulinus et Rhodanus Galliarum episcopi in exsilium ob fidem trusi.

Eusebius quoque Vercellensis episcopus, et Lucifer Calaritanæ Ecclesiæ, et Mediolanensis Ecclesiæ Dionysius episcopus, Pancratiusque Romanus presbyter, et Hilarius diaconus, distantibus inter se, ab Arianis et Constantio damnantur exsiliis. C

ARBETIANO ET LOLLIANO.

Julianus frater Galli Mediolani Cæsar appellatur.

CONSTANTIO VIII ET JULIANO CÆS.

Antonius monachus [b] centesimo anno ætatis suæ in eremo moritur, solitus multis ad se venientibus de Paulo quodam Thebæo miræ beatitudinis viro plurima memorare.

Hilarius Pictaviensis episcopus factione Saturnini Arelatensis episcopi, reliquorumque qui cum illo erant Arianorum, in Phrygiam [c] pulsus, libros de nostra religione composuit.

Reliquiæ Timothei apostoli Constantinopolim invectæ. D

Sarmata, Amathas, et Macarius discipuli Antonii insignes habentur.

Liberius episcopus Romanus in exsilium mittitur.

CONSTANTIO IX ET JULIANO CÆS. II.

Ossa Andreæ apostoli et evangelistæ Lucæ Constantinopolim inlata.

Paulinus Treverorum episcopus in Phrygia exsulans moritur.

DATIANO ET CEREALE.

Synodus apud Ariminum et Seleuciam Isauriæ facta, in qua antiqua Patrum fides 730 decem primo legatorum, dehinc omnium proditione damnata est.

EUSEBIO ET HYPATIO.

Gratianus, qui postea imperator factus est, nascitur.

Hilarius episcopus, cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias rediit.

Omnes pene Ecclesiæ toto orbe sub nomine pacis et regis, Arianorum consortio polluuntur.

Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolos damnat.

CONSTANTIO X ET JULIANO III.

Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur.

JULIANUS, XXXVIII, regnat [d] annis duobus et mensibus octo.

Juliano ad idolorum cultum converso, blanda persecutio fuit, illiciens magis quam impellens ad sacrificandum, in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt.

TAURO ET FLORENTIO.

Georgio per seditionem populi incenso, qui in loco Athanasii ab Arianis fuerat ordinatus, Athanasius rediit.

Eusebius et Lucifer episcopi de exsilio revertuntur, e quibus Lucifer, adscitis aliis duobus confessoribus, Paulinum Eusthatii episcopi presbyterum, qui se numquam hæreticorum communione polluerat, in parte catholica Antiochiæ episcopum facit.

Probæresius sophista Atheniensis, lege data ne Christiani liberalium disciplinarum doctores essent, cum sibi specialiter Julianus concederet ut Christianos doceret, scholam sponte deseruit.

MAMERTINO ET NEVITTA.

Æmilianus ob ararum subversionem Dorostori a Vicario incenditur.

JULIANO III ET SALUSTIO.

Ecclesiæ Antiochiæ clausæ : et gravissima imminentis persecutionis procella Dei voluntate sopita est. Nam Julianus in Persas profectus, nostrum diis suis post victoriam sanguinem voverat, ubi a quodam simulato perfuga ad deserta perductus, cum fame et siti magnam partem exercitus perdidisset, occisus est.

JOVIANUS, XXXIX, regnat menses VI, alias VIII.

JOVIANO ET VARRONIANO.

Synodus a Meletio et suis Antiochiæ facta, in qua Homousio Anomæoque rejecto, medium inter hæc

[a] Editio Pont. et mss. Colb. duo, *ob egregiam indolem*. Cum vero dicitur supra *sollicitatus a Constantio*, significatur Constantium variis artibus Gallum ad se pellexisse, ac demum interfici curasse, ut testantur Ammianus, Zozimus, Victor, Socrates et alii. Pontacus.

[b] In Chronico Hieronymi, *centesimo quinto*.

[c] Chronicon Hieronymi addit, *ante triennium*.

[d] Huic codices Chronici Hieronymiani *annum unum* imperii assignant cum mensibus *octo*, quidam *septem*.

Digitized by Google

Homoiousion [a] Macedonianum dogma vindicaverunt. A

731 Jovianus cruditate, sive odore prunarum [b] moritur.

Post quem Valentinianus tribunus scutariorum apud Nicæam Augustus appellatus, fratrem Valentem Constantinopoli in communionem regni assumit.

Valentinianus et Valens, XL, regnaverunt annis [c] xiv, mensibus quinque.

VALENTINIANO ET VALENTE.

GRATIANO ET DAGALAIPHO.

[d] Apollinaris Laodicenus episcopus multimoda religionis nostræ scripta componit : qui postmodum a fide catholica deviavit, condens hæresim, quæ ipsius nomine nuncupatur : et cujus hic error est, ut asserat Jesum solam carnem sine anima suscepisse, B vel animam vitalem tantum, non etiam rationalem, quoniam ipsum Verbum vim mentis impleverat : ipsam autem carnem non de Maria assumptam, sed Verbi aliquid in carnem fuisse conversum.

Procopius, qui apud Constantinopolim tyrannidem invaserat, apud Phrygiam Salutarem exstinctus est, multis partium ejus cæsis atque proscriptis.

Romanæ Ecclesiæ XXXV ordinatur episcopus Damasus annis xviii.

Hoc tempore fuit secundum schisma, Ursicino Antipapa, quod eo per collectam Romæ synodum ejecto, duravit mensibus sex, anno Domini ccclxix (*Hæc ex libri margine*).

Valens ab Eudoxio Arianorum episcopo baptizatus C nostros persequitur.

LUPICINO ET JOVINO.

Gratianus Valentiniani filius Ambianis imperator factus.

Hilarius episcopus Pictavis moritur.

VALENTINIANO II ET VALENTE II.

VALENTINIANO N. P. ET VICTORE.

VALENTINIANO III ET VALENTE III.

Athanaricus rex Gothorum in Christianos persecutione commota, plurimos interficit, et de propriis sedibus in Romanum solum expulit.

732 Eusebius Vercellensis episcopus moritur.

Constantinopoli apostolorum martyrium dicatur.

Lucifer Calaritanus episcopus moritur, qui cum Gregorio episcopo Hispaniarum, et Philone Libyæ, numquam se Arianæ miscuit pravitati. [e] Sed dum vigorem justitiæ erga correctionem eorum qui cessarant non relaxat, ipse a suorum communicatione descivit.

GRATIANO ET PROBO.

MODESTO ET ALINTHEO.

Didymus Alexandrinus multa de nostro dogmate per notarios commentatur, qui post quintum nativitatis suæ annum luminibus orbatus, elementorum quoque ignarus fuit.

VALENTIANO IV ET VALENTE IV.

Eunomius discipulus Aetii Constantinopoli agnoscitur, a quo hæresis Eunomiana, quæ Filium Patri non consubstantialem dicit esse, sed similem. Cujus error est dissimilem asserere Patri Filium, et Filio Spiritum sanctum.

GRATIANO III ET EQUITIO.

POST CONS. GRATIANI ET EQUITII.

Quia superiore anno Sarmatæ Pannonias vastaverunt, iidem consules permansere.

[a] De hac Meletii synodo et mente S. Hieronymi hic in Chronico, legi possunt viri eruditi qui de hac difficultate scripserunt, et interim consuli nota illustrissimi Vasatensis episcopi ad hanc partem Chronici S. Hieronymi (*nostro tom. XXVII*): in qua plura scribit de textus istius restitutione, et nonnulla addit de Meletii synodo, quam alii damnarunt, alii vero probatam habuerunt, postremosque inter numerat S. Basilium et plerosque Patrum, apud quos asseritur Meletium semper veram doctrinam amplexatum fuisse. Athanasius quoque disputat. 1 contra Arianos vocat *Magnum*, et Nicephorus *Confessorem*. D Ter enim ob fidem missum in exsilium tradit Greg. Nys. Orat. in funere Meletii, et Theodoretus lib. ii cap. 31 *divinum et magnum* appellat Meletium. Quin adhuc hodie a Græcis inter sanctos colitur, et ejus festum tertio idus Februarii celebratur. Cum autem non tam de re ipsa, quam de mente ac sententia Hieronymi agatur, hæc patet ex mss. hujus Chronici et aliis ejus libris, in quibus Meletium numerat inter hostes Christi. Quibus non obstantibus, concludit supradictus illustrator Chronici Hieronymiani, quod potest tamen Meletius variis modis defendi aut excusari, ut id quod in hac synodo egit minime hæretico sensu egisse credendus sit : utpote qui fuit vir sanctissimus, quique post hæc in exsilium tertio a Valente fidei causa sit pulsus, teste Sozomeno lib. vi, cap. 7.

[b] Codices Chronici Hieron. addunt, *quos nimias adoleri jusserat*.

[c] Colb. ms. antiquioris notæ habet 34, ut hic alii cum edit. Pontaci 13, totidemque menses qui supra notantur.

[d] Auctuarium t. I Biblioth. novæ mss. Lab. : *Apollinaris perversitas hoc primum deviavit errore, ut Dominum Jesum Christum diceret humanam carnem sine anima suscepisse; quia vitam et regimen corpori Deitas ipsa præbuerit. Ex hoc refutatus, confessus est illi carni animam non defuisse, sed mentis officia Verbi virtute completa. Ad ultimum, ipsam Christi carnem partem quamdam Verbi dixit fuisse, quæ naturam divinam habuerit, non maternam.*

[e] Illustrissimus Vasatensis Chronici illustrator hunc Hieronymi locum explicans dicit : *Significat eos abstinuisse a communione non solum Arianorum, sed eorum, sive episcoporum, sive aliorum catholicorum, qui cum Arianis quamtumlibet pœnitentibus communicabant : non autem quod hi soli ex omnibus episcopis immunes fuerint ab Ariana hæresi. Nam in Occidente, præter Auxentium. Mediolan. episc. pauci admodum fuerunt sectatores illius impietatis.* Unde Basilius in epist. 70, quam ad Italiæ et Galliæ episcopos dirigit : *Hoc enim*, inquit, *hæreseos malum cuncta depascitur, et periculum est ne, vastatis Ecclesiis nostris, ad sanam incolatus vestri partem serpat.* Immo in Oriente quoque major pars erat catholicorum, teste Basilio epist. 72 : *State in fide, ipsum orbem inspicite, et videte quam modica sit ea portio quæ hoc morbo laborat, reliqua vero universa Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recepit, sanam hanc et rectam doctrinam sectetur, a cujus communione ne excidatis petimus.*

Digitized by Google

Post Auxentii seram mortem, Mediolani Ambrosio A episcopo constituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur.

Aquileienses clerici quasi chorus beatorum habentur.

Valentinianus subita sanguinis eruptione, quæ Græce apoplexia vocatur, Brigitione moritur.

Post quem GRATIANUS assumpto in imperium VALENTINIANO fratre cum patruo Valente regnat.

Valens legem dedit ut Monachi militarent, nolentes fustibus necarentur.

VALENTE V ET VALENTINIANO.

Photinus in Galatia moritur, a quo Photinianum dogma inductum, Paulo Samosateno et Artemone, de quibus supra dictum est, conceptum auctoribus.

GRATIANO IV ET MEROBAUDE.

Alemannorum multa millia [a] apud Argentariam
733 oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani cæsa.

Gens Hunnorum Gothos vastat, qui a Romanis sine armorum depositione suscepti rebellant.

VALENTE VI ET VALENTINIANO II.

Superatis Romanis, Gothi funduntur in Thracia.

Valens de Antiochia exire compulsus, sera 734
pœnitentia nostros de exsilio revocat.

Lacrymabile bellum in Thracia : in quo deserente equitum præsidio, Romanæ legiones usque ad internecionem a Gothis cæsæ sunt. Ipse autem Valens cum sagitta saucius fugeret, et ob dolorem nimium sæpe equo laberetur, ad cujusdam villæ casam deportatus est. Quo persequentibus barbaris, incensa cum eodem domo, sepultura quoque caruit.

[a] Mss. Colb. 5, *circiter* 30,000. Locum vero certaminis eruditissimus Andr. Schottus putat esse oppidum in finibus Lemovicensium, quod *Argenton* vulgo. Sed probabilius putat Pontacus esse urbem sitam supra Rhenum, vulgo *Strasbourg* : quæ ab Eusebio circa olympiadem 284 vocatur *Argentoratum*, dum de simili Alemannorum cæde fit mentio, ut et apud Mar. hoc loco. Nam raro aut vix usquam constabit, Alemannos tempore priorum imperatorum Lemovicos usque irrupisse.

# S. PROSPERI
## AQUITANI
# CHRONICUM INTEGRUM
## *PARS SECUNDA.*

### A MORTE VALENTIS IMPERATORIS USQUE AD OBITUM VALENTINIANI TERTII ET ROMAM A VANDALIS CAPTAM.

Hucusque Hieronymus presbyter ordinem præce- B dentium digessit annorum. Nos quæ consecuta sunt adjicere curavimus.

Igitur Valente a Gothis in Thracia concremato, GRATIANUS cum fratre VALENTINIANO, XLI, regnavit annis VI.

AUSONIO ET OLYBRIO COSS. [a]

Gratianus post mortem patrui, Theodosium Theodosii filium in consortium assumit imperii, et ei regnum tradit Orientis.

[b] Theodosius summa felicitate multis atque ingentibus præliis Gothos superat et e Thracia expellit.

Longobardi ab extremis Germaniæ finibus, Oceanique protinus littore, Scandiaque insula, magna multitudine egressi, et novarum sedium avidi, Iborea et Aione ducibus Vandalos primum vicerunt.

Sempronius vir apprime eruditus agnoscitur.

Ea tempestate Priscillianus episcopus [c] de Gallecia, ex Manichæorum et Gnosticorum dogmate, hæresim nominis sui condidit.

GRATIANO V ET THEODOSIO COSS.

[d] Pro catholica fide multa sublimiter Ambrosius scribit.

[e] Theodosius cum Thessalonicæ ægrotaret, [f] ab

[a] Ms. Colb., *Musonio*. Restituerat *Ausonio* Pontacus ex mss. Cuspiniano in Cassiod. pag. 513, et Vasæo in Chron. Hispan. pag. 527. Nec hallucinari existimat Josephum Scaligerum et Onuphrium Panvinium, cum indicant hunc Ausonium esse Ausonium Burdigalensem poetam insignem : quod demonstratur ex ipso Ausonio cum de suo consulatu scribens inter C Epigrammata, significat eum incidisse in annum 3 olympiadis 289.

[b] Sequentia usque ad articulum qui incipit ab his verbis, *Ea tempestate*, absunt ab editione Labbei et ms. Colb. ac edita leguntur apud Pontacum charactere Italico, quo vulgato Prosperi Chronico addita notari voluit. Habentur etiam in editione Lugd. Biblioth. Patrum 1677.

[c] Emendamus pro *de Galatia*, quod Labbeus et Biblioth. Patrum Lugdun. 1677; aut *de Galliis*, quod Augustanus ms. auctoritate, et rationibus illust. Pontaci in notis ad Chron. Prosperi. Cum constet Priscillianum non Galatam fuisse, ex illa scilicet Galatia regione Asiæ ad Pontum Euxinum, tam ex Hieronymo epist. 66, Isidoro in Etymologiis lib. VIII cap. 6, et Augustino de Hæresibus. Quod fuerit episcopus Hispaniæ, patet ex Sulpicio Severo, et ex ipso Hieron. libro de Script. Eccles., qui testantur ipsum fuisse episcopum *Abilæ*, hodie *Avila*; et Joan. Marianus lib. IV cap. 20, de Rebus Hispaniæ, vocat *Priscillianum præsulem Abulensem*. Unde patet corrupte legi apud Sulpicium *in oppido Labilensi*, pro *Abilensi*. Idem alias corrupte dicebatur, *Priscianus* : quod correctum jam, et ex mss. Colb. duobus corrigi debuisse agnoscitur.

[d] Ms. unus Colb. et Augustanus, *Ambrosius episcopus pro catholica fide multa sublimiter scripsit*. Pont. omittit vocem *episcopus*.

[e] Hic articulus cum duobus sequentibus absunt ab editione Labbei, et mss. Augustano et Colb., et apud Pontacum pro additis habentur.

[f] Alias, *a Basilio*. Quæ lectio (ex Pontaco in notis) non poterat constare cum iis quæ leguntur in

Ascholio ejusdem civitatis episcopo baptisma suscepit.

Procurante Gratiano, eo quod Theodosius **735** ægrotaret, pax firmatur cum Gothis.

Synodus Patrum [a] CLXXX apud Constantinopolim celebrata est contra Macedonium, Spiritum sanctum Deum esse negantem.

[b] SIAGRIO ET EUCHERIO COSS.

Martinus, episcopus Turonorum, Galliæ civitatis multis clarus habetur.

Gregorius Nazianzenus, vir sua ætate eloquentissimus et Hieronymi præceptor, obiit.

[d] ANTONIO ET SYAGRIO COSS.

Athanaricus, rex Gothorum, apud Constantinopolim XV, quo fuerat susceptus, die [e] occiditur.

MEROBAUDE II ET SATURNINO COSS.

B Arcadius, Theodosii imperatoris filius, Augustus appellatur.

Petronius Bononiensis episcopus, vir studiis et sanctitate clarus, moritur [f].

RICIMERE ET CLEARCHO COSS.

Honorius, Theodosii filius, nascitur.

Romanæ Ecclesiæ post Damasum [g] SIRICIUS XXXVI præfuit annis XV.

In Britannia per seditionem militum Maximus imperator est factus, quo mox ad Gallias [h] transfre-

A tante, Gratianus Parisiis [i] Merobaudis magistri militum proditione superatus, et fugiens, Lugduni captus atque occisus est.

Maximus Victorem filium suum Cæsarem consortem regni facit.

VALENTINIANUS cum Theodosio, XLII Romanorum, regnavit [j] annis VII.

ARCADIO ET BAUTONE COSS.

Hoc tempore Hieronymus presbyter toto **736** jam mundo clarus habitat in Bethleem, egregio ingenio et studio [k] universæ Ecclesiæ serviens.

Priscillianus in synodo Burdegalensi se damnandum intelligens, ad imperatorem Maximum provocavit, auditusque Treviris ab Evodio præfecto prætorio, [l] a Maximo gladio addictus est, cum Eucrocia Delphidii rhetoris conjuge, et Latroniano, aliisque erroris consortibus.

HONORIO [m] N. P. ET EVODIO COSS.

Burdegalæ quædam Priscilliani discipula nomine Urbica, ob impietatis pertinaciam per seditionem vulgi lapidibus extincta est.

VALENTINIANO III ET EUTROPIO COSS.

THEODOSIO II ET CYNEGIO COSS.

Maximus tyrannus a Valentiniano et Theodosio imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide spoliatus indumentiis regiis, sistitur et capite damnatur: cu-

epistola synodali concilii Constantinopolitani, et apud Sozomenum lib. VII cap. 4, Socratem lib. V cap. 6, Nicephor. lib. XII cap. 16, et Cedrenum, dum tradunt, Theodosium ab Ascholio episcopo Thessalonicensi baptizatum. Hinc idem existimavit optionem sibi datam esse ab ipsis libris (cum nihil testentur de mente Prosperi) amplectendi potius veritatem, C quam nimis religiose immorandi in retinenda editorum lectione sine teste et ratione: quia etiam verisimile sit esse errorem solius librarii.

[a] In editione Pontaci et alibi numerantur dumtaxat 150, cujus notam vide de anno hujusce synodi, quæ unicuique pio debet esse commendata; sicuti est Gregorio magno instar Evangelii.

[b] Pontac., *Evagrio et Eucherio*; alii, *Eleuthio*.

[c] Hæc addita notantur in Chron. edit. Pontaci, et absunt a libro Labbei. Quamvis sententia sit veritati consentanea: quia ipse Hieronymus ad Pammachium, ad Rufinum, et ad Domnionem, epist. 51, vocat Gregorium Nazianz. *suum catechistam*, et, adversus Jovinianum, *suum præceptorem*, ut etiam lib. de Script. Eccles, quo ex loco ista verba videntur desumpta. Tamen situs nullo modo convenit cum ipso Hieronymo, dum lib. de Script. Eccles. scribit illum decessisse sub Theodosio principe ante hoc ferme triennium. At cum ipse ibidem testetur se absolvisse hujusmodi librum de Script. Eccles. anno 14 Theodosii, D sequitur Gregorium Nazianz. vita functum anno 11 Theodosii: unde apposite Sigebertus in Chron. ejus obitum ad illum annum 11 refert. Pontac.

[d] Ms. Colb. unus, *Antonino et Siagrio*; alii, *et Evagrio*. V. Pont.

[e] In ora editionis Lugdun. habes, *lege occidit vel obiit*, teste Marcellino, Ammiano l. XVII, Zozimo lib. IV, Themistio orat. 6, Orosio lib. VII c. 34, Cassiodoro, et aliis. Marcellinus et Sigebertus ad annum superiorem referunt. V. Pontac.

[f] Hæc etiam absunt a mss. pluribus et edit. Labbei Quod Petronius fuerit episcopus Bononiensis circa hæc tempora nemo potest dubitare (ait Pontacus), cum idem testentur, Gennadius cap. 41, Ado, etc. Sed quod obierit hoc consulatu nullo modo potest sustineri: cum viveret adhuc Eusebius Bononiensis, cui suffectus est Felix, et huic tandem Petronius. Itaque magis credendum est Gennadio, dum scribit eum vita functum, Theodosio et Valentiniano juniore Augustis, quem Ado sequitur. Unde concludit vir in historia ecclesiastica peritissimus, hunc locum non esse Prosperi.

[g] Male in quibusdam codicibus vocatur *Ursinus*; in Colb. uno, *Sericus*, notaturque præfuisse annis 14 in August. et Colb. uno, in alio annis 16.

[h] Alias legebatur *transferente se*.

[i] Codex Augustanus, *Merobaude magistro militum*. Quæ lectio probatur Pontaco. Quia testis est Pacatus Merobaudem occisum a Maximo, ut familiarem et intimum Gratiani, et hunc illo invito a militibus proditum.

[j] Pontacus ex ms. Ulriciano (quem et Augustanum vocamus, quia erat Monasterii Augustani SS. Afræ et Udalrici teste Henrico Canisio) ponit annos 8.

[k] Alias, *studio universali*. Deest in Labbeo. Legitur in ms. Colb. et August., *universæ*; in Colb. altero, *universali*.

[l] Hic additur *a Maximo*, in ms. Colb. uno et edit. Lugd., abest ab edit. Labbei et Colb. alio: quam lectionem tuetur Pontacus in notis pag. 767 (*Col.* 1188 *nostri XXVII tom.*) ex Hieron. lib. de Script. Eccles. scribente, *Priscillianum Treviris a Maximo tyranno cæsum*, et Sulpicio lib. II dum refert *Evodium nocentem pronuntiasse Priscillianum*, *et gestis delatis ad imperatorem, ipsum censuisse Priscillianum, sociosque ejus capite damnari oportere;* et Isidoro in Chron., *Priscillianus a Maximo tyranno gladio cæditur*.

[m] Ms. Colb. unus, *Honorio Nepote*. Alius, *imperatore*, et Augustanus codex. Tamen Pontacus in notis p. 768 (*Col. et tom. citt.*) observat quod illæ ambæ litteræ *N. P.* non significant, *Nepotem*, sed *nobilissimum puerum*. Unde in Fastis ista leguntur., *Fl. Honorius Theodosii Augusti fil. nobiliss. puer*. Nam cum consulatus ei fuit delatus agebat duos annos, ut do. et Claudianus:

Inter incunabula consul
Proveheris, signans posito nomine fastos.



Digitized by Google

jus filius Victor [a] eodem anno ab Arbogaste comite A est interfectus in Galliis.

TIMASIO ET PROMOTO COSS.

Ithacius et Ursacius episcopi, ob necem Priscilliani, cujus accusatores fuerant, Ecclesiæ communione privantur.

[b] Longobardi, eorum ducibus defunctis, primum sibi regem creaverunt Algelmundum Aionis filium, qui regnavit annis XXXIII.

VALENTINIANO IV ET NEOTERIO COSS.

[c] Signum in cœlo, quasi columba pendens ardensque per dies XXX apparuit.

[d] Theodosius venerabile Joannis Baptistæ caput ex vico Coslai Constantinopolim deportans, septimo ab urbe lapide, in Basilica, **737** quam magno sumptu in ejus honorem erexerat, recondit.

TATIANO ET SYMMACHO COSS.

[e] Eugenius favore Arbogastis confisus, imperium sibimet usurpavit.

ARCADIO II ET RUFINO COSS.

Valentinianus ad vitæ fastidium nimia Arbogastis magistri militum austeritate ductus, [f] laqueo apud Viennam periit.

Arbogastes magister exercitus, mortuo Valentiniano, cujus [g] exitu gravabatur, Eugenium in Galliis imperare facit.

THEODOSIUS, XLIII Romanorum, cum jam per XIV regnaret annos, regnat cum Arcadio et Honorio filiis annis III.

THEODOSIO III ET ABUNDANTIO COSS.

[h] Honorium pater suus Theodosius in eodem loco, ubi quoque fratrem ejus Arcadium Cæsarem fe- C cerat, principem constituit, XVII ab urbe milliario, cum hora tertia tenebræ factæ sunt.

ARCADIO III ET HONORIO II COSS.

Joannes monachus anachoreta clarus habetur: qui ornatus prophetiæ gratia, Theodosium consulentem de eventu belli quod adversus Eugenium movebat, victorem futurum prædixit.

OLYBRIO ET PROBINO COSS.

Theodosius Eugenium tyrannum vincit et perimit.

Augustinus, beati Ambrosii discipulus, multa facundia doctrinaque excellens, [i] Hyppone regio in Africa episcopus ordinatur.

Hoc tempore Claudianus poeta insignis habetur.

Theodosius imperator Mediolani moritur.

ARCADIUS, XLIV Romanorum, cum jam **738** regnasset B annis XII, regnat cum fratre HONORIO annos XIII.

ARCADIO IV ET HONORIO III COSS.

[j] Terræmotus per dies plurimos fuit, cœlumque ardere visum est.

Orosius Hispanus presbyter, vir eloquens, et historiarum [k] cognitor claret.

CÆSARIO ET ATTICO COSS.

[l] Flacilla nata est Arcadio filia.

[m] Evagrius incredibilis abstinentiæ monachus, et in sacris litteris eruditus, apud Ægyptios habetur insignis.

[n] Concilium Carthaginis, ubi Hipponensis concilii statuta firmantur et inseruntur.

HONORIO IV ET EUTYCHIANO COSS.

C ANASTASIUS XXXVII Romanæ Ecclesiæ episcopatum tenet annos III, dies XXI.

[a] Hæc verba, *eodem anno*, addunt mss. Colb. duo et August. codex.

[b] Hic articulus adjectus notatur apud Pontacum: nec habetur in edit. Labbei et mss. Colb. Sumptum indicat Pontacus ex Diacono lib. I de Longobardis cap. 10.

[c] Desunt hæc, et quæ articulo sequenti habentur in edit. Labbei et mss. Pontaco videntur excerpta totidem verbis ex Marcellino comite. At legendum *Columna pendens*, non *Columba pendens*, ex On., Can., Marcellino, Sigeberto, et aliis.

[d] Et ista ex additis designantur. Meminerunt tamen hujus translationis Sozomenus lib. VII cap. 21, Cassiodorus lib. IX Hist. Tripart. cap. 43, et Sigebertus qui eam designat circa annum Christi 392, et cum auctore circa annum 6 Theodosii, ut Cedrenus. Verum in annum sequentem remittenda, si credimus Marcellino, Theodosium non ante annum insequentem Constantinopolim reversum. Hæc Pontacus (*Ubi supra*). D

[e] Articulus adjectus, de quo Pontacus censet quod videatur penitus eradendus, cum eadem dicantur sequenti anno, et verius; quia Fasti et alii scriptores referunt Eugenii imperium post mortem Valentiniani.

[f] An mors Valentiniani fuerit spontanea, sicut vult Auctor cum Cassiodoro et Sozomeno, lib. VII cap. 22, an ab alio illata jussu Arbogastis, ut sentiunt Marcellinus, Orosius lib. VII cap. 35, Socrat. lib. V cap. 25, jam eo tempore dubium erat, sicut testatur Rufinus lib. II cap. 31. Pontac. — Ms. Colb. unus pro *austeritatem* scribit *audacitatem*. Quod huic anno res assignanda probat Pontac. (*Col.* 1189 *nostri XXVII tom.*).

[g] Sic legitur apud Labbeum et in mss. Colb. et August. Alibi, *cujus exercitu*.

[h] His carent mss. Colb. et alii plures. Habet editio Labbei. Quæ omnia episc. Vasat. (*Ubi supra*) mutuatum suspicatur librarium ex Marcellino, ubi ad verbum reperiuntur, nisi quod legitur 7 *ab urbe milliario* pro 17, cui conveniunt Socr. l. V c. 25, Cassiod. in Hist. Trip. l. IX c. 46. Nam in Chron. rejicit in superiorem consulatum.

[i] Vide notam Pontaci (*Loc. cit.*), ubi abstersam maculam codicum quorumdam qui præferebant *Hippone regione Africæ* probat; monetque duas fuisse in Africa urbes quæ Hipponis nomen obtinuerunt, quarum una *Regia* alia *Diarrytus*, propter aquarum irrigua dicebatur, cum inauditum esset Hipponem esse regionis nomen.

[j] Absunt ista a codice Labbei et quibusdam mss., sed sunt ad verbum apud Marcellinum; et meminit Ambrosius, orat. de funere Theodosii. Pontac.

[k] Absunt hæc a mss. pluribus et editis quibusdam, sed non a rei veritate, ait Pontacus (*Loc. cit.*). Placebat doctissimo viro Nicolao Fabro legi *conditor*, non *cognitor*. Sed deest fides ullius codicis, et adversatur Gennadius in catalogo, ubi habetur *cognitor*.

[l] Non habentur hæc in edit. Lab. nec in mss., videnturque descripta ex Marcellino, cui assentitur Cedrenus, apud quem alias dicitur *Flaccia*, alias *Flavilla*. Baronius t. IV p. 515 confirmat vulgatam scriptionem. Pontac.

[m] Ista quoque desiderantur in edit. Lab. et mss. multis. Leguntur apud Gennadium in Catalogo, Sozom. l. IV c. 23, Cassiod. l. IX Hist. Tripart. cap. 1. Pontac.

[n] Hic articulus additur ex ms. Colb. uno et edit. Lugd. ad ms. Augustanum exacta.

Digitized by Google

[a] MANLIO THEODORO V. C. COS. A

Cum hoc consulatum inierat Eutropius Eunuchus, qui mox honore et vita exutus est.

STILICONE ET AURELIANO COSS.

Gothi Italiam Alarico et Rhadagaiso ducibus ingressi.

VINCENTIO ET [b] FRAVITO COSS.

Joannes Constantinopolitanus [c], et Theophilus Alexandrinus illustres episcopi habentur. Sed utrumque obscuravit discordia, quæ eo usque processit, ut Joannes a Theophilo oppressus, Pontum exsilio pergere cogeretur; cum tamen communionem ejus maxima pars episcoporum, Romani pontificis exemplum secuta, servaverit.

ARCADIO V ET HONORIO V COSS.

[d] Pollentiæ adversus Gothos vehementer utriusque partis clade pugnatum est. B

INNOCENTIUS, XXXVIII Romanæ Ecclesiæ præest episcopus [e] annis xv, mensibus II, diebus xxi.

739 THEODOSIO AUGUSTO ET RUMORIDO COSS.

[f] Carthaginense concilium habitum de Donatistis.

Eudoxiæ Arcadii uxoris statua super porphyriticam columnam posita est.

HONORIO VI ET ARISTENETO COSS.

[g] Eudoxia uxor Arcadii diem clausit.

STILICONE II ET ANTHEMIO COSS.

Radagaisus in Thuscia multis Gothorum millibus cæsis, ducente exercitum Stilicone, superatus et captus est.

ARCADIO VI ET PROBO COSS.

Vandali et Alani Gallias, trajecto Rheno, [h] pridie kal. Januarias ingressi.

HONORIO VII ET THEODOSIO II COSS.

Constantinus [i] ex infima militia, ob solam speciem nominis, in Britannia tyrannus exoritur, et ad Gallias transit.

BASSO ET PHILIPPO COSS.

Arcadius imperator Constantinopoli moritur.

HONORIUS, cum THEODOSIO fratris filio, XLV Romanorum, regnavit annis xvi.

HONORIO VIII ET THEODOSIO III COSS.

Vandali Hispanias occupaverunt.

Attalus Romæ imperator factus, qui mox privatus regno, Gothis [j] cohæsit

FLAVIO VARRONE V. C. CONSULE [k].

[l] Roma orbis quondam victrix, a Gothis Alarico duce capta, et ob hoc solus fuit Orientalium partium consul, quod in et sequenti anno observatum est.

THEODOSII AUGUSTI IV CONSULATU.

Constantinus [m] per Honorii duces Constantium et Ulphulam, apud Arelatense oppidum victus et captus est, cujus filium Constantem in Hispania regnare orsum Gerontius Comes, in Maximum quemdam tyrannidem transferens, interemerat.

HONORIO IX ET THEODOSIO V COSS.

Maximo in Hispania regno ablato, vita est concessa, eo quod modestia humilitasque hominis affectati imperii invidiam non merebatur.

Gothi rege Athaulpho Gallias ingressi.

Eodem tempore Heros vir sanctus, et beati Mar-

---

[a] Quod hic collocandus consulatus iste, et quod male legebatur alias *Manlio* aut *Manilio et Theodoro* fuse dissertum legere licet in nota Pontac. colum. 771 (*Tom. cit. col.* 1191), qui inter cæteros testes citat Augustinum lib. XVIII de Civit. Dei cap. ult., et eumdem lib. I Retract. cap. 2. Claudianus quoque illi in consulatu panegyricum elegantissimum habuit, ubi profitetur eum solum consulem illo anno dicens, *Culmen utrumque tenes*. C

[b] In aliis codicibus, *Flavit a*, in aliis, *Flavito*, seu *Fabritio*.

[c] Intelligit Joannem Chrysostomum, qui sub consulatu Honorii et Eutychiani ordinatus fuerat episcopus Constantinopolitanus ab ipso Theophilo Alexandrino, teste Socrate lib. VI cap. 2. Pontac.

[d] Sic post Pontaci correctionem Labbeus et ms. Colb. cum August. et aliis. In Colb. uno, *Adversus Gothos utriusque Pollentiæ partis clade pugnatum est.* Quem sequitur editio Lugd. Bibl. Patrum, in qua *potentiæ* substituitur verbo *Pollentiæ*. Eadem narrat Cassiodorus paulo diverse. *Pollentia* urbs est sita in Alpibus Cotiis Ptolemæo, inter Liguriæ urbes. Claudianus de consulatu VI Honorii, et Clarius lib. IV de Bello Getico hæc describit, et testatur Alaricum victum, ac cum paucis fuisse; contra Cassiodorus et Jornandes lib. de Rebus Getic. aiunt Stiliconem victum atque fugatum. Sed videtur potius victoria Cadmea secundum auctorem. Pontacus.

[e] Chronicon Labbei cum mss. Colb. et Aug., *annos* 14. Aliqui codices, *diebus* 22. Videri potest Baronius in Annalibus. Pontacus.

[f] Prior articulus hujus consulatus additur ex ms. Colb. et Baronio. Posterior ex Chronici editione Arn. Pontaci, ms. Augustano et Lugdun. editione. Deest uterque apud Labbeum.

[g] Hæc absunt ab edit. Labbei et mss. Colb., et pluribus aliis. Marcellinus quidem et Socrates collocant ejus obitum sub iisdem consulibus quibus Auctor. Sed quomodo illud possit conciliari cum Nicephoro lib. XIII c. 38 et aliis qui tradunt Eudoxiam supervixisse Joanni Chrysostomo, qui plus, qui minus, lectoris eruditi judicio relinquitur. Pontac. col. 773.

[h] Mss. Colb. unus et Augustanus, in *kalendas*.

[i] Hæc verba, *ex infima militia ob solam speciem nominis*, non habent editio Labbei, nec mss. Colb. duo, et alii quos citat Pontacus, nec immerito, si credimus Sigeberto in Chronico dicente hunc Constantinum tyrannum (alii vocant Constantium) fuisse fratrem Aldroeni regis Britanniæ minoris. Verum Orosius ipsissima verba profert : necnon eadem repetuntur a Diacono et Beda in Hist. Anglic. Pontacus.

[j] Sic mss. Colb. et edit. Labbei. In vulgatis, *Gothis cessit*. Priorem lectionem tuetur Pontacus ex Zosimo, Procopio, et Orosio lib. VII, cap. 42. D Quamquam posteriorem defendi fatetur, si dicatur quod ejus potestati Gothi successerint.

[k] In quibusdam codicibus vitiose additur *Tertullus*. Quia eo anno kal. Januarii nulli fuerunt consules ordinarii; sed creati sunt, Varro quidem in Oriente ab Honorio circa kal. Februarias, alter vero Romæ ab Attalo circa kal. Julias : et hic a Fastis erasus fuit, cum a tyranno consul creatus esset. Propterea Orosius eum vocat *umbratilem consulem*, eratque ethnicus. Pontac.

[l] Hæc omittuntur in edit. Labbei et mss. Colb. et aliis pluribus.

[m] Desunt hæc, *per Honorii duces Constantium et Ulphulam*. Editio Labbei, *Ulphilam*, pro Ulphulam.

Digitized by Google

tini discipulus, cum Arelatensi oppido episcopus præsideret, a populo ipsius civitatis 740 insons, et [a] nulli insimulationi obnoxius, pulsus est, inque ejus locum Patroclus ordinatus, amicus et famaliaris Constantii magistri militum, cujus per ipsum gratia quærebatur. Quæ res inter episcopos regionis illius magnarum discordiarum causa fuit.

LUCIANO VIRO CLARISSIMO CONSULE.

Hujus collega in consulatu fuit Heraclianus, qui novarum in Africa rerum reus, et honorem amisit et vitam.

Burgundiones partem Galliæ propinquantem Rheno obtinuerunt.

[b] Jovinus et Sebastianus fratres in Galliis regno arrepto interempti.

Hac tempestate Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiam Christi, Cœlestio et Juliano adjutoribus, exseruit, multosque in suum traxit errorem, prædicans unumquemque ad justitiam voluntate propria regi, tantumque accipere gratiæ, quantum meruit : quia Adæ peccatum ipsum solum læserit, nec posteros ejus obstrinxerit; unde et volentibus possibile sit omni carere peccato : omnesque parvulos tam insontes nasci quam primus homo ante prævaricationem fuit, nec ideo baptizandos, ut peccato exuantur, sed ut sacramento adoptionis honorentur.

[c] CONSTANTIO V. C. CONSULE.

Attalus Gothorum consilio et præsidio tyrannidem resumit in Galliis.

HONORIO X ET THEODOSIO VI COSS.

Attalus a Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus, et præsidio carens, capitur, et Constantio patricio vivus offertur.

Athaulphus a quodam suorum vulneratus interiit, regnumque ejus Wallia, peremptis qui idem cupere intelligebantur, invasit.

THEODOSIO VII ET PALLADIO COSS.

Placidiam Theodosii imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quamque Athaulphus conjugem habuerat, Wallia pacem Honorii expetens reddit, ejusque nuptias Constantius promeretur.

ZOSIMUS XXXIX Romanæ Ecclesiæ episcopatum suscipit, [d] anno I, mensibus IX, diebus IX. Quo tempore Pelagianis, jam a pontifice Innocentio prædamnatis, Afrorum 741 vigore, et maxime Augustini episcopi [e] scientia resistebatur.

HONORIO XI ET CONSTANTIO II COSS.

Honorius [f] triumphans Romam ingreditur, præeunte currum ejus Attalo, quem Liparæ vivere exsulem jussit.

HONORIO XII ET THEODOSIO VIII COSS.

Hoc tempore Constantius servus Christi, ex Vicario Romæ habitans, et pro gratia Dei devotissime Pelagianis resistens, factione eorumdem multa pertulit, quæ illum sanctis confessoribus sociaverunt.

Concilio apud Carthaginem habito [g] CCXIV episcoporum, [h] ad papam Zosimum synodi decreta perlata sunt : quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.

Valentinianus Constantii et Placidiæ filius nascitur, sexto nonas Julias.

Romanæ Ecclesiæ XL episcopatum agit BONIFACIUS [i] annis III, mensibus VIII, diebus VI.

MONAXIO ET PLINTA COSS.

Hoc tempore fuit tertium schisma, Eulalio Antipapa per Honorium Cæsarem ejecto, quod duravit annis duobus.

Constantius patricius pacem firmat cum Wallia, data ei ad habitandum [j] secunda Aquitania, et quibusdam civitatibus confinium provinciarum.

THEODOSIO IX ET CONSTANTIO III COSS.

Constantius ab Honorio in consortium regni assumitur.

Hieronymus presbyter moritur [k] anno ætatis suæ XCI, pridie kal. Octobris.

AGRICOLA ET EUSTATHIO COSS.

Constantius imperator moritur.

HONORIO XIII ET THEODOSIO X COSS.

Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est, cui Cassinus dux fuit, 742 qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum, inepto et injurioso imperio, ab expeditionis suæ societate avertit. Nam ille periculosum sibi atque indignum ratus eum sequi quem discordem superbientemque

[a] In quibusdam libris, *nullis insimulationibus noxius*.

[b] Sic legendum pro *Jovius* probat Pontacus. Favent mss. duo Colb. cum aliis ab ipso citatis, ubi et *arrepto* melius legi vult quam *accepto*. Ms. unus Colb., *abrepto*.

[c] Sic mss. Colb. duo et alii codices ex quibus restituerat Pontacus, pro *Constantino vero consule*.

[d] In editione Labbei et ms. Colb. uno, *annis tribus*. In altero ms. Colb. Pontaco, et aliis, ut supra.

[e] Ms. Colb. unus, *industria*. Idemque, *a papa Innocentio*, cum aliis a Pontaco citatis. Alii libri habebant, *Pelagius jam .... prædamnatus ei Afrorum vigore*, etc.

[f] In editione Labbei, *Romam cum triumpho*.

[g] Sic editio Labbei et mss. Colb. quorum unus addit, *et amplius*. Alii codices, 217; aliqui, 224 : quod magis sequendum monet Pontacus, cum auctor libro adversus Collatorem totidem numeret, nec plures. Verumtamen Marcellinus et Contractus habent vulgatum numerum.

[h] Editio Lugd. in margine notat alias lectum *a pontifice Zosimo decreta sunt perlata*.

[i] Apud Labbeum et in mss. Colb. uno et Augustano, *annis quatuor*. Ms. alter, et Pont. ut supra. Id autem Labbeus cum mss. duobus Colb. et August. codice, aliique in Pontaci notis citati rejiciunt in sequentem consulatum. Priorem lectionem prætulit idem, tum propter auctoritatem Baronii, tum propter litteras Symmachi præfecti urbis ad Honorium imperatorem de obitu Zosimi, et ingressu Bonifacii datas eodem anno IV kalend. Januarii.

[j] Adjectum *secunda* ex ms. Colb. uno et aliis codicibus. Nam quod Aquitania in primam et secundam fuerit divisa docent Sextus Rufus et Notitia Provinciarum, dum agit de præsulibus Aquitaniæ primæ et Aquitaniæ secundæ, et de provinciis Galliarum 17, inter quas numerat Aquitaniam primam, et Aquitaniam secundam : illa a Garumna flumine ad Ligerim, hæc a Pyrenæis montibus ad Garumnam. Pontac.

[k] De anno mortis et ætate Hieronymi vide notam Arn. Pontaci col. 778 et 779 (*Tomi nostri* XXVII *col.* 1197).

Digitized by Google

expertus esset, celeriter se ad portum urbis, atque A inde ad Africam proripuit, idque reipublicæ multorum laborum initium fuit.

MARINIANO ET ASCLEPIODOTO COSS.

Placidia Augusta a fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honorio et Valentiniano filiis proficiscitur.

Cœlestinus, XLI, Romanæ Ecclesiæ præsidet episcopus annis IX [a].

[b] Longobardorum XI regnavit Lamissus meretricis filius annis III.

Honorius moritur, et regnum ejus Joannes occupat connivente, ut putabatur, Castino, qui exercitui magister militum præfuit.

[c] Theodosius, XLVI, Romanum imperium tenet annis XXX.

CASTINO ET [d] VICTORE COSS. B

Theodosius Valentinianum amitæ suæ filium Cæsarem facit, et cum Augusta matre [e] sua ad recipiendum occidentale mittit imperium : quo tempore Joannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.

THEODOSIO XII ET VALENTINIANO [f] COSS.

Placidia Augusta, et Valentinianus Cæsar mira felicitate Joannem tyrannum opprimunt, et regnum victores recipiunt, data venia Aetio, quod Hunni quos per ipsum Joannes [g] acciverat, ejusdem studio ad propria reversi sunt. [h] Castinus autem in exsilium actus est : quia videbatur Joannem sine conniventia ipsius regnum non potuisse assumere.

Valentinianus decreto Theodosii Augustus appellatur. C

[i] Arelas nobile oppidum Galliarum a 743 Gothis multa vi oppugnatum est, donec imminente Aetio non impuniti discederent.

THEODOSIO XII ET VALENTINIANO I II COSS.

Patroclus Arelatensis episcopus a tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur : quod facinus ad occultam jussionem Felicis magistri militum referebatur cujus impulsu [k] creditus est etiam Titus diaconus vir sanctus Romæ pecunias pauperibus distribuens interemptus.

HIERIO ET ARDABURE COSS.

Bonifacio, cujus potentia gloriaque [l] intra Africam augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, quia ad Italiam venire [m] abnuerat, publico nomine illatum est, ducibus Mavortio, et Galbione, et Sinoce : cujus proditione Mavortius et Galbio, cum Bonifacium obsiderent, interempti sunt : moxque ipse a Bonifacio dolo [n] detectus, occisus est.

Exinde gentibus, quæ navibus uti nesciebant, dum a concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum est, bellique contra Bonifacium cœpti in Sigisvultum comitem cura translata est.

Gens Vandalorum [o] ab Hispania ad Africam transit.

FELICE ET TAURO COSS.

Nestorius Constantinopolitanus episcopus novum Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans Christum ex Maria hominem tantum, [p] non etiam Deum natum, eique divinitatem collatam esse pro merito. Cui impietati præcipua Cyrilli Alexandrini episcopi industria, et papæ Cœlestini repugnat auctoritas.

Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverunt, Aetii comitis armis recepta.

FLORENTIO ET DIONYSIO COSS.

Felice ad patriciam dignitatem provecto, Aetius magister militum factus est [q].

Agricola Pelagianus, Severiani Pelagiani 744 episcopi filius, Ecclesias [r] Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed ad actionem Palladii Dia-

[a] Mss. Colb. et August., *Romanæ Ecclesiæ* 41 *episcopatum suscepit Cœlestinus annis* 9. Unus addit, *mens.* 10, *diebus* 17, ut in Chron. Pontaei.

[b] Monet Pontacus in notis hæc desiderari in mss. pluribus (non leguntur etiam in duobus Colb.) et quæcumque in hoc Chronico dicuntur de Longobardis, videri tempore posteriora, et aliunde assuta, ut ex Diacono lib. I de Longobardis cap. 10 et 11, ubi *Lamissum* hic nuncupatum *Lamissionem* appellat. Pontac.

[c] Ms. Colb. unus et Chron. Pont., *Romanorum* XLVI, *Theodosius regnavit annis* 30.

[d] In codicibus nonnullis *Victorino*, ex quibus ms. Colb. unus.

[e] Abest vox hæc *sua* a ms. Colb. uno et August. et a Labbei Chronico.

[f] Quidam, inter quos Lab. addunt *Cæsare*, ut habent omnes Fasti, Marcellinus et Cassiod. Pont.

[g] Ms. Colb. unus, *acceperat*.

[h] Hic articulus, etsi non legatur in multis codicibus, et pro additilio reputetur in Chron. Pontaci, firmatur tamen testimonio Diaconi lib. IV, et idem constat ex epist. 10 in appendice Augustini. Ad superiorem tamen consulatum referri vult idem.

[i] Emendavit Lab. post Pont. Chron. pro *Archillas*. Quod etiam legendum notarat ad oram libri sui Hen. Canisius. Lectioni nostræ suffragatur Isidor. in Chron. Goth. *Theodoricus*, inquit (rex Gothorum) *Arelatem nobilissimum oppidum Galliæ obsidet, a cujus obsidione imminente virtute Aetii Romanæ militiæ ducis remotus abscedit.* Accedit Chronicum Pithæanum. Vix usquam legitur fieri mentio de *Archilla* oppido.

[j] Edit. Chron. Lab. addit *Augusto*. Vide Pont. p. 781 (*Col.* 1199 *nostri XXVII tom.*).

[k] Alias, *traditur*; et infra, *interfectus*. Ms. Colb. unus, *creditur .... interemptus*.

[l] Sic ms. Colb. et alii aliquot. In aliis, *in Africa*.

[m] Ms. Colb. unus, *annueret*, alius, *annuebat*. Edit. Lab. ut supra. Rectius quidem : cum, teste Diacono lib. XIV causa belli contra Bonifacium esset, *quod accersitus ab imperatore, accedere distulit*. Quod vero D Auctor scribit, hoc bellum illatum ad arbitrium Felicis, Diaconus et Sigebertus tribuunt Aetio. Pontac.

[n] Ms. Colb. unus, *detentus*.

[o] Ms. Colb. unus et alii codices, *ab Hispaniis*.

[p] In aliis codicibus, *et non Deum*.

[q] Hic mendum irrepserat in editis, ubi insinuabatur Aetius magister militum factus ex agricola : cui errori favebant etiam mss. et hos inter ms. Colb. At ms. Colb. alter testatur recte emendatum a Pontaco et Labbeo, ut supra legitur. Cum nusquam auditum fuerit Aetium fuisse agricolam : et inepte hic a Prospero hoc additum foret, qui dum sæpe illius mentionem antea fecerit, priori loco illius genus et conditionem debuerit commemorare. Plura vide in nota Pontaci col. 782 (*Ubi supra*).

[r] Sic legendum, non vero *Brastaniæ*, aut *Hyberniæ*, constat ex ms. Colb. uno et aliis pluribus : et maxime ex eo quod constet ex Sigeberto in Chronico, Germanum episcopum Antissiodorensem, de

Digitized by Google

coni, papa Cœlestinus Germanum Antissiodorensem A episcopum vice sua mittit, [a] et deturbatis hæreticis, Britannos ad catholicam fidem dirigit.

THEODOSIO XIII ET VALENTINIANO III COSS.

Aetius Felicem cum uxore sua Padusia, et Grunnitum diaconum, cum eos insidiari sibi præsensisset, interemit.

Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur v kal. Septembris, libris Juliani [b] inter impetum obsidentium Vandalorum, in ipso dierum suorum fine respondens, et gloriose in confessione Christianæ gratiæ perseverans.

BASSO ET ANTIOCHO COSS.

Congregata apud Ephesum plus ducentorum synodo sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, et cum multis Pelagianis, qui [c] cognatum errori suo juvabant dogma, damnatur.

Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a papa Cœlestino Palladius, et primus episcopus mittitur.

AETIO ET VALERIO COSS.

Romanæ Ecclesiæ XLII præficitur episcopus Xistus, annis VIII, diebus XIX, [d] totius Urbis pace et consensione mirabili.

Bonifacius ab Africa ad Italiam [e] per Urbem venit, accepta magistri militum dignitate: qui cum sibi resistentem Aetium prælio superasset, paucos post dies morbo exstinctus est.

Aetius vero cum deposita potestate in agro suo degeret, ibique eum [f] quidam inimicus ejus repentino incursu opprimere tentasset; profugus ad Urbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde per Pannoniam ad Hunnos pervenit, quorum amicitia auxilioque usus, pacem principum [g] et jus interpolatæ potestatis obtinuit.

745 THEODOSIO XIV ET MAXIMO COSS.

[h] Maxima urbis regiæ pars Septentrionalis per tres dies continuos incensa collapsaque est, mense Augusto.

Joannes Monachus cognomento Cassianus Massiliæ insignis et facundus scriptor habetur.

Colliguntur omnes anni usque ad consulatum Theodosii XIV et Maximi.

A XV Tiberii anno et passione Domini, anni CCCCVI.

Ab instauratione templi sub Dario, anni DCCCCLIV.

Ab olympiade prima et Isaia propheta, anni MCCX.

B A Salomone et prima ædificatione templi anni MCCCCLXVI.

A Moyse et Cecrope rege Atticæ, anni MDCCCCXC.

Ab Abraham et regno Nini et Semiramidis, anni MMCCCCL

A diluvio autem, usque ad Abraham, anni MLXXI.

Ab Adam vero, usque ad diluvium, anni MMCCXLII.

Sunt itaque ab Adam, usque ad tempus supra scriptorum consulum quinquies mille DCCLXII.

ASPARE ET AREOBINDA COSS.

THEODOSIO XV ET VALENTINIANO IV COSS.

Pax facta cum Vandalis, [i] data eis ad inhabitandum per Trigetium Africæ portione, Hippone III idus Februarii.

Eodem tempore Gundicarium Burgundionum re-

---

C quo hic Prosper, et Lupum episcopum Trecassinum his in Britanniam navigasse ut hæresim Pelagianam confutarent. Adde quod statim Prosper subjungit, *Britannos*: quin certius est, quam ut probari debeat Pelagium ibidem erroris sui semina sparsisse. Pont.

[a] In quibusdam libris, *ut . . . dirigat*. Ms. Colb. unus *redegit*.

[b] Ms. Colb. unus, *inter impetus*. De anno quo mors tanti doctoris contigit vide notam Pontaci col. 783 (*Col. 1201 nostri XXVII tom.*).

[c] Quidam codices, *cognatum sibi*.

[d] Hæc quæ sequuntur in codicibus quibusdam a superioribus disjuncta erant interpunctione, et sequentibus aggregata, tamquam de Bonifacio accipienda essent, et non de Xisto; a Pontaco et Labbeo ex mss. restituta: ubi voces *Urbis et consensione* pro *orbis et confessione* repositæ.

[e] Antea, *ad Italiam pervenit in urbem*. Aliam lectionem tuetur Pontacus, sequitur Labbeus, et præferunt mss. Colb. duo et tres alii a Pontaco citati, D ac Augustanus codex, quem ille ubique Ulricianum vocat.

[f] Editio Lab. et ms. unus Pontaci, *ibique cum quidam inimici ejus repentino eum incursu opprimere tentassent*.

[g] Ita mutatum a Pontaco et Labbeo, pro *Aetius interpellatæ pacis*, secutis mss. plures a priori citatos, quibus favent ms. Colb. unus, et alter etiam pro voce *potestatis*. Diac. autem lib. XIV, referens totam istam sententiam, ita scribit: *Pacem principum Aetius cum receptu interpolatæ potestatis obtinuit, nec multo post patriciatus etiam dignitatem adeptus est.* Quibus verbis non solum confirmat nostram lectionem, sed etiam eam explicat. Tradit etiam Sigebertus ad an. Christi 435: *Aetium sese contulisse ad Rugilam regem Hunnorum, et ejus auxilio regressum ad Romanum solum*; et anno sequenti, *Aetius in gratiam recipitur*. Hinc intelliges quomodo Aetius pristino gradui restitutus fuerit, ubi teste Prospero devicerit Burgundionum regem, et Patricius et Consul tertio factus sit, et multa prælia gesserit, usque in annum 30 Valentiniani, cujus manu interfectus fuit, ut ait Prosper Pithœi, et alii scriptores. Pontac.

[h] Hic et sequens articuli, qui in mss. Pontaci et Colb. duobus non leguntur, nec in edit. Lab. habentur, ad eumdem consulatum apud Marcellinum et Socratem lib. VII cap. 39. Intellige per urbem regiam, urbem Constantinopolim. Nec dubium quin viveret tum Joannes Cassianus, cujus exstant Collationes Patrum, et qui lib. VII de Incarnatione circa finem testatur se fuisse discipulum Joannis Chrysostomi, quem antea Prosper vocavit Joannem Constantinopolitanum. Sed non est verisimile (ait Pontacus) Prosperum ejus mentionem fecisse tam honorificam, contra quem scripserit tamquam male sentientem de fide orthodoxa cum Pelagianis: ut notat Marcellinus sub consulatu Theodosii XVI, et testantur ejus opera. Hæc in notis Pontacus, qui subjicit collectionem annorum ab orbe condito, etc., ex ms. Lod.; quæ licet mendis non careat, tamen juvat utcumque ad comprobanda quæ sunt in edito: maxime si aliquot annos ex nonnullis detrahas. Quæ cum addita fuerit editioni Chronici a Labbeo cum aliqua numerorum trium diversitate, nec nos omittendam putavimus.

[i] Sic castigatur locus a Pontaco, quem sequitur Lab. et favent mss. Colb. et alii: cum antea legeretur *data eis ad habitandum per triennium in loco Africæ Hippone III id. Febr.* Ms. unus ex Colb. et codex August. seu Ulric., *data eis ad habitandum Africæ portio*; nec plura. Vide notam Pontaci col. 786 (*1205 nostri XXXVII tom.*).

Digitized by Google

gem intra Gallias habitantem Aetius [a] bello obtinuit, pacemque ei supplicanti dedit, qua non diu potitus est. Siquidem illum [b] Hunni cum populo atque stirpe sua deleverunt.

ISIDORO ET SENATORE COSS.

Gothi pacis placita perturbant, et pleraque municipia sedibus vicina suis occupant, Narbonensi oppido maxime infesti, quod cum diu obsidione et fame laboraret, per Littorium comitem ab utroque periculo liberatum est. Siquidem per singulos equites binis
746 tritici modiis advectis, strenuissime et hostes in fugam vertit, et civitatem annona [c] implevit.

AETIO II ET SIGISVULTO COSS.

Bellum adversus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur.

In Africa Geisericus, rex Vandalorum, intra habitationis suæ limites volens catholicam fidem Ariana impietate subvertere, quosdam nostrorum episcoporum, [d] quorum Possidius, et Novatus, ac Severianus clariores erant, eatenus persecutus est, ut eos privatos jure basilicarum suarum, etiam civitatibus pelleret, cum ipsorum constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet.

Valentinianus Augustus ad Theodosium principem Constantinopolim proficiscitur, [e] filiamque ejus in matrimonium accipit.

Eodem anno piraticam [f] barbarorum fœderatorum desertores exercuerunt.

Per idem tempus quatuor Hispani viri, Arcadius, Probus, Paschasius, et [g] Eutychius dudum apud Geisericum merito sapientiæ et fidelis obsequii chari clarique habebantur: quos rex, ut copulatiores sibi faceret, in Arianam sectam transire præcepit. At illi facinus constantissime respuentes, excitato in rabidissimam iram barbaro, primum proscripti, deinde in exsilium acti, tum atrocissimis cruciati suppliciis; ad postremum diversis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt.

Puer autem Paulillus nomine, frater Paschasii et Eutychii, pro elegantia formæ atque ingenii admodum regi acceptus, cum a professione atque amore catholicæ fidei nullis minis deturbari posset, fustibus diu cæsus, [h] ad infimam servitutem damnatus est: [i] ideo, ut apparet, non interfectus, ne de superata sævitia impii regis etiam illa ætas gloriaretur.

THEODOSIO XVI ET FAUSTO COSS.

Hoc quoque anno iidem piratæ multas insulas, sed præcipue Siciliam vastavère.

Adversum Gothos in Gallia quædam prospere gesta.

THEODOSIO XVII ET FESTO COSS.

Littorius [j] qui secunda ab Aetio patricio 747
potestate Hunnis auxiliaribus præerat, dum Aetii gloriam superare appetit, dumque aruspicum responsis et dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit, fecitque intelligi, quantum illa, quæ cum eodem periit, manus prodesse potuerit, si potioribus consiliis quam sua temeritate uti maluisset, quando tantam ipse hostibus cladem intulit, ut nisi inconsideranter prælians in captivitatem incidisset, dubitandum foret, cui potius parti victoria ascriberetur.

Hac tempestate Julianus [k] Eclanensis jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido agitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Xistus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: et ita omnes catholicos de rejectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim apostolicus gladius detruncasset.

Per idem tempus Vitricus reipublicæ nostræ fidelis, et multis documentis bellicis clarus habebatur.

Pax cum Gothis facta, cum eam post ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum, humilius quam umquam antea poposcissent.

Aetio rebus quæ in Galliis componebantur intento, Geisericus, de cujus amicitia nihil metuebatur, XIV kalendas Novembris Carthaginem dolo pacis invadit, omnesque opes ejus, excruciatis diverso tormentorum genere civibus, in jus suum vertit, nec ab Ecclesiarum despoliatione abstinens, quas et sacris vasis exinanitas, et sacerdotum administratione privatas, non jam divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula; in universum captivi populi ordinem sævus, sed præcipue nobilitati et religioni infensus, ut non discerneretur honoribus magis, an Deo bellum intulisset [l].

[a] Sic ms. Colb. unus, Lab. et Aug. cod. Alii, *bello obtrivit*.

[b] Iidem in diversis codicibus *Hunni* aut *Chunni* vocantur. Pont.

[c] Ms. Colb. unus, *impleverit*. Alius, *adjuverit*. August., *adjuvit*.

[d] Hæc addita ex edit. Lab. et ms. Lod. a Pontaco recensito.

[e] Eadem scribit et sub iisdem consulibus Marcellinus. Sed Socrates lib. VII cap. 44, Cassiod. lib. XII Hist. Tripart. cap. 13, Diaconus lib. XIV, rejiciunt in superiorem consulatum. Cui potius adhæreas vix judicari potest. Hæc autem filia vocabatur *Eudoxia* filia alterius Eudoxiæ. Pontac.

[f] In quibusdam codicibus, *Barbari pyraticam exercuerunt*. Desunt hæc apud Lab. Chron.

[g] Apud Labbeum, *Eutichianus*. Idem addit *chari*, et postea *in Arianam perfidiam*.

[h] Sic ms. Col. unus, August. codex et Chron. Labbei. In aliis, *ad infamem*.

[i] Ita Chron. Lab. cum mss. Colb. duobus et August. Alibi, *nec ideo, ut apparet, interfectus*.

[j] Sic mutatum auctoritate mss. plurium, pro, *secundæ ab Aetio patricio potestati*. Item pro *quantum illa eorum quæ periit manus*.

[k] In aliis codicibus *Athelanensis*. Apud Pontacum et Lab. *Eclanensis*. Eclanum urbs est Campaniæ Antonino et aliis: et Gennadius tradit hunc Julianum fuisse Campanum. Qua de re consule Præfationem librorum Operis Imperfecti contra Julianum tomo X Operum S. Augustini editionis novissimæ RR. PP. Benedictinorum pag. 865 et sequent.

[l] Sic consequenter habetur in Chron. Labbei, cum in quibusdam deficiat hæc sententia, in aliis articu-

Digitized by Google

Hanc autem captivitatem Carthago subiit anno postquam Roma esse cœperat DLXXXV.

748 VALENTINIANO AUGUSTO V ET ANATHOLIO COSS.

Defuncto Xisto episcopo, XL amplius diebus Romana Ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia [a] præsentiam diaconi Leonis exspectans, quem tunc inter Aetium et Albinum amicitias [b] redintegrantem Galliæ detinebant. Quasi ideo [c] longius esset abductus, ut et electi meritum, et eligentium judicium probaretur. Igitur Leo diaconus legatione publica accitus, et gaudenti patriæ præsentatus, XLIII Romanæ Ecclesiæ episcopus ordinatur.

Geisericus Siciliam graviter affligens, accepto nuntio [d] de Sebastiani ab Hispania ad Africam transitu, [e] celeriter Carthaginem rediit, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset. Verum ille amicum se magis quam hostem videri volens, diversa omnia [f] apud barbari animum quam præsumpserat reperit : eaque spes causa illi maxima et calamitatis et infelicissimæ mortis fuit.

CYRO V. C. CONSULE.

Theodosius imperator bellum contra Vandalos movet [g] Areobinda, et Anaxilla, atque Germano ducibus cum magna classe directis : qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri, quam Africæ præsidio fuerunt.

DIOSCORO V. C. ET EUDOXIO COSS.

Hunnis Thraciam et Illyricum sæva depopulatione vastantibus, exercitus qui in Sicilia morabatur, ad defensionem orientalium [h] partium revertitur.

Cum Geiserico autem a Valentiniano Augusto pax A confirmata, et certis spatiis Africa inter utrumque divisa est.

In Geisericum etiam apud suos de successu rerum superbientem, quidam optimates ipsius conspiraverunt. Sed molitione detecta, multis ab eo suppliciis excruciati atque exstincti sunt. Cumque idem audendum etiam ab aliis videretur, multis regis suspicio exitio fuit, ut hac sui cura plus virium perderet, quam si bello superaretur.

MAXIMO II ET [i] PATERIO COSS.

749 Hoc tempore plurimos Manichæos intra Urbem latere [j] diligentia papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, et oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudines et damnare fecit et prodere; incensis eorum codicibus, B quorum magnæ moles fuerant interceptæ. Quæ cura viro sancto divinitus, ut apparuit, inspirata, non solum Romanæ urbi, sed etiam universo orbi plurimum profuit. Siquidem confessionibus in Urbe captorum, qui doctores eorum, qui episcopi, quive presbyteri, in quibus provinciis vel civitatibus degerent, patefactum est. Multique Orientalium partium sacerdotes industriam apostolici rectoris imitati sunt.

THEODOSIO XVIII ET ALBINO COSS.

Hoc anno Pascha Domini IX kalendas Maii celebratum est, nec erratum est. Quia in die undecima kalendarum Maiarum dies Passionis fuit. Ob cujus reverentiam natalis urbis Romæ sine circensibus transiit.

C Attila rex Hunnorum Bledam fratrem et consortem in regno suum perimit, ejusque populos sibi parere compellit.

VALENTINIANO VI ET [k] NOMO COSS.

---

lus novus constituatur ab his incipiens, *Carthago a Vandalis capta anno postquam Roma esse cœperat* DXXCIII, *alias* DXXCV. Pontaco non videntur esse Auctoris. Prior autem numerus optime respondet anno 3 Olymp. 158, quo Eusebius notavit Carthaginem fuisse captam a Romanis : modo non includas in ea consulatum hunc extremum, quo capitur a Vandalis. Pontac.

[a] In aliis codicibus, *adventum*.

[b] In quibusdam libris, *amicitiæ redintegrandæ detinebant* aut *detinebatur*.

[c] Alii codices, *longus esset adventus*. In Colb. uno, *longius esset adductus*, in aliis et Aug. cod. desunt hæc.

[d] In quibusdam codicibus, *de Sebastiano... transeunte*.

[e] Erat autem Sebastianus (ut ait Victor de Persec. Vandal. lib. II) famosi illius comitis Bonifacii gener, acer ingenio et strenuus in bello : cujus Geisericus sicut consilia necessaria habens, ita et præsentiam formidans, occasionem ejus exstinguendi a religione quæsivit. Sed quod ipse Geiserici suasiones de transmutanda fide catholica in perfidiam Arianam egregia elusisset similitudine panis similacei mundissimi, qui si in frusta confractus, et aqua madidatus iterum coquatur, deterior evadit : eumdem alterius generis argumento Geisericus postea occidit. Narrat hæc Victor. Sed quo mortis argumento vel genere exstinctus Sebastianus fuerit non tradit. Fuerat autem ille invidia præfectorum Romani exercitus, quasi perduellis existimatus Romani imperii; ob eamque causam factus extorris, ex Hispania in Africam ad Geisericum se contulit. Spondanus tom. I Epitomes pag. 647.

[f] Hic variant codices : alii habent, *apud barbaros;* alii, *apud barbarum;* alii, *apud barbarum animum.* Notandum interim in hoc articulo et aliis *Geisericum* legi et *Gensericum*, in diversis libris et auctoribus quos enumerat Pontacus.

[g] In quibusdam *Alriovinda et Ausila*, seu *Ansila*, *Ausilia*, et *Anaxilia*.

[h] In quibusdam codicibus, *provinciarum*.

[i] Ita edit. Chron. Labbei, mss. Colb. duo, et Aug. codex. Pontacus, ex mss. Cassiodoro et Fastis, D magis probat legi, *Paterno*.

[j] Apud Lab., mss. Colb. duos et August. cod., *diligentia*. Alibi, *diligentiæ*. Et infra in eodem Chron. Labbei, *turpitudinem*.

[k] Ms. Colb. unus, *Nomo*. Sic scribit Spondanus pag. 651, nec legi patitur *Nonio*. Quomodo tamen scribitur in Chron. Labbei, et editione antiqua, licet August. *Nomo* præferat. Lectionemque nostram tuetur idem Pontacus ibidem ex mss. pluribus, Fastis Siculis, Marcellino, Cassiodoro, post Fastos capitolinos, Sigonium et actionem 1 concilii Chalcedonensis. Post hæc autem in edit. antiqua et ms. Colb. uno desinit Prosperi Chronicon in hæc verba, *Hic finit Prosper post Hieronymum*. Nonnulla etiam subjunguntur in uno ex mss. Colbertinis (et Lodoniensi a Pontaco lecto) usque ad consulatum Valentiniani VIII, ejusque necem et Urbem captam a Geiserico : inter quæ leguntur ad calcem eadem quæ itidem sunt ad calcem in Prospero Pithœi, idque iisdem fere verbis sumpto initio ab ea periodo, *Attila*

Digitized by Google

ÆTIO III ET SYMMACHO.

[a] CALLEPIO ET ARDABURE.

[[b] Eutyches hæresiarches Constantinopolitis presbyter, fretus Theodosii Augusti amicitia, conatus est non perfectum hominem in Christo asserere. Contra quem Flavianus ejusdem urbis episcopus suscipiens...., cum sacerdotibus suis damnatus est, auctore Dioscoro Alexandrinæ urbis episcopo. Contra quem papa Urbis Leo misit episcopum, presbyterum, et diaconum. Qui injuriam passi, Flavianum nuntiant in defensione catholica per injurias gravissimas defecisse.

POSTHUMIANO ET ZENONE.

Theodosius imperator pro defensione Eutychetis Leonem papam Urbis ad se vocat : qui dum ire vellet, a populo prohibitus, **750** presbyteros et diacones direxit.

ASTURIO ET PROTOGENE.

Iterum vocati catholici audiendi.]

Hoc tempore Eutychiana hæresis exorta est, auctore Eutyche quodam presbytero, qui apud Constantinopolim monasterio celeberrimo præsidebat, prædicans Jesum Christum Dominum nostrum, beatæ Mariæ Virginis Filium, nihil maternæ habuisse substantiæ, sed sub specie hominis solam in eo Verbi Dei fuisse naturam. Ob quam impietatem a Flaviano ejusdem urbis episcopo, quia corrigi noluit, condemnatus est. Sed fidens amicitia regia et aulicorum favore, ab universali synodo se poposcit audiri : annuente imperatore Theodosio, qui ob hujus causæ retractationem omnes episcopos jussit Ephesum convenire.

In quo concilio Dioscorus Alexandrinus episcopus primatum sibi vindicans, absoluto Eutyche, in Flavianum episcopum Constantinopolitanum damnatio-

A nis sententiam tulit : reclamante Hilario diacono Ecclesiæ Romanæ, qui vice sancti Leonis papæ, cum Julio episcopo Puteolano a sede Apostolica fuerat[c] destinatus. Nam cum omnes episcopi in concilio constituti, vi et metu comitum, vel militum, quos Dioscoro Alexandrinæ urbis episcopo attribuerat imperator, compellerentur huic hæresi accommodare consensum; memoratus diaconus inter tot vitæ pericula constitutus, voce contradictionis emissa, cum in ejus propter hoc perniciem sæviretur; relictis illic omnibus suis, latenter abscessit, ut præfato papæ, vel cæteris Italiæ sacerdotibus, qualiter ibi catholica fides fuerat violata, sua delatione promeret.

Sanctus vero Flavianus, inter manus eorum, a B quibus in exsilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transivit.

VALENTINIANO VII ET AVIENO.

Prævalente iterum papa Leone, diriguntur ad Orientem [d] presbyteri et diacones, ad **751** hæresim confutandam. Et eodem anno defecit Theodosius Augustus.

[e] Theodosio imperatore diem functo, et Chrysaphio præposito, qui amicitia principis male usus fuerat, interempto; MARCIANUS consensione totius exercitus suscepit regnum, vir gravissimus, et non solum reipublicæ, sed etiam Ecclesiæ pernecessarius.

Hujus edictis apostolicæ sedis auctoritatem secutis, synodus Ephesina damnatus, et apud Chalcedonem celebrari concilium episcopale decernitur : ut C correctis venia mederetur, et pertinaces cum hæresi depellerentur.

Placidia defuncta est v kalendas Decembris.

MARCIANO AUGUSTO ET FLAVIO ADELPHIO.

[f] Attila post necem fratris, auctus opibus inter-

*in sedibus mortuo, magna inter filios ipsius certamina de obtinendo regno exorta*, etc. Unde certissime colligo (subdit illustrissimus Vasatensis) illum codicem non solum esse germanum Prosperi Chronicon, cum ea omnia habeat quæ pridem Gennadius designavit. Orditur enim ab Adamo, et tandem in necem Valentiniani desinit, et Urbis expugnationem factam a Geiserico. Sed etiam illud Pithœi esse alterius auctoris, qui quædam exscripsit ex Chronico Prosperi, et nostrum seu Ulricianum ( Augustanum vocavimus) et alia hujusmodi esse quidem Prosperi majori ex parte; sed aucta ab aliis, vel a Mileto seu Melito, qui similiter auxit Chronicon Isidori, vel ab ipso Tirone, cujus præfert nomen, ex quibus duobus excerpsisse se profitetur Marianus : idque in eis locis quæ notavimus desiderari consensu librorum. Hactenus Arnaldus Pontacus.

[a] Sic vocat Chron. Labbei. Ms. Colb., *Alibio*. Aug. cod., *Albio*. Spond. ad annum 447, *Alypio sive Callypio et Ardaburio*. Articulus subjunctus non legitur in Chron. Labbei, sed in mss. Colb. et Aug.

[b] Quæ hic duobus his signis [ ] includuntur absunt omnino a codice Labbei : leguntur autem in ms. Colbertino et Augustano codice, cum eadem lacuna, quam mss. defectu replere nequivimus. Apud Labbeum vero indicantur tantum tres consulatus supra editi, absque ulla historia alia; præter exactiorem Euthychianæ hæresis narrationem, quæ sub *Asturio et Protogene* consulibus refertur.

[c] Præter hos destinatus fuerat et Renatus presbyter tituli S. Clementis, qui in via in Delos insula diem extremum obiit. Quibus adjunctus et Dulcitius Leonis notarius, vir probatæ fidei.

[d] Hoc anno S. Leo ad Theodosium miserat *coepiscopos Abundium et Asterium, sed et Basilium et Senatorem Presbyteros, per quos quæ nostra* (ait in Epistola nunc 52 ) *forma sit fidei, manifestatis instructionibus, quas misimus, possitis dignanter agnoscere*. De diaconis tamen in ea nulla mentio. Hi autem Theodosium jam defunctum advenientes repererunt.

[e] Hic loci in ms. Colbertino et codice Augustano D leguntur sequentia quibus res apud Labbeum fusius narratæ paulo aliter referuntur, scilicet :

ADELPHIO V. C. CONSULE.

*Theodosius cum magna pompa a Placidia et Leone et omni senatu deductus, et in mausoleo ad apostolum Petrum depositus est.*

*Nuntiatur, defuncto Theodosio, regnare Marcianum : et Pulcheria ejus conjux Augusta facta est. A quo damnatur.* In Aug., *ejus conjugem Augustam factam. A quo damnatur Eutyches et omnes ejus fautores*. In ms. Colb. :

MARCIANUS IMPERATOR XLV. REGNAVIT ANNIS VIII.

In August. codice, *Et levatus est imperator Marcianus XLVII annis VIII*

[f] Ms. Colb. et August. codex brevius, *Pugna facta in Galliis inter Aetium et Attilam regem Hunnorum, cum utriusque populi cæde. Attila fugatus in Gallias superiores.*

Digitized by Google

empti, multa vicinarum sibi gentium millia cogit in bellum, quod Gothis tantum se inferre, tamquam custos Romanæ amicitiæ denuntiabat. Sed cum transito Rheno sævissimos ejus impetus multæ Gallicanæ urbes experirentur, cito et nostris et Gothis placuit, ut furori superborum hostium consociatis exercitibus repugnaretur. Tantaque Aetii patricii providentia fuit, ut raptim congregatis undique bellatoribus viris, adversæ multitudini non impar occurreret. In quo conflictu, quamvis neutris cedentibus, inæstimabiles strages commorientium factæ sint, Chunnos tamen eo constat victos fuisse, quod amissa præliandi fiducia, qui superfuerant ad propria reverterunt.

[a] HERCULANO ET SPORATIO.

Attila redintegratis viribus quas in Gallia amiserat, Italiam ingredi per Pannonias intendit, nihil duce nostro Aetio secundum prioris belli opera prospiciente; ita ut ne clusuris quidem Alpium, quibus hostes prohiberi poterant, uteretur : hoc solum spei suis superesse existimans, si ab omni Italia cum imperatore discederet. Sed cum hoc plenum dedecoris et periculi videretur, continuit verecundia metum, et tot nobilium provinciarum latissima eversione credita est sævitia et cupiditas hostilis expleta : nihilque inter omnia consilia principis ac senatus, populique Romani salubrius visum est, quam ut per legatos pax truculentissimi regis expeteretur. **752** Suscepit hoc negotium cum viro consulari Avieno, et viro præfectorio Trigetio beatissimus papa Leo auxilio Dei fretus, quem sciret numquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum est quam præsumpserat fides. Nam tota legatione dignanter accepta, ita summi sacerdotis præsentia rex gavisus est, ut et bello abstineri præciperet, et ultra Danubium promissa pace discederet.

[b] OPILIONE V. C. CONSULE.

Synodus Chalcedonensis peracta, Eutyche Dioscoroque damnatis : omnes autem qui se ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata universaliter fide, quæ de incarnatione Verbi secundum Evangelicam et Apostolicam doctrinam per sanctum papam Leonem prædicabatur.

Attila in sedibus suis mortuo, magna primum inter filios ipsius certamina de obtinendo regno exorta sunt : deinde aliquot gentium, quæ Chunnis parebant, defectus secuti, causas et occasiones bellis dederunt, quibus ferocissimi populi mutuis incursibus contererentur.

Apud Gothos intra Gallias consistentes, inter filios Theodorici regis, quorum Thorismodus maximus natu patri successerat, orta dissensio est. Et cum rex ea moliretur, quæ et Romanæ paci, et Gothicæ adversarentur quieti, a germanis suis, quia noxiis dispositionibus irrevocabiliter instaret, occisus est.

AETIO ET STUDIO.

[c] Inter Valentinianum Augustum et Aetium patricium, post promissæ invicem fidei sacramenta, post pactum de conjunctione filiorum, diræ inimicitiæ convaluerunt, et unde fuit gratia charitatis augenda, inde exarsit fomes odiorum, incentore (ut creditum est) Heraclio spadone, qui ita sibi imperatoris animum insincero famulatu astrinxerat, ut eum facile in quæ vellet impelleret.

Cum ergo Heraclius sinistra omnia imperatori de Aetio persuaderet, hoc unum creditum est saluti principis profuturum, si inimici molitiones suo opere præoccupasset. Unde Aetius, dum placita instantius repetit, et causam filii commotius agit, imperatoris manu et circumstantium gladiis crudeliter confectus est : Boethio præfecto prætorio simul **753** perempto, qui eidem multa amicitia copulabatur[d].

VALENTINIANO VIII ET ANTHEMIO.

Mortem Aetii mors Valentiniani non longo post tempore consecuta est, tam imprudenter non declinata, ut interfector Aetii amicos armigerosque ejus sibimet consociaret. Qui concepti facinoris opportunitatem dissimulanter aucupantes, egressum extra Urbem principem, et ludo gestationis intentum, inopinatis ictibus confoderunt; Heraclio simul, ut erat proximus, interempto, et nullo ex multitudine regia ad ultionem tanti sceleris accenso.

[e] Ut autem hoc parricidium perpetratum est, Ma-

[a] In ms. Colb. et codice Augustano : *Honorio et Aspere*. In margine August. editi, *Herculano et Asporatio seu Sporatio. Iconica Marciani imperatoris Romam ingressa 3° kalendas Aprilis.*

[b] In ms. Colbertino et Augustano codice, *Opilione et Vincemalo*, in margine, *Vincomalo cons.* S. Leo in epistolis hoc anno datis solius *Opilionis* meminit; uterque tamen citatur in dissertat. 1, de Vita et Rebus gestis S. Leonis Magni, p. 312, tom. II novæ editionis ejusdem Operum.

[c] Hæc eadem paucioribus verbis in ms. Colbertino et edit. Augustani codicis : *Eo anno occisi sunt Aetius et Boetius patricii. Carthagine ordinatur episcopus Deo gratias in basilica Fausti die Dominica* VIII *kalendas Novembris.*

[d] Aetium propria imperatoris manu necatum esse, Boetium a circumstantibus, tradit Cassiodorus in Chron. et post illum auctor Miscellæ lib. xv; sed Procopius de Bel. Vand. lib. I Aetium absentem jussum esse interfici ; idemque hæc pluribus narrans, id accidisse ait ex falsa suggestione Petronii Maximi senatoris Romani, ex stirpe illius Maximi tyranni, quem Theodosius senior sustulerat : qui injuriam passus a Valentiniano in stupro uxoris suæ formosissimæ, æque ac pudicissimæ, cogitans de vindicta, primo Aetium fortissimum ducem, in quo potissimum spes Romanorum esset, e medio tollendum judicavit, ideoque illum per imperatoris eunuchos eidem Augusto affectati imperii suspectum reddidit. Quid autem sublato Aetio Maximus in ipsum Valentinianum molitus sit dicetur anno sequenti. Spondanus tom. I Epitomes, ad annum Christi 454, p. 674.

[e] Pro his omnibus, et sequentibus, in ms. Colbertino et editione Lugd. codicis Augustani, seu Ulriciani : *Valentinianus ipse occisus est ad duas Lauros* XVII *kalendas Aprilis. Et levatus Petronius Maximus imperator, qui 72 die occisus, per Urbem tractus.*

*Geisericus Romam ingressus præda facta Carthaginem revertitur. Et post aliquot dies levatur in imperium* AVITUS.

Digitized by Google

ximus, vir gemini consulatus et patriciæ dignitatis, A sumpsit imperium. Qui cum periclitanti reipublicæ per omnia profuturus crederetur, non sero documento quid animi haberet probavit : si quidem interfectores Valentiniani, non solum non plecterit, sed etiam in amicitiam receperit, uxoremque ejus Augustam, amissionem viri lugere prohibitam, intra paucissimos dies in conjugium suum transire coegerit.

Sed hac incontinentia non diu potitus est. Nam post alterum mensem, nuntiato ex Africa Geiserici regis adventu, [a] multisque nobilibus ac popularibus ex Urbe fugientibus, cum ipse quoque, data cunctis abeundi licentia, trepide vellet abscedere, septuagesimo septimo adepti imperii die a famulis regiis **754** dilaniatus est, et membratim dejectus in Tiberim, sepultura quoque caruit. B

Post hunc Maximi exitum, confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captivitas, et Urbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra portas sancto Leone episcopo, cujus supplicatio ita eum Deo agente lenivit, ut cum omnia potestatis ipsius essent, tradita sibi civitate, ab igne tamen et cæde atque suppliciis abstineretur.

Per quatuordecim igitur dies, secura et libera scrutatione, omnibus opibus suis Roma vacuata est, multaque millia captivorum, prout quique, aut ætate, aut arte placuerunt, cum regina et filiabus ejus Carthaginem abducta sunt.

Eodem anno Pascha Dominicum die VIII kalendas Maii celebratum est, pertinaci intentione Alexandrini episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putaverunt : quamvis sanctus papa Leo XV kalendas Maii potius observandum protestaretur. [b] Exstant ejusdem papæ epistolæ ad clementissimum principem Marcianum datæ, quibus ratio veritatis sollicitatæ evidenter patefacta est ; et quibus Ecclesia catholica instrui potest quod hæc persuasio studio unitatis et pacis tolerata sit potius quam probata, numquam deinceps imitanda : ut quæ exitialem attulit offensionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem.

[a] Ab Eudoxia mortem Valentiniani mariti in Maximum vindicare volente accersitum narrat Procopius de Bello Vandal. lib. I.

[b] Hic inseruntur a Bucherio in Paschal. Cyclum Victorii cap. 3 : *In quo nec in ratione plenilunii, nec in primi mensis limite fuisset erratum.* Quæ tamen marginalem studiosi annotationem esse non absurde quis putaverit. Neque enim in Sirmondi aut Chiffletii cod. mss. ex quibus Chronicum illud auctius edidit Duchesnius, inveniuntur hæc verba. Vide dissert. 1 de Vita et Oper. S. Leonis pag. 326 et seq. C tom II nov. edit. Oper. S. Leonis Magni. Ubi observabis, tum primum hac occasione Occidentalibus inquirendi diem Paschatis, motusque solis et lunæ diligentius supputandi ortam æmulationem apud Latinos, qui diutius passi non sunt legem sibi ab Alexandrinis de indicendo paschali die imponi. Prosperum quoque Aquitanum, qui tum Romæ apud Leonem pontificem agebat, suum Cyclum composuisse : cujus testes sunt Gennadius in Catal. Vir. Illustr. cap. 88, ubi de Victorio Aquit., et Isidorus Origin. lib. VI cap. 17, nisi jam editus ab illo esset ad annum 444, quo similis occurrerat difficultas. Ut ut sit, dubium non est quin ad illum scribendum a Leone sit excitatus. Cyclus ille jam periit. Certe cum paulo iratior scribat de Paschate hujus anni 455, quo Chronicum suum claudit, appparet pro sua sententia ipsum decertasse.

# APPENDICULA

## AD CHRONICUM S. PROSPERI AQUITANI.

**755** *Cum in codice quem Augustanum vocamus, Pithœus vero sub Ulriciani titulo citavit in notis suis ad Chronicum Eusebii, etc., subjiciantur quædam quæ leguntur etiam in ms. Colbertinæ Bibliothecæ* 240, *et illa limites excedant Prosperiano Chronico a Gennadio assignatos in Catalogo, cap.* 84, *de Prospero, de quibus fusius dicta in admonitione consules, si vacat ; illa nos hic, charactere tamen inferiori, excudi debere credidimus. In quibus regni Vandalorum, post captam ab iis Romam, status per annos non paucos repræsentatur. Quibus tamen in iisdem libris præfiguntur tres consulatus, qui Valentiniani* VIII *ultimum cum morte consulatum exceperunt.*

VARANE ET JOHANNE.

CONSTANTINO ET RUFO.

ARDABURE ET MAXIMIANO.

Post consulatum Theodosii XVII et Festi, Geisericus Vandalorum rex Carthaginem ingressus est, D die XIV kalendarum Novembrium. [a] Qui rexit eamdem Africam civitatem annis XXXVIII, mensibus III, diebus VI.

Post hunc regnavit Hunerix, filius ejus, annis VII, mensibus X, [b] diebus XVIII. Qui in fine anni VII regni sui catholicæ Ecclesiæ persecutionem fecit, omnesque Ecclesias clausit, et cunctos Domini catholicos sacerdotes, cum Eugenio Carthaginensi episcopo exsilio relegavit. Qui Dei judicio scatens vermibus vitam finivit.

Post eum regnavit [c] Guntamundus Gentunis ejusdem Hunerici regis fratris filius annos XI, menses IX, dies XI. Qui tertio anno regni sui cœmeterium sancti martyris Agilei apud Carthaginem catholicis dare præcipit, **756** Eugenio Carthaginensi episcopo, ab eodem jam de exsilio revocato. Decimo autem anno regni sui, Ecclesias catholicorum aperuit, et omnes Dei sacerdotes, petente Eugenio Carthaginensi episcopo, de exsilio revocavit. Quæ Ecclesiæ fuerunt clausæ annos XI, menses VI, dies V, hoc est, ab octavo anno Hunerici, id est, ex die VII idus Fe-

[a] In codice ms. Colb., *Qui regnavit in eadem Africa civitate annis* 27.

[b] In ms Colb., *diebus* 28.

[c] Alias, *Gundabundus Gentonis*, seu *Genzonis*.

Digitized by Google

bruarii, usque in decimum annum regis Guntamundi, in diem IV idus Augusti. In quo completi sunt supradicti [a] anni X, menses VI, dies V. Qui memoratus Guntamundus rex postmodum vixit annos II, menses I.

Post quem regnavit Trasamundus Gentunis filius annos XXVI, menses VIII, dies IV.

Ab exordio ergo imperii Aviti, usque ad annum XXVII Trasamundi [b] .... XVIII. A XIV anno autem imperii et morte Valentis, usque in annum [c] XXV Trasamundi, anni sunt CXVIII.

Post quem regnavit Hildrix, filius Hunerici, annos VIII, dies VIII. Qui in exordio regni sui Bonifacium B episcopum apud Carthaginem in ecclesia Sancti Agilei ordinari præcepit, et omnibus catholicis libertatem restituit.

Quo regnante, assumpta tyrannide Geilamer regnum ejus invadit, in quo [d] sedit annos III, menses III. Qui tanta homicidia scelestus commisit, ut nec suis parentibus parceret.

Fiunt ergo ab exordio [e] regis Geiserici, usque ad exitum Vandalorum, anni XCIII, menses X, dies XI. Ab interitu vero Valentis in XIV anno regni ejus, usque ad supra dictum tempus, anni CLIV. Collecta ergo omnium summa annorum ab Adam usque ad Vandalorum perditionem fiunt anni VMDCCXXXIII.

[a] Forte *anni* 11.
[b] Hæc lacuna non suppletur ex ms. Colb., qui paulo antea habet *annum* 26 *pro* 27.
[c] Iterum numerus 26 pro 27 in ms. Colb.
[d] Ms. Colb., *fecit*.
[e] Ms. Colb., *regis*.

---

# SANCTI PROSPERI AQUITANI OPERUM OMNIUM PARS SECUNDA,

CONTINENS

## S. PATRIS OPERA INCERTÆ AUCTORITATIS.

### ADMONITIO DE OPUSCULO SEQUENTI.

*De hoc opusculo, quod primo editum est a Sirmondo sub nomine Confessionis Prosperi Aquitani, quod habetur etiam in ms. Joliensi inter cætera S. Prosperi opera, hoc censet sæpe laudatus a nobis Josephus Antelmius presbyter et canonicus Forojuliensis, in eo libro cui titulum fecit:* De veris operibus SS. PP. Leonis Magni et Prosperi Aquitani Dissertationes criticæ, *Dissertatione septima, quæ est,* De suppositis S. Prospero scriptis et tractatibus, *pag.* 370. « *Quod superest, præter ista Opera Prospero supposita, alia non animadverti alicujus nominis ac celebritatis, quæ sub ejus nomine circumferantur. Exstat quidem* Confessio Tironis Prosperi, *quam primum Jac. Sirmondus publicavit anno* 1619, *ex Bibliotheca Vaticana, post Eugenii et Dracontii carmina; at in qua vix aliquid deprehendere licet Prosperi stylo satis simile, aut ejus famæ valde consentaneum, pro qua illi asserenda multum sollicitudinis impendi debeat.* » *Qua in re Antelmio omnino assentitur celeberrimus doctissimusque auctor Bibliothecæ novæ Scriptorum Ecclesiasticorum, parte secunda tomi tertii, qui est de Scriptoribus quinti Ecclesiæ sæculi, pag.* 451, De Prospero, *ubi illam Confessionem vocat, Opus nullius momenti, et tanto Patre indignum. Alius tamen vir ecclesiasticorum monumentorum peritissimus scriptor, de hac opella paulo meliora sentiens, satis eleganter scriptum opus judicat, ut magno Prospero tribuatur: nec tamen aliquid certi hac in re statuens, cum libelli sequentis auctoritatem non audeat penitus rejicere, nec illum vult etiam pro indubitato Prosperi nostri fetu admittere. In tam diverso sapientissimorum criticorum judicio, multo minus licuit nobis quidquam, quasi pro indubitato, decernere, sed cautius fore visum est si hanc elucubrationem dubiis Prosperi operibus, non tamen certo suppositis, accenseremus.*

---

## CONFESSIO
*Quæ dicitur*
### S. PROSPERI AQUITANI.

769 Nato mihi quondam sub lege peccati, et C transfusa in me a parentibus [a] ordinaria mortis conditione captivo; ne longo ferocis Domini jure detinerer, inter ipsa me vitæ initia, misericors et miserator Domine, liberasti. Ante inveni tyrannicidam, [b] quam experirer tyrannum: et prius adeptus sum redemptionem, quam intelligerem servitutem. Querantur qui volunt de salutis suæ celeritate; ad excusationem violatæ regenerationis, rudem ætatem et imprudentes causentur annos: mihi semper adorabitur velox dignatio, et [c] properata clementia. Nam velut ignaro mihi hoc unum profuisse intel-

[a] Ms. Joliensis, *ordinariæ mortis*.
[b] Ms. Joliensis hæc addit, *quam experirer tyrannum; et prius adeptus sum redemptionem, quam intelligerem servitutem*.
[c] Sic corrigimus ex ms. Joliensi. Editi, *præparata*.

Digitized by Google

ligo, quod licet ego a donis tuis recesserim, in me A tamen tua dona manserunt. Renatus itaque in Christo Jesu per Spiritum sanctum tuum, hæres ascriptus, filius nuncupatus, nihil minus quam senior frater accepi. Quin etiam remisso legalis observantiæ onere, initiatus a gratia, non de Jacob, sed de Esau, Israel tuus factus sum. Felix profecto, si acceptam substantiam, non dicam multiplicatam, sed integram, vel otiosa innocentia, si non operante servassem. Sed, heu me miserum! relicta Patris domo, abii in voluntarium desertor exsilium; et duce vitiorum omnium multitudine, intima quæque Ægypti per spatiosorum itinerum proclivia deceptus intravi. Illic attrita decoris stola, et nobilitatis veste corrupta, inopem me, et paternorum decoctorem bonorum, subdoli comites, infideles amici, sub ha- B sta mortis et auctione peccati cupidissimis licitatoribus vendiderunt. Sub quorum longo et gravi confectus imperio, in Babyloniorum etiam jura transivi. Ibi cum per innumeras sævissimarum dominationum vicissitudines, non [a] subjectione corporis, sed animæ sudore servirem, et dignis confusus officiis, **770** pejore quotidie status mei conditione turbarer; subtraxi me, quantum ab instantibus dominis licuit, in occultum spiritus cordisque secretum: et apprehenso cujusdam sanctarum Scripturarum volumine, quid mihi adhuc spei superesset inspexi: ac multo perfusus imbre lacrymarum, Quousque, inquam, dominabuntur mihi qui me oderunt? Quamdiu inimicis meis serviam? Istis quidem ipse me dedi, et per lethiferas voluptates pretium meæ perditionis accepi: sed pacisci de me meo jure non potui; habebam enim dominum, et meus non eram. Scio enim me ejus redemptum sanguine, cui cœlestia, et terrena, et inferna subjecta sunt. Quid i tis mecum est, quorum commercium mors est? Revertar ad eum qui me emit ad vitam. Ac ne me revertendi moretur facultas, quia in medio gentis alienæ sum, et regni sui limites barbarus dispositis [b] servat excubiis; bene est, quod redemptorem meum tenentem omnia, loca non tenent. Præsens cœlis, inferis adest, totus in abyssis est, totus in terris: non itinere adeundus, non navigatione quærendus est. Ipsum in Jerusalem reliquimus, ipsum in Ægypto prætermisimus, ipsum inter Babylonios non videmus. Sed quæramus, et apparebit; pulsemus, et aperiet; petamus, et tribuet. Verum, heu me miserum! erubesco quia nudus sum, et nihil habens quo membrorum meorum inhonesta circumtegam; obscœnæ egestatis dedecore confundor: tum quo ore, quave conscientia, tantæ familiæ oculos et tanti Patris subibo conspectum? quasi vero tolerabilius judicium sit accusatis quam confessis, reis contumacibus quam supplicibus, exhibitis quam reversis. Habeat quantaslibet crucis ignominia [c] pœnitentias, levior erit ignis verecundiæ quam gehennæ.

[a] Editiones, *in subjectione*. Ms. Jol. caret præpositione.

[b] Ms. Joliensis, *servet*.

[c] Ms. Joliensis, *pœnitentiis*.

## ADMONITIO DE POEMATE CONJUGIS AD UXOREM.

*Carmen Anacreonticon ad uxorem, quo ipsius auctor uxorem suam hortatur ut se totam Deo dedicet, non quidem inter subdititia falsoque titulo ascripta Prospero, sed nec inter certa et indubitata ejus opera censeri posse jam ab aliis est animadversum. Unde dubiis accenseri debere judicavimus. Est certe vere dubitandi locus an sit Prosperi. Nam Rosweydus, vir eruditionis non vulgaris, Prospero, sub cujus nomine legebatur alias, opus istud abjudicavit, et S. Paulino Nolano, in ejus Operum recensione, ascripsit, cognita utique causa, ut videtur. Sed refragatur omnino doctus juxta atque accuratus ejusdem Paulini Operum novissimus editor et scholiastes tom.* II, *Dissert.* 6, *ubi etsi fateatur hoc carmen ad stylum Paulini Nolani et sermonem in pluribus poematum locis satis accedere, lectore in judicem assumpto, tamen asserere non dubitat poema istud, licet egregium et jucundissimum, aliis tamen Paulini carminibus suavius et liberius fluere. Tum hæc subjungit: « At quod istud carmen Paulino potest abjudicare, illud nempe est, quod universum orbem in ea generali eversione rerum et perturbatione describit quam expertum est anno* 407 *Occidentis imperium. Verum Paulino tunc temporis non necesse fuit ut se et uxorem ad Christianam vitam hortaretur, et designaret quomodo facultatibus suis uterentur. Arbogastus maximas in Occidente turbas fecit, cum anno* 392, 15 *Maii die, juniorem Valentinianum strangulari jussit, et diadema Eugenio imposuit. At illud carmen hoc non adumbrat.» Hactenus Paulini illustrator, qui quidem apposite observat quibus temporibus imperium Romanum tantis infestationibus premebatur et agitabatur, necesse non fuisse Paulino Therasiam sanctissimam conjugem ad similia adhortari, cum illa dudum ut sponsi imitatrix Christianæ perfectionis iter fuisset ingressa, nisi forte et currentem quandoque monere non inutile quis dixerit.*

*Hinc etiam prohiberi se testatur idem auctor ne carmen illud Paulino assignet, quod, inquit, in quatuor mss. codicibus Prospero tribuatur, in nullis Paulino, cujus historiæ prorsus non respondet. Quod certe tam grave est, ut Paulini fetum agnoscere in illo non audeat. Quo postremo quatuor mss. non a se visorum testimonio Antelmius in Dissertat.* 9 *in Opera Leonis et Prosperi quintum adjungit quem præ manibus habuit optimæ notæ ante annos* 800, *ut judicabat, exaratum, quem ex Massiliensi civitate, ubi clarior et charior Prosperi memoria, in Aquensem, quo tum degebat, transmissum et in amplissimi senatoris Thomassini bibliotheca asservatum, sibi illuc advenienti manere non potuisse incognitum testatur: verum ab hujus copiosæ bibliothecæ possessore cum multis et præ multis, inter plura adjumenta, dicit a se susceptum. Porro talis codex nonnisi Prosperi epigrammata continebat, quibus sententiæ ab eo excerptæ præponuntur. In hoc post epigramma* 97 de cohibenda ira, etc., *hoc versu desinens,*

Crescere non cupiens perdit adepta tepens,

*immediate subjungitur, metrum Anacreonticon, ab his verbis* Age jam precor mearum, *ad hæc,* Quibus occupare animas fuit voluptas. *Atque hic expliciunt versus, simulque cum pagina et codex totus cum his verbis,* Finit liber. *Desiderantur itaque in hoc codice quæ ab aliis exhibentur hexametra pentametris intermixta, iambis istis cohærenti conceptuum serie ingeniose illigata. Quæ consuetudo non extranea est Prospero, qui carmen de Ingratis omnium celeberrimum duplici versuum serie variasse agnoscitur; aliter enim in prologo quam in poemate cecinit.*

Digitized by Google

*Quæ porro Paulini historiæ prorsus non respondere videntur viro docto, rerum temporumque circumstantiæ carmine de quo hic agitur descriptæ, Prosperi personæ congruentius forsan aptarentur: quippe quem sub exitum quarti sæculi et consequentis initium Christianæ pietatis studia magis afficere primum potuerunt, suam ut conjugem (si tamen conjugatus vixit aliquando) ad pares ausus tam suavium consiliorum incitamentis stimularit. Ad id etiam facit Bedæ in fine libri de Arte metrica testificatio, qui carmen istud Tironi Prospero diserte ascribit. « Metrum Anacreonticum, inquit, quo usus est Prosper Tiro in principio exhortationis ad conjugem, ita dicens :* Age jam precor, etc. »

*Sed (si præfato critico doctissimo creditur) nec omnino carent Prosperianis lineamentis hæc carmina; et castissimis Prosperi sensibus plena sunt, ejusque veros affectus sincere reddunt, et locutiones non raro easdem exhibent. Nec tamen ille, quantumvis aveat quæcumque potest cum aliquo fundamento Prospero vindicare Opera, quid certi de tali carmine audet statuere, post quasi cohibitum repressumque circa illud aliorum judicium, animique etiamnum pendere se fatetur: nam etsi hinc paulo comptius et elegantius agnoscatur quam reliqua poetice scripta Prosperi, inde retinet ætatis circumstantia qua elucubrari debuit. Cum enim conversionis initio digestum esse pateat, et minus tunc erat cœlestibus assuefactus atque distentus Aquitanus noster, ita magis juvenilis ejus animus arti et concinnitati studens hanc elegantiam affectare potuit, quam maturior sanctiorque factus postea respuerit vel neglexerit. Quibus perpensis, dum meliora ab aliis otiosius rem totam librantibus opperitur, judicio suspensus manet et indeterminatus. Post hanc eruditorum fluctuationem, quid securius nobis et ab omni temeritatis nota magis alienum erit, quam si hoc opus nec inter veros, nec inter spurios suppositosque Prosperi fetus, sed inter dubios exhibeamus.*

# POEMA CONJUGIS AD UXOREM.

## *Uxorem hortatur ut totam se Deo dedicet.*

773 Age jam precor mearum
Comes irremota rerum,
Trepidam brevemque vitam
Domino Deo dicemus.
Celeri vides rotatu
Rapidos dies meare,
Fragilisque membra mundi
Minui, perire, labi.
Fugit omne quod tenemus;
Neque fluxa habent recursum:
Cupidas vagasque mentes
Specie trahunt inani.
Ubi nunc imago rerum?
Ubi sunt opes potentum
Quibus occupare captas
Animas fuit voluntas?
Qui centum quondam terram vertebat aratris,
775 Æstuat ut geminos possit habere boves.
Vectus magnificas carpentis sæpe per urbes,
Rus vacuum fessis æger adit pedibus.
Ille decem celsis sulcans maria ante carinis,
Nunc lembum exiguum scandit, et ipse regit.
Non idem status est agris, non urbibus ullis.
Omniaque in finem præcipitata ruunt.
Ferro, peste, fame, vinclis, algore, calore,

A Mille modis miseros mors rapit una homines.
Undique bella fremunt, omnes furor excitat, armis
Incumbunt reges regibus innumeris.
Impia confuso sævit discordia mundo,
Pax abiit terris, ultima quæque vides.
Et si concluso superessent tempora sæclo,
Aut posset longos mundus habere dies;
Nos tamen occasum nostrum observare deceret,
Et finem vitæ quemque videre suæ.
Nam mihi quid prodest, quod longo flumina cursu
Semper inexhaustis prona feruntur aquis?
Multa quod annosæ vicerunt sæcula silvæ,
B Quodque suis durant florea rura locis?
Ista manent, nostri sed non mansere parentes:
Exigui vitam temporis hospes ago.
Non ergo sumus hic ne quidquam in sæcula nati,
Quæ pereunt nobis, et quibus occidimus:
Sed vitam æternam vita ut mereamur in ista,
Et subeat requies longa labore brevi.
Et tamen iste labor sit forte rebellibus asper,
Ac rigidas leges effera corda putent:

Vers. 1. Metrum Anacreontium, quali scanduntur sexdecim primi versus sequentes, quod et colobon, id est, mutilum, dicitur, recipit anapæstum, duos iambos, et unam syllabam, ut

Age jam precor mearum.

Quamquam docuit Georgius Fabricius, de Re poetica lib. I, quod metrum Anacreontium seu heptasyllabum habet loca tria et syllabam unam, pedes habet usitatos duos, iambum et spondeum; loco primo ponitur iambus vel spondeus, et hujus resolutione interdum anapestus, reliquis solus iambus, ut

Sat est quiete duci,
Fessum fovere corpus

11. Mss. septem, *cupidasque vana mentes.*

16. Editor Operum S. Paulini scripsit *volu-* C *ptas*, ut in ms. Joliensi. Editi nostri cum mss. aliis, *voluntas.*

19. Ms. Cambronensis, *magnificis.*

21. Sic mss. tres. Alii codices, *maria alta.*

27. Ita mss. quatuor. Edit. Ven., *hominis furor hæsitat armis.* Ms. Lugdun. et edit. recentiores, *hominis furor excitat.* Ms. Colb. unus, *excitat arma.*

32. Mss. quinque, *Aut posset.* Ms. Theodor., *Et posset.* Alii, *ut posset.*

37. Ms. Colb. unus, *Multaque jugosæ.*

40. Ms. Jol., *Exiguam vitam.* Ms. Colb., *Exigui vitam corporis.*

41. Ms. Joliensis, *hæc.*

44. Sic mss. quinque. At editi, *ut subeat.* Edit. Ven. in primo versu omittit *ut* : *vita mereamur in ista.*

45. Mss. cod. Jol., Colb. unus, et Vict. duo, *sit;* et versu seq., *putant.*

Digitized by Google

Non tamen hæc gravis est mansueto sarcina dorso, A
Nec lædit blandum mitia colla jugum.
Tota mente Deus, tota vi cordis amari
Præcipitur: vigeat cura secunda hominis.
Quod sibi quis nolit fieri, non inferat ulli,
Vindictam læsus nesciat exigere.
Contentus modicis, vitet sublimis haberi;
Sperni non timeat, spernere non libeat.
Parcus, vera loquens, et mente et corpore castus,
Insontem vitam pacis amator agat.
De proprio cunctis, quos cernit egere, benignus,
Non sua non cupiat, quæ sua sunt tribuat.
Quid, rogo, mandatis durum censetur in istis? B
Aut quid erit quod non possit obire fides?
Qui credunt sacros verum cecinisse prophetas,
777 Et qui non dubitant verba manere Dei,
Qui Christum passum pœnas crucis, ultima mortis;
In toto excelsi Patris honore vident,
Quique ipsum multa cum majestate tremendum
Exspectant pingui lampade pervigiles,
His sordent terrena, patent cœlestia, nec se
Captivos servos temporis hujus agunt.
Non illos fallax cepit sapientia mundi,
Nec curas steriles inseruere polis.
Imperia et fasces, indocti munera vulgi,
Quasque orbis scelerum semina fecit opes,
Calcarunt, sancta cœlum ambitione petentes, C
Suffragiis Christi, et plausibus angelicis.
Nec labor hos durus vincit, nec blanda voluptas.
Quærere nil cupiunt, perdere nil metuunt.
Omnia non Christi qui Christi est odit, in illo
Se statuens, in se qui gerere optat eum.
Ille Deus rerum, cœli terræque creator,
Me propter sacra Virgine natus homo est.
Flagris dorsa, alapis maxillas, ora salivis,
Præbuit, et figi se cruce non renuit.
Non ut tanta Deo quidquam patientia ferret,
Cujus nec crescunt, nec minuuntur opes:
Sed quod erat vitiatum in me, ut superaret in illo,
Factus sum Christi corporis, ille mei.
Me gessit moriens, me victa morte resurgens,
Et secum ad Patrem me super astra tulit.
Quidnam igitur tanta pro spe tolerare recusem?
Aut quid erit quod me separet a Domino?
Ignem adhibe, rimare manu mea viscera, tortor:
Effugient pœnas membra soluta tuas.
Carcere si cæco claudar, nectarque catenis,
Liber in excessu mentis adhibo Deum.
Si mucrone paret cervicem abscindere lictor,
Impavidum inveniet: mors cita, pœna brevis.
Non metuo exsilium, mundus domus omnibus una est.
Sperno famem, Domini fit mihi sermo cibus.
Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit,
Tu das, Christe, loqui, tuque pati tribuis.
In nobis nihil audemus, sed fidimus in te,
Quos pugnare jubes, et superare facis.
Spes igitur mea sola Deus: quem credere vita est,
779 Qui patriæ civem me dedit alterius.
Sorte patrum occiduum jussus transcurrere mundum,
Sub Christi sacris advena miles eo:
Nec dubius me jure brevi terrena tenere,
Sic utar propriis, ceu mea non mea sint.
Non mirabor opes, nullos sectabor honores,
Pauperiem, Christo divite, non metuam.
Qua stetero adversis, hac utar mente secundis:
Nec mala me vincent, nec bona me capient.
Semper agam grates Christo, dabo semper honorem:

47. Mss. quinque, *Non autem gravis est*. Vulgata lectio concinnior.

50. Ms. quinque, *vigeat cura secundi hominis*. Quo putamus doceri ut quæratur *primum regnum Dei*. Quod Christus præcepit Matth. vi, 33. Editi, *secunda*.

54. Mss. tres, *non soleat*.

57. Mss. sex et editio Paulini, *Det proprium cunctis*. Editio Ven., *Et proprio pascat loculo quos norit egentes*.

60. Ms. Camb., *adire*. Mss. alii quinque, *habere*.

63. Edit. Ven., *Quique Redemptorem passum crucis ultima morte*.

64. Mss. quatuor, *In toto celsi Patris*.

68. Ms. Jol. et ms. Corb. a secunda manu, *servi temporis*.

74. *Suffragium* secunda correpta etiam alibi occurrit. In Epigrammatis sacris urbis Romæ apud Gruterum pag. 1166, num. 2, in epitaphio Bonifacii papæ:

Ista sanctorum sunt pia suffragia.

Paulinus quoque carm. 32, v. 616:

Infantes castis vincite suffragiis.

Immo et inter profanos Ovidius:

Quid nisi suffragium nimbos vitantibus essem?

*Ibid*. Ms. Joliensis, omisso *et*, *plausibusque angelicis*.

75. Mss Jol. et Germ., *vicit durus*. Ms. Colb., *superat*.

78. Ms. Cambron., *Æstuat in sese*, etc. Id est, odit omnia, *adhuc autem et animam suam*, juxta Luc. xiv, 26. Alii omnes, *in illo se statuens*, *in sese qui gerere optat eum*.

79. Sic cum mss. sex et edit. Ven. editor Paulini. Alii, *Ille Deus cœli*, *rerum terræque creator*.

85. Ms. Camb. cum Paulino, *vitiatum in me*. Alii, *victum in me* præter ms. Theod., ubi habetur *victum* D *de me*. Vulgata lectio deficit numero syllabarum.

89. Editio Veneta sola, *vivens Prosper tolerare recusem*. Forte ex ingenio scribæ aut editoris cujuspiam, qui hoc opus Prosperi esse certo sibi in animum induxerat.

98. Sic edit. Paul. ex mss. Germ. Jol. et 1 Vict. Alii codices, *sit mihi*.

100. Mss. tres, *tribues*.

107. Ms. Reg., *Nec dubito*. Deinde ms. Colb., *Sic utor*.

112. Ms. Regius, *Nec bona me vincent*, *nec mala me capient*. Non tam bene, ut videtur.

113. Ita mss. Reg., Colb., Germ. et Vict. unus. Alii codices. *honores*.

Digitized by Google

Laus Domini semper vivet in ore meo.
Tu modo, fida comes, mecum isti accingere pugnæ,
Quam Deus infirmo præbuit auxilium.
Sollicita elatum cohibe, solare dolentem :
Exemplum vitæ simus uterque piæ.
Custos esto tui custodis, mutua redde,
Erige labentem, surge levantis ope.
Ut caro non eadem tantum, sed mens quoque nobis
Una sit, atque duos spiritus unus alat.

114. Ita legitur in edit. Paulini et mss. Colb. Theodoric. et Camb. In reliquis, *vigeat semper.*
117. Mss. Theodoric., Germ. et Vict. unus, *sollicite.*
120. Ms. Theodoric., *labantem.*
121. Editio Ven., *ut caro non eadem, sed tantum mens quoque nobis.*

## ADMONITIO IN CARMEN DE PROVIDENTIA DIVINA.

*Ut carmen de Providentia divina genuinis Operibus sancti Prosperi Aquitani sine scrupulo non accenseatur, nec tamen statim inter supposita numeretur, suadent diversa eruditorum de eo judicia. Etsi enim primo sub sancti Prosperi Aquitani nomine prodierit in editione Lugdunensi anno* 1539, *diu est tamen cum ab aliis Operum sancti Prosperi editoribus cum hac cautione editum est, ut sedulo observaretur Prosperi non videri carmen hoc, sed cujuspiam haud integre gratiam Christi explicantis. Id enimvero notatum legimus in editionibus antiquis, Lovaniensi anno* 1565, *studio Joannis Sotelli collegii minoris theologorum Lovaniensium alumni procurata; tum in Duacensi anno* 1576, *curis Joannis Olivarii perfecta, quam Coloniensis anni* 1630 *et aliæ subsequentes de verbo ad verbum sunt imitatæ. In illa autem Duacensi editione doctissimus editor, in epistola ad lectorem, cum catalogum contexit Operum a se emendatorum et in lucem emittendorum, ac de singulis judicium suum paucis profert, de hoc quem in manibus habemus sic pronuntiat: « Carmen (inquit) de Providentia Dei a D. Prosperi Operibus removendum duximus, quia Pelagianæ doctrinæ est, cui Prosper infestissimus fuit. Docet enim optimum quemque non plus gratiæ accipere quam pessimum; sanctos patres ex lege naturæ bonos fuisse; a voluntate nostra præveniri auxilium Dei, et alia multa errore Pelagii consona, quæ divo Prospero numquam placuerunt. Nec novum est (subdit ille) magnorum virorum scriptis opera quædam hæreticorum inseri: cum inter libros Hieronymo ascriptos reperiamus et epistolam Pelagii ad Demetriadem, et Commentarios breves in omnes Epistolas Pauli, excepta ea quæ est ad Hebræos; similiter epistolam Cœlestii ad parentem de scientia divinæ legis; item epistolam de duobus filiis frugi et luxurioso, non illam quæ est ad Damasum, sed quæ incipit, Omnium quidem de Scripturis,* etc., *et alia multa, quæ non sunt hoc loco recensenda. Ad quem modum etiam inter Augustini Opera irrepsit liber Quæstionum veteris et novi Testamenti, qui inter cætera asserit Melchisedech esse Spiritum sanctum, sacerdotemque summum: quam ob rem merito est a divo Hieronymo in epistola ad Evagrium rejectus. Eodem errore (pergit ille) inscribitur liber Gennadii de Ecclesiasticis Dogmatibus Augustino; cui, quoniam non satis catholicus est, studiosus quispiam ex epistola prima Cœlestini et concilio Arausicano secundo aliquot capitula subjecit, nempe* 22, 29 *et sequentia. Quæ licet ejusdem libri esse videantur, tamen in nonnullis exemplaribus tam impressis quam scriptis omissa inveniuntur, sicque capiti vigesimo primo libri ejusdem ex professo repugnant, ut aliquantulum consideranti satis statim eluceat, non nisi ad ejus redargutionem esse annexa. Quo consilio (concludit ille) et carmen de Providentia adjunctum videtur carmini de Ingratis, ne cum esset perniciosum, suo careret antidoto, si sejunctim legeretur. » Hæc ille.*

*Utriusque judicio assentitur Bellarminus in libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, in quo eminentissimus et eruditissimus auctor hoc ipsum opus semipelagiano potius quam sancto Prospero tribuendum esse judicavit. Auctor quoque novæ Bibliothecæ Scriptorum Ecclesiasticorum, parte* II *tomi tertii, eadem fere quæ supra in poematis parente arguens, hæc præcise esse notat quæ Prosper impugnavit, tam in suo contra Ingratos poemate, quam in aliis suis operibus. Nec si supponatur cum auctore Dissertationis in Opera sancti Prosperi hunc quædam sancti Augustini doctrinæ emolimenta quæsisse, ullatenus verosimile esse contendit, eo usque tantum virum declinaturum fuisse, ut quod alias totis viribus impugnarit, scriptorum priorum velut oblitus, hic imprudenter propugnaret.*

*Atque ut lectores non lateat quæ potissimum loca eo in opere supra dictis displicuerint, id observatum ab editione Lovaniensi et deinceps, ut duplici virgula in margine apposita signarentur quæ reprehensionem mererentur; quod et nos pariter observandum duximus. Et licet, ex benigniori quorumdam sententia in hunc librum, hæc et alia istiusmodi per opus de Providentia Dei respersa, ex parte saltem ad catholici sensus normam aptari queant; vix tamen omnia (ex Antelmii judicio (Dissert. 9 de Ver. Oper. SS. PP. Leonis et Prosperi) ad Prosperianos conceptus congruenter reducentur. Quia de arbitrii naturali possibilitate, et de virtutum residuo post peccatum semine, aliter interdum mentem suam aperire studuit sanctus Aquitanus noster.*

*Hinc factum est ut alius a Prospero auctor huic operi a nonnullis quæreretur. Quos inter Henricus Norisius lib.* II *Historiæ Pelagianæ cap.* 13, *Hilarium Arelatensem hujus carminis auctorem esse suspicatus est, cum illud semipelagianum esse pateat. Quod si tam aperte pateret quam putat vir doctus, magis hæc illi suspicio ablegandа foret, cum Hilarius e contra nullo ex probato testimonio ad semipelagianorum partes transisse convincatur, ut demonstravit alias Antelmius in Lirinensium secretis.*

*Ad investigandum porro carminis hujus auctorem quod attinet, nihil ultra ex Gennadio scriptorum sui temporis recensitore pro Hilario suspicari datur. Quippe qui postquam de eodem in Catalogo cap.* 69 *ait,* Absque personarum acceptationibus omnibus castigationem ingessit, *ut præfert ms. codex Biblioth. Benedictinæ Sancti Germani Pratensis ante annos mille in membrana exaratus; cum alii tam editi quam mss. habeant,* Sine personarum exceptione et acceptione omnibus castigatum opus prædicationis ingessit; *quæ sensum adeo clarum non reddunt, et minus consequentibus cohærent; post ista, inquam, relata, non nisi aliqua et parva tantum Hilarium edidisse refert Massiliensis presbyter, ex quibus, quæ illi præcipua est, sancti Honorati Arelatensis Vita dumtaxat recensetur. Quod vero alter Honoratus, Massiliensis scilicet, in Hilarii Vita, præter multa præclara copioseque relicta ingenii monimenta, composuisse testatur* etiam versus fontis ardentis, *hoc præconium illis de Providentia versibus congruenter aptari posse censet supradictus Antelmius; et si forsan ( subdit ille) divinare tam obvium non esset cur Gennadius illorum mentionem non fecisset, si tam eorum sensa quam auctorem semipelagianum aperte cognovisset. Idem tamen doctissimus censor monet, hæc carmina in nonnullis caute esse legenda, viro tamen pio ac erudito, et Hilario haud impari non esse indigna; cum, his paucis demptis, sentiat ut Prosper anonymus iste, in quo sensus et verba Prospero familiaria, elocutionesque Prosperianis similes observat,*

Digitized by Google

*Quo factum est ut Labbeus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, licet a Joan. Hessels et Joan. Olivario, quos ipse non improbat, idcirco annexum fuerit, ut jam observatum est, opusculo huic poema de Ingratis, non quod istud initio Prosperi existimatum sit, sed ut remedium præsens veneno pararetur; ille tamen in hoc propendeat ut credat ex Prosperianis lineamentis quæ in hoc opere agnovisse se existimat, primum deceptos librarios hoc opus indubitanter Aquitano nostro affinxisse; ea pene indiligentia, qua tractatus alios istius stylo magis repugnantes eidem ascribere non dubitarunt; etsi illud ipsum ab Hincmaro ut Prosperianum recognitum esse legatur, quod quidem sententiam antiquiorem probat. Huic autem opinioni occasio nasci potuit quod scriptor ille ævo Prosperi floruit, carptimque suo in carmine Vandalorum Getarumque seu Gothorum in solum nostrum irruptiones attigerit, quorum sanctus Prosper et testis et narrator fuit in Chronicis.*

*Quæ omnia attentius considerans supradictus Censor, nec ullum hac tempestate in Galliis, ubi hæc præcipue contigerunt, scriptorem alicujus nominis huic elucubrando carmini idoneum animadvertens, facile tribueret hoc opus Prospero nostro, nisi aliunde dissimulare sibi nequiret quantum differat carmen istud a castigatissimis sensibus sancti Prosperi. Unde quousque ex doctiorum criticorum examine et judicio lux major affulgeat, a judicio hac in re ferendo abstinendum sibi putavit. Cui nos quoque hac in parte subscribimus.*

*Cum autem per decem annos integros hic descriptis calamitatibus oppressæ ingemuerint Galliæ nostræ, in quas sub anni 406 finem irruperant Barbari; quo tempore Auctor antea scribendis carminibus venam exercere assuetus, publicarum miseriarum partem non modicam ferens, a scribendo retardatus fuerat; tandem anno, ut videtur, 416, iterum se ad opus tamdiu intermissum accinxit. Unde operis ætatem facile agnoscas.*

---

# [a] CARMEN DE PROVIDENTIA DIVINA.

785 [*] Maxima pars lapsis abiit jam mensibus anni, A
Quo scripta est versu pagina nulla tuo.
Quæ tam longa tibi peperere silentia causæ?
Quisve dolor mœstum comprimit ingenium?
Quamquam et jam [*Forte* etiam] gravibus non absint carmina curis,
Et proprios habeant tristia corda modos:
Ac si te fracti perstringunt vulnera mundi,
Turbatumque una si rate fert pelagus;
Invictum deceat studiis servare vigorem.
Cur mansura pavent, si ruitura cadunt?
O felix cui tanta Deo tribuente facultas
Contigit, ut tali tempore liber agat!
Quem non concutiat vicina strage ruina,
Intrepidum flammas inter et inter aquas? B
Nos autem tanta sub tempestate malorum,
Invalidi passim cædimur et cadimus.
Cumque animum patriæ subiit fumantis imago,
Et stetit ante oculos quidquid ubique perit,
Frangimur, immodicis et fletibus ora rigamus:
Dumque pios agimus, vertimur in querulos.
Nec parcunt quidam turbatam incessere mentem;
Linguarum et jaculis saucia corda petunt.
Dic (aiunt) causas, qui rerum hominumque labores
Arbitrio credis stare regique Dei:
Quo scelere admisso, pariter periere tot urbes.
787 Tot loca, tot populi, quid meruere mali? C
Si totus Gallos sese effudisset in agros
Oceanus, vastis plus superesset aquis
Quod sane desunt pecudes, quod semina frugum,
Quodque locus non est vitibus, aut oleis;
Quod fundorum ædes vis abstulit ignis et imbris,
Quarum stare aliquas tristius est vacuas:
Si toleranda mali labes, heu! cæde decenni
Vandalicis gladiis sternimur et Geticis.
Non castella petris, non oppida montibus altis
Imposita, aut urbes amnibus æquoreis,
Barbarici superare dolos atque arma furoris
Evaluere omnes, ultima pertulimus.
Nec querar exstinctam nullo discrimine plebem,
Mors quoque primorum cesset ab invidia.
Majores anni ne forte et nequior ætas,
Offenso tulerint quæ meruere Deo:
Quid pueri insontes, quid commisere puellæ,
Nulla quibus dederat crimina vita brevis?
Quare templa Dei licuit popularier igni?
Cur violata sacri vasa ministerii?
Non honor innuptas devotæ virginitatis,
Nec texit viduas relligionis amor.
Ipsi desertis qui vitam ducere in antris
Suerant, laudantes nocte dieque Deum,
Non aliam subiere necem, quam quisque profanus:
Idem turbo bonos sustulit atque malos.
Nulla sacerdotes reverentia nominis almi
Discrevit miseri suppliciis populi:
Sic duris cæsi flagris, sic igne perusti,
Inclusæ vinclis sic gemuere manus.
Tu quoque pulvereus plaustra inter et arma Getarum
Carpebas duram, non sine fasce, viam;
Cum sacer ille senex plebem, usta pulsus ab urbe,
Ceu pastor laceras duceret exsul oves.
Verum hæc sub belli sileantur turbine gesta,
Confusis quoniam non fuit ordo malis.
Forte etenim placidas res mundi, et tempora pacis,
Arbitra dignetur cernere cura Dei.

[a] Scriptum circa annum Christi 416.

[*] Caput I seu Prologus. *Auctor carminis a scribendis versibus calamitatibus publicis retardatus, querulorum vocibus coactus Dei providentiam tueri suscipit. Hos maxime urebat quod etiam insons ætas, et ipsa sacra hostilem furorem senserant. Auctor ipse sub potestatem hostium, urbe sua conflagrante, redactus. Etiam pacis tempore boni gemunt, mali gaudent. Hinc pulsatur divina providentia.*



Digitized by Google

Si cunctos annos veterum recolamus avorum, A
Et quidquid potuit nostra videre dies;
Maximus injustis locus invenietur in orbe,
Oppressis autem pars prope nulla bonis.
Qui fuerit violentus, atrox, versutus, avarus;
Cujus corde fides cesserit, ore pudor,
Hunc omnes mirantur, amant, reverentur, honorant,
Huic summi fasces, huic tribuuntur opes.
Quod si quis justus castam et sine crimine vitam
Dissimili studio ducere maluerit,
Hic inhonorus, inops, odium juvenumque senumque,
In totis mundi partibus exsul agit.
**789** Impius exsultat maturis integer annis, B
Carpere non cessant ulcera dira pium.
Falsa valent in judiciis, et vera laborant,
Insontes sequitur pœna, salusque reos.
Ignorata piis illudit adultera sacris,
Blasphemus templi limina tutus adit.
Quæ si cura Dei celsa spectaret ab arce,
Resque ageret nostras sub ditione sua;
Aut non effugerent ultrices crimina pœnas,
Aut virtus terris sola reperta foret.
Talia cum facilis vulgi spargantur in aures,
Quam multis rudibus lingua maligna nocet!
Nec tantus dolor est Scythicis consumier armis,
Quantus ab infidis cordibus ista seri.
Prome igitur sanctis cœlestia tela pharetris;
Et medicis hostem conﬁce vulneribus. C
Forte aliqui poterunt errorum evadere noctem,
Inque viam, visa luce, referre pedem,
At ne sermo moram patiatur ab impare versu,
Heroi numeris porrige pentametrum.
* Ista quidem melius divinis edita libris
Cognoscenda forent, ubi legis in æquore aperto,
Promptum esset ventis dare libera vela secundis.
Sed quoniam rudibus metus est intrare profundum,
In tenui primum discant procurrere rivo,
Qua jacet extremo tellus circumdata ponto,
Et qua gens hominum diffusa est corpore mundi.
Seu nostros annos, seu tempora prisca revolvas,
Esse omnes sensere Deum, nec defuit ulli
Auctorem natura docens: et si impius error D
Amisit, multis tribuens quod debuit uni;
Innatum est cunctis genitorem agnoscere verum.
Hic auctore carens, et tempore, permanet idem
Semper, et immensum non sæcula nec loca claudunt.
Hic nullis mundi causis exstantibus, in se
Quidquid vellet habens, cum visum est, omnia solus
Condidit ut voluit, formas, numerosque, modosque,
Et genera, et vitas statuens et semina rebus.
Quidquid inest cœlo, quidquid terræque marique,
Quidquid quocumque est in corpore, sive animatum,
Sive expers animæ, calida, humida, frigida, sicca,
Uno exstant auctore Deo: qui divite Verbo,
(Quod Deus est) rerum naturas, atque elementa
Protulit, et summis opifex intentus et imis.
Quod vero adversis compugnant condita causis,
Atque aliis alia obsistunt, contraria discors
Omnia motus alit; dumque illi occurritur illo,
Vitalem capiunt cuncta exagitata vigorem:
Quæ vel pigra situ, vel prono lubrica lapsu,
Aut cursu instabili, stabili aut torpore perirent.
Mollia sic duris, sic raris densa resistunt,
**791** Et liquidis solida, et tardis velocia claro
Obscurum objectum, et dulci contendit amarum.
Nec mihi fas dixisse aliquid non rite creatum,
Aut ullas ausim mundi reprehendere partes:
Cum sator ille operum teneat momenta suorum,
Et carptim varios in totum temperet usus.
Denique quidquid obest, aut causa, aut tempore verso
Prodest: et gemino subsistunt cuncta periclo.
Frigora perpessus, solem cupit: ustus ab æstu,
Inter hyperboreas mavult algere pruinas.
Injusto pluviam metuit sub fasce viator,
Quam poscit votis sitienti rusticus agro.
Cæruleos angues timor isti est visere; at illi
Intrepida excoctis oneratur mensa chelydris.
Quod si forte lupos, lyncasque, ursosque creatos
Displicet, ad Scythiæ proceres regesque Getarum
Respice; queis ostro contempto, vellere Serum,
Eximius decor est tergis horrere ferarum.
Singula sectari longum est: sed munere Christi
Scire datum, quod alit tellus, quod in æquore vivit,
Quidquid in arboribus, quidquid variatur in herbis,
In laudem auctoris, certis subsistere causis.
At quæ sola nocent, eadem collata mederi.
* Est igitur Deus, et bonus est, et quidquid ab illo
Effectum est, culpa penitus vacat, atque querela.
Omnem autem hanc molem mundi qui condidit, ipse
Et regit, utque nihil non ortum [*Al.* horum] sumpsit ab illo;
Sic nihil est quod stare queat, factore remoto.
Nam qui pigra Deo dant otia, credo, verentur
Ne curæ intentum vigiles durique labores
Conficiant, et tanta simul non explicet unus.
O mersi in tenebras, divinique ignis inanes,
Et plus corporeis oculis quam mente videntes:
Qui vestræ æternum naturæ et conditioni

* Caput II. *Omnes semper Deum esse, et cunctorum auctorem senserunt: qui omnia, ut voluit, sed sapienter disposuit.*

* Caput III. *Deus mundum quem condidit regit sine fatigatione. Nec de illius judicandum, ut de hominum regimine.*

Digitized by Google

Audetis conferre Deum : cui si quid amatis A
In laudem pravi adjicitis, vestrisque beatum
Creditis esse bonis, aut ulla incommoda ferre.
An quia cum magnas urbes, populosque tenetis
Sub vestro imperio, miserum est insomnibus ægram
Partiri curis in multa negotia mentem;
Cumque graves trepidis incumbant undique causæ,
Non fert urgentes industria victa labores :
Et si animis ægris depulsa est sollicitudo,
Blanda voluptatem requies creat otia nactis :
De Domino hoc sentire pium est, quem semper eumdem
Nil gravat, ex toto nil occupat? Effluit ætas,
Ac venit, et spectant genita et gignentia finem :
Ille manet, simul acta tenens et agenda, futuris B
Ulterior, tum præteritis prior : omnibus unus
Præsens, et solus, sine tempore tempora condens.
Utque ævi spatia ac numeros præcedit, et exit,
**793** Sic nullo immensus cohibetur fine locorum.
Nilque adeo est magnum, quod non certus modus arcet :
Et cœlum, et terras, et totum denique mundum
Limes habet : meta est altis, et meta profundis.
Sed nusquam non esse Dei est, qui totus ubique,
Et penetrat mundi membra omnia liber, et ambit. C
Hæc igitur via sola potest moderamina rerum
Dividere, et placidis eadem persistere curis :
Quam non effugiant cita, nec remorantia tardent;
Quæ numquam ignara, numquam longinqua, nec ullis
Translata accedens regionibus, absit ab ullis :
Nec de noscendis egeat manifesta doceri.
Hæc testis rerum tacita audiat, abdita cernat :
Det vitas, adimatque datas, pereuntia salvet,
Dejecta attollat, premat ardua, proroget annos
Et minuat, mutet corda, et peccata remittat.
* Sed qui virtutem concedunt omnipotenti,
Forte voluntatem demant : et magna regentem,
Curam hominis renuisse putent, in tempora nati D
Exigua, et varia sub tempestate relicti.
Quo vos sponte juvat cadere, oblitosque parentis,
In pecudum genus, et sortem transire ferarum?
Incomperta latent naturæ exordia nostræ :
Aut spem propositam in Christo præsentia turbant?
Parcite sublimes æternæ gentis honores
Degeneri violare metu : potiusque relictum
Immortale decus, superato apprendite cœlo.
Nota via est, Christo cunctis reserante magistro,
Qui vocat, et secum nos deducturus, et in se.
Ac ne vaniloqui spondere incerta putemur :
Res monet a primis aperire parentibus ortum
Humani generis, causasque evolvere vitæ
Amissæ, et rursus, Christo donante, receptæ.
Dispositis rebus, totum jam conditor orbem
Fecerat, et pulchra vernabat origine mundus.
Jam sol dimensis in tempora cursibus ibat,
Lunaque cum stellis præbebat lumina nocti :
Jam pecudes tellus, jam pisces pontus alebat,
Et liquidum volucres innabant aera pennis :
Sed quod divina posset ratione potiri,
Nondum erat in terris animal : dedit optimus Auctor
Hoc homini speciale decus, cumque omnia verbo
Conderet, hunc manibus, quo plus genitoris haberet,
Dignatur formare suis : substantia duplex
Jungitur, inque unam coeunt contraria vitam.
Namque anima ex nullis, ut cætera, gignitur, expers
Interitus, nisi quod Domino cruciabilis uni est,
Et rea ferre potest pœnam, sub nomine mortis,
Terrenamque illapsa domum, dat vivere secum
Consortem, et pariter divinum haurire vaporem.
**795** Nec quia dissimilis rerum natura duarum est,
Dispar conditio est : manet exitus unus utrumque :
Seu potior juri subdatur posterioris,
Seu se majoris virtuti infirmior æquet.
Est etenim ambarum vinci, est et vincere posse,
Proficere, et minui; regnare, et perdere regnum.
Non quia plus cuiquam, minus aut in origine causæ
Nascendi attulerint, aut ulla externa creatos
Vis promat, ignarosque agat in discrimina morum;
Sed quia liber homo, et sapiens, discernere rectis
Prava potest, in se intus habens discrimina rerum,
Jusque voluntatis, quo temperat arbitrium mens.
Si tamen ancipiti circa inter prælia vitæ,
Non de se tumeat; sed votis tuta modestis,

190. Editio Lugd., *Nec dignoscendis egent manifesta doceri.*
*Ibid.* Hic vox *manifesta*, pro voce *certa* usurpatur : ut notarunt anteriores editiones.

* Caput IV. *Deo, cui potestas non deest, etiam voluntatem inesse hominem providentia sua curandi. Status jam creati mundi. Hominis creatio.*

Digitized by Google

Inde patet totum posse, unde accepit et esse. A
Insita sic nobis patriæ virtutis imago est,
Longo justitiæ quæ multum exercita cultu,
Ceu speculo lumen divinum imitata referret.
Cumque bonis positum transisset in artibus ævum,
Æternam victrix arcem mansura teneret.
Totaque res effecta Dei, jam nulla subiret
Prælia, nec trepide secum decerneret in se,
Nec vellet quod mox nollet, voluisse, timere,
Ignorare, optare, pati jam nescia : nullis
Crescere egens cumulis, nullisque obnoxia damnis.
Et quo promissis adsit fiducia magnis,
Ac spes propositæ sit non incerta coronæ :
Munere præsentis vitæ documenta futuræ
Sumit homo, et dandis confidere discit adeptis.
Huic cœli volucres, et cuncta animalia terræ
Subjecta : et pisces quos nutrit pontus et amnes ;
Huic solis lunæque vices, et sidera noctis
Nosse datum, numerisque dies comprendere et annos,
Scire potestates herbarum, et nomina rebus
Indere, et ingenium varias augere per artes.
Hunc potiorem unum cunctis spirantibus, uni
Subjectum servire Deo; nec corporea vi,
Sed rationis ope, præfortibus imperitare.

* Quod si quis non totus homo hæc extendere verbis
Me putat, et nondum sese cognovit in istis;
Audiat a primis distare parentibus actum
Per delicta genus, multa et rubigine morum
Corrupti exiguum semen superesse vigoris.
Utque suæ tantum naturæ discat honorem;
In summum sancti generis redeat caput, et se
Æstimet a manibus Domini, afflatuque regente,
Qualis Adam nondum terram damnatus in istam,
Et liber culpæ, paradisi divitis orbem
Cultarum locuples virtutum fruge tenebat.
Cui cum tanta Deus largitus dona fuisset,
Viperei populi princeps invidit, et alta
**797** Dejectus regione poli (quia summa tenere
Non nisi pura potest bonitas), majora nocendi
Concepit verso mutatus corde venena.
Qui possessorem tantarum deliciarum,
Mandato exclusum quia noverat arbore ab una,
Perpulit a vetitis pomum decerpere ramis,
Queis inerat recti et pravi experientia major
Tunc ditione hominis, quia nondum acceperat hanc vim,
Qua posset vitanda suo sine nosse periclo.
His illata dolis ; hoc crimine nata subegit
Mors hominem, culpa in cunctos manante minores :
Quæ semel antiqua pulsos virtutis ab arce,
Non uno tantum transfuso errore parentum
Implicuit : sed cum populis nascentibus aucta,
Multiplicem lata porrexit strage ruinam.
«At quamquam immissa regnaret morte peremptos ;
«Nulla tamen placitos Domino non edidit ætas,
«Cunctaque diversos habuerunt sæcula justos :
«Quos licet ob meritum vitæ bona multa manerent,
«In mortem vitiata tamen natura trahebat,
B «Non prius a primi vinclo absolvenda parentis,
«Quam majestate incolumi generatus in ipsa,
«Destrueret lethi causas et semina Christus.»
Cujus perpetuam cunctis assistere curam,
Promptum est exemplis ab origine nosse petiti.
Non latet hanc sanctis onerans altaria sacris
Justus Abel, qui primitiis ovium grege lectis,
Convertit Domini sincera in munera vultum :
Nec fallit specie devota relligionis
Dona Cain reprobanda dicans, cui virus amarum
Invidia in fratrem succenso felle coquebat.
Nec revocare ferum Dominus sermone benigno
Abstinuit : quantumque nefas strueretur ab ipso
Ingessit, formamque dedit qua vincere sese
Posset, et insanæ regnaret fortior iræ.
C Sed concepta semel facinus crudele peregit
Impietas, scelere immergens primordia mundi.
At numquid placitum sibi justum a cæde nefanda
Non potuit servare Deus ? Sed finis acerbi
Occasum potior vita et tribuenda corona
Immodico æterni superabant pondere honoris.
Quid, cum viventem de terris transtulit Enoch,
Spernebat terrena Deus ? Namque omnibus illud
Proderat exemplum, quo mortis terror abiret,
Spemque inconcussam caperet substantia carnis.
Sic alio post multa ævo documenta minores
Propositæ in Christo meruerunt sumere vitæ,
Cum raptum ignitis per inane jugalibus Heliam
Scandentem rutilo viderunt æthera curru.
An aberat tum cura Dei, cum effusa per omnes
D **799** Gens hominum culpas, penitus pietate relicta,
Dira toris vetitis generaret monstra gigantas
Illa quidem mundi exitium præfata futurum,
Tempora larga dedit, queis in meliora reducti
Mortales, scelerum seriem virtute piarent.
Cumque nefas placitum toto persisteret orbe,

* Caput V. *In quo differant a primo parente homines post lapsum. Diaboli invidia adversus hominem primum. Justi aliqui qualibet mundi ætate. Exempla providentiæ Dei erga homines ante Legem. Abel et Cain. Raptus Enoch et Eliæ quid doceat. In diluvio cur servata domus Noe. Abrahæ fides. Loth servatus. Joseph in Ægyptum venditus. Moyses populum educens ex servitute. Protectio Dei erga filios Israel in deserto.*

288. Ita Lugd. editio : aliæ vero, *Quæ posset.*

316. Sic alias : et quidem meliori sensu, quam cum legiter in editionibus nostris, *immenso.*

327. Id est, *Heliam.*

333. Lugd. et Lovan., *deducti*, præter leges carminis.

Digitized by Google

Nec nisi diluvio deleri crimina possent, A
Sola Noe servata domus; quæ libera cladis,
Conclusis paribus spirantum de genere omni,
Unde forent vacuis reparanda animalia terris,
Illæsa, mundo pereunte, superfuit arca.
Non quia non alios populos Deus edere posset:
Sed multis fractus morbis, ut semine ab ipso
Idem homo in Christi corpus nascendo veniret:
Utque Deo justo meritorum judice, partam
Nossemus requiem sanctis in clade malorum.
Nonne etiam in nostram Domini jam tum miserentis
Progeniem tendebat amor, cum credulus Abram
Multorum, pariente fide, genitor populorum
Promissum genus innumeris censebat in astris?
Aut cum in Pentapolim descenderet igneus imber, B
Nonne prius multo dilata examine venit
Judicis ira Dei, qui promptus parcere, nullas
Invenit causas veniæ; deque omnibus unum
Dissimilem Sodomis incesta in plebe repertum
Exemit, parvique dedit dominum oppiduli Loth?
Cum vero Ægyptum Chananæaque regna teneret
Dira fames, totos septem toleranda per annos,
Præstruitur certe patriarchis causa movendis,
Et domus externos inter placitura paratur,
Quæ blande foveat populi incrementa futuri,
Mystica dum Joseph prodentem somnia fratres
In servum vendunt pretio, falluntque parentem;
Dum castum dominæ petulantia carcere damnat;
Dum rex obscuri narrato ænigmate somni,
Exemptum vatem dignatur honore secundo; C
Dumque piis traducta dolis Hebræa juventus,
Gaudet adoratum venia cognoscere fratrem.
Qui cum multa insons ferret mala, nonne remotum,
Resque hominum dedignantem potuisset inepto
Incusare Deum questu, nisi cuncta profundis
Judice sub justo scisset decurrere causis?
Quæ licet infidas soleant confundere mentes;
Non possunt turbare pias, quia tempore in isto
Hæc posita est virtus, ut libertate potitos,
Exiguo in spatio, justi patiantur iniquos,
Quos Deus ipse modo dilata sustinet ira.
Si gens chara Deo, et sævo suspecta tyranno,
Injustum imperium regis tolerabat acerbi;
Mœstarum et matrum fetu potiore necato, D
Condensas [*Forte* Condendas] jussos lateres præbebat ad urbes,
**801** Ut durus labor, et sævæ inclementia mortis,
Omnes terribilis populi consumeret annos.
Sed non ista Deo patribus illata remoto,
Ipse docet, curamque sibi probat esse suorum.
Nam jubet electum Pharaoni edicere Mosen,
Ut sinat Ægypto Domini discedere plebem.
Ni faciat, multis plectenda superbia plagis,
Sentiet excitam quæ regni vis habet iram.
Ille quidem quoties patitur cœlestia tela,
Cedit, et obsequium simulat; sed clade remota,
Duratur parcente Deo, causas pereundi
Impius inde trahens, quo posset habere salutem.
Donec vi victus laxat fera jura tyrannus,
Ditia barbaricis et Moses agmina gazis,
Promovet, insigni sulco monstrante columna
Per deserta viam: quæ formam in tempus utrumque
Temperat, alterna ut tribuat vice commoda castris,
Luce tegens, et nocte regens, eadem ignis et umbra,
Discutiens flaminis tenebras, et nube calores.
Quid loquar et trepidis patribus cum incumberet hostis,
Divisum pelagus, solidoque rigore ligatas
Instar montis aquas, vacuo cessisse profundo;
Quaque gradum illæsa tulerant tot millia plebis,
Oppressum Ægypti populum coeuntibus undis?
Omnis enim auctori servit natura potenti,
Quæque ad opem cedunt, eadem famulantur ad iram.
Sed mihi nec vacuum cunctas percurrere formas
Virtutum, et gestis oris non æqua facultas.
Nam quis tantarum evolvat miracula rerum,
Mannæ imbrem, et cunctos in cœli pane sapores,
Siccæ rupis aquam, et dulcorem fontis amari,
Aut inter deserta actos denos quater annos,
Nec membris nocuisse ævo, nec vestibus usu?
* Legis in exemplum juvat ire, et quærere ab ipsis
Qui curam Domini removent, an tempore ab illo
Cœperit humanas in vitæ fœdera mentes
Informare Deus; nec per tot sæcula mundi
Permotus vitiis, tunc jus perscripserit æquum.
Ite, ipsi in vestræ penetralia mentis, et intus
Incisos apices, ac scripta volumina cordis
Inspicite, et genitam vobiscum agnoscite legem.
Nam quis erit, modo non pecus agri, aut bellua ponti,
Qui vitiis adeo stolide oblectetur apertis,
Ut quod agit, velit ipse pati? Mendacia fallax,
Furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum
Damnat, et in mœchum gladios distringit adulter.
« Unus enim pater est cunctorum, et semine recti
« Nemo caret, similisque omnes produxit origo.
« Unde etenim, nondum descripta lege, fuerunt

* Caput VI. *Exempla providentiæ Dei in Lege. Lex naturalis omnibus innata. Non in sola gente Israelitica effectus providentiæ Dei. Mens speculum est quod fides Christi tergit. Lex et prophetæ Christum nasciturum annuntiaverunt.*

418. Lugd., Lovan. et Duac. editi, *perscripserit* Colon. cum recentioribus, *præscripserit.*

Digitized by Google

« Qui placidum sanctis agerent in moribus ævum; A
« Nec summi patris ignari, nec juris egeni.
**803** « Ergo omnes una in vita cum lege creati
« Venimus, et libris gerimus, quæ condita libris.
« Nec nova cura fuit nostri, cum tradita Mosi
« Littera præsenti damnaret crimina pœna.
« Sed super adjecta est generi custodia sancto;
« Qua memor in patriæ fidei perstaret honore,
« Et promissorum Domini succederet hæres.
« Cum tamen et quoscumque eadem sub sacra liceret
« Ire, nec externos arcerent limina templi: »
Cumque Dei monitu canerent ventura prophetæ,
Sæpe etiam ad varias gentes sint multa locuti. B
Sic regina Austri cupidis, Salomonis ab ore,
Auribus eloquium Domini venerata trahebat.
Sic Ninive monitis Jonæ sub tempore cladis
Credidit: et tribus in luctu jejuna diebus,
Promeruit morum excidio consistere regno.
Verum ne longo sermone moremur in istis,
Quæ sparsim varieque suis sunt edita sæclis:
Neve quod in parte est, in toto quis neget esse,
Dum solidam Domini divisa negotia curam
Velant, et nulla accipitur quæ rara videtur;
« Dicite quem populum, qua mundi in parte remotum,
« Quosve homines, cujus generis, vel conditionis
« Neglexit salvare Deus. Vir, femina, servus, C
« Liber, Judæus, Græcus, Scytha, Barbarus, omnes
« In Christo sumus unum: non persona potentis,
« Nec domini, regisve prior; distantia nulla
« Luminis unius, speculi nisi discrepet usus. »
Namque velut speculum mens est, quæ quo mage tersa est,
Expoliente fide, radiisque intenta supernis,
Hoc mage confessi resplendet imagine Christi:
Qui cum Patre Deo semper Deus; inque paterna
Majestate manens, miscetur conditioni
Humanæ: et Verbum caro fit, rerumque Creator
Nascitur, atque annis succedit conditor ævi.
Hoc etenim lex, hoc veneranda volumina vatum,
Hoc patriarcharum spes non incerta tenebat: D
Ultima cum mundi finem prope curreret ætas,
Venturum ad terrena Deum, qui morte perempta,
Solveret inferni leges, longamque ruinam
Humani generis, meliore attolleret ortu.
* Sed tu qui geminam naturam hominisque Deique
Convenisse vides angusti in tramitis ora,
Firma tene cautus vestigia, ne trepidantem
Alterutram in partem, propellat devius error:
Si cernens operum miracula divinorum,
Suspicias sine carne Deum; cumve omnia nostri
Corporis agnoscas, hominem sine Numine credas.
Nulla etenim soli vita est mihi, morsque subactum
Detinet; et non est quo victus vincere possim,
Si non vera Dei virtus mihi consociata est,
**805** Aut me non vera Salvator carne recepit,
Cujus majestas stabilis non hoc violatur,
Quo redimor; neque se minor est, dum mutor in illo;
Sed mortale meum subit, ut quia morte teneri
Vita nequit, pereat mihi mors, et non ego jam in me
Vivam, sed Christus, qui se mihi miscuit in se.
Victus enim terrenus Adam, transfudit in omnes
Mortem homines, quoniam cuncti nascuntur ab illo,
Et transgressoris decurrit causa parentis.
Sed novus e cœlis per sacræ Virginis alvum
Natus homo est, aliudque bonus mortalibus in se
Fecit principium, carnemque refusus in omnem,
Et vita functos, naturam participando,
Edidit, et vivos, vitam mutando, creavit.
Utque illos veterum complexa est gratia solos
Qui Christum videre fide; sic tempore nostro
Non renovat quemquam Christus, nisi corde receptus.
En, homo, quanta tibi est gratis collata potestas.
« Filius esse Dei, si vis, potes, omnipotens te
« Spiritus umbratum Verbi virtute creavit.
« Nec te corporeo patrum de semine natum
« Jam reputes; pereant captiva exordia carnis. »
Nil veteris conjunge novo, non hic tibi mundus,
Non hæc vita data est, nulla hic tua, nec tuus ipse es.
Emptus enim es, pretiumque tui resolvere fas est,
Quo [*Al.* Qua] potes, ut solvens sis ditior, et tibi crescant
Quæ dederis, cedatque tibi pars ipse Redemptor.
Nec te difficilis nunc observantia legis
Sub durum jubet ire jugum; mens libera sanctum
Obsequium ratione ferat, quam Spiritus almus
In tabulis cordis describat sanguine Christi.
Qui nobis quidquid sermonibus insinuavit,
Condidit exemplo, factis præcepta coæquans.
Rex ille, et rerum dominus: sed pauperis egit
In specie, nec veste nitens, nec honore superbus.
Infirmis fortis, rex servis, dives egenis;
Justitia injustis cedit, sapientia brutis.
Sacrilegis manibus percussus, non parat ictum
Reddere; nulla refert avidæ convicia linguæ.
Damnatur judex, Verbum tacet, inspuitur lux,
Ipse ministerium sibi pœnæ est; felque et acetum

* CAPUT VII. *Contra Eutychem, de Incarnatione. Neminem salvatum umquam sine fide Christi incarnationis. Lex observatu facilis per gratiam Christi, qui quod præcepit prior ipse fecit. Contra Nestorium.*

478. Sola editio Lugdunensis, *suscipias*.

Digitized by Google

Dulcius ille favis haurit; sanctus maledictum
Fit Crucis, et moritur Christus, vivente Barabba.
Impia gens tantum ausa nefas, sentisne furorem
Jam mundo damnante tuum? Sol fugit ab orbe,
Et medio nox facta die est; concussaque tellus
Intremuit, mortemque Deo subeunte, sepulcris
Excita sanctorum sumpserunt corpora vitam.
Velum etiam templi discissum est, ne quid opertum
In sacris adytis jam plebs indigna teneret:
Sanctaque pontifices fugerent offensa cruentos.
Te vero exstinctæ calcantem spicula mortis,
**807** Et de carne novum referentem carne tropæum,
Tertia discipulis, Jesu, dedit attonitis lux.
Nec dubiis Dominum licuit cognoscere signis;
Cum documenta fides caperet, visuque manuque
Rimans clavorum vestigia, vulnus et hastæ;
Cumque quater denis firmans promissa diebus,
Conspicuus multis, sæpe et tractabilis esset.
Hactenus in nostris te, Jesu, novimus: exhinc
In tua nostra abeunt: nec jam diversa, sed unum
Sunt duo, dum vita in vita est, in lumine lumen,
Augmento, non fine hominis; quo glorificato,
Sic homo, sic Deus es, ut non sis alter et alter.
Nosque ad te ire jubes sursum, tecumque potiri
Luce tua: si calle tamen curramus eodem,
Edocti non posse capi nisi de cruce cœlum.
« * Jamne Dei compertus amor, diffusaque in omnes
« Cura patet? notum et cunctis astare salutem?
« Et tamen, heu! rursus querulis, homo, garrula verbis
« Bella moves, jaculisque tuis tua viscera figis.
« Cur non sum bonus? hoc non vis. Cur sum malus? hoc vis.
« Cur volo quæ mala sunt, et cur quæ sunt bona nolo?
« Liber es: sed cum recta queas discernere pravis,
« Deteriora legis, placitisque improvidus hæres.
« Erro, ais, et vellem non posse errare. Duobus
« Subjacet hæc votis sententia: nam penitus te »
Aut esse exanimum cupis, aut rationis egenum.
Error enim est ejus qui cessit limite recti,
Quique potest ad iter, Christo ducente, reverti.
At quem nulla viæ suscepit linea, nusquam
Declinat; nullumque timent non stantia casum.

A Numquid cura Deo de bobus? numquid ad ullas
Fit verbum Domini volucres? num lege tenentur
Monstra maris? quæ cum faciunt jussa Omnipotentis,
Ignorant sese facere, affectumque volendi
Sumunt, et quod agunt aliis, sibi cedere credunt.
Sic etiam quæ non spirant sunt semper in illo
In quo sunt formata modo: non plana tumescunt
Collibus, aut celsi sternuntur in æquora montes:
Non veniunt Alpes in pontum, aut pontus in agros:
Saxa jacent, amnes decurrunt, stantque paludes.
Et tamen his nihil est mercedis, quæ sine sensu
Dispositos in se præbent viventibus usus.
Quod si horum præstare tibi natura videtur;
B Jam bove mutari velles, vel rupe, vel amne.
Deterior nollem fieri, potior voluissem.
« **809** Numquid qui Domino placuerunt moribus almis,
« Displicuere sibi? numquid non semine ab uno
« Venimus, aut alia est hominum natura bonorum?
« Non aliter dives quam pauper nascitur, unum est
« Principium servis et regibus: optimus ille
« Non plus accepit quam pessimus; æqua creantis
« Mensura est, uno qui lumine luminat omnes. »
Sed mundum ingressi variis rerum speciebus
Suscipimur, mentemque adeunt quacumque videntur,
Judicio censenda hominis: stant undique formæ
C Innumeræ, possuntque omnes spectando probari.
Quædam etiam patulas intrant stipata per aures,
Errores veterum studiorum, et vana parentum
Dogmata, cum quodam fuco ostentantia veri.
Hæc modulata sono veniunt, hæc levia tactu,
Hæc blandis late funduntur odoribus, illa
Conciliant varias in mille saporibus escas.
Magno ergo hæc homini sunt discernenda periclo:
Ne nimium trepidus nullum procedat in æquor;
Neu vagus effusis sine lege feratur habenis.
Est etenim sanctus rerum usus, quem cohibentes
Intra modum numeri, et momentum ponderis æqui,
Pro cunctis soli Domino reddemus honorem.
D Omnia quæ fecit bona valde, ut non vitiorum
Incentiva, sed ut superas caperemus in illis,
Hic decertato virtutis agone, coronas.

* Caput XIV. *Homo qui divinæ providentiæ ingratus non sibi imputat peccata sua, refellitur, quia cum libero arbitrio creatus, et per illud peccat. Quæ homini cavenda in mundo si virtutem colere curet. Quis rerum temporalium usus. Sancti omnes, iisdem tentationibus quibus nos subjecti, quomodo eas vicerint.*

543. Hæc cum grano salis (ut aiunt) accipienda. Cum ibi videatur Auctor in duos errores Nestorii et Eutychetis incurrere, dum ait Christum ex Ascensionis die ita hominem et Deum esse, *ut non sit alter et alter: nec jam diversæ sed unum* sint in eo ambæ naturæ. Verum sapienter observatum a viro eruditissimo; præterquam quod facile ignosci possit poetæ per transennam rem difficillimam attingenti, si quid minus exacte in terminis locutus reperiatur. Auctor iste hoc eodem in loco Christi glorificationem fatetur factam *augmento, non fine hominis*; præsertim cum non longe antea clare prædicarit *geminam naturam hominisque Deique* in Christo *convenisse*; nec esse *quo victus vincere posset, si non vera Dei virtus* humanæ naturæ esset *consociata*, v. 473 et 480.

573. Ita Lugd.; at Lovan., Duac. et Colon. et recentiores, *in æquore*.

694. Editio Coloniensis et recentiores, *lenia*.

Digitized by Google

An tibi cœlestes illi, quos protulit orbis A
Fertque, viri non hæc eadem tolerasse videntur
Quæ patimur, motus animi, affectusque rebelles,
Et circumjectis vitia oppugnantia castris?
Sed gladio verbi, fideique umbone potenti
Vincebant arcus tenebrarum, et spicula mortis:
Cumque opus hoc mundi magnum pulchrumque viderent;
Non mare, non cœlum, non ignem, aut sidera cœli,
Quæ numero subjecta sibi visuque tenebant,
Suspexere deos: unum, ratione magistra,
Auctorem et Dominum rerum, non facta, colentes.
At tu nobilius qui factum te voluisses,
Numquid in angelico satus ordine non querereris? B
Nam cum ille excelso dejectus Lucifer axe
Conciderit, rueritque illo pars tertia pulso
Astrorum, quæro in quanam tunc parte fuisses?
Clara Dei semper bonitatis imago maneres,
An castra invidiæ sequereris et agmina noctis.
* Sed quo te præceps rapit orbita? Vis bonus esse
Absque labore tuo? Credis hoc cedere posse,
Si tibi mutentur natalia sidera, quorum
Te pravum decursus agit? Quid vana vetusti
Perfugia erroris Chaldæis quæris in astris?
Quamvis sollicitis adeas cœlestia curis,
Et penitus causas rerum scruteris apertas;
**811** Non renuis mage nosse Deum, quam cuique elemento C
Naturam dederit, qua pontum lege moveri
Jusserit, aut teneris quam vim consueverit auris,
Sidereosque ignes in quæ momenta crearit.
Qui cum sincerus sit fons æquique bonique,
Immitem jussis legem præscripsit iniquis,
Si prius ipse hominum mores constrinxerat astris.
Namque adversa sibi sunt hæc, nimiumque repugnant,
Exigere insontes actus, delictaque pœnis
Afficere, et cunctos eadem ad promissa vocare:
Contra autem natis violentum affigere sidus,
Quod nec velle homini cedat, nec posse, sed omnes
Desuper ignaros et virtus ducat, et error.
Ergo aut æthereis nullum est jus ignibus in nos, D
Aut si quid nostri retinent, amittere possunt:
Cum mihi progenito ad vitam mandata salutis
Et cordi insinuet bonus auctor et auribus, ac me
Currentem mercede vocet, terrore morantem.
Solum, inquit, venerare Deum, solique memento
Servire, externas et despice relligiones.
Hoc operis sectare boni, hoc fuge cautus iniqui.
Vita beata isto paritur, mors editur illo.
Coram adsunt aqua servatrix, populator et ignis:
Ad quod vis extende manum; patet æqua facultas.
Quod legis monitus, et vatum scripta piorum,
Et Deus ipse suo nequidquam promeret ore,
Arbitrium nostrum si vis externa teneret.
Verum si quid obest virtuti, animosque retardat,
Non superi pariunt ignes, nec ab æthere manat:
Sed nostris oritur de cordibus; ipsaque bellum
Libertas movet, et quatimur civilibus armis:
Otia cum mollis complexa ignava voluptas
Difficili negat ire via, bravioque potitos
Ardua quæque piget pro spe tentare latenti.
Cumque hæc intus agi prospexit callidus hostis,
De studiis vestris vires capit: utque parentis
Avertat veri cultum, persuadet ab astris
Fata seri, frustraque homines contendere divis.
Hinc vario vitæ dominos mercantur honore.
Error abi, procul error abi: satis agnita prisci
Sunt commenta doli, monitos quibus Omnipotens nos
Elaqueat, cultusque docet vitare profanos.
Scimus enim quanta steterit mercede quibusdam
Sidus adoratum Rempham, venerataque cœli
Militia, et cultus Soli Lunæque dicatus.
Nec latet hæc verbis hominis subsistere jussa
Ad vocem servisse mora, noctisque repulsæ
Temporibus crevisse diem: cum lux famulata
Nesciret nisi quem faceret victoria finem.
Novimus et cœlo præscriptas conditiones
Arbitrio quondam sancti mansisse prophetæ;
Cum positum ad tempus clausos, sitientibus agris,
**813** Non licuit rorare polos; ipsumque, vocata
Partibus e superis in sancta altaria flamma,
Quem dederat sacris ignem immisisse profanis.
Cujus vis etiam Christi delapsa fuisset
Discipulis, pœnam hospitii exactura negati;
Ni patiens Dominus venia præverteret iram.
Nullum ergo in nos est permissum jus elementis,
In quæ jus hominis: nec possunt condere legem,
Quæ legem accipiunt. Solus Deus omnipotens Rex,
Omnia qui nostræ dispensat tempora vitæ,
Nec servire astris vult quos super astra locavit.
Nam quoscumque sacro renovavit Spiritus amne,
In Christo genitos, mortali ex stirpe recisos,
Jam sedes cœlestis habet, nec terrea nectit
Progenies templum in Domini corpusque redactos.
Quod si quis cursu astrorum effectuque notato,
Contendit naturam hominis vitamque videri;
Quæro quid hac trepidis mortalibus afferat arte.
Hic (inquit) felix, miser hic erit, hunc rapiet mors

* Caput IX. *Contra eos qui peccata sua sideribus imputant. Libertas arbitrii sola causa peccati. Non homo sideribus subditur; sed aliquando sidera hominibus sanctis subdita fuere: Josue, Elias. Vanæ et noxiæ prædictiones humanorum actuum ex astris ductæ.*

Digitized by Google

Impubem, hic senſo transcendet Nestoris annos. A
Falsum hoc, aut verum est? Si stant prædicta canentis,
Nec misero superest spes, nec formido beato.
Et quæ sideribus danda est reverentia fixis;
Si quæ ferre queunt, nequeunt decreta movere?
Dent sese scelerum potius torrentibus omnes:
Fallant, diripiant, jugulent, fas omne nefasque
Confundant, persistet enim nihilominus astrum;
Cujus ab effectu firmato cardine rerum,
Ut mala non poterunt sancta probitate repelli,
Sic bona non fugient perversos debita mores.
At si prædictæ sortis mutabilis ordo est,
Et declinari possunt ventura; soluta est
Omnis ab ancipiti casu vis pendula fati.
Scrutatis igitur stellarum motibus, hoc est B
Artis opus, totam subvertere relligionem;
Dum nullum curare Deum mortalia suadet;
Aut dum posse docet votis elementa moveri,
Innumeram miseris plebem insinuare deorum.
* Sed quia detectis laqueis jam fraudis opertæ,
Quo captos vanis studiis deduceret error
Compertum; superest nunc respondere querelis
Quæ mundi rebus divinam absistere curam
Objiciunt, dum sæpe bonos labor anxius urget,
Et tranquilla fluit cunctorum vita malorum.
Dic age, qui nullis Domini moderantis habenis
Humanas res ire putas, quid ab ordine cessat
Naturæ? quæ bella movent elementa? quid usquam
Dissidet a prisco divisum fœdere rerum? C
Sic interjecta solis revocatur in ortum
Nocte dies, idem est lunæ astrorumque recursus,
Et relegunt notas subeuntia tempora metas.
Non aliter venti spirant, ita nubibus imber.
**815** Læta negant, servantque genus trudentia flores
Semina quæque suum: nec abest ab origine rerum
Ordo manens, iisdem subsistunt omnia causis.
Quæ nisi perpetui solers prudentia Regis
Astrueret, molemque omnem spirando foveret,
Conciderent subita in nihilum redigenda ruina.
Et cum hæc pervigili cura Omnipotentis agantur, D
Quæ certum ad finem devexo limite vergunt;
Quis neget in nostram gentem specialius æquum
Partiri sua jura Deum? cui perpetis ævi
Spem tribuit, propriæ largitus imaginis instar.
At qui nec pœnam injustis, nec præmia sanctis
Restitui ad præsens quereris, vellesne per omnes
Ultricem culpas descendere judicis iram?
Et quo magnanimi clemens patientia Regis
Distaret sæva immitis feritate tyranni?
An quæ pars hominum peccati nescia mundum
Possessura foret? vel sanctæ quis locus esset
Virtuti in terris? cui si præsentia dona
Affluerent, cœlo potius sublata maneret.
Sic mundi meta abruptis properata fuisset
Temporibus, neque in sobolem generanda veniret
Posteritas, pariter cum justos atque nocentes
Aut promissus honos, aut pœna auferret ab orbe.
Nunc vero et generis nostri profunda propago
Tenditur, ac duplici succedit origine pubes,
Nata patrum membris, et Christi fonte renata,
Et pia dum populis Domini patientia parcit,
In lucem multos de tetra nocte reversos,
Ac posita claros peccati labe videmus.
Ille per innumeros vultus, et mille per aras,
Barbatos, lævesque deos, juvenesque, senesque,
Ut quondam fecere, colens, jam errore parentum
Abjecto, solum Unigenam submissus adorat.
Hic sophicas artes Græcorum, et vana secutus
Dogmata, jam Christo sapere, et brutescere mundo,
Gaudet apostolico doctus cœlestia ludo.
Quam multos procul a portu rationis in altum
Dedecorum turbo abstulerat; quos æquore toto
Jactatos, nimiumque vagis erroribus actos,
Nunc reduces juvat excipere, amplexuque paterno
Confotos, nusquam statione abscedere vitæ?
Quos si multa inter morum delicta priorum
Plexisset propere rigor implacabilis iræ,
Intercepta forent melioris tempora vitæ,
Nec standi vires licuisset sumere lapsis.
Mortem (inquit Dominus) peccantis nolo, nec ullum
De pereunte lucrum est: redeat magis, inque relictum
Mutatus referatur iter, vitaque fruatur.
Et quia virtutum similes vult esse suarum
**817** Quos genuit: Vindictam, inquit, mihi cedite; reddam
Judicio quæ digna meo; detur locus iræ.
Sic dum multorum differtur pœna malorum,
Nonnulli plerumque probos revocantur in actus,
Ac fit quisque sibi judex, ultorque severus,
Quod fuerat prius interimens, aliusque resurgens.
At qui persistunt errori incumbere longo,
Quamvis in multis vitiis impune senescant,
In sævum finem venient: ibi non erit ulla
Spes veniæ, minimo ad pœnam quadrante vocando.

* Caput X. *Contra Epicureos, divinam providentiam negantes, eo quod boni hic adversa patiantur, dum mali prospera omnia experiuntur. Quare nec malos hic puniri, nec bonos remunerari oporteat. Deus patiens, quia omnipotens et æternus.*

760. Duac. et Colon. cum posterioribus editionibus, *successit*.
778. Editiones antiquæ, *Plectisset*; recent., *Plexisset*.

Digitized by Google

Nos etenim quoties causa quacumque movemur, A
Vindictam celerem cupimus, quia rara facultas
Non patitur læsis tempus transire nocendi.
At vero æternum nil effugit, omniaque adsunt
Salva Deo; nihil est illi tardumve citumve:
Nec dilata umquam, nec festinata putemus,
Quæ veniunt, nostris mutantur tempora rebus.
Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodque gerendum est,
Ante oculos Domini puncto subsistit in uno,
Una dies cui semper adest cras atque here nostrum.
* Sed quamquam examen Deus omnia servet in illud
Quo quæ nunc occulta latent reserata patebunt,
Multa tamen mundum per sæcula cuncta regentis B
Justitiæ documenta dedit, dum maxima bellis
Regna quatit, dum sæpe urbes, populosque potentes
Exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit undis;
Dumque inopes ditat, dejectos elevat, auctos
Imminuit, solvit vinctos, subigitque superbos.
Nec vero hoc nisi cum magna ratione putandum est
Accidere, ut quoties iram experiuntur iniqui,
Supplicia insontes videantur obire nocentum.
Multa quidem semper mundo communia in isto
Indignos dignosque manent: sol omnibus idem est,
Idem imber, pariter subeuntur frigora et æstus.
Utque indiscreta est cunctis aqua, lumen, et aura; C
Sic injustorum justos mala ferre necesse est:
Ut dum multa malis insontes compatiuntur,
Sint quorum merito populis parcatur iniquis,
Et qui conversos virtutis imagine ducant.
Sed cum perdendis indemutabilis instat
Finis, non eadem incumbit sententia sanctis.
Sunt quos diluvium mundi non obruat, et quos
Arsuris liceat Sodomis evadere: norat
Angelus Ægypti vastator limina signo
Scripta crucis, sacro removens a sanguine plagam.
Nec rutilo mulier decepta est vellere, cujus
Sola domus tanta pereunte superfuit urbe.
Fit mare per tumidum sanctis via, fitque per amnem; D
Et per inane piis gradus est: cibus alite servâ
**819** Suggeritur, perditque avidus sua fercula messor.
Utque Dei servis nihil obsit, vertitur ordo
Naturæ, vinctos labentia vincula solvunt;
Carcer sponte patet, sera non tenet obice valvas;
Deficit humor aquas, ignes calor, ira leones.
Non autem dubium est in magnæ turbine cladis
Involvi teneros annos, et, more parentum,
Criminis expertes, aliena occumbere culpa.
Nam cum homines pontus tegeret, deleta per orbem
Multa puellarum et puerorum millia notum est.
Nec tamen injuste terris exempta videtur
Progenies auctura malos, cui multis in ipso
Exitio est collatus honos, quod crimine patrum
Occidit ante sua caderet quam noxia culpa.
Quod si et justum aliquem complexa est pœna malorum,
Ne dubites placuisse Deo; nec enim mala mors est
Ulla bonis, quibus vario longoque labore
Quilibet in requiem patet exitus: aspera vitam
Dat via, nec campo capitur, sed fine corona.
Verum nos blandis capti, offensique severis,
Nec bona judicio spectamus, nec mala vero.
Dum non nostrarum curanda negotia rerum
Suscipimus, propriisque juvant aliena relictis.
Nec quemquam vitiis miserum, aut virtute beatum
Censentes, frustra externis culpamque decusque
Jungimus, et cœlo ascripti terrena fovemus.
Felices dici mos est, quos blanda potestas
In summos apices tumidorum evexit honorum,
Quos magni quæstus ditarunt, et quibus amplos
Congessit reditus totum res fusa per orbem.
Laudantur vestes pretiosæ, et pulchra supellex,
Magnæ ædes, famuli innumeri, vigilesque clientes,
Et quidquid non est nostrum, quodque ut dare quivit
Una dies, sic una potest auferre: nec illud
Quod speciale bonum est hominis, nullamque timet vim,
Amplexi, miseros quibus hæc perdentia desunt,
Et per mille modos pereuntia, credimus; ac si
Justitiam durus labor urgeat, et dolor ægri
Corporis, et mortes natorum, et turpis egestas.
Non quantas pariat constans tolerantia palmas,
Nec quo pugna brevis sit processura videmus:
Sed calicem crucis ac vitæ libare verentes,
Vipereum obducto potamus melle venenum.
Dulcia sunt etenim gustu, specieque decora,
Quæ morbos mortemque animæ generantque foventque,
Canceris et ritu languentia viscera carpunt.

804. Editio Lugdun. habet *here;* aliæ, *heri*, cujus ultima longa versus debitæ quantitati non convenit. *Here* adverbium autem idem sonare quod heri, patet ex hoc versu pentametro Martialis:

Et positum est nobis nil here præter aprum.

* Caput XI. *Deus tamen maxima justitiæ suæ documenta sæpe hic edit. Multa in hac vita bonis et malis communiter accidunt, in alia nullatenus ita res erit. Nulla mors bonis mala. Quam injuste judicet mundus de beatitudine!*

840. Editio Ludg., *et in ore parentum;* id est, et sub oculis parentum. Editiones Lovan., Duac., Colon. et alia, *et more parentum;* quod forte significat, et pro peccatis suorum parentum, seu, pariter ac parentes. Hic sensus juvatur verbis sequentibus: *Aliena occumbere culpa.*

Digitized by Google

Cumque Deus medicam cœlo demittere curam A
Dignatur, penitusque putres abscindere fibras,
Incusamus opem teneri, et tabescere morbo
**821** Malumus, antidoti quam vim tolerare severi.
Non igitur mala sunt quæ nos mala ducimus; et cum
Ulceribus diris non parcit dextra medentis,
Amplectenda salus, non exacuenda querela est.
Jam quos peccantes Deus arguit, hos etiam nunc
Diligit, et patrio vult emendare flagello.
Meque istis potius societ, quam congreget illis,
Quos jam submoto permisit verbere, cursu
Ire voluntatis, propriaque libidine ferri.
Hi sunt vero illi, quos inter crimina tutos, B
Et scelerum dites fructu, impunita senectus
Extremæ turpis vitæ produxit in oras.
Hi justum injustis odiis pressere; per istos
Bella excita piis, et flagra medentia tardis.
* Namque eadem cunctos exercent tela fideles,
Sub duplici causa; dum quo torquentur iniqui,
Hoc sancti crescunt; et quod pœnam attulit illis
Pro culpa, hoc istis dat pro virtute coronam.
Denique si quidquid mundanis rebus acerbum
Accidit excutias, totum jam sponte videbis
Anticipasse Dei famulos. Gemit ille talentis
Argenti atque auri amissis, hunc rapta supellex,
Perque nurus Geticas divisa monilia torquent. C
Hunc pecus abductum, domus ustæ, potaque vina
Afficiunt, tristes nati, obscenique ministri.
Sed sapiens Christi servus nil perdidit horum
Quæ sprevit, cœloque prius translata locavit,
Ac si quid mundi sub tempestate laborum
Incidit, intrepide subiit, manifestus honoris
Promissi, et cupidus victo certamine solvi.
At tu, qui squalidos agros desertaque defles
Atria, et exustæ proscenia diruta villæ;
Nonne magis propriis posses lacrymas dare damnis,
Si potius vastata tui penetralia cordis
Inspiceres, multaque obtectum sorde decorem,
Grassantesque hostes captivæ mentis in arce? D
Quæ nisi per cunctas patuisset dedita portas,
Inque suam cladem facibus fomenta dedisset
Hoc etiam quæ facta manu speciosa fuerunt,
Devoti meritum populi testata manerent.
Sed cum deformi jaceant prostrata ruina,
Objiciunt nobis casus nostrosque suosque.
Hos igitur cineres templorum, hæc busta potentum,
Quæ congesta jacent, populati cordis in aula
Plangamus captiva manus, nos splendida quondam
Vasa Dei, nos almæ aræ, et sacraria Christi,
In quibus argentum eloquii, virtutis et aurum,
Et sceptrum captum est crucis, et diadema decoris.
Nec rabidis justam moveamus questubus iram,
Judicium culpando Dei, quod mentis et oris
Officium multa transcendit majus abysso.
Quamvis exiguo hoc fugientis tempore vitæ
Injusti tumeant, et tuta pace suorum
Lætentur scelerum; nonque illos vinea fallat,
Non ager; et noceant illæsi, et crimine crescant:
Nos, quibus in Christo sunt omnia, non capiant res
Occiduæ, quas nec nobiscum inveximus orti,
Nec discessuri mundo exportabimus isto.
Sed si quis superest animi vigor, excutiamus
Peccati servile jugum, ruptisque catenis,
In libertatem et patriæ redeamus honorem.
Impia non oberunt cum sævo pacta tyranno,
Captiva conscripta manu, resolubile Christo est
Hoc fœdus, quod jure potest subvertere justo•
« Aversos revocans et suspiciens conversos;
« Sanguine quos proprio quæsivit prodigus emptor,
« Si tamen assertoris opem festina voluntas
« Præveniat, fletu Dominum motura fideli.
« Nam ut nemo invitus, somnove quietus in alto
« Fit salvus, nec vi petitur qui sponte recessit;
« Sic pulsata patent redeuntibus atria vitæ,
« Et recipit cœli servatos curia cives.
Cujus spem veniæ firmato corde foventes,
Implorate Deum, pugnasque relinquite, fratres,
Verborum, et lites de pravis sensibus ortas.
Nec quia procidimus fusi certamine primo,
Stare, et conflictum vereamur inire secundum.
Cuncta licet variis terroribus impleat hostis,
Et vigili clausas obsidat milite portas,
Cum victo tamen est bellum, si carne vetusta
Exuti, in Christi renovemur corpus, et omnem
Vincendi nobis vim de victore petamus.
Qui dum nostra suis sociat, junxit sua nostris.
Ut non humanis fidens homo, totus in illum
Se referat, sine quo non stant qui stare videntur,
Et per quem sparsi coeunt, stratique resurgunt.
Hæc sat erit parvo rudibus scripsisse libello:
Qui cum sincerum vivo de fonte liquorem
Gustarint, ipsi profundent flumina ab alvo
Cordis, et irriguas præbebunt fratribus urnas.

899. Sic editiones Lugd., Lovan., Duac. et Colon. Recentiores vero, *in auras.*

* Caput XII. *Afflictio malis pœna est criminis, bonis corona virtutis. Animæ damna, magis quam rerum exteriorum lugenda. Conversis prodest afflictionis tolerantia. Vincitur diabolus etiam ab his quos antea vicerat, si spem in Christo ponant, et vincendi virtutem a Christo, qui diabolum vicit, petant.*

916. Id est, *certus*, V. supra v. 190.

944. Ita libri veteres Lugd., Lovan. et Colon. cum posteriores habeant, *inveximus orbi.*

Digitized by Google

# ADMONITIO
## IN LIBROS DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM.

Diu est cum quæritur quis fuerit auctor librorum de Vocatione omnium Gentium. Et primum quidem ascripti sunt sancto Ambrosio ex quorumdam manuscriptorum codicum fide. Sed non multo post tempore ab hac opinione discessum est, cum animadversum est ab eruditis non solum his in libris citari Pelagianorum hæresim, quæ post Ambrosium inter cœlites assumptum orta est, sed etiam in illis agi de contentione quæ in Ecclesia nata est ex doctrina quam sanctus Augustinus contra Pelagianorum hæresim decertans strenue propugnaverat. Deinde vero Prospero ascripti sunt a quibusdam, qui illos in manuscriptis nonnullis sub S. Prosperi nomine descriptos legerunt, et quia magna in his affinitas notatur cum quæstionibus quas sanctus ille Augustini discipulus et vindex in suis operibus attigit. Sed eruditis criticis, nec paucis quidem, visum est, et in hac secunda opinatione erratum esse, nec eos ut veros sancti Patris illius fetus debere agnosci: his quidem propter styli diversitatem, illis vero propter doctrinæ discrepantiam. Cum vero non superessent ulli codices manuscripti, in quibus libri illi alteri cuidam parenti assignarentur, tum vero ventum est ad conjecturas. Alii enim, inter quos Latius et Vossius, Hilario illi tribuendos crediderunt, cujus epistola legitur ad sanctum Augustinum data, quemque nonnulli cum Arelatensi hujus nominis episcopo confuderunt. Alii autem, ut Erasmus, Eucherio tribui posse suspicati sunt, illiusque genium satis referre judicarunt. Denique P. Quesnellio in mentem subiit opus hoc Leoni Magno omnino esse assignandum; cujus doctrinam stylumque in his duobus libris omnino agnovisse se asseruit. Quod suum hac in re judicium satis probabile fecisse videbatur, ita ut multi postremæ illi opinioni ultro subscriberent: cum Josephus Antelmius Forojuliensis canonicus in contrarium se opponens, et longa dissertatione hanc opinionem subruere conatus, alteram qua hi libri Prosperi esse agnoscebantur, iterum statuisse se gloriatus est.

Inter tam diversas una de re opiniones, duæ tantum ejus sunt ponderis quæ in examen revocari mereantur: scilicet quæ sancto Prospero, et quæ sancto Leoni hoc opus assignandum probant: aliæ enim aut manifesto falsæ, aut nullo fundamento niti inveniuntur. Ambrosio enim quomodo tribuetur opus in quo quæstiones agitantur quæ pluribus annis post Ambrosii obitum tractari cœperunt? Nec ea est styli similitudo inter hosce libros et opera sancti Eucherii, ut ex solo hoc fundamento ei auctori tribui queant. Multo minus ab Hilario Arelatensi exaratos credibile, cum ille in materia gratiæ non paria sentiret cum Augustino, sed magis cum his qui in hoc opusculo impugnantur. Nec Syracusani Hilarii esse verisimile, aut Hilarii illius sancti Prosperi socii (si tamen non unus sit idemque); si quidem epistolarum quas ad Augustinum dederunt stylus longe distat a stylo auctoris nostri. Sed nec Prosperi Aurelianensis opus esse agnoscitur: qui tantum abest ut tractatum ejus quo iste agnoscitur esse ingenii scribere potuerit, ut Sidonium Appollinarem convenire coactus sit, cum vitam sancti Aniani decessoris sui scribi optavit, quam ipse pro sui ingenii tenuitate aggredi ausus non fuit; sic denique ejus Prosperi qui interfuit subscripsitque concilio Carpentoracensi anni 527, et Vasensi anni 529. Siquidem opus illud de Vocatione Gentium absque auctoris nomine citatum legitur a Gelasio papa in suo contra Pelagianos opusculo: obiit vero Gelasius anno 496, unde extra omnem verisimilitudinis speciem est citatum ab illo auctore, qui anno 529 erat superstes.

In hoc ergo unum tota vertitur quæstio: an opus hocce Prosperi sit, an Leonis Magni, an tandem ignoti huc usque auctoris dici debeat. Hæ autem utrimque rationes diversarum opinationum afferuntur.

1° Pro Prospero quidem primo exhibentur manuscripti codices, et plures quidem, in quibus huic operi præfigitur nomen Prosperi: Hincmarus quoque testis adducitur, qui in libro quem scripsit de Prædestinatione citat illud sub nomine sancti Prosperi: doctrinam quoque hujusce operis S. Prosperi doctrinæ conformem, stylum etiam valde similem, sententias easdem utrobique legi contendunt. Exempli gratia, dicit Prosper in suo carmine de Ingratis quod

> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
> Relligione tenet.

Hoc idem et iisdem pene verbis legitur apud eumdem auctorem librorum de Vocatione Gentium capite 16 libri II. Prosper quoque in Responsione ad Objectiones Gallorum asserit quod *ex toto mundo totus mundus eligitur*: loquendi modus similis legitur in libro I de Vocatione Gentium cap. 9, ubi *de toto mundo totus mundus liberatus* agnoscitur. S. Prosper in carmine de Ingratis, inter diversa inscrutabilium judiciorum Dei exempla numerat eas differentias quæ reperiuntur inter homines, etiam in naturalibus donis: librorum de Vocatione gentium parens eamdem comparationem adhibet libro I capite 14. Denique S. Prosper, et scripti subsequentis auctor, exempla infantium sine baptismo morientium, infidelium quoque in extremo vitæ halitu ad Deum conversorum, et alia plura ad easdem res probandas usurpant.

Et vero Jos. Antelmius, qui hanc opinionem inter criticos jam obsoletam tueri suscepit, hujuscemodi momenta ponderat, exaggeratque sedulo, aliaque insuper addit ducta ex styli similitudine, verborumque et sententiarum consonantia, quæ in diffusas tabulas distribuens, longa et pene fastidiosa parallela instituit. Tum Photii testimonium adducit in medium, qui in cod. 5 Bibliothecæ Actorum episcoporum Occidentalium contra Pelagianos insurgens, ait: *Cum temporis progressu sectæ hujus homines per hæresis suæ abjurationem Ecclesiæ restituti essent, iterum malum ab ipsis principium sumpsit, ut Septimo episcopo renascens eadem lues, antequam longius serperet fuerit reprimenda, datis ad Leonem Romæ tunc sedem apostolicam tenentem litteris: qui Leo ferventi zelo contra impietatem illam depugnavit. Post non diu rursum veluti existere atque renasci e mala radice impudenter cum cœpisset, Romæ etiam quidam libere pro hæresi locuti sunt, quos vir sane divinus Prosper libellis adversus eos in vulgus editis facile dissipavit exstinxitque, Leone etiamnum, quem diximus, Romanam sedem gubernante.* Quod vero hic ait Photius aliis Prosperi operibus ante Leonis Magni pontificatum exaratis convenire nequeunt. De libris ergo his de Vocatione Gentium loquebatur ibi Photius.

Qui autem e contra hos libros a Prosperi operibus alienandos tuentur, id primo dicunt: Stylum librorum illorum longe differe a stylo operum Prosperi. Hæc fuit censura doctissimorum inter criticos hujus sæculi: sic enim Latius, Erasmus, Vossius, Grotius, aliique bene multi præcellentes eximiique saporis critici censuerunt. Enimvero auctoris librorum de Vocatione stylus Prosperiano longe castigatior concinniorque, elegantior dictio, periodi magis commensuratæ, antitheses sententiarum, verborumque pugnæ frequentiores, schematum usus crebrior, tota denique oratio ex affectato rhythmorum occursu longe modulatior. Hocque imprimis attendendum, utpote non nisi ex consilio studioque natum; non enim tunc solum occurrunt, cum

Digitized by Google

in eas velut sponte currere videbatur oratio, quod et nonnumquam in Prospero inveneris; sed aliis etiam in locis, ubi nonnisi data opera usurparentur.

2° Scribendi methodus auctori anonymo familiaris a Prosperi ratione plurimum dissidet. Hic enim palam et publice assertorem se vindicemque sancti Augustini exhibet, ejus doctrinæ apices omnes ubique acriter ac strenue propugnat, premit studiose omnia ejus vestigia; ubique sancti Doctoris animum, doctrinam, sensusque omnes spirat. Nihil tale in gemino libello. De sancto Augustino ne apex quidem ullus; ita ut vel ipsum videatur non nosse (quod nemo crediderit); vel ejus nomen ex certo consilio, certasque ob causas reticuisse. Prosper cum scribit, Ecclesiæ Romanæ auctoritatem passim prædicat ac circumfert, utpote (ut nonnullis placuit) ejus nomine et ex ejus delegatione in arenam descendens; alter ex proprio ingenio stylum exerit, non tam pugnandi quam sese exercendi studio, magisque inquirenti similis, quam certa et jam sancita dogmata propugnanti. Ille palam aggreditur Semipelagianos, atque ut catholicæ doctrinæ adversarios insectatur; hic non tam ex industria, quam aliud veluti agens eos exagitat, nec id ea vehementia eoque zelo exsequitur quo sanctus ille Augustini doctrinæ discipulus et vindex.

3° Cum certum sit scriptum opusculum fuisse aliquamdiu ante Gelasii papæ tempora, vix tamen unum aliquod temporis spatium assignare possis quod Prospero conveniat. Si statim ab initio concertationum, vel paulo post eas exortas exaratum velis, jam ipsum auctorem in libri sui exordio contradicentem habes, qui jam dudum de his quæstionibus controversum fuisse diserte asserit: *Inter defensores liberi arbitrii*, inquit, *et prædicatores gratiæ Dei magna et difficilis* DUDUM *vertitur quæstio* (*Lib.* I *de Vocat. omn. Gent. cap.* 1). Si vero ultro concesseris, quod negari non potest, eam controversiam dudum efferbuisse inter Augustinianos et Semipelagianos, cum ad scribendum auctor se applicuit, jam alium a Prospero fuisse necesse est. Hic enim statim atque Pelagiani veneni reliquiæ per Genuensium Excerpta, vel Capitula Gallorum, vel Joannis Cassiani Collationes spargi cœpere, stylum ocius arripuit acuitque, et totis viribus illarum vocum novitates insectatus est. Contra vero auctor librorum *De Vocatione Gentium* innuit hanc primam suam esse de hac materia lucubrationem, et quidem dudum post motas quæstiones elaboratam: *Magna et difficilis* DUDUM *vertitur quæstio.... De hac igitur compugnantia opinionum qua mensura et temperantia sentiendum sit, quantum Dominus adjuverit,* ANNITAR *inquirere, exercens atque discutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo sobrie, quantum arbitror, inhæserunt.* En verba post longam opinionum istarum concertationem scribentis, primam in hoc scripto operam ponentis primumque conatum, hominisque magis *inquirentis*, sese *exercentis*, remque proprio studio *discutientis*, ac pro modulo facultatis suæ, quam confidenter ex Patrum doctrina asserentis, propugnantisque ex delegatione sedis apostolicæ. Immo timide admodum ac dubitanter scribit, quia videlicet quamvis per omnia Augustinianæ receptæque in Ecclesia doctrinæ congruentia proponeret, novos tamen loquendi modos inducebat: sciebat autem suspectas merito esse in Ecclesia novitates vocum, etiam servata antiquitatis doctrina: unde post descripta verba, hæc subjicit: *Ut si in eas regulas processerit stylus, quæ nihil offensionis, nihil habeant pravitatis, non solum nobis, sed et aliis utile sit, ad aliquem nos limitem pervenisse, quem non debeamus excedere.* Qui demum, ne scriptum Prospero abjudicent, discrimen notatum inde nasci posse dixerint, ut dixerunt nonnulli, quod illo tempore exaratum est a Prospero, quo nondum plene hauserat Augustinianæ doctrinæ fluenta, præsertim vero ex iis libris quos posteriores subque vitæ finem scripsit; facile ex fixa superius epocha hujus scriptionis refelluntur.

Antequam vero longius progrediatur oratio, examinandæ rationes quas Jos. Antelmius allatis mox a nobis momentis opponit. Ait enim primo eamdem esse Prosperi doctrinam quæ est librorum de Vocatione Gentium: et hac in re suffragatorem se habere Quesnellium, qui contrariam Norisii sententiam expresse refellit. Hoc quidem verum omnino, si ipsam in se utriusque doctrinam species. At contendimus auctorem anonymum diverso quandoque loquendi modo mentem suam exposuisse, ab eo quo semper usum fuisse Prosperum nemo jure dubitabit. Fatemur quoque librorum de Vocatione Gentium scriptorem non dissimili aliquando sensu gratiæ nomen usurpasse ab eo quo Prosper usurpat, pro vera scilicet Jesu Christi gratia: sed contendimus hunc auctorem sub hoc gratiæ nomine etiam dona naturalia quandoque intellexisse, et hoc omnino sensu eam omnibus hominibus communem agnovisse. Quo sensu a Prospero nostro ullo in opere suo gratiæ vocem usurpatam nemo probaverit. Rem quidem eamdem docet Prosper cum auctore anonymo, Deo scilicet curam fuisse omni tempore de hominibus, hos vocasse sive per legis litteram, sive per naturale rationis lumen, sive per Evangelii prædicationem; sed hujuscemodi a Deo impensas homini admonitiones gratiæ nomine nullibi invenitur decorasse, nec hujusce rei ullum Antelmius protulit exemplum. Hoc unum enim ille probat, docuisse Prosperum naturale lumen omnibus hominibus esse commune, ad omnes pertinere Dei providentiam; sed non hoc agitur: probandum enim omnino illi incumbebat quod talibus generalis providentiæ auxiliis, id est naturalis rationis disciplinæ, legis instructionibus, Evangelicæve prædicationi, etc., gratiæ nomen S. Prosper fuerit impertitus; nec doctissimus criticus unum Prosperi locum objicit quo in hunc sensum usurpari probentur. Quem enim ille protulit Dissertationis tertiæ pagina 139, in quo loquitur S. Prosper, c. 14 lib. contra Collatorem, de potentia gratiæ Dei, et de modis cognoscendi Deum per naturalia auxilia, nihil probat; cum hisce exterioribus adjumentis gratiæ nomen non indiderit Prosper, hoc solum illo in loco docens, quod quodlibet Deus exterius adhibeat homini auxilium, sola semper gratia interius ad Deum trahit. Fatetur tandem vel invitus censor eruditissimus, diversa aliquatenus via ingressum auctorem operis de Vocatione Gentium ab ea quam tenuerat S. Prosper in aliis suis operibus in explicandis quæstionibus de Dei gratia; sed vult ille Prosperum hoc in opere sese occultasse, illud anonymum edidisse, sensus suos mentemque aliquatenus dissimulasse, ideo nomen magistri sui Augustini tacuisse, ut ejus doctrinam securius tueretur: novam denique illum in eodem viam iniisse: et hinc fieri quod nihil hactenus hac de re se scripsisse fluxerit: ipsumque Prosperum aliis etiam in operibus suis cautius aliquando esse locutum. Augustini principia temperasse, cumque aliquando se ulterius non scripturum promisisset, necesse fuisse ut diversa disserendi methodo uteretur, ne agnosceretur, stylum ipsum denique mutasse et simulasse, et ad hoc adactum omnino ex ea scribendi ratione, quam sibi hocce in libro sequendam proposuerat.

Hæc autem argumenta momentave quid solidi contineant lector æquus dijudicet: hoc unum asserimus, si ex conjecturis hujusmodi liceat tanti ponderis rationes quas supra recensuimus enervare, nullum imposterum a critico quovis proferri posse argumentum, quod hac via, quacumque polleat vi et efficacia, non possit everti. Unde enim didicit Antelmius Prosperum intendisse hoc opus sub larvati et occulti hominis persona proferre? A quo audivit libris his nullum auctoris nomen inditum? Quod si contigit, quomodo Prosperi esse probabit? Nam quos in medium adducit pro sua causa, tamquam probationum efficacium loco, manuscriptos codices; quid ultra pro ipso militant, cum constet Prosperi ætate opus istud sine auctoris nomine legi solere, et tale permansisse diu post Prosperum, cum scilicet a Gelasio papa recensebatur? Cui bono igitur Prosper sensus suos aliquando dissimulasset? Cur idem illa qua solebat animi libertate et constantia, S. Augu-

Digitized by Google

stini doctrinam tueri hoc in opere cessasset? Numquid credibile ipsum tunc viri illius erga quem se hactenus tanta reverentia affectum exhibuerat, nomen proferre erubuisse? Etsi enim perversos sensus qui sancti doctoris verbis affingi poterant sedulo ille diluerit, eoque modo qui calumniis locum non præberet expresserit; illos tamen aperte tuitus est, in Augustini adversarios ubique strenue insurrexit, quos certo certius in errorem lapsos esse arguit. Etsi tandem stylum dissimulare voluisset, non est verisimile quod id tam feliciter præstare potuerit. Nam dubio procul auctoris anonymi stylus stylo Prosperi nitidior, elegantior et sublimior agnoscitur. Nec quisquam in melius stylum proprium mutasse facile reperietur. Qui enim personam mutat, in deterius vergit, et quisquis a naturali genio recedit, nihil non informe imperfectumque producit. Quam ægre quis tot rhythmos invenerit, et tam accurate omnes periodos commensuratas non assuetus ediderit. Nec apparet ullatenus Prosperum ad hoc adactum ut stylum mutaret, ex methodo qua opus hoc compositum habetur.

Denique quæcumque Antelmius iis opponit momentis, quibus probatum est libros de Vocatione Gentium non esse Prosperi, meris suppositionibus vel leviori probationis specie carentibus innititur.

Jam vero illud examinandum an efficaciora sint argumenta quibus illi libri Prospero adjudicandi esse dicuntur. Hæc autem ad tria omnino momenta revocantur: 1° ad manuscriptorum codicum auctoritatem; 2° Hincmari testimonium; 3° doctrinæ stylique similitudinem.

Quantum ad primum, de quo solo convenimus cum auctore dissertationis, non majoris ponderis censeri debent mss. illi ut opus istud Prospero ascribatur, quam alii in quibus eidem assertum fuisse legitur opus Juliani Pomerii, *de Vita Contemplativa*. Nec Hincmari auctoritas præponderat auctoritati conciliorum Galliæ, in quibus ab annis 800 libri *de Vita Contemplativa* sub Prosperi nomine citati leguntur. Nec novum aut inusitatum Hincmaro quædam opera sanctis Patribus assignare, quorum tamen illi parentes non agnoscantur. Citat enim ille *Hypomnesticon* sub nomine S. Augustini; librum *de Prædestinatione et Gratia* sub ejusdem nomine recenset, librum *de Induratione Pharaonis* sub Hieronymi, Commentarium Hilarii diaconi in Paulum sub S. Ambrosii, et *Carmen de Providentia Dei* sub sancti Prosperi nomine in testimonium adhibet. Quod spectat autem mss. codices librorum *de Vocatione Gentium*, ex quinque mss. Vaticanis antiquior, qui mille annorum ætatem excedere creditur, et alius pariter vetustissimus, nomen sancti Ambrosii præferunt; tres reliqui, quorum ætate major 800 annos non excedit, nomine Prosperi insigniuntur. Alii absque dubio exstant mss. in quibus sub Ambrosii nomine exhibentur hi libri; cum ubique sub ejus nomine editi legantur ante annum 1566. Si ergo antiquiorum manuscriptorum auctoritati cedi opus esset, omnino tribuendi S. Ambrosio viderentur. Nec diffitebitur, opinor, Antelmius ex suo systemate, primos hujus operis manuscriptos anonymos prodiisse, cum latere intenderit S. Prosper. Unde probabitur amanuenses illos qui primi operi isti nomen Prosperi præfixerunt, pro vero Prosperi nostri fetu agnoscendos ex certis argumentis cognovisse? Nonne probabilius est, quod, cum eos libros anonymos reperissent, ex argumenti doctrinæque conformitate inducti fuerint ut Prosperi nomen in fronte apponerent. Alii minus docti, licet antiquiores, minus etiam feliciter eidem operi nomen Ambrosii indiderant. Ex qua amanuensium diversitate colligitur, non standum hic manuscriptorum auctoritati, et ex sola amanuensium temeritate titulos istis libris inditos prodiisse.

De doctrinæ consensione diximus supra, probavimusque, etsi revera idem sentiat auctor librorum de Vocatione Gentium quod S. Prosper, diversos tamen ab illo loquendi modos usurpatos, eaque adhibita temperamenta quæ S. Prosper numquam adhibuisset. Si consulantur perpaucæ utriusque periodi, fortissimum argumentum a nobis merito duci videbitur ex styli disparitate, quæ oculis legentium primo intuitu patebit. Nec terrent nos aut ab opinione dimovebunt longæ illæ quas elaboravit Antelmius Tabulæ: in quibus sæpe nulla alia in stylo conformitas prospicitur, præter voces quasdam tunc temporis usurpari solitas. Nec facile invenientur auctores duo idem argumentum versantes, qui non aliquando easdem voces usurpaverint: multo minus mirum quod in sensibus conveniant, et iisdem loquendi formulis utantur. Si quis eadem cura investiget opera S. Augustini qua Antelmius S. Prosperi opera omnia scrutatus est, non desperandum omnino quin feliciter succedat quæ institueretur operum Augustini cum libris de Vocatione Gentium collatio: cum revera non pauca Antelmianorum parallelorum loca ex sententiis Augustini a Prospero excerptis ducantur, aut iisdem terminis scriptæ legantur in S. doctoris operibus. Verum frustra omnino talis minutatim comparatio institueretur: quoniam non obstantibus diffusis illis ultra modum Antelmii parallelis, ex illis quas diduximus rationibus librorum de Vocatione Gentium ab operibus Prosperi differentia ipsa se legenti et ponderanti prodet.

Nunc vero superest ut examinentur conjecturæ quibus ductus Quesnellius libros de Vocatione Gentium Leoni suo adjudicavit. Præcipuum, immo vero unicum ipsius argumentum stat in styli paritate, quam se agnovisse asserit inter libros istos et reliqua S. Leonis papæ opera. « Scripta sancti Leonis sæpius relegenti, inquit ille, familiarissima facta est phrasis Leonina, totusque dicendi character, quem in libris de Vocatione Gentium agnovi. Statim animadverti quod in eis idem loquendi modus, nonnullorum verborum affectata frequentatio, conformatio periodorum eadem, eadem sermonis constructio, conflictus verborum, crebræque antitheses, dictionis varietas, elegantia, dignitas, ubertas, igneusque vigor, tota denique styli facies eumdem omnino auctorem prædicant. » Cumque rem penitius considerasset, patuit: 1° Scriptionis tempus in ætatem Leonis incidere, quam ille scribere aggressus esset cum jam dudum ferverent dissidia adversus Augustinianam doctrinam mota; 2° Auctoris patriam Leonem arguere; nec Africanum dici posse, cum de Augustino ne verbum quidem ullum habeat; nec Gallum facile probari posse, cum a Gennadio vel ignoratus sit vel prætermissus. Italum ergo pronuntiari debere ex styli elegantia et nitore, et loco peculiari capitis 33 libri secundi, ubi hæc habentur: *Alii barbari dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, et ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remearunt*: quæ verba Romam ipsam auctoris patriam fuisse arguunt. His addit, libros istos numquam in Africana Ecclesia citatos legi, in Gallicana vero nonnisi octavo Christi sæculo, cum mentio expressa de his habeatur a Gelasio papa tamquam de opere Romæ noto et approbato. 3° Scriptor ille in citanda Scriptura convenit cum S. Leone. Uterque S. Hieronymi translationem adhibet, eadem uterque loca, et modo sibi peculiari usurpat. 4° Istius operis doctrina circa Christi gratiam eadem prorsus est cum doctrina sancti Leonis: cumque in illo nonnulli sint tam explicandi quam loquendi in hac materia modi, quibus videtur primo intuitu ab Augustini sententia recedere; iidem quoque passim apud Leonem occurrunt. In quibus præsertim est quod de generali quadam gratia nulli ætati, nulli homini non impensa sæpius disserit, quam quidem ponit in elementorum discordi concentu, in terræ cœlique, et creaturarum omnium structura, ordine ac veluti loquela, quæ Creatoris omnipotentiam, bonitatem, sapientiam, ineffabiliter prædicant: uterque elementa ista paginas et volumina, in quibus lex æterna scripta manet, appellat. 5° In aliis

Digitized by Google

quoque bene multis eadem cogitata, iidem conceptus, dicendique ratio eadem occurrunt. Eodem modo loquuntur de apostolicæ sedis in Romana urbe fundatione; de eo quod a Deo electa sit ut primatum inter cæteras totius orbis Christiani Ecclesias obtineret, quod ideo Imperium Romanum usque ad ultimos orbis fines dilatari voluerit, quo facilius huc usque Christiana religio diffunderetur, quæ et eo pervenisse agnoscitur quo nec Romana ditio pervenerat. Conferri potest caput 1 serm. 1 de SS. Petro et Paulo apud Leonem cum capite 16 libri II de Vocatione Gentium. Eadem dicunt ambo de trina Petri negatione ipsiusque veloci pœnitentia. Legatur et sermo 3 de Passione et caput 28 libri II de Vocat. Gent. Uterque dicit quod a Christo Petrus tamquam a petra principali soliditatem traxit: *Petrus a principali petra*, ait S. Leo, *soliditatem et virtutis traxit et nominis*: et auctor noster loco citato, *Quis ambigat fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem et virtutis sumpsit et nominis?* Ubi idem cogitatum, eadem phrasis, eadem omnino verba. 6° Stylus librorum de Vocatione in omnibus congruit stylo sancti Leonis. Jam observatum a nobis in eo eminere elegantiam, nitorem, antitheses frequentes, et rhythmos, periodos commensuratas et in membra paria distinctas: hic etiam, ut notavimus styli Leonini proprius character. 7° Non solum autem phrasis eadem utrique, sed et voces sæpius eædem, nec ab aliis frequentatæ: quarum longa enumeratio legi potest pagina 375 tomi II S. Leonis a Quesnellio editi et illustrati: qui deinde etiam phrasium plurimarum utrique communium parallelum instituit; ex quibus omnibus invicte probatum arbitratur, hocce de Vocatione Gentium opusculum Leoni Magno esse adjudicandum.

Verum Quesnellii antagonista duo probanda suscipit, ut omnem vim argumentorum ejus elevare videatur: 1° quidem levioribus omnino illum niti conjecturis; 2° argumentis claris et efficacibus demonstrari libros de Vocatione Gentium pro Leonis fetu non debere agnosci. Frustra autem priori investigando insudaveris, si posterius recte probatum inveniretur, ideo ab illa posteriori parte erit exordium. His ergo momentis invicte probatur (si Josepho Antelmio fides) Leoni omnimodis abjudicandum opus de Vocatione Gentium. Primo quidem (ait) obviat quæ erat Leonem inter et Cassianum singularis necessitudo. Quis credat, quod Cassiano Leo munus refellendi Nestorii imposuisset, quod tamen certo certius imposuit, et quod illum tanto in pretio habuisset, si errori obnoxium cognovisset? Aut numquid Cassiani doctrinam scriptis libris de Vocatione Gentium refellere suscepisset, si ipsum ab errore jam revocatum et sana sapientem credidisset, quod tamen asseruit Quesnellius? Ego autem probationes non suppetere, immo nec verosimile arbitror, Cassianum aliquando mentem mutasse. Leonem quidem inter Cassiani amicos numerandum fateor; sed nec inde recte probari ejusdem cum Cassiano Leonem fuisse sententiæ, nec inde argui invicte non ab eo scriptos de Vocatione Gentium libellos contendo. Quotidiano experimento fit notum, ab amicis scribi contra amicos, si opinione differat unus ab altero. Hoc unum præstat amicitia, ut amico quantum veritas patitur parcatur, non directe oppugnetur, leni stylo tractetur, tamquam homo quem magis docere cupias quam refellere. Idipsum omnino præstat auctor librorum de Vocatione Gentium.

Quæ tunc erant inter Augustini discipulos et ejus doctrinæ adversantes dissidia, nondum hæresim inducere credebantur. Sanctus enim Prosper, fervens licet Augustini discipulus et vindex, eos a quibus ipse impugnabatur catholicos vocat, et in Ecclesia vivere agnoscit. Auctor librorum de Vocatione Gentium adhuc mitius de his concertationibus loquitur, quæstiones de quibus agitabantur vocans difficiles, et inter catholicos agitari solitas. Cassianus ipse cum suis asseclis sensus suos modeste defendebat, absque pertinacia aut invectivis. Ex quibus conficitur nihil obstare quin S. Leo potuerit Cassianum ad Nestorianos refellendos assumere, et postea libros de Vocatione Gentium, in quibus Cassiani de gratia sententiæ contradicit, idem ipse conscribere.

At saltem (subjicit Antelmius) ut amicis indulsisset Leo Cassiano ejusque discipulis, nec eorum disputationes vocasset *Calumniosa certamina*, nec calumniosa objicere criminatus esset, aut impie diffiteri, aut præsumptionis arguisset et ignorantiæ, tendere laqueos deceptionis contumacesve querelas, aut insidiosam malignitatem et insolentem præsumptionem his exprobrasset. Hæc tamen probra omnia per libros de Vocatione Gentium sparsa, et iis afflicta leguntur qui non perfectæ gratiæ fidem sequebantur.

Forte quis responderit, satis indultum Cassiano a Leone cum ipsius nomini pepercit, nec ipsum ex nomine refellere aggressus est, sed eos generatim insectatus qui nimium libero tribuebant arbitrio, totam hanc quæstionem ita tractavit, quasi qui nullas in ea partes eligeret, nec se palam illis adversarium declararet. Quæ vero dura leguntur hoc in opere, nec Cassianum tangunt, nec ejus speciatim discipulos; sed consecutiones erroneas afficiunt, quæ ex eorum principiis elici facile possent. Adde quod nec talia adeo injuriosa censeri posse probatur quantum jactitantur. Tertium profert Antelmius argumentum quod videtur ipsi ineluctabile; quo plane convictum se fuisse ait, et neminem non convictum iri facile sibi persuadet: scilicet, Si Leo diaconus Semipelagianos tam viriliter insectatus fuisset, qui credetur summi pontificatus apicem adeptus eosdem indemnatos reliquisse toto pontificatus sui tempore? Indignum sane et monstro simile si nihil contra eos statuisset: cum tamen ejusmodi homines sub pontificatu Leonis honoribus cumulatos dignitatibusque auctos appareat. Leonis quoque successor Hilarus antesignanum illorum Faustum Romano concilio præsidere voluit. Si vero dicatur Leo alium vultum induisse, talesque errores tacendo palpasse; immerito ergo hæreticorum non fictus aut trepidus impugnator, et constans veritatis propugnator audit; immerito Leoni de tribu Juda comparatur, propter ardens studium quo Pelagianos insectatus est. Cur ille in Semipelagianos insurgere neglexisset, si cum auctore librorum de Vocatione Gentium sensisset, illos Pelagii errores revocare? Numquid S. Prosper fidelis Leonis amanuensis, et ei a secretioribus, insignis inter omnes Semipelagianorum adversarius, zelum ejus in ipsos non inflammasset? Quas omnes egregias declamationes ab ullo pro probationibus invictis et ineluctabilibus haberi posse vix in animum inducas. Librorum de Vocatione Gentium scriptor defensores liberi arbitrii hæreticis non accensuit, eorum sententias ut privatus homo refutavit. Supponamus ergo librorum auctorem Leonem fuisse; quid opus erat ut pontifex factus, pro summa qua pollebat in Eccelesia auctoritate, eos ut hæresis indubitatæ reos damnaret? Et si enim opiniones a se in libris istis suis rejectas pro hæreticis habuisset; cui bono in homines insurrexisset quietos et silentes, qui nec dogmata perversa disseminare, nec in partem se dividere attentassent? Nec enim legitur quamdiu ille pontificatum tenuit ulla hac de re exorta disputatio. Diu post ejus obitum revixit illa concertatio. Dicatur ergo qua ex occasione sanctus Leo damnasset Semipelagianos? Num ab aliquo ad ejus tribunal delati? An de iis aliquid ad eum scriptis nuntiatum? An eo pontifice opiniones suas scriptis libris propugnarunt? Hæc omnia omni etiam leviori probatione carent. At enim eorum asseclæ honoribus creverunt, in abbates et episcopos in Galliis electi leguntur. Leonis erat intercedere talibus. Quasi vero tunc diplomatibus pontificiis opus esset electis ad hasce dignitates. At Hilarus Leonis successor Faustum Rhegiensem Semipelagianorum principem Romano concilio præsidere voluit. Prius intelligendum quid hic sit concilio præsidere: non enim ibi significat præesse, sed tantum interesse, quomodo dicitur, *præsidente*

Digitized by Google

*fratrum numeroso concilio.* Num inde conficies fautorem Semipelagianorum Leonem? Non id quidem multis consequens videndum reor. Cum Faustus Romano interfuit concilio, nondum scripserat librum illum quo in sancti Augustini doctrinam insurgit: diu post id temporis librum hunc scripsit: et licet antea scripsisset, non inde inferas probatum ab Hilaro opus, multo minus a Leone Hilari decessore, nec hunc Fausto favisse concludas. Sed, quod maxime mirum videbitur, non advertit Antelmius omnia a se adducta exempla solo Prosperi exemplo convelli. Nec enim videtur ille aliquot contra Semipelagianos scriptum edidisse post librum suum contra Collatorem, id est, Cassianum, quem ante Leonis pontificatum ediderat. Si ergo illi homines sub hoc pontificatu aliquid novi inducere tentarunt, cur ipse siluit, aut cur non illos, ut ante, palam et publice insectatus est? Cur eo quo pollebat apud pontificem summum favore non usus est adversus illos? Cur non apud Leonem detulit errantes? Si quis hoc genus ratiocinii eo usque urgeret de Prospero, quantum Antelmius urget de S. Leone, parum abesset quin inde concluderetur quoque nihil umquam adversus Semipelagianos exarasse sanctum Prosperum.

Quod ducitur ex Gelasii papæ auctoritate argumentum, quod ille auctorem librorum de Vocatione Gentium inter doctores Ecclesiæ numeret, etsi ab ejus nomine abstineat, præcedentibus plausibilius videtur. Si enim Leonis esset opus istud, quomodo id Gelasium latuisset; aut si non latuit, quo consilio Leonis nomen tacuisset? Verum hoc argumento probatur tantum, opus istud tunc etiam temporis anonymum prodiisse, de quo convenit inter omnes: unde semper quærendum superest, numquid non ipse sanctus Leo absque nomine ediderit. Eas affert Quesnellius rationes, quæ rem verisimilem efficiant. Ad ea nunc quæ istis respondentur descendamus, cum jam certum sit apud nos nullo argumento evinci hos libros non esse S. Leonis. Quesnellii adversarius hoc unum probare nititur, sanctum Prosperum sancti Hieronymi translatione usum, quomodo et S. Leo; et hunc nonnumquam antiquam quoque versionem Scripturarum adhibuisse; quo solo firmissimo adversarii sui argumento satisfactum arbitratur. Non hic investigare aggrediar quis eorum recte, quis secus hoc in negotio senserit: soli argumento quod ducitur ex styli conformitate insistam, de quo parti adversæ assentiri cognoscitur Antelmius; cum ipse ideo Sermones et Epistolas Leonis magni S. Prospero tribui vult, quia concinit stylus horum operum cum stylo librorum de Vocatione Gentium. Qua confessione nihil magis causam Quesnellii promovere potest. Cum enim longe certius sit Sermones et Epistolas quibus præfigitur Leonis nomen, Leonis opus esse, quam libros de Vocatione Gentium esse fetum S. Prosperi; si necessario agnoscendus idem utrorumque parens, æquiori jure tribuentur Leoni libri de Vocatione Gentium, quam Prospero Epistolæ et Sermones S. Leonis. Equidem P. Natalis Alexander, et P. Oldinus, styli differentiam agnovisse se dicunt, nec tot in Leone rhythmos, tot figuras, tot similiter cadentia, quot in illis libris. Sed non sedulo rem considerasse videntur, si quid enim diversi reperiatur, hoc exigui admodum momenti apparebit.

Ex his quæ hactenus disputata sunt de auctore librorum de Vocatione Gentium hæc confici possunt: 1° Hoc opus primum prodiisse anonymum; 2° exaratum esse post annum 430, et ante 496; 3° sub pontificatu Gelasii papæ opus notum fuisse, sed sine auctoris nomine lectum esse; 4° post eam ætatem in quibusdam mss. nomen prætulisse S. Ambrosii, in aliis nomen S. Prosperi; 5° certo certius non esse Ambrosii; 6° nec vero simile idem esse S. Prosperi; 7° auctorem cum hactenus ignotus manserit, difficile posse sciri quis tandem ille fuerit; 8° quod si ex modo res tractandi et styli conformitate judicium ducatur, esse unde conjiciatur opus sancti Leonis; 9° Nullatenus probari hoc opus non a Leone elaboratum. Unum superest, scilicet pro certo definire hos libros esse sancti Leonis fetum. Quod nos ex argumento in sola styli similitudine fundato statuere non ausimus, quod tamen momentis a Quesnellio in medium adductis fere persuaderi non diffitebimur.

Probationi vero quam Antelmius ex Photii testimonio eruit non respondimus, quia illud in rem de qua agitur nihil confert. Huic enim auctori confuse leviterque nota videtur historia Pelagianorum, et ignota omnino orta post Augustini mortem de ejus doctrina inter Occidentales dissidia. Ex suo ingenio ait a S. Prospero pugnatum contra Pelagianos sub pontificatu S. Leonis. Audierat de gratia scripsisse Prosperum: Pelagianos ab eo impugnatos credidit; et cum legisset in epistolis Septimii et Leonis ad Januarium Aquileiensem sub hoc pontificatu motos istiusmodi homines, hoc ipso tempore a Prospero impugnatos arbitratus est, eo libentius quod non eum latebat tunc temporis Romæ diversatum fuisse Prosperum. Sed hæc omnia ex meris conjecturis a Photio scripta manifeste patet, locutumque ut hominem a temporibus et locis sejunctum, qui exacta rerum historia carebat, sed omnia ex suo ingenio fingebat. Etsi vero fateremur Prosperum sedente in Romana sede Leone contra Pelagianos stylum exercuisse: ex mera conjectura id tribuitur libris de Vocatione Gentium, qui in Pelagianos non diriguntur. Unde habetur de his libris locutum esse Photium? Numquid fieri nequit Prosperum interea temporis aliquos libros edidisse contra Pelagianos, qui tamen ad nos non pervenerint. Sed tandem nihil certi statui potest ex hoc Photii loco, qui hæc omnia ex mera conjectura scripsisse convincitur.

Ex his omnibus facile colliget æquus lector, nihil satius, et ab omni temeritatis suspicione remotius, a nobis fieri debuisse, quam ut hosce libros inter eruditos hinc inde tanta concertatione discussos, unde tamen certum de auctore judicium statui nequeat, nec veris S. Prosperi operibus annumeremus, nec ad supposita omnino rejiciamus; donec de tanta lite statuerint eruditi. Ex dictis tamen facile conjicitur hos libros circa annum Christi 440 fuisse exaratos.

---

## LIBRI DUO [a]

# DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM.

## LIBER PRIMUS.

847 CAPUT PRIMUM.

*Materiam hoc libro tractandam proponit, ostenditque non recte sentire eos qui prædicatione gratiæ liberum negari arbitrium contendunt.*

A Inter defensores liberi arbitrii, et prædicatores

[a] Scripti circiter annum 440.

Digitized by Google

gratiæ Dei, magna et difficilis dudum [a] vertitur quæstio. Quæritur enim utrum velit Deus omnes homines salvos fieri; et quia negari hoc non potest, cur voluntas Omnipotentis non impleatur inquiritur. Cumque hoc secundum [b] voluntatem hominum fieri dicitur, gratia videtur excludi; quæ si meritis redditur, constat eam non donum esse, sed debitum. Unde iterum quæritur cur hoc donum, sine quo nemo [c] salvus est, ab eo qui omnes salvari vult, non omnibus conferatur. Atque ita, contrariarum disputationum nullus terminus reperitur, dum non discernitur quid manifestum, quid sit occultum. De hac igitur
848 compugnantia opinionum, qua mensura et temperantia sentiendum sit, quantum Dominus adjuverit, annitar inquirere; exercens atque discutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo sobrie (quantum arbitror) inhæserunt; ut si in eas regulas processerit stylus quæ nihil offensionis, nihil habeant pravitatis, non solum nobis, sed et aliis utile sit, ad aliquem nos limitem pervenisse, quem non debeamus excedere. Primitus itaque de voluntatis humanæ motibus et gradibus disputandum est. Inter quam et gratiam Dei quorumdam non sana discretio est, [d] existimantium quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium; nec advertentium eadem regula sibi posse objici, quod gratiam negent, cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem. [e] Si enim tollitur voluntas, nisi ipsa est verarum origo virtutum; tollitur gratia, nisi ipsa est bonorum causa meritorum. Sed jam, auxiliante Christo, quod tractandum concepimus inchoemus.

## 849 CAPUT II.

*Omni animæ humanæ naturaliter inesse qualemcumque voluntatem, quæ aut sensualis, aut animalis, aut spiritalis est.*

Omni animæ humanæ, quantum intelligere atque experiri datur, naturaliter qualiscumque inest volun-
A tas, qua [f] aut appetitur quod placet, aut declinatur quod displicet. Hujus voluntatis, quantum ad naturalem pertinet motum ex vitio primæ prævaricationis infirmum, genera sunt duo, secundum quæ voluntas hominis, aut sensualis, aut animalis est. Sed cum adest gratia Dei, accedit ei per donum spiritus tertium genus, ut possit fieri spiritalis, et per hunc excellentiorem motum omnes affectus undecumque nascentes supernæ rationis lege dijudicet.

## CAPUT III.

*De voluntate sensuali.*

Sensualis igitur voluntas, quam et carnalem possumus dicere, non erigitur supra eum motum qui de corporis sensibus nascitur, qualis est [g] in animis parvulorum: qui licet nullo judicio rationis utantur,
B ostendunt tamen aliquid se velle, aliquid nolle, cum videndo, audiendo, odorando, gustando, tangendo, et ea quibus delectantur amant, et ea quibus offenduntur oderunt. [h] Quid autem est amare, nisi velle? aut quid est odisse, nisi nolle? Habent ergo etiam ipsi voluntatem suam, [i] quæ etsi providendi et consulendi impos atque ignara sit, in his tamen amat agere quæ carnis sensibus blandiuntur, donec vigor rationalis ingenii per maturiora ministeria corporis excitetur, et ad famulantium sibi membrorum usum, non [j] alieno nutu, sed sua lege moveatur.

## 850 CAPUT IV.

*De voluntate animali, qua nihil supra mercedem temporalis gloriæ acquiritur, etiam si dono Dei in ea sublimius sapiatur.*

C Ab hoc ergo sensuali appetitu, in quo remanent hi quos etiam in annis majoribus excordes videmus et fatuos, ad animalem surgitur voluntatem; quæ priusquam Spiritu Dei agatur, etiam si supra sensualem motum [k] sese attollere potest, tamen sine summi amoris participatione in terrenis occiduisque versatur. In hac humana [l] ingenia etiam si corporea

[a] Editi nostri. Lovan., Duac. et Colon., *quæritur quæstio*, emendamus ex edit. Oper. S. Leonis ad ms. Thuaneum exacta, ms. Camberonensi in ora codicum nostrorum citato, et Jol.

[b] Ita edit. Leon. conformiter mss. Thu., Camb. et Jol. Alias, *secundum voluntates hominum fieri videatur*, in editis nostris.

[c] Ms. Camb. et edit. Leo. alias, *salvus esse potest.*

[d] Mss. Camb. et Jol., *æstimantium.*

[e] Sic ms. Joliensis, ad quem propius accedunt mss. Camb. et Thu., ubi tamen pro, *Si enim*, habetur, *Sic enim*, etc., ut in textu. Editiones Prosperianæ et Leonina: *Si enim tollitur voluntas, ubi ipsa est verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, ubi ipsa est bonorum causa meritorum?*

[f] Ms. Joliensis, *aut appetit quod placet, aut declinat*, etc.

[g] Editio Leon. Op. omittit præpositionem *in.*

[h] Ms. Camberon., *Quid est enim.... et quid est.* Edit. Leon. et ms. Jol., *et quid est*, pariter habet.

[i] Ms. Joliensis, *impotens atque ignara est.* Ms. Camb. et Leon. op., *quæ et providendi et consulendi impos atque ignara est. In his tamen.*

[j] Ita mss. Camb., Thu. et Jol. Editi ante, *alieno motu.*

[k] Sic habent mss. Camb., Thuan. et Jol., non, ut antea editi, *sine sui amoris;* qui in margine ferunt, *scilicet Dei.* Gratiam videlicet summi amoris seu boni participatione defluit. Quemadmodum et cap. 8 inferius.

[l] Ita emendatum ex mss. cod. Camb. et Thuan. in Leone, et a nobis hic ex ms. Joliensi; cum antea editi Prosperiani et Leonis l haberent, *in hac humana etiam ingenia, si corporeæ*, etc.; non sine diminutione energiæ hujus sententiæ, qua *solius gloriæ temporalis*, et, ut ait cap. 18, *vanæ laudis mercedem* eos assequi asserit, qui rectas actiones et bona studia sua, non ad ejus laudem atque honorem referunt, *a quo acceperunt ut sublimius saperent*, tametsi *cupiditates suas justitiæ atque honestatis legibus temperent.*
D Qui enim receperunt in hac vita mercedem suam, vani vanam, recipient et in altera pœnam suam. Quoniam, ex Augustino libro IV contra Julianum, cap. 3, *cum facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, et facere debere vera sapientia præcipit, peccare convincitur: quia etsi opus illud officio videatur bonum, ipso tamen non recto fine peccatum est.* Hanc esse mentem auctoris nostri magis elucescit tum ex cap. 6, ubi scribit quod *ille male vivit qui non in gloriam Dei vivit;* tum ex cap. 7, ubi ait quod *sine cultu Dei etiam quod virtus videtur peccatum est.* Sed ex hoc ipso capite 4, ubi eos quos hujusmodi rectis actionibus præsentem vitam decenter exornare dixit, paulo post suggillat, tamquam qui 1° non confiteantur Deum rectæ hujus actionis auctorem; 2° non in Deo, sed



Digitized by Google

voluptati non turpiter serviant, et cupiditates suas justitiæ atque honestatis legibus temperent, nihil supra mercedem gloriæ temporalis acquirunt; et cum præsentem vitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent; quia rectas actiones et bona studia sua, non ad ejus laudem atque honorem referunt, a quo acceperunt [a] ut sublimius saperent, et excellentius cæteris enitescerent. Cum enim quidam non solum ad instituta utilissimarum artium, et doctrinas liberalium disciplinarum, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciem mentis intenderint, *et invisibilia Dei per ea quæ facta sunt* (*Rom.* I, 20) intellecta conspexerint; non agentes tamen gratias Deo, nec confitentes illum sibi esse hujus facultatis auctorem, sed *dicentes se esse sapientes* (*Ibid.* 22), hoc est, non in Deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis atque rationibus propinquassent; *evanuerunt in cogitationibus suis*, et quod, illuminante Dei gratia, [b] invenerant, obcæcante superbia perdiderunt, relapsi a superna luce [c] in tenebras suas, hoc est, ab incommutabili atque æterno bono, ad mutabilem corruptibilemque naturam. Cum ergo tales in amorem sui recidunt, et ita sibimet placent ut totum quod in se laudabile judicant, non ad dona Dei referant, sed sibi vindicent, et studio propriæ voluntatis ascribant, procul ab illa **851** spiritali [d] exsulant voluntate, et nihil in se habent quo ad vitam provehantur æternam, incipientes in semetipsis etiam illa temporalia Dei dona corrumpere, et a bono eorum usu in consuetudinem innumerabilium transire vitiorum.

## CAPUT V.

*Omnes gentes in elementis accepisse præcepta legalia, ut inexcusabiles sint in idololatria.*

Quamvis enim scriptum sit quod *cum dispertiret Excelsus gentes, quemadmodum dispersit filios Adam, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei, et facta est portio Domini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel* (*Deut.* XXXII, 8); et scriptum sit Dominum dicere ad Israel, *Eritis mihi sancti, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester, qui segregavi vos ab omnibus gentibus esse mihi* (*Levit.* XIX, 2); et quamvis scriptum sit in libro Esther, dicente Mardochæo, *Gratias tibi, Domine, quoniam fecisti nova signa et prodigia, qualia non sunt facta in gentibus, dividens omne sæculum in sortes duas, elegisti unam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus* ( *Esth.* XVI, *juxta LXX*); et Paulus et Barnabas dicant, *Et nos*

A *mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas* (*Act.* XIV, 14); quamvis ergo hæc et multa similia veritatis Scriptura pronuntiet, [e] secundum ipsam tamen credimus, et piissime confitemur, quod nunquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit; quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit: ut propheticas voces et præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Unde et inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi Dei dona fecerunt, et quæ creata erant ad utendum, B venerati sunt ad colendum.

## CAPUT VI.

*Quod absque divina gratia voluntas tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni, quia non in gloriam Dei vivit.*

In quam impietatem etiam illa gens quam sibi ab omnibus gentibus Dominus segregavit, tota transisset, nisi misericordiæ suæ propositum [f] sustentandis electorum lapsibus prætendisset: nam plenæ sunt paginæ veteris Testamenti de Israeliticæ defectionis relatu: ut aperte appareat, divinæ semper fuisse gratiæ, **852** quod non omnis ille populus discessit a Domino. Ita humana natura in primi hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta et auxilia Dei, semper in deteriorem est pro- C clivior voluntatem, cui committi non est aliud quam dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, [g] instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quam virtutum avidior, famæ quam conscientiæ diligentior, et per omnem sui experientiam miserior fruendo his quæ concupiverit, quam carendo; nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.

Quamdiu ergo homini ea placent quæ Deo displicent, voluntas ejus animalis est: quia etiam si in D bonis moribus agat, male adhuc vivit, si non in Dei gloriam vivit. Hoc est enim proprium et præcipuum piorum, ut in Domino glorientur, nec se nisi in Deo diligant. Bene enim se amant, qui in se opera Dei amant. Nam et Deus hoc amat in nobis quod ipse

in semetipsis glorientur; 3° evanescant in cogitationibus suis; 4° in amorem sui recidant; 5° in semetipsis dona Dei corrumpant. Consuli possunt Prosper carm. de Ingratis, versu 408, et notæ eidem subjectæ.

[a] In editis alias, *ut in ipsa animali discretione sublimius saperent*. Nos edit. Leon. ad Camb. et Thuan. mss. emendatam, et ms. Joliensem a nobis consultum secuti sumus. Verba quippe illa, *in ipsa animali discretione*, glossematis habent speciem, quod ex margine studiosi cujuspiam in textum irrepserit.

[b] Ms. Camberon., *invenerunt*.

[c] Editi, *ad tenebras suas;* ms. Joliensis et edit. Leon., *in tenebras suas*.

[d] Melius *exsulant*, ex ms. Joliensi et edit. Oper. Leon., quam *exsultant*, in editis prioribus, legitur.

[e] Has voces, *secundum ipsam* non habent mss. Camb. et Thuan., nec Joliensis.

[f] Ms. Joliensis, *sustentantis*.

[g] Hæc duo, *instabilis, imperita*, absunt ab edit. Leonis.

Digitized by Google

fecit, et hoc odit quod ipse non fecit. Si ergo opus A Dei amamus in nobis, bonam voluntatem [a] recte amamus in nobis : quæ utique si opus Dei non esset, amanda non esset. Quis autem homo, nisi malæ voluntatis, [b] bonam in se non amet voluntatem, quæ superni agricolæ prima plantatio est? Dicente enim Veritate, *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* xv, 13), quidquid non est eradicandum, manifestum est a Patre esse plantatum. Bona autem voluntas omnium virtutum germen est primum. Quæ innixa origini suæ, in illa æterna et incommutabili voluntate requiescit, ut vere sit spiritalis : quoniam *qui adhæret Deo, unus spiritus est* (I *Cor.* vi, 17), dum per communionem illuminantis et illuminati, justificantis et justificati, regentis et subditi, omnis actio ad B unum refertur; et quod ad unum refertur, utriusque est. Quia nec a Deo alienari potest quod dedit, nec ab homine quod accepit.

## CAPUT VII.

*In homine, cum ad pietatem redit, non aliam in eo creari substantiam, sed eamdem quæ fuerat labefactata reparari; nec aliud ab eo auferri nisi vitium, priore voluntate correcta.*

Hic tractandum videtur utrum cum bonæ voluntatis esse homo incipit, eadem quæ in ipso erat corrigatur voluntas; **853** an alia ei quam [c] non habebat, et quæ priori repugnet, detur. Quod ut evidentius appareat, altius id non pigeat inquirere. Omnes homines in primo homine sine vitio conditi sumus, et omnes naturæ nostræ incolumitatem ejusdem homi- C nis prævaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis [d] animique corruptio; inde ignorantia et difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, injusta gaudia, pœnitenda consilia, et non minor miseriarum multitudo quam criminum. His ergo atque aliis malis in naturam humanam irruentibus, fide perdita, spe relicta, intelligentia obcæcata, voluntate captiva, nemo in se unde repararetur invenit. Quia etsi fuit qui naturali intellectu conatus sit vitiis reluctari, hujus tantum temporis vitam steriliter ornavit, ad veras autem virtutes æternamque beatitudinem non profecit. Sine cultu enim [e] veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest. D Qui vero Deo non placet, cui, nisi sibi et diabolo placet? A quo cum homo spoliaretur, non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est : quia nec detrudi ab innocentiæ statu posset, nisi voluntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta est mala; et ille animi motus, qui numquam potest sine aliquo esse amore, hoc est, sine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, sed mutavit affectum; id recipiens desiderio quod debuit refutare judicio. Cum igitur homo ad pietatem redit, de quo ideo dictum est, *Spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII, 39), quia nisi illum Deus converteret, non rediret; [f] cum fit novum figmentum, novaque creatura, non alia in eo creatur substantia, sed eadem quæ fuerat labefactata reparatur : nec aliud ab eo aufertur, [g] nisi vitium quod natura non habuit.

## CAPUT VIII.

*Gratiam sic reparare opus Dei, ut liberum arbitrium non auferat, sed potius per ipsummet illud sanet.*

Fuit enim in Adam natura sive vitio, qui per voluntatis inobedientiam mala multa contraxit, et in posteros magis magisque [h] multiplicanda transfudit. Quæ ut vincantur atque in nihilum deducantur, [i] non efficit nisi gratia Salvatoris, qui opus suum **854** opere suo reparat : sicut enim dicit Joannes apostolus, *In hoc apparuit Filius Dei, ut solvat opera diaboli* (I *Joan.* 3, 8). Et sic rumpit vincula captivi, sic vestit nuditatem spoliati, sic sanat vulnera sauciati, ut quod in ipso agit, etiam per ipsum geratur. Cui utique contra hostem [j] suum non expedit sine protectore confligere. Cum illo enim habet certamen a quo aliquando superatus est. Non ergo fidat [k] de viribus suis, quæ etiam cum essent integræ, non steterunt; sed per illum quærat victoriam qui solus non est victus, et omnibus vicit. Et si quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo se accepisse quem quærit. Nec quia Spiritu Dei agitur (*Rom.* viii, 14), ideo se putet liberum arbitrium non habere : quod ne tunc quidem perdidit quando diabolo voluntate se dedit, a quo judicium voluntatis depravatum est, non ablatum. Quod ergo non [l] interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem : vulnus sanatur, non natura removetur. Sed quod in natura periit, non restituitur nisi ab auctore naturæ : [m] apud quem quod perdidit natura, non periit (*Idem Prosp.*, *cap.* 26 *cont. Collat.*). Æterna est enim sapientia, æterna veritas, æterna bonitas, æterna justitia, omnium denique virtutum lumen æternum est, totum-

[a] Ms. Thuaneus caret voce *recte*.

[b] Hic editi inserunt *fuerit*, quo carent mss. Jol. et Camb. et edit. Leonis. Iidem postea, *non amat*, et Leon. edit., ubi ms. Jol. et Camb., *amat*.

[c] Colon. editio, *non habeat*.

[d] Ms. Camberon., *animæque*.

[e] Vox hæc *veri* abest ab editione Leonis, est in nostris omnibus et ms. Joliensi.

[f] Ita mss. Thuan. et Jol. et edit. Leon. Cujus loco alias legebatur : *non fit novum figmentum*; quod et Apostolo, et ipsi baptismatis ac justificationis mysterio contrarium.

[g] Ms. Joliensis, *nisi quod natura*, omissa voce hac, *vitium*.

[h] Mss. Thuan. et Jol., *multiplicando*.

[i] Editi Lovan. Duac. et Colon., *non effecit*. Melius ms. Jol. et Leon. editio, *efficit*.

[j] Vox hæc, *suum*, abest a ms. Joliensi.

[k] Editi, *de viribus*. Ms. Jol. et edit. Lugd. non habent particulam *de*.

[l] Sic editi nostri omnes. Forte *infectum*, non *interfectum*. Mss. Jol. et Camb. et Leon. Oper. edit. *ereptum est*.

[m] Hæc quæ sequuntur usque ad finem capitis absunt a Lovaniensi editione : olim ex Camberonensi ms. suppleta sunt in Duac. et sequentibus; et reperta postmodum in mss. cod. Thuaneo et Joliensi.

Digitized by Google

que quod virtus est, Deus est. Qui si non operatur in nobis, nullius possumus participes esse virtutis. Sine hoc quippe bono nihil est bonum, sine hac luce nihil est lucidum, sine hac sapientia nihil sanum, sine hac justitia nihil rectum. Dicit enim per Isaiam Dominus, *Ego sum, ego sum Deus, et non est præter me qui salvet* (*Isai.* XLIII, 11); et Jeremias, *Scio*, inquit, *Domine, quia non* [a] *est in homine via sua, nec viri est ut dirigat iter suum* (*Jer.* X, 23). Homo namque mortalis damnata in Adam origine carnaliter natus, ad spiritalem novi generis dignitatem, nisi Spiritu sancto regente non pervenit. Sed nec ullo hanc desiderio appetit, qui calorem ipsius desiderii non accepit [b] a Deo, de quo dicit Dominus, *Ignem veni mittere in terram: et quid volo nisi ut ardeat* (*Luc.* XII, 49)? Ignis autem iste, dilectio est Dei, quam amator mundi corde captivo non potest concipere; plenus est enim amore vanitatum, quas etiam si potuerit ex aliqua parte vitare, et, transcensis [c] temporalibus ac visibilibus, ad æterna et invisibilia intelligendo profecerit; si a colendis quoque simulacris recesserit, et venerari cœlum ac terram, omniaque mundi hujus elementa destiterit; fidem tamen dilectionemque **855** Christi, conturbatus de ejus ipsa humilitate, non capiet, et scandalum Dominicæ nativitatis ac mortis proprio judicio non evincet. Propter sapientiam enim mundi resistentem sapientiæ Dei, ut superbia de se præsumentium cæcaretur, *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (I *Cor.* I, 21). Unde qui doctrinis sæcularibus tument, ridendam magis quam adorandam crucem Christi existimant; et quanto sublimius quisque ad humanarum diciplinarum instituta conscendit, tanto magis prædicationis nostræ humilia et infirma fastidit.

Nec mirum si Evangelio crucis Christi philosophia [d] gentilis obnititur, cui etiam Judaica eruditio reluctatur. Nec docti igitur, nec indocti, cujuslibet stirpis aut ordinis, humana ratione [e] ad Deum ducuntur; sed omnis homo qui ad Deum convertitur, Dei primum gratia commovetur. Non enim ipse sibi lumen est, [f] nec cor suum radio propriæ lucis accendit. Si enim beatus Joannes, quo nemo hominum major natus est, *non erat lumen*, quia non suo splendore lucebat, sed de illo vero lumine *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9), ut lux esset acceperat: quis ille erit qui tot opinionum colluctationes, tot vincula consuetudinis, tot præjudicia vetustatis, suo tantum judicio [g] usus abrumpat; et sola voce extrinsecus sonante doctoris, hoc tantum de gratia habeat quod

A audivit, et totum de voluntate quod credidit? Quod si ita esset, nihil inter gratiam legemque distaret, nec indulgentiæ quemquam spiritus vivificaret, si occidens littera permaneret. Lex enim quod fieri aut non fieri jubet, non præstat ut aut fiat aut non fiat; quoniam severitati ejus non libertate, sed timore servitur: Dominus autem ut legem non solveret, sed impleret (*Matth.* V, 17), per gratiæ auxilium efficax fecit legis imperium, et multiplicando clementiam sustulit pœnam; ut peccatum non ulciscendo plecteret, sed remittendo deleret. Unde adulteram ex legis constitutione lapidandam, et veritate liberavit, et gratia; cum executores præcepti de conscientiis territi, trementem ream sub illius judicio reliquissent qui venerat *quærere et salvum facere quod perierat* B (*Luc.* XIX, 10); et ideo inclinatus, id est, ad humana demissus, et in opus nostræ reformationis inflexus, *digito scribebat in terram* (*Joan.* XVIII, 6), ut legem mandatorum per gratiæ decreta vacuaret, et ostenderet se esse qui dixerat, *Dabo leges* **856** *meas in sensu ipsorum, et in corde ipsorum scribam eas* (*Jerem.* XXXI, 33). Quod utique quotidie facit, dum cordibus vocatorum suam inserit voluntatem, et stylo Spiritus sancti quidquid in animæ paginis diabolus invidendo falsavit [h] veritas miserando rescribit.

Cum igitur verbum Dei per ministerium prædicantium auribus carnis infertur, miscetur operatio potentiæ divinæ cum sono vocis humanæ, et qui incitavit evangelizantis officium, audientis quoque C [i] firmavit affectum. Dulcescit enim animæ cibus verbi, veteres tenebræ nova luce pelluntur, et obtutus interior caligine antiqui erroris exsuitur: transit animus de voluntate in voluntatem; etsi illa quæ pellitur, aliqua [j] cunctatione remoratur; ea tamen quæ gignitur electiora quæque sibi vindicat, ut lex peccati et lex Dei diversas atque discretas in eodem homine habeant mansiones: et concupiscente carne adversus spiritum, [k] carnis etiam concupiscentiis spiritu repugnante (*Gal.* V, 17), per exteriora quidem insidiari tentator audeat, sed mens auxilio Dei munita prævaleat. [l] Ad magnam enim utilitatem fidelium materia est reservata certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. Unde et Apostolus dicit: *In magnitudine revelationum ne* D *extollar, datus est mihi angelus Satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me; sed dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7). Quærat ergo Dominus imaginem suam, et errantem ovem

[a] Verbum substantivum *est* ex ms. Jol. additur: deest in aliis.
[b] Ms. Jol. omittit *a Deo*.
[c] Ms. Jol., *corporalibus*.
[d] Ms. Jol. et edit. Oper. Leon. addunt *gentilis*, cui respondet *Judaica*.
[e] Editi Duac. et Colon., *ad Dominum*.
[f] Ms. Jol., *nec cursum*.
[g] Ms. Jol. et edit. Leon. addunt *usus*, quo carent alii libri.
[h] Hæc aberant ab edit. Leonis et exciderant a Colon. Sunt in mss. Camb. et Jol. et Duac. editione.
[i] Duac. et Colon., *firmavit*. Ms. Jol. et edit. Leonis, *formavit*.
[j] Sic ms. Jol. et edit. Leon. Alias, *contagione*, in Leone et Prospero.
[k] Mss. Jol. et Duac., *carnis autem*. Alii, *carnis etiam*.
[l] Hæc referuntur a Gelasio papa in opusculo adversus Pelagianos, cum hoc elogio: *Sicut quidam magister Ecclesiæ sapienter edocuit, dicens: Ad magnam enim utilitatem*, etc.

Digitized by Google

bonus pastor inveniat : nec dedignetur ægram diuque in invio fatigatam humeris suis ferre, et non revocando tantum, sed etiam portando salvare. Quærat Dominus imaginem suam, et omnium quæ in eam inciderunt sordium concretione detersa, speculum humani cordis enubilet. Scriptum est enim : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es* (*Job* xiv, 4)? Quærat Dominus imaginem suam, ut [a] in renovatione ac justificatione ejus gratia reformantis appareat, sicut in se factum Paulus apostolus protestatur et dicit : *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo : tantum auditum habebant, quod is qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam expugnabat; et in me clarificabant* [b] *Deum* (*Gal.* i, 22). Sic ergo tunc Christianus populus didicerat, et illi [c] primitivi Ecclesiæ, quorum erat unum cor et una anima (*Act.* iv, 32), sic credebant; ut cum **857** viderent quempiam ad agnitionem veritatis ab errore conversum, glorificarent Deum, et fidem correcti confiterentur muneris esse divini. Ipse quoque Dominus discipulos suos magistros omnium gentium sic docebat dicens : *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16).

## CAPUT IX.

[d] *Quod Scriptura sive de bonis, sive de malis loquatur, sive de electis, sive de reprobis, ita meminit unius partis, quasi neminem hominum prætermittat.*

Fixa ergo hac fide in cordibus nostris, [e] immobiliterque fundata, qua saluberrime credimus omnia bona, ac maxime ea quæ ad vitam æternam provehunt, [f] Dei munere haberi, Dei munere augeri, Dei munere custodiri; puto quod pius sensus non debeat in ea quæstione turbari, quæ de omnium et de non omnium hominum [g] conversione generatur, si ea quæ clara sunt, non de his quæ occulta sunt, obscuremus, et dum procaciter insistimus clausis, excludamur ab apertis : cum sufficere debeat ut [h] in eo in quod pervenimus ambulemus. Quid enim mirum si quidam ad vitæ sacramenta non perveniunt, [i] cum plerique, qui videbantur venisse, discedant, de quibus dicitur, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* ii, 19)? Quorum similes sunt illi qui *profitentur*

A *se Deum scire, factis autem negant* (*Tit.* i, 16). Nam cum scriptum sit, *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit* (*Rom.* vii, 21), de quibusdam tamen Dominus ait : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* vii, 21); et : *Multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? et tunc dicam illis,* [j] *Numquam novi vos, discedite a me, operarii iniquitatis* (*Ibid.*, 22). Tales non invocant nomen Domini quia non habent *Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* viii, 15). *Nemo* autem *potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* xii, 3); et : *Qui-*
B *cumque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* viii, 14). Qui [k] ad Deum per Deum veniunt, et salvari volentes omnino salvantur : quia ipsum desiderium salutis ex Dei inspiratione concipiunt, et per illuminationem vocantis in agnitionem veniunt veritatis. **858** Sunt enim filii promissionis, merces fidei, spiritale semen Abrahæ, *genus electum, regale sacerdotium* (I *Petri* ii, 9), præscitum et præordinatum in vitam æternam, sicut testatur Spiritus sanctus per Jeremiam prophetam dicens, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et disponam domui Israel, et domui Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti : quia ipsi non perseveraverunt in testamento meo, et ego eos ne-*
C *glexi,* [*Al.* Caput IX.] *dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, Dabo leges meas in sensu ipsorum, et in corde ipsorum scribam eas, et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum : quia omnes cognoscent me a pusillo eorum usque ad magnum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum memor non ero.* [l] *Et dabo illis viam alteram, et cor aliud, ut me timeant omnes dies in bonum ipsis, et filiis eorum post eos; et constituam illis testamentum æternum, quod non avertam post eos; et timorem meum dabo in cor eorum, ne discedant a me, et visitabo eos, ut bonos eos faciam* (*Jerem.* xxxi, 31 *seqq.*). Per Isaiam quoque de
D gratia sua Dominus, qua ex omnibus hominibus [m] novam creaturam facit, eadem prænuntiat, dicens :

[a] Sic ms. Jol. et edit. Leonis. Alii, *in revelatione*, aut *relevatione*.

[b] Duac. et Colon., *Dominum*. Ms. Jol. et edit. Leonis, *Deum*.

[c] Ita ms. Jol. et edit. Leon., Duac. et Colon., *primitivæ Ecclesiæ*.

[d] Hic capitis noni initium facimus auctoritate ms. Joliensis, qui ea verba a quibus alias incipiebat hoc caput continua serie habet descriptum cum antecedentibus. Nec commodum erat a nomine prophetæ qui citatur, disjungi novo titulo locum ejusdem qui in testimonium afferebatur.

[e] Ms. Joliensis, *humiliterque*.

[f] Hæc ex mss. Thuan. et Joliensi, ac edit. Leonis addimus, quæ in editis defuerunt.

[g] Ita mss. Thuan. et Jol. Alias, *conversatione*.

[h] Ms. Jol., *in quod pervenimus*. Alii, *quo pervenimus*.

[i] Hæc verba absunt ab editis nostris et Leonis : leguntur in ms. Joliensi, videnturque omnino sequentibus necessario præmittenda.

[j] Ms. Joliensis, *introibit*; et post aliquot lineas, *Numquam vos cognovi*.

[k] Sic ms. Jol. et edit. Oper. Leon. Alibi, *ad Dominum per Dominum*.

[l] Ms. Joliensis, *et iterum, Et dabo*, etc.

[m] Ms. Jol., *novam creaturam fecit*.

Digitized by Google

*Ecce faciam nova quæ nunc* [a] *oriuntur, et cognoscetis ea, et faciam in deserto viam, et in sicca terra flumina. Benedicent me bestiæ agri, sirenæ et filiæ struthionum quod dederim in deserto aquam, et flumina in sicca terra ad potandum genus meum electum, populum meum quem mihi acquisivi, ut enarrent virtutes meas* (*Isai.* XLIII, 19, 20); et iterum : [b] *Per memetipsum juro, nisi exiet de ore meo justitia, et verba mea non avertentur, quia mihi flectetur omne genu, et confitebitur omnis lingua Deo* (*Isai.* XLV, 23, 24). Si ergo impossibile est ista non fieri, quia nec incerta præscientia Dei est, nec mutabile consilium, nec inefficax voluntas, nec falsa promissio, omnes isti de quibus hæc prædicta sunt, sine cujusquam exceptione salvantur. Dat enim leges suas [c] in sensum ipsorum, easque in cordibus eorum digito suo scribit; ut agnitionem Dei, non doctrinæ humanæ opere, sed magisterio summi eruditoris accipiant. *Quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7). Omnes hi *a pusillo usque ad magnum* [d] *cognoscunt Deum :* quia ut venirent ad Christum, a Patre audierunt atque didicerunt; [e] omnes educti ab errore, **859** diriguntur in viam vitæ; omnibus, corde mutato, recta sapere et recta velle donatur; omnibus timor, quo in mandatis Dei [f] erudiantur, inseritur. Fit in deserto via, [g] et terra arida fluminibus irrigatur: ut qui prius ad confitendum Deum os non aperiebant, et velut muta atque irrationabilia animalia in feritatem transierant bestiarum (*Isai.* XLIII, 19); divinorum eloquiorum fontibus [h] mundati, benedicant et laudent Deum, enarrantes virtutes et mirabilia misericordiæ ejus, qui elegit eos, et in filios adoptavit, ac novi Testamenti fecit hæredes. Si autem, ut Apostolus loquitur, *hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat* (*Gal.* III, 15), quomodo fieri potest ut ex ulla parte divina promissio resolvatur?

Manet prorsus et quotidie impletur quod Abrahæ Dominus sine conditione promisit, sine lege donavit. Quia etsi quidam quibus hæc [i] prædicata sunt, non crediderunt, *incredulitas eorum fidem Dei non evacuavit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax* (*Rom.* III, 3). Et illi quidem qui audito Evangelio credere noluerunt, inexcusabiliores facti sunt quam si nullum præconium veritatis audissent : sed certum est eos apud præscientiam Dei Abrahæ filios non fuisse, nec in illorum sorte numeratos, de quibus dictum est : *Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ* (*Gen.* XXVIII, 14). Credituros enim promisit qui dixit : *Et non docebit unusquisque proximum suum, et*

A *unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum : quia omnes cognoscent me a pusillo eorum usque ad magnum* (*Jer.* XXXI, 34). Reconciliandos promisit, qui dixit: *Propitius ero* [j] *iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum memor non ero* (*Ibid.*). Obedituros promisit qui dixit: *Dabo illis viam alteram et cor aliud, ut timeant me omnes dies* (*Ibid.*, 35). Perseveraturos promisit qui dixit: *Timorem meum dabo in cor eorum, ne discedant a me; et visitabo eos, ut bonos eos faciam* (*Ibid.*, 40, 41). Postremo, omnes sine cujusquam exceptione [k] promisit qui dixit : *Per memetipsum juro, nisi exiet de ore meo justitia, et verba mea non avertentur, quia mihi flectetur omne genu, et confitebitur omnis lingua Deo* (*Isai.* XLV, 23 *seq.*). Hic si dicamus non fieri quod Deus juravit esse

B faciendum, falsitatem Deo (quod absit), et mendacium ascribimus veritati. Si autem, ut pietas fidesque persuadent, Dei verba non excidunt, et fit omnino quod statuit, quomodo nobis veracis promissionis firmitas apparebit, cum multa adhuc hominum millia dæmoniis serviant, et idolis genu flectant? Nisi hujusmodi denuntiationes Dei secundum illam incommutabilem scientiam editas noverimus, in qua apud illum jam universitas humana discreta est, et sive de bonis, sive de malis **860** loquatur, ita unius partis meminit, quasi neminem hominum prætermittat. Nam cum dicit Apostolus: *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova* (II *Cor.* v, 17); numquid non omnes homines videtur dixisse renovatos? Aut cum dicit: *Quia in ipso complacuit omnem*

C *plenitudinem habitare, et per ipsum reconciliari omnia in ipso* (*Coloss.* I, 19); [l] numquid non ita loquitur, quasi neminem velit exsortem hujus reconciliationis intelligi? Aut cum ait : *Novissimis istis diebus locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum* (*Heb.* I, 2); numquid aliud sonat forma sententiæ, quam omnes homines in Christi hæreditate a Patre esse transcriptos, secundum prophetiam David, dicentis : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8)? Dicente [m] autem Domino : *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (*Joan.* XII, 32); nonne universorum videtur promissa conversio? Aut cum de Ecclesia prophetatur et dicitur: *Omnis vallis replebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt*

D *prava in directa, et aspera in vias planas* (*Isa.* XL, 4); numquid ullus hominum videtur omissus, qui non significatus sit Christo esse subdendus? Quid cum dicitur : *Et veniet omnis caro in conspectu meo, ut adorent in Jerusalem, dicit Dominus* (*Isa.* LXVI, 18); aut

[a] Ms. Camberon. et edit. Leonis, *oriuntur.*

[b] Mss. Camb. et Jol. et edit. Leonis, *Per memetipsum juro, nisi exiet.* Alii, *Per meipsum juro, nisi exiet.*

[c] Ms. Camb. et edit. Leon., *in sensu.*

[d] Ms. Jol., *cognoscent.*

[e] Quidam vir doctus suspicatus est legendum, *omnes edocti, ab errore diriguntur.*

[f] Mss. Camb. et Jol., *custodiantur*, et recte quidem.

[g] Ms. Jol., *et tota arida.*

[h] Ms. Jol., *inundati.* Deinde editi, *benedicunt et laudant.* Ms. Jol. et opera Leonis, *benedicant et laudent.*

[i] Ms. Camb., *prædicta*; et infra, *incredulitas tamen eorum.*

[j] Ms. Jol. addit *omnibus.*

[k] Forte addendum, *sibi obsecuturos.*

[l] In ms. Jol. deest hic *numquid.* Post pauca pro *exsortem*, Camberon. ms., *extorrem.*

[m] Sic mss. Camb. et Jol. et edit. Leonis. Alii, *Dicente enim.*

Digitized by Google

illud : *Et erit in diebus illis, effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (*Joel* II, 28) ; aut illud : *Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos* (*Ps.* CXLIV, 14)? numquid non ita pronuntiatum est, quasi ab hoc Dei munere nemo discretus sit?

Habet ergo populus Dei plenitudinem suam : et quamvis magna pars hominum salvantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis tamen et præscitis, atque ab omnium generaliter discretis specialis quædam censetur universitas, ut de toto mundo totus mundus liberatus, et de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti. Sicut etiam cum de impiis sermo est, ita locutionem suam divinus stylus ordinat, ut ea quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur: veluti est illud quod ait Joannes Baptista : *Qui de cœlo venit, super omnes est: quod vidit et audivit testificatur, et testimonium ejus nemo accipit* (*Joan.* III, 32). Aut illud Apostoli : *Omnes quæ sua quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* II, 21). Aut illud quod psalmus Davidicus canit : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII, 3 *seq.*). His igitur et aliis documentis, quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubie demonstratur, **861** interdum et pro parte terræ omnem terram, et pro parte mundi totum mundum, et pro parte hominum omnes homines nominari. Quorum tamen discretionem plerumque Scriptura [a] cito aperit, ut sensus legentis ab universitatis appellatione, ad partem quæ intelligenda est transferatur. Sicut est illud Apostoli dicentis : *Prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 23). Numquid ipsis [b] est Christus virtus quibus scandalum, aut ipsis sapientia quibus stultitia? Sed quoniam quidam [c] ex ipsis justificabantur fide, quidam autem sua impietate obdurabantur; unum credentium et non credentium genus, sub vocatorum appellatione discrevit; ut quos a fide significabat alienos, eos, quamvis audissent Evangelium, ostenderet vocationis extraneos.

## CAPUT X.

*Quod Scriptura de electis et reprobis ejusdem populi loquitur, tamquam de iisdem.*

[d] Hac regula per Isaiam promittit sermo divinus, dicens : *Ducam cæcos in viam quam non noverunt, et semitas quas nesciunt calcabunt. Et* [e] *faciam illis tenebras in lucem, et prava in directum Hæc verba faciam, et non derelinquam eos* (*Isa.* XLII, 16). Sed quod sequitur, *Ipsi autem conversi sunt retro*, ad partem quamdam generis ipsorum referendum est, non ad eos de quibus ait, *non derelinquam eos*. Iterum dicit Dominus ad Jacob, *Noli* [f] *metuere, quia tecum sum. Ab Oriente adducam semen tuum, et ab occasu colligam te. Dicam Aquiloni, Adduc, et Africo, Noli vetare ; adduc filios meos de terra longinqua, et filias meas a summo terræ, omnes in quibus vocatum est nomen meum. In gloriam enim meam paravi illum, et finxi et feci illum* (*Isai.* XLIII, 5-7). Quod autem sequitur, *Et produxi plebem cæcam, et oculi eorum sunt cæci, et surdæ aures habent;* non potest eis ulla ratione congruere, quos in gloriam suam parasse se dicit. In his quippe omnibus verbis, quæ de uno hominum genere dicuntur, aliis personis priora, aliis posteriora conveniunt. Apud Apostolum quoque quod in parte populi agitur, sub totius populi nuncupatione narratur, [g] et in reliquiis plenitudo censetur. Cum enim **862** de Judæorum obcæcatione dissereret, et quosdam ex ipsis gratia salvos fieri demonstraret : *Dico ergo*, inquit, *Numquid* [h] *repulit Deus populum suum? Absit. Nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin : non repulit Deus plebem suam quam præscivit* (*Rom.* XI, 1, 2).

Plebs ergo præscita, plebs non repulsa, hi sunt qui in Christo justificati sunt. Et quod de omni Israele dici videtur, in his tantum quos sibi gratiæ electio reliquos fecit, ostenditur, sicut sequentia apostolici sermonis enarrant. Adjungit enim et dicit : *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt* [i] *genu Baal. Sic ergo*, inquit, *et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ* [j] *factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia* (*Ibid.*, 2 *et seq.*). Non ergo omnis Israel reprobatus, nec omnis electus est; sed partem cæcitas [k] voluntaria avertit, partem sibi [l] illuminatio gratuita reservavit : et tamen ita de eis sermo habetur, ut in his qui pereunt, et in his qui salvi fiunt, nulla totius generis

[a] In ms. Joliensi non est vox hæc, *cito*.

[b] Verbum substantivum *est* addidimus ex editione Leonis.

[c] Sic mss. Camb. et Jol. et edit. Leonis. Editi nostri, *ex eisdem justificabantur fide quidam .... obdurabantur*.

[d] Mss. Camb. et Jol. et edit. Leonis, *Hanc regulam*.

[e] Sic mss. Camb. et Jol. Editi alias, *Educam ... tenebras illucescere*.

[f] Ms. Camb., *timere .... et ab Occidente*.

[g] Ita mss. Camberon. et Joliensis. Quo spectari videntur quæ infra ex Apostolo citantur, *Et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt*. Editi nostri et Leo novus, *reliquis*. Qua voce respicitur forte aliud, *Reliqui mihi*, etc.

[h] In ms. Camb. hic et infra, *repellit*.

[i] Mss. Jol. et Camb. et Leonis editio, *genua ante Baal*. Editi, *genu Baal*. Juxta Græcum Apostoli, Τῇ Βάαλ, ante imaginem scilicet de qua II Reg. XIX.

[j] Sic ms. Joliensis conformiter Græco Apostoli, ubi vox hæc *salvæ* omittitur. Quam post vulgatam habet Leo novus, et Editi ac ms. Camberon., ubi *secundum electionem* loco hujus, *per electionem*, quod editi Prosperiani præferebant.

[k] Hæc vox *voluntaria* deest in mss. Thuan., Camberon. et Jol.

[l] In ora Duac. et sequentium editionum, *illuminatione*.

Digitized by Google

videatur facta discretio. Nam cum legitur, *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem* [a] *dilecti propter patres* (*Ibid.*, 28); ita locutio sonat, tamquam eosdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginem Apostolus ipse detersit, dicendo: *Quia cæcitas ex parte in Israel contigit :* ut unum genus in duas species intelligeremus esse divisum, et omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Israelem non semper ad universitatem, sed plerumque ad partem esse referendum.

## CAPUT XI.

*Quod Scriptura de diversorum temporum hominibus loquitur, quasi de ejusdem temporis generatione.*

Inter has autem formulas locutionum, etiam illam in Scripturis dictionem debemus advertere, qua id quod ad diversorum temporum homines pertinet, ita [b] promitur, quasi de una et ejusdem ætatis generatione dicatur. Sicut est quod sanctus Petrus apostolus scribens sui et futuri temporis gentibus, ait: **863** *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum : qui aliquando non populus,* [c] *nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti* (I *Petr.* II, 9, 10). Numquid cum hæc prædicarentur, adhuc illi homines permanebant quos omnes Deus in præteritis generationibus dimiserat ingredi vias suas (*Act.* XIV, 15); et iidem ipsi, qui prius traditi fuerant voluntatibus suis, [d] nunc de tenebris in lumen admirabile vocabantur? Nonne illi jam defecerant [e] in ignorantia sua, jam in hoc mundo non erant, nec ab errore ad veritatem reditus olim mortuis suppetebat? [f] Et tamen quod post multa sæcula agebat gratia in posteris impiorum, sic loquendi consuetudo perstrinxit, ut ipsi videantur nunc eligi, qui prius fuerant derelicti. Pertinent autem hæc non ad eosdem homines, sed ad ejusdem [g] generis homines: et vocatio quæ illuxit prope mundi finem, ad præteritam non recurrit ætatem. Ita modo quodam et ipsi et non ipsi sunt de quibus et quibus ista dicuntur; dum in aliquo [h] specialia a generalibus non dividuntur, in aliquo vero a communibus separantur.

## CAPUT XII.

*Quod illud Apostoli,* Vult omnes homines salvos fieri, *de omni genere hominum intelligitur.*

1. Sed cum hæc legerint vel audierint qui amant calumniosa certamina, dicent nos per hujusmodi disputationes Apostolo contradicere definienti, quod Deus *omnes homines* velit *salvos fieri,* [i] *et in agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* II, 4). Quam particulam verborum Apostoli, ita nos integre pleneque suscipimus, ut nihil ei de præcedentibus sive subjectis quæ ad ipsam pertinent subtrahamus. Quoniam, ut cætera divinorum eloquiorum testimonia sequestremus, hic locus sufficit ad evacuandum quod calumniose objiciunt, et ad defendendum quod impie diffitentur. Scribens itaque ad Timotheum [j] Paulus apostolus, ait: *Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt : ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et* **864** *castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram* [k] *Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (*Ibid.*, 1 *et seq.*).

De hac ergo doctrinæ apostolicæ regula, qua Ecclesia universalis imbuitur, ne in diversum intellectum nostro evagemus arbitrio, quid [l] ipsa universalis Ecclesia sentiat, requiramus: quia nihil dubium esse poterit in præcepto, si obedientia concordet in studio. Præcepit itaque Apostolus, immo per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes, [m] postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, ac pro his qui in sublimitate sunt. Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum, et omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit in qua hujusmodi orationes non celebrentur a populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo, non solum pro sanctis et in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus et inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum [n] in membris ipsius persequuntur, pro Judæis quorum cæcitati lumen Evangelii non refulget, pro hæreticis et schismaticis, qui ab unitate fidei et charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut, relictis erroribus suis, convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, et de ignorantiæ tenebris liberati, in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, male consuetudinis pondere oppressi, et diaboli vinculis alligati,

[a] Mss. Camb. et Jol. et Leo addunt *Dei*. Quæ vox subintelligitur in textu Apostoli, non exprimitur.

[b] Ita ms. Camb. et Leo novus. Alii, *promittitur*. Non tam bene.

[c] Ms. Joliensis solus, *non populus Dei*.

[d] Ms. Joliensis omittit vocem hanc, *nunc*. Editio vero Leonis non omissa hac voce, pro *vocabantur* habet *vocantur*.

[e] Hæc verba, *in ignorantia sua*, ex ms. Thuan. addita jam alias in Leone, deerant in Camb. et editis. Pro quibus ms. Jol. *in ignominia sua*. Nec male si spectetur summa dignitas Christiani populi verbis Petri apostoli paulo ante citatis expressa.

[f] Emendatum ex mss. Joliensi et Camb. et Leone, cum editi nostri haberent, *Et tamen quod post multa sæcula gratia in posteris impiorum sit, loquendi consuetudo perstrinxit.*

[g] Ita mss. Camb. et Joliensis. Alias, *gentis*.

[h] Sic mss. Camb. et Jol. cum edit. Leonis. Alii, *in aliquo speciali*.

[i] Ms. Camb. hic et infra, *et ad agnitionem*.

[j] Mss. Camb. et Jol. addunt hic, *magister gentium*.

[k] Editi nostri antea, *salutari*. Ms. Camb. et Leo, *Salvatore*. Ms. Thuan. omittit *Deo*.

[l] Editi Prosperiani et ms. Jol. inserebant præpositionem *in*, qua caret editio Leonis.

[m] Particulam *et*, quæ in editis Prosperi et Leone habetur, omittit ms. Jol., nec in loco Apostoli supra relato legitur. Idemque hic addit *et*, ante *pro regibus*.

[n] Ms. Camb., *in membris suis*.

Digitized by Google

neque deceptiones suas evincere valent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, ut quantum amanda est veritas, tantum diligant falsitatem: misericors et justus Dominus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari: ut cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse quod ut præstaret oratus est; et gratias agentes pro his qui salvi facti sunt, speremus etiam eos qui [a] necdum illuminati sunt, eodem divinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, et in regnum Dei, priusquam de hac vita exeant, transferendos.

## 865 CAPUT XIII.

*Secreti illius profunditas quo Dei salvantis gratia aliquos pro quibus Ecclesia orat præterit, nobis in hac vita patere non potest.*

Quod si aliquos, sicut videmus accidere, salvantis gratia præterierit, et pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit; ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum, et agnoscendum [b] secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse. *Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus* (I Cor. XIII, 9), et *videmus nunc per speculum in ænigmate* (*Ibid.*, 12). Nec sapientiores aut scientiores beatissimo Apostolo sumus, qui cum de gratiæ potentia disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum, iis quæ [c] impossibile erat enarrare succubuit. Cum enim dixisset, *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret; sicut scriptum est* (*Isai.* LIX, 20), *Veniet ex Sion qui* [d] *eruat et avertat impietates ab Jacob, et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem vero dilecti propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem, ita, et isti nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia* [e] *in incredulitate, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI, 25 *et seq.*). Cum ergo hæc divinorum operum mysteria supra mensuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis suæ profudisset excessu, totam expositionis rationem transtulit [f] in stuporem, et admirator eorum quæ protulerat, exclamavit et dixit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum*

A *Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula* [g]. *Amen* (*Rom.* XI, 33 *et seq.*). Præmissa enim docentis assertio locum dabat multimodæ quæstioni, ut [h] variatæ per tot populos ac tempora gratiæ Dei causa quæreretur. Cur scilicet anterioribus sæculis dimissæ essent omnes gentes ingredi vias suas (*Actor.* XIV, 15), uno tantum Israele, qui divinis eloquiis erudiretur, excepto, et ad cognitionem veritatis electo; cujus infidelitas locum tandem salvandis gentibus fecerit: **866** tamquam si unus populus in fide sui generis permaneret, misericordia Dei [i] cæteris se nationibus præstare non posset? Cur denique ipsi quorum diminutio salus [j] gentium est, ab
B obcæcatione sua non liberentur priusquam ingrediatur gentium plenitudo (*Rom.* XI, 25): quasi illuminari cum omnibus nequeant qui omnes, ac a omnium gentium adoptione, salvandi sunt? Aut quomodo omnis Israel sublata obcæcatione salvandus sit, cujus innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens, [k] ad tempora salvandis promissa non pervenit? Vel quomodo ipsarum gentium, quarum [l] prius non est facta vocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo: cum tot promiscuæ ætatis et conditionis hominum millia in omnibus nationibus quæ sunt sub cœlo, sine Christi justificatione moriantur? Sed horum mysteriorum judiciorumque causas pius et doctus magister maluit ad altitudinem divitiarum sapientiæ Dei scientiæque suspendere, quam justissimæ verita-
C tis et misericordissimæ bonitatis subtractum ab humana cognitione secretum temeraria inquisitione discutere; nihil omittens de his quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de his quæ non licet sciri.

## CAPUT XIV.

*Multa esse in dispensatione operum divinorum, quorum causis latentibus, soli monstrantur effectus.*

1. Multa enim sunt in dispensatione divinorum operum, quorum causis latentibus, soli monstrantur effectus, ut cum pateat quod geritur, non pateat cur geratur; negotio in medium deducto, et in occultum ratione subducta; ut in eadem re et de inscrutabilibus præsumptio comprimatur, et de manifestis fal-
D sitas refutetur. Neque enim si nescio cur ille Græcus creatur, hic barbarus, iste in divitiis, ille in egestate nascatur; hunc valida proceri corporis pulchritudo sublimet, illum debilium membrorum exilitas contracta deformet; iste a catholicis editus,

[a] Ms. Camb., *nec dum*, cum Leone. Alii, *nondum*. Post aliquot verba autem idem ms. cum Joliensi et Leone, ut in textu: cum editi Prosperiani habeant *ut in regnum Dei, priusquam de hac vita exeant, transferantur*.

[b] Mss. Camb. et Jol. omittunt *est*, et Leo novus.

[c] Ms. Camberon., *impossibilia erunt enarrari*.

[d] Ms. Joliensis, *eruet et avertet*.

[e] Ms. Jol. cum textu Græco Pauli, *in incredulitatem*.

[f] Ed. *ad stuporem*. Ms. Jol. et Leo., *in stuporem*.

[g] Hic vox *sæculorum*, omittitur in Leone, nec est in loco Apostoli, quæ habetur in editis Prosperi et ms. Jol.

[h] In Leonis editione, *variæ*. Ms. Jol. omittit *Dei*, post *gratiæ*.

[i] Ms. Joliensis, *cæteris se præstare*.

[j] Sic post textum Apostoli mss. Jol. et Camberon. Alias, *gentibus est*.

[k] Ms. Camberon., *ad tempora salutis*.

[l] Ms. Jol., *quarum prior*, et post pauca cum ms. Camb., *cum tanta*.

Digitized by Google

in veritatis cunabulis nutriatur, ille hæreticorum ; A progenies, cum ipso lacte matris hauriat virus erroris ; si denique mille alias differentias in habitu corporum, in qualitatibus animorum, in [a] conditione temperum, in more regionum, dijudicare non possum; ideo quod omnium horum Deus sit conditor atque ordinator ignoro. Qui utique singulorum hominum ita et corpora creavit et spiritus, ut præter illam secuturam ex uniuscujusque **867** studio voluntariam diversitatem, ipsa conditionis exordia dissimillima numerositate variaret. Turbarent autem nos, et in diversum distraherent multæ vaniloquorum opiniones, qui de incognoscibilibus [b] definire inconvenientia præsumpserunt, et has originales inæqualitates fatis (quæ nulla sunt) et sideribus deputarunt; nisi certissima notitia teneremus, Deum B Creatorem de elementis [c] originalibus, prout vult, vas unumquodque formare, et unam naturam animarum et unam naturam corporum, placitis sibi temperare mensuris. Quæ utique opera Dei humanæ intelligentiæ [d] non subtraherentur, si innotescere debuissent; et manifestaretur cur ita quidque fieret, nisi, quod ita fieret, scire sufficeret.

Dicit Dominus ad Moysen : *Quis dedit os homini, et quis fecit mutum et non audientem, videntem et cæcum ? Nonne ego Dominus Deus* (*Exod.* IV, 11)? Et per Isaiam ; *Nonne ego* [e] *fecundum et sterilem feci ? dicit Dominus* (*Isai.* LXVI, 9). In libro Ecclesiastico legitur, *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt* (*Eccli.* XI, 14). Et Job dicit : *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum* (*Job* XII, 6). C Et idem de omnium rerum humanarum profectu et defectu disputans, omnesque mutationes ad judicia Dei refereus : *Apud ipsum est*, inquit, *sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam. Si destruxerit,* [f] *nemo est qui ædificet ; si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur ; si emiserit eas, subvertent terram. Apud ipsum est fortitudo et sapientia : ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur, adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem : balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum. Ducit sacerdotes* [g] *inglorios, et optimates supplantat, commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens, effundens despectionem super principes, et eos* D *qui oppressi fuerant relevans. Qui* [h] *revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. Qui multiplicat gentes et* [i] *perdit eas, et subversas in integrum restituet. Qui immutat cor principum terræ, et decipit eos, ut frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios* (*Ibid.*, 16 *et seq.*). Et iterum idem dicens voluntatem Dei irritam esse non posse : *Ipse enim*, inquit, *solus est, et nemo avertere potest* [j] *cogitationem ejus : et anima ejus quodcumque voluerit, hoc fiet* (*Job* XXIII, 13).

## **868** CAPUT XV

*Quod pars hominum liberatur, ascribi non potest meritis voluntatum : veluti bonos elegerit gratia, malos præterierit.*

Liberatur pars hominum, parte pereunte : et si hoc voluntatum meritis [k] voluerimus ascribere, ut malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse videatur; resistet nobis innumerabilium causa populorum, quibus per tot sæcula [l] nulla cœlestis doctrinæ annuntiatio coruscavit. Nec meliores fuisse eorum posteros possumus dicere, de quibus scriptum est, *Gentium populus, qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam ; et sedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est illis* (*Isai.* IX, 2). Et ad quos apostolus Petrus dicit, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit* [m] *in tam admirabile lumen suum : qui quondam non populus, nunc autem populi Dei ; quorum aliquando non est misertus, nunc autem miseretur* (1 *Petr.* II, 9). Non ergo meritis minorum tribuitur quod non meruere majores. Par enim impietas et patres accusabat et filios, eademque ignorantiæ cæcitas omnes simul in eosdem mergebat errores. Sed cur illorum non misertus, [n] horum sit misertus Deus, quæ scientia comprehendere, quæ potest investigare sapientia ? Latet discretionis [o] istius ratio, sed non latet ipsa discretio. Non intelligimus judicantem, sed videmus operantem. Quid calumniamur justitiæ occultæ, qui gratias debemus misericordiæ manifestæ ? [p] Laudemus et veneremur quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur.

## CAPUT XVI.

*Ex eo quod parium parvulorum alii ad æternam vitam, alii ad mortem æternam ante intelligentiæ usum hinc migrent, ostenditur inscrutabilitas divinorum judiciorum.*

Respice autem et ad universam multitudinem

[a] Mss. Thuan., Camb. et Jol., *conditione*. Nec male.

[b] Ita mss. Thuan., Camb. et Jol. ac Leo. editio. Editi alias, *devenire in inconvenientia*.

[c] Sic habent mss. Thuan. et Jol. Vulgati codices et ms. Camb., *naturalibus*.

[d] Ita scriptum in mss. Joliensi et Camb. et Leone. Editi alias *cognoscibilia essent*.

[e] Mss. Camb. et Jol., *secundam*.

[f] Ms. Joliensis, *et non est qui*.

[g] Sic ms. Camb. et Leonis editio. Alias, *ingloriosos*.

[h] Ita mss. Camb. et Jol. et Leo. Alii, *relevat*.

[i] Ita mss. Camb. et Jol., *perdet eas . . . restituet*. Leonis edit., *perdit eas . . . restituet*. Postea mss. Camb. et Leo., *decipiet*.

[j] Ms. Camberon., *cogitationes*. Alii quidam codices, *cognitionem*.

[k] Sic mss. Camberon. et Jol. cum Leone. Alii, *velimus*.

[l] Ms. Jol., omisso *nulla*, *cœlestis doctrinæ annuntiatio non coruscavit*.

[m] In Leone, *in admirabile*, omissa particula *tam*, quam habent editi alii et ms. Jol.

[n] Sic ms. Jos. cum edit. Leonis. Alii, *et horum sit misertus*.

[o] Ita melius ex Camb. et Jol. mss. et Leone, quam in editis alias, *ista ratio*.

[p] Ms. Joliensis solus, *Lauda et venerare quod agitur, quia tuum est nescire quod tegitur*.

Digitized by Google

parvulorum, in quibus, excepto illo quo in damnationem nascitur gens humana delicto, nec præterita possunt merita, nec futura censeri. Omnes enim de quibus nunc loquimur, ante ullum intelligentiæ usum, ante liberum voluntatis arbitrium, alii ad æternam beatitudinem regenerati, alii ad perpetuam miseriam transeunt non renati. Si originalem culpam fateris, omnis numerus in reatu est: si moralem innocentiam quæris, **869** omnis summa sine vitio est. Non invenit quod discernat humana justitia, sed habet quod eligat inenarrabilis gratia Dei. In abscondito est consilium, sed non latet donum; [a] opus exserit pietas, causam obscurat potestas. Sed tam indubitabile est quod non videtur quam quod videtur; quia auctori manifesti operis, negari confessio etiam ignotæ non potest æquitatis.

## CAPUT XVII.

*Ex impiis qui in extremis conversi salvantur, ostenditur et gratia sine meritis dari, et inscrutabile esse Dei judicium.*

Quod si [b] et ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis et sceleribus ætatem, sacramento baptismatis Christi in ipso vitæ fine renovantur, et sine ullo suffragio bonorum operum in regni cœlestis consortium transferuntur, quo intellectu divinum judicium comprehendes? nisi ut indubitanter agnoscas gratuita esse Dei munera: et sicut nulla sunt tam detestanda facinora, [c] quæ possint gratiæ arcere donum, ita nulla posse tam præclara opera existere, quibus hoc quod gratis tribuitur, per retributionis judicium debeatur. Vilesceret enim C redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogativa succumberet, si justificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis. Unde autem probari [d] posset, quod ad evacuandum originale peccatum nulla idonea esset industria; nisi et impii et facinorosi per

A lavacrum Christi assumerentur in regnum; agnoscerentque qui in sua justitia gloriantur, quam nihil dignum agere possint adoptione filiorum Dei, si ad regenerationis [e] non pervenerint sacramentum; cum eadem qua scelestissimi peccatores conditione teneantur, pares futuri in sanctificatione, [f] si adfuerit regeneratio; simul perituri, si cessaverit ablutio? Si ergo etiam ex nequissimis in ipso vitæ exitu gratia invenit **870** quos adoptet; cum tamen multi, etiam qui minus nocentes videntur, doni hujus [g] alieni sunt: quis hoc aut sine dispensatione Dei fieri, aut sine profunda dicat æquitate decerni? Quod utique non ideo iniquum est, quia occultum est; sed ideo æquum est, quia judicium Dei esse non dubium est. Quod enim ab illius pendet arbitrio, qua sententia B judicari debeat, priusquam judicetur, incertum est: cum autem res ad finem suum venerit, nemini liberum est de exitu conqueri; quia certissimum est nihil aliter Deum facere debuisse quam fecerit. Qui multimodæ vocationis varietatem, ad unam gratiam pertinentem, etiam illa regula Evangelicæ comparationis astruxit, qua ostendit patremfamilias diverso tempore conducentem operarios vineæ sub pactione denarii (*Matth.* XX, 1 *et seq.*), [h] [quo vitæ æternæ significatur æqualitas]. Ubi sine dubio hora undecima intromissi in vineam, et totius diei operariis [i] aggregati, istorum de quibus nunc loquimur præferunt sortem, quos ad commendandam gratiæ excellentiam, in defectu diei et conclusione vitæ divina indulgentia [j] muneratur, non labori pretium solvens, sed divitias bonitatis suæ in eos, quos [k] sine operibus elegit, effundens; ut etiam hi qui in multo labore sudarunt, nec amplius quam novissimi acceperunt, intelligant, donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem. Unde si et nos adversum patremfamilias murmuremus, eo quod novissime [l] vocati totius diei operariis coæquentur, nec amplius multa opera quam pene nulla mereantur; dicetur

[a] Alias editi, *opus erexit*. Mss. Camb. et Jol. et Leo, *opus exserit*. In ms. Thu., *opus excelsi*. Ibidem mss. Camb. et Jol. infra, *ignotæ*, ubi alii et Leo, *incognitæ*.

[b] Ms. Jol., omisso *et*, *ad illos dirigis*.

[c] Sic ms. Joliensis et edit. Leonis. Editi, *quæ possunt*; minus bene.

[d] Ms. Camb. et Leonis edit., *possit*. Alii nostri codices, *posset*.

[e] Ita mss. Jol. et Leon. edit. Alii, *non perveniunt*. Ms. Camb., *non pervenerit*.

[f] Ms. Jol., *si adfuerit miseratio*. Ms. Camb, *si adfuit miseratio*.

[g] Ms. Joliensis, *alieni sint*.

[h] Verba his signis [ ] inclusa non omisimus propter editorum Prosperi et ms. Joliensis auctoritatem. De quibus tamen juvat Leonis Operum editoris et illustratoris notam non prætERire. *Exemplaria excusa* (ait) *addunt continuo:* Quo vitæ æternæ significatur æqualitas; *et linea sequenti, ubi nunc habemus*, totius diei operariis aggregati, *eadem habuerunt*, totius diei operariis exæquati. *Quorum hoc depravatum, illud additum mihi videtur ad mentem Joviniani hæretici, qui, ut sanctus Hieronymus docet lib.* II *adversus ipsum, omnia præmia beatorum paria esse contendebat. Codices enim Camb. et Thuaneus* D *nihil amplius habent quam editio nostra* (quæ hæc prætermittit) *et certe auctor noster parabolam istam non eo fine adducit, ut æqualitatem æterni præmii, ex æqualitate denarii parabolici asserat: immo de mercede electis in cœlo solvenda ne verbum quidem; sed totus est ut ex illa parabola commendet gratiæ excellentiam quam in conclusione vitæ nonnullis impertitur summus Paterfamilias, et multimodæ vocationis varietatem ad unam justificationis gratiam pertinentem, ut etiam hi qui in multo labore sudarunt, nec amplius quam novissimi acceperunt, intelligant donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem. In quo non æqualitas gloriæ, sed gratuitas gratiæ ab eo consideratur. Quem sensum parabolæ hujus genuinum esse, et contextui magis consonum probat Corn. Jansenius Gandavensis episcopus capite* 101 *Commentarii in Concordiam Evangelicam.*

[i] Editi alias, *exæquati:* de quo nota superiori. Ms. Jol. et Camb. et Leo., *aggregati*.

[j] Alias editi, *numeravit*. Mss. Camberon. et Jol. et Leon. edit., *muneratur*.

[k] Ms. Joliensis solus, *sine operibus legis*. Alii omnes non habent vocem hanc *legis*.

[l] Ms. Camberon., *vocatis totius diei operarii exsequemur*. Ms. Jol. ut in textu, excepto quod *exæquentur* pro *coæquentur* habet.

Digitized by Google

nobis quod uni eorum responsum est: *Amice, non facio tibi injuriam, Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade. Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi de re mea facere quod volo?* [a] *Aut oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum* (*Matth.* xx, 13 *et seq.*)? Certe huic calumniatori injusta videbatur hæc largitas; et quid eruditionis retulit? quid rationis accepit? Non est ei dispensationis [b] hujus revelata justitia, nec ad inspectionem secreti **871** latentis admissus est; sed ut a discutiendis Dei judiciis abstineret, opposita est ei bonitas miserantis, et volentis potestas: quasi illi et ab Apostolo diceretur: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me fecisti sic* (*Rom.* ix, 20)?

## CAPUT XVIII.

*Gratia, sine qua bona merita esse nequeunt, non accipitur a quoquam, nisi ex Dei voluntate, sine meritis.*

Omnibus ergo hominibus cujuslibet [c] gentis et generis, cujuslibet conditionis et ætatis, causa percipiendæ gratiæ voluntas Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est, ab ea gratia incipientibus meritis quam accepere sine meritis. Quæ si possent bona esse sine gratia, non diceretur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* iii, 5); et: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* vi, 54); sed diceretur: Nisi quis fuerit justus et bonus, beatus in æternum esse non poterit. Nec opus esset per aquam et Spiritum renasci, si per mandatum sufficeret erudiri. Et evacuaretur fides, quæ credit per baptismum omnia peccata dimitti, si gratia non malis et impiis, sed bonis et rectis doceretur impendi. Origo itaque veræ vitæ, veræque justitiæ in regenerationis est posita sacramento; ut ubi homo renascitur, ibi etiam ipsarum virtutum veritas oriatur; [d] et incipiant ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant pervenire mercedem. Sive enim Judæus legis scientia tumens, sive Græcus studio sapientiæ naturalis inflatus, prius quam justificetur per fidem Christi, conclusus est sub peccato: et si in sua [e] infidelitate perstiterit, ira Dei manet super eum, illa scilicet in Adæ prævaricatione contracta, de qua Apostolus loquitur dicens: *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus qui nunc operatur in* [f] *filios diffidentiæ, in quibus et nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ sicut et cæteri* (*Ephes.* ii, 1 *et seq.*); et iterum: *Quia eratis illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in mundo* (*Ibid.*, 12); et iterum: *Eratis* **872** *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ibid.*, v, 8); et iterum: *Gratias agentes Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de* [g] *tenebris et potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ* (*Coloss.* i, 12 *seqq.*); et iterum: *Eramus enim et nos aliquando insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum* [h] *regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ* (*Tit.* iii, 3 *seqq.*).

## CAPUT XIX.

*Qualis sit natura sine gratia.*

Et ut brevissime pateat qualis sit natura humana sine gratia, dicat Judas apostolus, quid agat vel ignorantia imperitorum, vel doctrina sapientium. *Hi autem*, inquit, *quæcumque quidem ignorant blasphemant; quæcumque autem naturaliter* [i] *velut muta animalia norunt, in his corrumpuntur* (*Judæ* 10). [j] Dicat etiam sub verbis Zachariæ evangelista Lucas, ante illuminationem gratiæ in qua humanum genus nocte versetur, et de quibus ignorantiæ tenebris Dei populus eruatur. *Et tu*, inquit, *Puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus: ad dandam scientiam salutis populo ejus, in remissionem peccatorum ipsorum: propter viscera misericordiæ Domini, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, lucere his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* (*Luc.* i, 76 *seqq.*).

## CAPUT XX.

*Viscera misericordiæ Dominus ad omnium nationum impendit salutem, omnesque salvat: et tamen etiam verum est quod testimonium ejus nemo accipit.*

Hæc autem viscera misericordiæ Dominus non ad unius tantum populi redemptionem, sed ad omnium nationum impendit salutem, dicente Evangelista: *Quia Jesus* [k] *moriturus erat pro gente: non tantum*

[a] Ms. Joliensis., *An oculus tuus.*

[b] Ms. Joliensis caret voce *hujus.*

[c] Mss. Camberon. et Jol. et edit. Leonis addunt hæc, *gentis et.*

[d] Editi Prosperiani alias, *et incipiunt.* Mss. Camb. et Jol. cum edit. Leon., *et incipiant.* Eadem editio Leonis postea, *quæ vix*, intellige virtutis. Codices nostri *qui vix*, scilicet homines.

[e] Sic corrigimus ex mss. Camberon. et Jol. ac Leone. Alias, *infelicitate.*

[f] Mss. Camberon. et Jol. juxta Græcum, *in filiis.* Alii, ut Vulg., *in filios.*

[g] Hæc duo, *tenebris et*, etsi habentur in omnibus libris nostris, tamen non leguntur in utroque textu Epistolæ Apostoli.

[h] Ms. Camberon. hic addit, *renovationis:* quæ vox nec abest a textu Apostoli.

[i] Ms. Camberon., *velut bruta animalia.*

[j] Mss. Camberon. et Jol., *Dicat autem.*

[k] Editi alias, *mortuus erat.* Melius mss. Camb. et Jol., cum Leone, juxta textum Evangelii, *moriturus erat*; Leo postea, *et non tantum.*

Digitized by Google

*pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum* (*Joan.* XI, 52). Hoc enim agit illa vox Domini, quæ per quamdam pietatis tubam toto **873** terrarum orbe resonantem, [a] omnes homines et invitat et convenit. Nam cum dixisset, *Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic beneplacitum est ante te;* addidit, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem* [b] *quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et deinde adjecit, *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est* (*Matth.* XI, 25 *et seq.*). Joannes B vero Baptista in Evangelio Joannis prophetico spiritu protestatur dicens, *Qui de cœlo venit super omnes est, quod vidit et audivit testificatur, et testimonium ejus nemo accipit. Qui accipit testimonium ejus,* [c] *signavit quoniam Deus verax est* (*Joan.* III, 31, 32 *et* 33). Igitur quantum attinet ad humani generis cæcitatem, longa ignorantiæ et superbiæ nocte contractam, venit in hunc mundum Creator mundi, *et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10); *lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Ibid.* 5); *qui super omnes est, quod vidit et audivit, testificatur, et testimonium ejus nemo accipit* (*Joan.* III, 31, 32). Sed quia non frustra Deus Dei Filius venit in mundum, et dedit semetipsum pro omnibus, et mortuus est *non tantum pro gente, sed etiam ut* C *filios Dei dispersos congregaret in unum* (*Joan.* XI, 52); et universis dicit, *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,* et, servato sibi incognoscibilis electionis arbitrio, dat sui Patrisque notitiam, quibus [d] eum voluerit revelare (*Luc.* X, 22): omnes filii lucis, filii promissionis, filii Abrahæ, filii Dei, genus electum, regale sacerdotium, veri Israelitæ, præcogniti et præordinati in regnum Dei, qui eos vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus (*Rom.* IX, 24), testimonium ejus qui de cœlo venit accipiunt; [e] signantes quia Deus verax est, id est, expresse significantes in sui salvatione quoniam Deus verax est, implens et perficiens quod promisit Abrahæ omnium gentium patri: qui pollicente Deo quod hæres futurus esset mundi, *non hæsitavit diffidentia,* D *sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, et plenissime sciens quoniam quod promisit, potens est et facere* (*Rom.* IV, 20). Quis autem tam alienus est a fide Abrahæ, quis tam degener ab universarum gentium

A patre, qui promissionem Dei aut non impleri, aut ab alio præter eum qui promisit, dicat impleri? Ille quidem erit mendax: Deus autem est verax, et omnis qui accipit **874** testimonium ejus, hoc signat, hoc indicat, quod per lucem illuminantem factus est videns, factus [f] obediens, factus intelligens; sicut Joannes Evangelista testatur dicens, *Scimus quia* [g] *mundus totus in maligno positus est, et scimus quia Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus* (I *Joan.* V, 19).

## CAPUT XXI.

*Non esse scrutandum cur Deus alios eligit, alios non eligit; sicut nec cur antea, omnibus gentibus prætermissis, unum Israelem elegit.*

B Si vero quæritur cur Salvator omnium hominum non omnibus dedit hunc sensum, ut cognoscerent verum Deum, et essent, id est, permanerent in vero Filio ejus: quamvis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam (de quo plenius [h] in sequentibus disseremus), tamen ita forte hoc velatum sit, sicut illud absconditum est, cur [i] antea, omnibus gentibus prætermissis, unum populum sibi, quem ad veritatis cognitionem erudiret, excéperit. De quo judicio Dei si non est conquerendum, multo minus de hoc quod cum electione omnium gentium geritur, murmurandum est. Quæ enim Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda; quæ autem manifesta fecit, non sunt [j] negligenda: ne et in illis illicite curiosi, [k] et in istis dam- C nabiliter inveniamur ingrati. Non autem ignoramus esse quosdam tam inconsideratæ præsumptionis, et tam superbæ arrogantiæ, ut quod præcipuus magister gentium, *non ab hominibus neque per hominem* (*Galat.* I, 1), sed divinitus eruditus, supra mensuram scientiæ suæ longe et alte remotum esse confessus est, audeant falsi nominis temerare doctrina; et nihil illic occultum, nihil velint esse secretum, ubi Apostolus non quid sentiendum esset aperuit, sed quid non scrutandum esset ostendit. Nullis etenim (quod supra jam diximus) studiis, nullis ingeniis indagare concessum est, quo judicio quove concilio Deus incommutabiliter bonus, incommutabiliter justus, semper præscius, semper omnipotens, ideo *omnia in incredulitate* [l] *concluserit, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI, 32); D et tamen illis sæculis quibus unum Israelem erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare distulerit; et nunc eumdem Israelem, donec universitas gentium introeat, obcæcatum esse patiatur, pereuntem in tot millibus nascentium atque morientium,

[a] In Leonis editione omittitur *omnes;* quam vocem codices Prosperi non omittunt.

[b] Ms. Joliensis, *quisquam novit.*

[c] Editio Duac. et Colon., *significavit.*

[d] Mss. Camb. et Jol., *eam voluerit revelare.*

[e] Sic in editione Leonis, et supra legitur. At editi nostri hic, *significantes.* Prius melius scribi patet, quia vox *signantes*, per *expresse significantes* exponitur postea.

[f] Editi, *factus est obediens, factus est intelligens.* Verbum substantivum utrobique omittitur in ms. Joliensi et Leone.

[g] Ms. Joliensis, *mundus omnis... et dederit.*

[h] Ms. Joliensis, *in consequentibus.*

[i] Vox hæc, *antea*, abest a manuscripto Joliensi et Leone.

[j] Mss. Camb. et Jol. cum Leone, *negligenda.* Cæteri, *neganda.*

[k] Ms. Jol., *et in his.*

[l] Ms. Camberon., *dimiserit.*

Digitized by Google

et salvandum **875** in eis quos mundi finis invenerit. A Quo mysterio toto Scripturarum corpore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum sit, quid fiat, quidve faciendum sit; sed quare ita fieri placuerit, ab humanæ intelligentiæ contemplatione substractum est.

## CAPUT XXII.

*Eos qui discretionem qua Deus alios elegit, alios non elegit, ad merita referunt voluntatis humanæ, docere neminem gratis, sed ex retributione salvari; et ex parvulis aperte confutari.*

Isti autem qui nescire aliquid erubescunt, et per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis, omnem discretionem qua Deus alios [a] eligit, aliosque non eligit (*multi enim* [b] *sunt vocati, pauci autem electi* (*Matth.* xx, 16), ad merita humanæ referunt voluntatis, B docentes scilicet neminem gratis, sed ex retributione salvari: quia naturaliter omnibus sit insitum, ut, si velint, possint veritatis esse participes, eisque affluere gratiam, a quibus fuerit expetita. Quæ definitio, ut interim de gratiæ veritate taceatur, de his videtur aliquam ostentare ratiunculam, qui libero utuntur arbitrio. De parvulis vero, quibus sine ullo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum cæteris mortalibus causa communis est, nihil potest expositionis [c] afferri qua doceatur cur isti salvi fiant renati, illi pereant non renati, sub illius providentia et omnipotentia, *In cujus manu est anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis* (*Job* xii, 10); et cui dicitur, *Breves dies hominis sunt, numerus dierum ejus apud te est* (*Job.* xiv, C 5). Non autem puto istos voluntatum patronos simplicitate illorum tam impudenter usuros, ut aut [d] fortuito ista dicant accidere, aut non renatos asserant non perire. Aperte enim aut cum paganis convincerentur sentire de fato, aut cum Pelagianis transfusum in posteros Adæ negare peccatum. Fato autem non baptizari parvulos, nec Pelagiani potuerunt dicere; sed quia eos liberos a peccato ausi sunt profiteri, meruere damnari. Cum autem de discretione omnium hominum quæstio ventiletur, et ab omnibus hominibus parvuli nequeant separari, simulque de totius ætatis hominibus Veritas dixerit, *Filius hominis venit quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* xix, 10); frustra profunditatem inscrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire, qui D causam electionis in eorum constituunt meritis qui eliguntur. Et cum multa de majorum voluntate ac judicio inepta **876** et falsa protulerint, in parvulorum tamen discretione deficiunt; nec possunt de ejus quæstionis ratione reddita gloriari, quæ de omnibus [e] hominibus tractatur, et non de omnibus expeditur.

## CAPUT XXIII.

*Omne bonum hominis meritum, ab initio fidei usque ad perseverantiæ consummationem, donum esse divinum, et primum hoc ostenditur de fide.*

Multiformitas autem et magnitudo divinæ gratiæ probat istos contra veritatem, etiam quod de majorum voluntatibus loquuntur, astruere, eorumque persuasioni divinorum eloquiorum testimonia repugnare. Quæ si omnia sermoni nostro velimus annectere, modus non erit [f] disserendi. Quæ tamen se recordationi offerunt, [g] non omittentur: ut, quantum satis est, manifesteiur, hominis bonum meritum, ab initio fidei usque ad perseverantiæ consummationem, donum atque opus esse divinum. Igitur fides, quæ bonæ voluntatis et justæ actionis est genitrix, quo ipsa fonte nascatur, apostolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide Deo gratias agit, dicens, *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo* (*Rom.* i, 8). Ad Ephesios quoque scribens, *Propterea*, inquit, *et ego audita fide vestra, quæ est in Domino Jesu, et dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis* (*Ephes.* i, 16 *et seq.*). De fide etiam Colossensium similiter Deo gratias agens, *Gratias agimus*, inquit, *Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis* (*Coloss.* i, 3, 4 *seq.*). Et ut alia bona ab eodem bonorum auctore percipiant, quid pro eis oret enarrans, *Ideo*, inquit, *et nos ex qua die audivimus*, [h] *non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spiritali, ut ambuletis digne, Deo* [i] *per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei, in virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus,* **877** [j] *in omni patientia et longanimitate cum gaudio* (*Coloss.* i, 9). Item ad Thessalonicenses qui spiritu fidei dilectionisque fervebant: *Gratias agimus*, inquit, *Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ, et laboris, et charitatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi ante Deum et Patrem nostrum* (I *Thes.* i, 2). Et infra, *Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis non ut* [k] *verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei,*

[a] Duac. editio et seq. in margine scribunt pro diversa lectione, *elegit, alios non elegit.*

[b] Ms. Joliensis, *Multi enim vocati.*

[c] Ms. Joliensis, *afferre, qua doceat.*

[d] Mss. Camberon et Joliensis, *fortuito.* Alii, *fortuitu.*

[e] Abest vox *hominibus* a ms. Joliensi.

[f] Sic mss. Camb. et Jol. et Leon. edit. Alii nostri codices, *disserendo.*

[g] Mss. Jol. et Camb., *non omittantur.* Leonis editio, *Quæ tamen, si se recordationi offerunt, non omittentur.*

[h] Ms. Joliensis, *non cessavimus.*

[i] Ms. Joliensis supplet, *per omnia*, quæ sunt textus sacri, deerant vero in aliis codicibus Prosperi.

[j] Ms. Joliensis, *in omni sapientia.*

[k] Ms. Joliensis, *verbum hominis.*

Digitized by Google

*qui operatur in vobis, qui credidistis* (I *Thes*. II, 13). Potuitne plenius aut evidentius demonstrari, Dei esse donum credentium fidem, quam ut ideo agerentur gratiæ Deo, quoniam hi quibus verbum Dei per homines prædicabatur, non quasi de hominum sermone dubitarunt, sed tamquam Deo loquenti per homines crediderunt, qui in ipsis est operatus ut crederent? In secunda quoque ad eosdem Thessalonicenses Epistola de fide in Christo proficientium ita Apostolus loquitur: *Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem: ita ut et* [a] *nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini* [b] *regno Dei pro quo et patimini* (II *Thess*. I, 3 *et seq*.). Petrus quoque apostolus ex Deo haberi fidem prædicans, ita scribit: *Scientes quod non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana conversatione* [c] *vestra paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi Jesu, præcogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deum, qui suscitavit eum a mortuis, et gloriam ei dedit, ut fides vestra et spes esset in Domino* (I *Petri* I, 18 *et seq*.). Item idem in secunda Epistola de fidei perceptione sic loquitur: *Simon Petrus servus et apostolus Jesu Christi, his qui coæqualem nobis adepti sunt fidem per justitiam Domini et Salvatoris* [d] *nostri Jesu Christi* (II *Petri* I, 1).

Unde autem habeatur spiritus fidei, Joannes apostolus manifestissime docet dicens: *Omnis spiritus qui confitetur Jesum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus* (I *Joan*. IV). Item [e] idem dicit ab eo recipi Evangelium, in quo est spiritus veritatis: *Nos*, inquit, *ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris* (*Ibid*., 6). Item in Actibus Apostolorum **878** Petrus apostolus fidem [f] esse per Dominum Jesum pronuntians: *Hunc*, inquit, *quem videtis et nostis, confirmavit nomen ejus, et fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum* (*Act*. III, 16). De fide quoque Lydiæ, cujus inter alias mulieres quæ Evangelium pariter audiebant, Dominus cor aperuit, ita in eadem narratur historia: *Die autem sabbatorum egressi sumus extra portam juxta flumen, ubi videbatur esse oratio; et sedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis* [g] *Thyatirenorum, colens Deum, audivit, cujus Dominus cor aperuit, ut intenderet his quæ dicebantur a Paulo* (*Act*. XVI, 13 *et* 14). Non autem ex humana sapientia esse fidem, sed ex inspiratione divina ipsius Veritatis voce firmatur. Dicente enim Domino ad discipulos suos, *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit, Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei, Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est* (*Matth*. XVI, 15 *et seq*.). Paulus vero apostolus hanc ipsam fidem secundum mensuram dari pro arbitrio largientis ita prædicat: *Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, sicut unicuique divisit Deus mensuram fidei* (*Rom*. XII, 3). Item idem unitatem rectæ fidei, [h] et consensionem in honorem Dei a Deo esse commendans: *Deus autem*, inquit, *patientiæ* [i] *et consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Jesum Christum;* [j] *ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi* (*Rom*. XV, 5 *et* 6). Et infra: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo,* [k] *ut abundetis in spe, in virtute Spiritus sancti* (*Ibid*. 13). Quo testimonio non solum fides, sed etiam gaudium, et pax, et abundantia spei, docentur nisi in virtute sancti Spiritus non haberi. Ad Ephesios vero scribens Apostolus de divitiis gratiæ pro malis bona retribuentis, et de fide quæ non ex nobis, sed ex Dei dono habetur, hæc loquitur: *Deus autem,* [l] *qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit* [m] *nos Christo, cujus gratia salvi facti sumus, et conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus* (*Ephes*. II, 4 *et seq*.). Proprium ergo **879** hoc habet nova creatura per gratiam, ut qui figmentum Dei sunt, qui nativitate cœlesti conduntur in Christo, non otio torpeant, nec desidia resolvantur; sed de virtute in virtutem, per viam bonorum operum ambulando proficiant. Hoc est enim fingi, hoc de vetere creatura novam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem cœlestis hominis reformari. Quod totum sive palam per cooperatores gratiæ, sive occulte per subministrationem Spiritus, ille inchoat, ille auget et perficit, cujus agricultura, cujus ædificatio, et cujus figmentum sumus.

[a] Ms. Joliensis, *nosmetipsi*.

[b] Hic editi nostri addunt *in*. Quo carent ms. Jol., Leonis editio et textus sacer Apostoli.

[c] In Leone habetur, *vestræ paternæ traditionis*.

[d] Ms. Joliensis addit *nostri*, conformiter textui sacro. Alii codices non addiderant.

[e] Ms. Joliensis addit *idem*.

[f] Ms. Joliensis omittit verbum *esse*.

[g] Sic ms. Joliensis cum Leonis edit. Alii, *Thyatiorum*.

[h] Ms. Joliensis, *et confessionem*.

[i] Ms. Joliensis, ut Vulgata versio, *et solatii*.

[j] Ms. Joliensis, *ut uno animo, uno ore honorificetis*.

[k] Ms. Joliensis, *in spe et virtute*. Leonis editio, *in spe, in virtute*, ut textus uterque Apostoli. Editi Prosperi, *abundetis spe, in virtute*.

[l] In Leone additur, *inquit*.

[m] Ms. Joliensis non habet præpositionem *nos* expressam.

Digitized by Google

## CAPUT XXIV.

*Omne bonum in homine esse ex gratia, et fidem dari non petitam, ut ipsius petitionibus cætera bona consequamur.*

Abunde, quantum arbitror, his testimoniis (quamvis et alia documenta aggregari potuerint) demonstratum est, fidem qua justificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis præcedentibus tribui; sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorum, [a] et cum ipsa data fuerit non petita, ipsius jam petitionibus bona cætera [b] consequantur. Unde quædam de plurimis assumenda sunt testimonia, quæ in diversitate donorum ostendant gratiæ largitatem. Ex Deo itaque esse, ut homo viam Dei eligat et ut surgat a lapsu, psalmus Davidicus canit dicens, *A Domino gressus hominis dirigentur, et* B *viam ejus volet. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam* (*Psal.* XXXVI, 23). Item idem, quod duce Deo veniatur ad Deum: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua* (*Psal.* XLII, 3). Item quod [c] in Domino sit hominis fortitudo, et Dei voluntas præveniat liberandum: *Fortitudinem*, [d] inquit, *meam ad te custodiam; quia Deus susceptor meus: Deus meus*, [e] *voluntas ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 10). In Proverbiis quoque legimus de sapientia et intellectu, *Quoniam Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus* (*Prov.* II, 6). Item in eodem libro de dispensationibus sapientiæ Dei, sine qua nullæ rectæ sunt actiones, ita dicitur, *Meum consilium et mea tutela, ego* C *prudentia, mea autem virtus. Per me reges regnant, et tyranni per me obtinent terram* (*Prov.* VIII, 14). Item alibi, quod nemo possit recte incedere, nisi Domino dirigente: *A Domino* [f] *corriguntur gressus viri, mortalis autem quomodo intelligat* **880** *vias suas* (*Prov.* XX, 24)? Item alibi: *Omnis vir videtur sibi justus, dirigit autem corda Dominus* (*Prov.* XXI, 2). Et infra: *Præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII, *sec. LXX*). Item ibidem de cogitatione atque consilio: *Multæ cogitationes in corde viri, consilium autem Domini obtinet* (*Prov.* XIX, 21). In libro vero Ecclesiastæ [g] scribitur, quod et habere necessaria, et eis bene uti, donum sit Dei, *Non est*, inquit, *bonum homini nisi quod* [h] *manducavit et bibit, et ostendit animæ suæ bonum in labore suo. Et quidem* [i] *hæc vidi ego, quia a* D *manu Dei est. Quoniam quis manducabit aut pascet absque illo* (*Eccle.* V, 17)? Item in eodem libro [j] legitur, quod corda et opera justorum in manu sint A Dei, et tantum in studiis suis proficiant, quantum ille [k] donaverit. *Quantumcumque laboraverit homo ut quærat, non inveniet; et quodcumque dixerit sapiens ut sciat, non poterit invenire. Quia universum hoc* [l] *dedi in cor meum, et cor meum universum hoc vidit, quia et justi et sapientes, et operationes eorum in manu Dei* (*Eccle.* VIII, 17; *et cap.* IX, 1). In libro autem Sapientiæ de eodem gratiæ opere ita dicitur: *Quoniam ipse et sapientiæ dux est, et sapientium emendator. In manu enim illius et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia, et disciplina* (*Sap.* VII, 15 *et* 16). De continentia quoque, quod ex Dei habeatur munere, eadem Scriptura sic loquitur: *Ut scivi quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc* B *donum* (*Sap.* VIII, 21). Cui sententiæ Pauli apostoli doctrina concordat in prima ad Corinthios hæc scribentis: *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic*, [m] *alius vero sic* (I *Cor.* VII, 7). Dominus vero in Evangelio secundum Matthæum hæc de continentiæ dono insinuasse narratur. Dicentibus namque discipulis suis, *Si ita est causa viri cum uxore, non expedit nubere*; dixit illis Jesus, *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est* [n] (*Matth.* XIX, 10 *et* 11).

De timore Dei et sapientia ita in Ecclesiastico legitur, *Corona sapientiæ timor Domini, utraque autem dona sunt Dei* (*Eccli.* I, 22). Item [o] in eodem, *Timor Domini super omnia* [p] *se superposuit: beatus cui* C *donatum est habere timorem Domini* (*Eccli.* XXV, 14). Isaias quoque de divitiis spiritalibus, quarum auctor est Dominus, ita loquitur: *In thesauris salus nostra advenit, sapientia, et pietas, et disciplina a Domino: hi sunt thesauri justitiæ* (*Isai.* XXV, *sec. LXX*). [q] Item de altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, cujus bonitas nullius merito prævenitur, hæc dicit: *Quis mensus est manu aquam, et cœlum palmo, et universam terram pugillo? Quis statuit montes in libra, et rupes* **881** *in statera? Quis cognovit sensum Domini, aut quis ejus fuit consiliarius, qui instruat eum? aut quem consuluit, et instruxit eum? vel quis ostendit ei judicium, aut viam prudentiæ quis ostendit ei, vel quis prior dedit ei, et retribuetur illi* (*Isai.* XL, 12 *seqq.*)? Unde et in libro Job secundum eumdem sensum le- D guntur Domini verba dicentis, *Quis ante dedit mihi, ut retribuam illi? Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt* (*Job* XLI, 2). Jeremias vero quod a Deo sit homini [r] vera sapientia, sic profatur: *Scio, Domine, quia*

[a] Alias, *ut cum ipsa*.
[b] In Leone, *conferantur*.
[c] Ms. Joliensis, *in Deo sit*.
[d] Ms. Jol. omittit *inquit*.
[e] Ms. Camberon., *misericordia ejus*.
[f] Ms. Joliensis, *diriguntur*.
[g] Mss. Camberon. et Jolien., *scribitur;* item editio Leonis. Alii, *dicitur*.
[h] Ita mss. Camb. et Jol., et Leonis editio: cæteri, *mandat et bibat, et ostendat*.
[i] Ms. Joliensis, *hoc ego vidi*.
[j] Ms. Joliensis, *loquitur*.
[k] Mss. Camberon. et Jol., *voluerit*.
[l] Leonis editio habet, *dedi in cor meum*.
[m] Ms. Joliensis, *alius autem sic*.
[n] Hic libri Prosperiani addunt *a Patre meo;* quæ verba nec in ms. Joliensi, aut Leonis editione, nec in textu Evangelii Græco aut Latino habentur. Ideo ea erasimus.
[o] Ms. Joliensis, *de eodem*.
[p] Ms. Jol., omisso *se*, habet *superposuit;* postea, *timorem Dei*.
[q] Ms. Joliensis, *Idem de altitudine*.
[r] Sic ms. Jol. ac Leonis editio. Alii codices, *recta*

Digitized by Google

*non est in homine via ejus, nec viri est ut dirigat iter* A *suum* (*Jerem.* x, 23). Item quod [a] ad Deum conversio cordis ex Deo sit, per ipsum Dominus protestatur, et dicit : *Restituam illos in terram istam*, [b] *et reædificabo, et non destruam, et plantabo eos, et non evellam, et dabo illis cor ut sciant me; quia ego sum Dominus, et erunt mihi in populum, et ego ero illis in Deum, quia convertentur ad me ex toto corde suo* (*Jer.* xxiv, 6 *et seq.*). [c] Baruch quoque prædicat quod ut Deus cognoscatur, ex Deo sit. *Et scient*, inquit, *quia ego Dominus Deus illorum, et dabo illis cor cognoscendi me, et aures audiendi* (*Baruch* ii, 31).

Quod autem omne verbum bonum, et omne opus sanctum subministratio sit Spiritus sancti, sine quo nihil recte [d] agatur, in prima ad Corinthios Paulus apostolus docet, dicens : *Ideo notum vobis facio quod* B *nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides* [e] *in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii prophetatio, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.* xii, 3 *seqq.*). Tantum vero unumquemque habere gratiæ, quantum [f] Dominus donaverit, idem C apostolus ad Ephesios ait : *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui* [g] *super omnes est, et super omnia, et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi; propter quod dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit* **882** *dona hominibus* (*Ephes.* iv, 4 *seqq.*). Item idem in secunda ad Corinthios dicit quod ne ad cogitandum quidem quod spiritale est idonei simus, nisi per gratiam Dei : *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum : non quod sufficientes simus aliquid cogitare a nobis, quasi ex nobismetipsis; sed* [h] *sufficientia nobis ex Deo est, qui et idoneos fecit nos ministros novi Testamenti, non* D *littera, sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* iii, 4 *seqq.*). Et iterum in eadem Epistola, [i] dicens bonorum operum effectum et sufficientiam a Dei gratia ministrari : *Potens est autem*, inquit, *Deus omnem gratiam* [j] *abundare facere in vobis : ut in omnibus per omnia sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum; sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. Qui autem ministrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem* (II *Cor.* ix, 8). Ad Ephesios vero scribens Apostolus docet quod omnia bona quibus placetur Deo, dona sint Dei; et quod ab ipso peti oporteat ut ea non [k] habentibus tribuantur : *Hujus rei*, inquit, *gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ* [l] *virtutem corroborari per Spiritum ejus in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati et firmati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, sublimitas et profundum;* [m] *scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundantius quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem qua operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Jesu, in omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Omnis autem boni Deum esse auctorem, cujus dona nec [n] incerta sunt, nec mutabilia, sed ex æterna voluntate venientia. Jacobus apostolus ita loquitur : *Nolite errare, fratres, mei dilecti. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (*Jacob* i, 16 *et* 17). Cui et Zacharias propheta concinit, dicens : [o] *Salvavit Dominus in die illa sicut oves populum suum, quoniam lapides sancti volvuntur super terram ipsius. Quia* **883** *si quid bonum, ipsius est, et si quid optimum, ab ipso est* (*Zach.* ix, 16 *et* 17). In Evangelio vero secundum Matthæum, quod [p] scientia et intellectus dona sint Dei, quæ quibus voluerit largiatur, ita dicitur : *Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei, Quare in parabolis loqueris ad eos? At ipse respondens, ait illis, Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, sapientia.*

[a] Ms. Joliensis, *ad Dominum.*

[b] Leonis editio, *et ædificabo*, sicut in Vulgata versione.

[c] Sic mss. Camberon. et Jol. ac Leon. edit. Alii, *Item idem prædicans.*

[d] Ms. Joliensis, *agitur.*

[e] Ms. Joliensis, *in uno Spiritu.* Infra Colon., *singula prout vult.*

[f] Ms. Joliensis, *donaverit Deus.*

[g] Ms. Jol. *et super omnes, et per omnia*, ut in utroque Apostoli textu.

[h] Ms. Jol. ut in textu Apostoli, *sufficientia nostra.*

[i] Ms. Jol. *docens.... et affectum et sufficientiam.*

[j] Mss. Camber. et Jol., *abundantem facere.*

[k] Ita mss. Camberon. et Joliensis cum Leonis editione. Alii, *ut non habentibus tribuat.*

[l] Editio Leonis ut in textu Apostoli, *virtute corroborari.*

[m] Hæc, *scire etiam* exciderant a Prosperi libris. Restituimus ex mss. Camberon. et Jol. et editione Leonis, cum legantur in textu Apostoli.

[n] Ms. Jol. et edit. Leon., *incerta sunt.* Editi alii, *incerta sint.*

[o] Sic editio Leonis cum Duac. et Colon. Ms. Joliens. et Lovan., *salvabit*, ut in textu Scripturæ, ubi in consequentibus *volventur*, non *volvuntur*, quod libri nostri omnes præferunt.

[p] Mss. Camb. et Jol. et Leonis editio, *scientia.* Alii, *scientiæ.*



Digitized by Google

*illis autem non est datum* (*Matth.* XIII, 10 *et* 11). Joannes quoque Evangelista pronuntiat, neminem aliquid boni habere, nisi quod desursum acceperit, dicens: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo* (*Joan.* III, 27). In ejusdem vero Evangelio doctrina est ipsius Veritatis, quod nemo veniat ad Filium, nisi attractus a Patre : quia venturum Deus et intelligentem et obedientem facit : *Nemo*, ait, *potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Scriptum est enim in prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me* (*Joan.* VI, 44 *et seq.*). Et infra, *Propter hoc dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo* (*Ibid.* 66).

In fide autem et in operibus bonis proficere ac perseverare usque in finem, muneris atque auxilii esse divini sanctarum Scripturarum confirmat auctoritas. Etenim scribens Paulus apostolus Philippensibus ait : *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu* (*Philip.* I, 6). Hujus autem testimonii virtutem quidam volens ad sui sensus pravitatem convertere, ita quod dictum est, *Qui cœpit in vobis*, volebat intelligi, quasi dictum esset, Qui cœpit ex vobis : ut et initium et consummatio operis non ad Deum, sed ad hominem referretur, qui et incipere et perficere voluisset. Sed hanc insanissimam superbiam, in eadem Epistola excellentissimus gratiæ prædicator elidit dicens : *In nullo terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo.* [a] *Vobis enim donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (*Ibidem*, 28 *et* 29). Et iterum, *Cum metu*, inquit, *et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle* [b] *et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II, 12). Item in prima ad Thessalonicenses docet ex Deo esse principium et profectum, consummationemque virtutum, dicens, *Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus Jesus dirigat viam nostram ad vos. Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem in invicem et in omnes, quemadmodum et nos in vos, ad* **884** *confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate* [c] *ante Deum, et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus* (I *Thess.* III, 11 *et seqq.*). Ad Corinthios quoque scribens, et omnium virtutum proficientem perseverantiam Dei donum esse commendans : *Gratias*, inquit, *ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu : quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et sapientia : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque ad finem sine crimine*, [d] *in diem adventus Domini nostri Jesu Christi* (I *Cor.* I, 4 *seqq.*). Item ad Romanos de charitate Christi, qua eos quos diligit, [e] insuperabiles facit, id est, usque in finem perseverantes. (Nam quid est aliud perseverare, quam tentatione non vinci?) *Quis nos*, inquit, *separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die*, [f] *existimati sumus sicut oves occisionis; sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos* (*Rom.* VIII, 35 *seqq.*). Item ad Corinthios de victoria quam perficit Christus : *Stimulus*, inquit, *mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum* (I *Cor.* XV, 56 *et* 57). Item ad Thessalonicenses de perseverantia quam Deus tribuit : *Ipse autem*, ait, *Deus pacis sanctificet vos per omnia*, [g] *ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventum Domini nostri Jesu Christi servetur. Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam* [h] *faciet* (I *Thess.* V, 23 *et* 24). Item ad Thessalonicenses, quod omnia bona nostra, sive in operando, sive in loquendo, et in eis perseverantia, dona sint Dei, ita prædicat, dicens : *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus*, [i] *et Deus Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono. De cætero, fratres, orate pro nobis, ut* [j] *sermo Domini currat et clarificetur, sicut et apud vos, et ut liberemur ab importunis et malis hominibus. Non enim omnium est fides. Fidelis autem* [k] *Dominus est, qui et confirmabit vos, et custodiet a malo* (II *Thess.* II, 15, 16, *et* III, 1, 2, 3). [l] Petrus quoque apostolus, unde esse virtutem perseverantiæ doceat, audiamus. *Deus autem*, inquit, *omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque; cui est virtus et potestas in sæcula sæculorum. Amen* (I *Petr.* V, 10 *et* 11). Joannes vero **885** apostolus, quod victoria sanctorum opus Dei sit habitantis in sanctis, ita loquitur : *Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis mundum; quoniam major est qui* [m] *in vobis est, quam qui in mundo* (I *Joan.* IV, 4). Item idem : *Omne quod natum est ex Deo, vincit*

[a] Sic ms. Jol. et Leonis editio. Alii vero, *Quia vobis*, etc.

[b] Ms. Jol. et edit. Leonis, *et operari*. Cæteri, *et perficere*.

[c] Hic editi addiderant olim, *vitæ*, quo carent ms. Joliensis et editio Leonis, immo et textus uterque S. Pauli.

[d] Ms. Joliensis ut in textu Apostoli, *in die*. Quæ alias erat lectio loci hujus in Leonis libris. Idemque addit *nostri*, circa finem post textum Apostoli.

[e] Editi alias, *inseparabiles*. Ms. Joliensis et Leonis editio, *insuperabiles*.

[f] Ms. Joliensis, *æstimati*.

[g] Ms. Jol., *et integer*, ut in textu Græco.

[h] Alias in Leone, *faciat*.

[i] Sic ms. Joliensis, ut apud Apostolum. Alii codices nostri omittunt *et* secundo loco.

[j] Ms. Joliensis, *sermo Dei*.

[k] Sic ms. Jol., ut in Apostolo. Cæteri, *Deus est*.

[l] Ms. Joliensis, *Petrus vero*. Idemque addit, *Amen* post aliquot verba, ut Leonis editio.

[m] Ms. Jol. et edit. Leonis, *in nobis est*.

Digitized by Google

*mundum; et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (I *Joan.* v, 4). In Evangelio autem secundum Lucam, Deum dare, [a] ut in fide perseveretur, ita promitur: *Dixit autem Jesus Petro: Simon, Simon, ecce Satanas postulavit ut vos* [b] *cerneret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua: et tu conversus confirma fratres tuos,* [c] *et roga ne intretis in tentationem* (*Luc.* xxii, 31 *et seq.*). In Evangelio quoque Joannis, de ovibus Christi, quæ de manu ipsius a nullo [d] rapiantur, hæc legimus dicere Veritatem: *Sed vos non creditis, quia non estis de ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego novi illas, et sequuntur me, et* [e] *ego vitam æternam do illis, et non peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea* (*Joan.* x, 26 *et seq.*). Item in eodem Evangelio, de his quos Pater dat Filio, qui et omnes veniunt ad Filium, et quorum nullus perit, hæc ipsius Domini ore dicuntur: *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me, et eum* [f] *qui venit ad me non ejiciam foras: quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris; ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quidquam, sed resuscitem illud in novissimo die* (*Joan.* vi, 37 *et seq.*).

### CAPUT XXV.

*Quæstionem cur potius hic quam ille accipiat gratiam, esse impenetrabilem, nec posse ex libero arbitrio solvi.*

Multa sunt alia in canonicarum serie Scripturarum, quæ vitandæ prolixitatis studio præterimus, quoniam quæ assumpsimus, nec pauca sunt, nec obscura, nec levia: quibus plenissime declaratur, omnia quæ ad promerendam vitam æternam pertinent, **886** sine gratia Dei nec inchoari, nec augeri posse, nec perfici; et contra omnem [g] elationem de A libero arbitrio gloriantem, illam invictissime reniti sententiam dicentis Apostoli: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* iv, 7)? Igitur profunditas illius quæstionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii [h] velle et nolle non solvitur. Quia licet insit homini bonum nolle, tamen nisi donatum non habet [i] bonum velle: et illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. Sed quid illud sit quod hæc eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem [j] rea, in omnibus misera, non in omnibus justificatur, et a pereuntibus quadam sui parte discernitur ab eo qui *venit quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* xix, 10), humano B sensu prorsus non potest indagari. Quantumlibet enim impiorum malignitas accusetur, resistens gratiæ Dei; numquid [k] probabuntur eam, quibus est collata, meruisse? aut illa virtus gratiæ, quæ sibi quos voluit subdidit, convertere eos qui inconvertibiles permansere non potuit? Tales fuerunt qui sunt attracti, quales hi qui in sua duritia sunt relicti. Sed illis tribuit gratia stupenda quod voluit, istis [l] retribuit veritas justa quod debuit, ut judicium Dei magis inscrutabile sit in electione gratiæ, quam [m] in retributione justitiæ. Verumtamen ne illa pars fidei, qua pie credimus Deum velle, ut omnes homines veritatis agnitione salventur, per hoc quod de effectibus gratiæ evidenter ostenditur, infirmata videatur; annitendum est, auxiliante Christo, ut nobis C stabilitas hujus definitionis appareat. Sed quia necessariæ inquisitionis negotium non levem operam sibi poscit impendi, secuturam disputationem ab exordio alterius voluminis inchoemus.

[a] Colon. editio, *ut in virtute*. Mss. Joliensis et Camb. et edit. Leonis, *promitur*, loco vocis *promittitur*, quæ est in aliis.
[b] Ms. Joliensis, *ut vos cribraret*. Alii omnes, *cerneret*. *Cernere* autem pro *secernere et cribrare* usurpari tunc solitum observarunt editores a Lovaniensibus omnes: apud Plinium quoque eodem hoc sensu usurpatur.
[c] In Leone, *et orate*.
[d] Ita ms. Joliens. et Leonis editio. Cæteri, *rapiuntur*.
[e] Vocem *ego* addunt ms. Jol. et Leonis edit. in quo pro *do eis*, in marg. *dabo eis* alias lectum scribitur.
[f] Ms. Jol., *qui venerit*. Alias sic lectum in Leone.

[g] Mss. Camberon. et Jol. cum Leonis edit., *elationem*. Alii, *electionem*.
[h] Mss. Thuan., Camb. et Jol., *velle et nolle*. At aliorum lectionem anteponendam probat quod sequitur: *et illud contraxit natura per culpam:* quod non ad aliud quam ad *bonum nolle* referri potest.
[i] Editi Prosperi, *donum bonum velle*. Melius omittitur vox *donum* in ms. Joliensi et editione Leonis.
[j] Mss. Camb. et Jol., et edit. Leon., habent, *rea*. Editi Prosperiani, *mala*.
[k] Mss. Thuan. et Camb., *probabunt*.
[l] Sic mss. Camb. et Jol. et Leo. Editi Prosperi, *tribuit*.
[m] Ms. Thuan., *in redhibitione*.

# LIBER SECUNDUS.

### 887 CAPUT PRIMUM.

*Tria esse in hac quæstione certa, Deum velle omnes salvos fieri, cognitionem veritatis et salutem esse ex gratia, et judicia Dei esse impenetrabilia.*

Remotis abdicatisque omnibus concertationibus quas intemperantium disputationum gignit animosi- D tas, tria esse perspicuum est, quibus in hac quæstione, de qua secundum volumen incipimus, debeat inhæreri. Unum, [a] quo profitendum est Deum velle omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; alterum, quo dubitandum non est ad ipsam [b] cognitionem veritatis et perceptionem sa-

[a] Editi Prosperi, *quod;* et infra, *Alterum quod;* et rursus, *Tertium quod*. Ubi mss. Camberon. et Joliensis, nec non Leon. edit. habent, *quo*.

[b] Editi, *cognitionem*. Mss. Camb. et Jol. cum Leone, *agnitionem*.

Digitized by Google

lutis, non suis quemquam meritis, sed ope atque opere divinæ gratiæ pervenire; tertium quo confitendum est altitudinem judiciorum Dei humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse; et cur [a] non omnes homines salvet, qui omnes homines vult salvos fieri, non oportere [b] disquiri : quoniam si quod cognosci non potest, non quæratur, inter primam et secundam definitionem non remanebit causa certaminis, sed secura ac tranquilla fide utrumque prædicabitur, utrumque credetur. Deus quippe, apud quem non est iniquitas (*Rom.* IX, 14), et cujus universæ viæ misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10), omnium hominum bonus conditor, justus est ordinator; neminem indebite damnans, neminem debite liberans, nostra plectens cum punit noxios, sua tribuens cum facit justos : ut obstruatur os loquentium iniqua (*Ps.* LXII, 12), et justificetur Deus in sermonibus suis et vincat cum judicatur (*Psal.* L, 6). Nec damnati justa querimonia, nec justificati verax est arrogantia, si vel ille dicat non meruisse se pœnam, vel iste asserat meruisse se gratiam.

## **888** CAPUT II.

*Scriptura docet Deum velle omnes homines salvos fieri.*

Sicut autem ea quæ ad manifestationem gratiæ ex divinis proferuntur eloquiis nulla possunt [c] disserendi arte violari, ut perspicuæ consonantesque [d] in tanta numerositate sententiæ ad aliquod pravæ interpretationis trahantur incertum; ita etiam quod de salvatione omnium hominum in eodem Scripturarum corpore reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum est; ut quanto hoc ipsum difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur. Magna enim fortitudo est consensionis, cui ad sequendam veritatem auctoritas sufficit, etiam latente ratione. Proinde vigilanter consideremus prædicatoribus Evangelii quid a Domino jubeatur. Secundum Matthæum quippe sic ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo,* [e] *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 18 *et seq.*). Secundum Marcum vero eisdem apostolis ita dicitur : *Ite in orbem universum, prædicate Evangelium universæ creaturæ; et qui crediderit et baptizatus fuerit, ipse salvus fiet; qui vero non crediderit, damnabitur* (*Marc.* XVI, 15). Numquid in hac præceptione ullarum nationum ullorumve hominum facta discretio est? Neminem merito excepit, neminem genere separavit, neminem conditione distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est Evangelium crucis Christi. Et ne prædicantium ministeria

A humano tantum viderentur opere peragenda, *Ecce ego,* inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Id est, cum sicut oves introieritis in medium luporum (*Matth.* X, 16), nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate **889** confidite, qui vos usque ad consummationem sæculi in omni hoc opere non derelinquam : [f] non hoc ut nihil patiamini, sed, quod multo majus est, præstiturus ut nulla sævientium crudelitate superemini. In mea enim potestate prædicabitis, et per me fiet ut inter contradicentes, inter furentes Abrahæ filii de lapidibus suscitentur (*Matth.* III, 9). Ego insinuabo quod docui, ego faciam quod promisi. *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et præsides stabitis*
B *propter me, in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet enim frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 17-22). *Apparuit ergo,* ut Apostolus ait, *gratia* [g] *salvatoris nostri Dei omnibus hominibus* (*Tit.* II, 11); et tamen ministri gratiæ odio erant omnibus hominibus. Et cum alii essent qui oderant, alii qui odiis persequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum privabatur : habente quidem salutis suæ damnum rebellium portione, sed
C obtinente plenitudinis censum fidelium dignitate. Dicit enim Joannes apostolus, *Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (I *Joan.* II, 1).

## CAPUT III.

*Inscrutabile esse cur Deus judicarit quorumdam vocationem differendam.*

Magni autem et inenarrabilis sacramenti mysterium est, quod prædicatoribus, quibus dictum est, *Ite in orbem universum, et prædicate Evangelium universæ creaturæ* (*Marc.* XVI, 15) ; iisdem prius dictum fuerat, *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne introieritis, sed potius ite ad oves quæ*
D *perierunt domus Israel* (*Matth.* X, 5). Quamvis enim ad omnium hominum vocationem Evangelium dirigeretur, omnesque Dominus salvos fieri et in agnitionem veritatis vellet venire (I *Tim.* II, 4); non tamen sibi dispensationum suarum abstulerat potestatem, ut aliter quam occulto justoque judicio statuerat, consilii sui ordo decurreret. Unde locum non habent contumacium murmura querelarum, quia quod Deus

[a] Sic mss. Camb. et Jol. cum Leone. Editi, *non omnes salvet, qui omnes vult salvos fieri.*
[b] Ms. Joliensis, *inquiri.*
[c] In editis hic erat vox ista, *ratione.* Melius abest a mss. Camb. et Jol. et edit. Leonis.
[d] Ms. Joliensis, *et in tanta.*

[e] Ms. Joliensis, *docete gentes, baptizantes eas.*
[f] Editi, *non ad hoc.* Ms. Joliensis et Leo, *non hoc,* scilicet *præstiturus,* quod postea sequitur. Ms. Camb. dein, *separemini.*
[g] Ita mss. Camberon. et Joliens. et Leo. Editi, *salutaris Dei.*

Digitized by Google

fieri voluit, constat non aliter fieri debuisse quam A voluit. Posteriore vero tempore, cum jam Dominus Jesus in Dei Patris gloria consideret, et prædicatores verbi suscepto negotio deservirent, volentes apostoli evangelizare **890** verbum in Asia, *vetiti sunt ab Spiritu sancto*, et disponentes ire in Bithyniam, prohibiti sunt ab Spiritu Jesu (*Act.* xvi, 6 *et* 7) : non utique negata illis populis gratia, sed quantum apparuit, retardata. Nam [a] postmodum etiam apud ipsos fides Christiana convaluit.

Quæ autem fuerit differendæ vocationis causa, non claret; et tamen rei gestæ docemur exemplo quod inter generalia, vel promissa, vel opera, vel præcepta, quædam Deus a communibus excepta causis, occultiore novit ordinare ratione. Credo, ut interpositis quibusdam obumbrationibus, ea quæ secretius B micant, mirabilius innotescant : ne negligentior fiat acies de facilitate cernendi, et quodammodo dormitet assuetis, si non excitetur insolitis. Has autem incognoscibiles illuminationum dilationes, inter quas utique multi in infidelitate deficiunt, non solum in populis remotioribus impiorum, sed etiam in civitatibus fidelium per plurimas domos ac familias novimus fieri, dum Christianæ fidei, etiam qui Christiani futuri sunt adversantur. Multi enim quod oderunt amabunt, quod non recipiunt prædicabunt. Et quis inter hæc [b] querulis aut curiosis notum faciet, cur adhuc Sol justitiæ (*Malac.* iv, 2) quibusdam gentibus non oriatur, et a tenebrosis cordibus, etiam nunc radios suos veritas revelanda contineat (*Sap.* v, 6)? Cur corrigendi tam diu sinantur errare, C et quod senibus in fine præstandum est, per tam longam non tribuatur ætatem? Cur filiis jam in Christum credentibus, nec dum credant parentes? Et rursum, a religiosis parentibus soboles prava discordet? Cum tamen Deo, qui initiorum fidei, incrementique largitor est, secundum ipsius præceptum quotidie pro omnibus supplicetur : ut [c] et si exaudit, nota sit gratia miserationis; et si non exaudit, intelligatur judicium veritatis.

## CAPUT IV.

*In præteritis sæculis semper admonuit divina bonitas homines sui cultus per elementa : sicut populum Israel peculiariter per legem et prophetas.*

Sed ne in præteritis quidem sæculis hæc eadem gratia (quæ post Domini nostri Jesu Christi resur- D rectionem ubique diffusa est, et de qua scriptum est, *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ* [*Psal.* lxxvi, 19]) defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi (*Act.* xiv, 15), hoc est, secundum propriam permissæ sint vivere voluntatem, non ita se tamen æterna Creatoris bonitas [d] ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret. Cœlum **891** quippe ac terra et mare, omnisque creatura quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris, implente omnia Spiritu Dei in quo vivimus, et movemur, et sumus (*Act.* xvii, 28). Quoniam etsi *longe* est *a peccatoribus salus* (*Ps.* cxviii, 155), præsentia tamen salutis ipsius ac virtute nihil vacuum est. Igitur, sicut dicit Propheta, *Misericordia Domini plena est terra* (*Psal.* xxxii, 5) : quæ nullis umquam sæculis, nullis generationibus defuit, eamque providentiam, qua universitatem rerum administrat et continet, regendis alendisque naturis semper impendit, dispositum habens ex incommutabilis æternitate consilii, [e] quibus quidque temporibus distribueret, et multiformis gratiæ suæ inscrutabiles investigabilesque mensuras, per quæ dona ac sacramenta variaret. Sicut enim ista gratiæ largitas, quæ in omnes [f] gentes novissime [g] effluxit, non evacuat eam quæ super unum Israel sub lege [h] roravit, nec præsentes divitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati, ita nec de illa cura Dei quæ patriarcharum filiis proprie præsidebat, conjiciendum est gubernacula divinæ misericordiæ cæteris hominibus fuisse subtracta. Qui quidem in comparationem electorum videntur abjecti, sed numquam sunt a manifestis occultisque beneficiis abdicati. Legimus enim [i] in Actibus apostolorum, Paulum et Barnabam apostolos Lycaoniis dicere : *Viri, quid hæc facitis? et nos mortales sumus similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit,* [j] *benefaciens, de cœlo dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda vestra* (*Act.* xiv, 14 *et seq.*).

Quod est autem hoc testimonium, quod semper Domino deservivit, et numquam de ejus bonitate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, et inenarrabilium beneficiorum ejus dives et ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis et publica divinæ institutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo cunctaque cœlestia, mare et

[a] Editi, *postea.* Mss. Jol. et Camb., *postmodum.* Sic in Leone.

[b] Ms. Camberon., *querulus aut curiosus.*

[c] Editi, *etsi exaudiat.* Melius ms. Joliensis et edit. Leonis.

[d] Leonis editio, *ab ullis hominibus.*

[e] Ms. Joliensis, *quibus quæque temporibus.* Ms. Camberon., *quid quibus temporibus.*

[f] Vox hæc, *gentes*, ab edit. Duac. et Colon. exciderat. In Lovanien i et ms. Joliensi ac Leone legitur.

[g] Ms. Camberon., *illuxit.*

[h] Mss. Camberon. et Thuan., *erogavit.*

[i] Alii libri, *in Actis.* Mss. Camber. et Jol. et Leo, *in Actibus.*

[j] Ms. Joliensis, *benefaciens eis.*

Digitized by Google

terra, omniaque quæ in eis sunt, consono speciei A suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, et prædicatione perpetua majestatem sui loquebantur auctoris; et tamen maximus numerus hominum, **892** [a] qui vias voluntatis suæ ambulare permissus est, non intellexit, nec secutus hanc legem est, et odor vitæ, qui spirabat ad vitam, factus est ei odor mortis ad mortem (II *Cor.* II, 16); ut etiam in illis visibilibus testimoniis disceretur quod littera occideret, spiritus autem vivificaret (II *Cor.* III, 6). Quod ergo in Israel per constitutionem legis et prophetica eloquia gerebatur, hoc in universis nationibus totius creaturæ testimonia et bonitatis Dei miracula semper egerunt.

## CAPUT V.

*Qui inter gentes Deo placuerunt, spiritu fidei et gratiæ sunt discreti.*

Sed cum in illo populo, cui utraque eruditio præfuit, nemo nisi gratia justificatus sit per spiritum fidei, quis ambigat eos qui de quibuscumque nationibus quibuslibet temporibus Deo placere potuerunt, spiritu gratiæ Dei fuisse [b] discretos? Quæ etsi parcior ante atque occultior fuit, nullis tamen sæculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opere multiformi.

## CAPUT VI.

*Non omnibus, etiam nunc, eadem mensura gratiæ confertur.*

Nam et in his diebus quibus totum mundum ineffabilium donorum flumina rigant, non idem modus omnibus, nec eadem mensura confertur. Quamvis enim per ministros verbi et gratiæ Dei eadem cunctis veritas prædicetur, eadem cohortatio adhibeatur, Dei tamen agricultura est, Dei ædificatio, cujus virtus invisibiliter agit, ut incremento proficiat quod ædificatur aut colitur. Sicut attestatur Paulus apostolus, dicens: *Quid igitur est Apollo?* [c] *quid vero Paulus?* [d] *ministri ejus cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui plantat autem et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis* (I *Cor.* III, 4 *et seq.*). Agriculturæ ergo hujus atque ædificationis in D tantum quisque adjutor, et operarius ac minister est, in quantum unicuique Dominus dederit. Et hi qui ministrorum labore excoluntur, ad eum proficiunt modum, ad quem illos incrementi auctor evexerit. In agro enim Domini non uniformis, nec una plantatio est. Et quamvis in unum decorem totius templi **893** structura conveniat, non idem tamen locus est, nec idem usus omnium lapidum: sicut et in uno corpore non omnia membra eumdem actum habent (*Rom.* XII, 4), [e] dicente Apostolo, *Nunc autem posuit Deus membra, et unumquodque eorum sicut voluit* (I *Cor.* XII, 18).

## CAPUT VII.

*Cum omne bonum ex gratia Dei sit, imparitas meritorum nec in liberum arbitrium est referenda, nec in querelam est vocanda.*

Hæc vero membra unde apta, unde utilia, unde sint pulchra, idem doctor exponit dicens: *Ideo notum vobis facio quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere Dominum Jesum,* B *nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu,* [f] *alii gratia sanitatum in eodem Spiritu, alii* [g] *operationes virtutum, alii prophetatio, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.* XII, 3 *seqq.*). Hæc magistro gentium tanta luce, tanta evidentia prædicante, [h] quæ ratio, quæ causa dubitandi est, an omnium nobis virtutum ger- C men ex Deo sit? vel quis, [i] nisi insipientissimus, de differentia divinorum munerum conqueratur, aut imparibus ascribendum meritis arbitretur, quod non æqualiter de superna liberalitate confertur? Si enim hæc distributio secundum præcedentium operum merita [j] proveniret, non ipsorum donorum catalogum tali conclusione Apostolus terminaret, ut diceret, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid.* 11). Ubi utique si meritorum causas voluisset intelligi, diceret, Dividens singulis prout merentur; sicut plantatoribus [k] aut rigatoribus præmium devotionis spopondit, dicens, *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (I *Cor.* III, 8).

## 894 CAPUT VIII.

*Unicuique sine merito datur, unde tendat ad meritum, et a gratia jam donato exspectatur, ut id quod accepit augeat per illum qui dat incrementum.*

Datur ergo unicuique sine merito unde tendat ad meritum, et datur ante ullum laborem unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod

[a] Ms. Camberon., *quia vias*. Ms. Jol., *quia viis*.
[b] Mss. Camb. et Joliensis, *directos*. Alii, *discretos*.
[c] Ms. Jol. *quid autem Paulus?*
[d] In edit. Leonis, *minister*.
[e] Ms. Joliensis, *igitur*.
[f] Hæc pars loci apostolici additur ex mss. Camberon. et Joliensi, et editione Leonis. Exciderat ab editis Prosperi.
[g] Alias, *operatio*, ut Vulgata. Ms. Jol. et Leo, *operationes*, ut Græca.
[h] Sic mss. Camberon. et Joliensi et Leonis editio. Alias editi, *qua ratione, qua causa dubitandum est?*
[i] Ms. Joliensis, *quis insipientissimus*.
[j] Ms. Joliensis, *non ipsum donorum catalogum*.
[k] Mss. Camberon. et Joliensis, *et rigatoribus*.

Digitized by Google

ita esse, etiam [a] ex doctrina evangelicæ veritatis agnoscitur: ubi per comparationem dicitur quod *homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam, et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum,* [b] *unicuique secundum propriam virtutem* (*Matth.* xxv, 14 *et* 15), id est, secundum propriam et naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est [c] posse operari, aliud operari; et aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem, et aliud est capacem esse continentiæ, justitiæ, sapientiæ, aliud vero esse continentem, justum, atque sapientem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis [d] sanus est, quia reparabilem et sanabilem esse, de natura est; reparatum autem et sanum esse, [e] de gratia est. Denique isti quibus secundum modulum capacitatis suæ, quem in eis distributor substantiæ prævidebat, dispar creditus est numerus talentorum, non meriti remunerationem, sed operis accepere materiam. In qua duorum servorum vigilantissima industria non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in æterna Domini sui gaudia intrare præcipitur (*Ibid.*, 21 *et* 23). Tertii vero pigrum otium et desidiosa nequitia sic punitur, ut et vituperationis dedecoretur opprobrio, et portione quam acceperat exuatur (*Ibid.*, 26 *et seqq.*). Dignus enim erat perdere inutilem fidem, qui non exercuerat charitatem. Unde et [f] in subsequenti sermone, quo apertissime declaratur futuri forma judicii, sedente Filio hominis in sede majestatis suæ, [g] ante quem facta congregatione omnium gentium, alii [h] dicuntur ad dexteram, alii ad sinistram constituendi; laudatis dextris de operibus charitatis, nihil aliud sinistris objicitur, quam misericordiæ benevolentiæque neglectus (*Matth.* xxv, 31 *et seqq.*). Acceperant ergo etiam isti fidem, sed non sectati fuerant dilectionem; nec de non servato, sed de non aucto munere damnabuntur. Quamvis enim omnia bona dona sint Dei, [i] a Deo tamen quædam etiam **895** non petita tribuuntur, ut per ipsa quæ accepta sunt, ea quæ nondum sunt donata quærantur. Semen quippe quod jacitur in terram non ob hoc seritur ut ipsum solum maneat, sed ut fructum afferendo, multiplex atque numerosum sit (*Joan.* xii, 24). [j] Cui

A quidem profectus ab illo est, qui dat incrementum (I *Cor.* iii, 7); sed terra vivens, [k] et rationalis, et de gratiæ jam imbre fecunda, habet quod ab ipsa exspectetur, ad id quod accepit augendum.

## CAPUT IX.

*Variatæ per diversa tempora gratiæ causa a nobis non est investiganda.*

His recte, ut arbitror, quantum Dominus tribuit, pertractatis, ad id unde digressa est disputatio revertamur. Ad considerationem scilicet differentiarum, quibus divinæ gratiæ opera ac dona variata sunt. Altitudo quippe divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia et investigabiles viæ (*Rom.* xi, 33), [l] sic semper misericordiam suam et
B justitiam temperavit, ut secretissima æterni consilii voluntate, noluerit in omnibus [m] temporibus super omnes generationes, aut super omnes homines æquales donorum suorum esse mensuras. Siquidem aliter eos juverit, quos ad cognoscendum se, cœli et terræ [n] testimoniis conveniebat; aliter illos, quibus non solum elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, [o] miraculorum signis, et angelorum cooperationibus consulebat; et multo magis aliter misericordiam suam universis hominibus declaraverit, quando Filius Dei factus est filius hominis, ut inveniretur ab eis qui eum non quærebant, et appareret his qui illum non interrogabant (*Isa.* lxv, 1); et non in uno tantum populo [p] honor Israeliticæ stirpis excelleret, sed [q] in omni gente
C quæ est sub cœlo, multiplicatum Abrahæ semen oriretur, [r] inque hæredum successionem non filii carnis, sed filii promissionis intrarent (*Act.* xiv, 15); et quanta in præteritis sæculis super cæteras nationes, tanta nunc esset in gente Judæa parcitas gratiæ; cum tamen introducta plenitudine gentium (*Rom.* xi, 25), etiam ipsorum ariditati earumdem rigationum inundatio spondeatur. Quæ itaque causæ sint harum sub eadem gratia dissimilitudinum, quæve rationes, sanctis Scripturis non loquentibus, quis loquetur? Et cum in eis scientia Pauli apostoli a disputatione transeat ad stuporem (*Rom.* xi, 33), cujus erit tanta præsumptio, qui **896** hæc disserendo [s] existimet aperienda, potius quam silentio miranda.

D

[a] Sic cum mss. Camb. et Jol. editio Leonis. Alias editi, *evangelicæ veritatis testimonio.*

[b] In ms. Joliensi absunt hæc, *unicuique secundum propriam virtutem*; et infra, *et naturalem.*

[c] Ms. Jol., *per se operari.... per se habere charitatem.*

[d] Ita mss. Camb. et Jol. cum edit. Leonis. Alii, *sanatus est;* et postea iidem *et sanum esse;* ubi alii, *et sanatum esse.*

[e] Colon. editio, *de gratia Dei.*

[f] Ms. Jol., *in subsequenti parabola sermo quo.* etc.

[g] Ms. Joliensis, *ante quem.* Alii, *ante quam.* Prioris lectionem præponi suadet evangelista dicens, *et congregabuntur ante eum omnes gentes.*

[h] Sic ms. Joliensis et Leonis edit. Alii editi, *ducuntur*, vel, ut recentiores, *ducantur.*

[i] Mss. Joliensis et Camb., *ideo tamen.*

[j] Ita ms. Joliensis cum Leone. Alii, *Qui quidem.*

[k] Voces has, *et rationalis*, addunt mss. Camberon. et Jol. atque edit. Leonis. In his tamen mss. omittitur, *et de gratia jam imbre fecunda;* quibus non carent alii libri.

[l] Sic mss. Camb. et Jol. cum edit. Leonis. Editi alias, *sic per... et judicium.*

[m] Mss. Camb. et Jol. addunt, *temporibus;* quæ vox exciderat ab editis Prosperianis.

[n] Ms. Joliensis, *testimonio.*

[o] Ms. Joliensis, *mirabilium signis.*

[p] Vocem hanc *honor* habuimus ex ms. Joliensi et edit. Leonis. Quæ supplenda probatur ex serie orationis.

[q] Apud Leonem, *in omni genere.*

[r] Ita ms. Jol. cum Leone. Alii, *in quam.*

[s] Mss. Camb. et Joliensis, *æstimet.*

Digitized by Google

## CAPUT X.

*Omnibus sæculis misericordia Dei et corpora aluit, et mentes juvit.*

Patienter igitur et æquanimiter ignoretur tam remotum ab humana [a] cognitione secretum. Nec tamen [b] quia nequeunt clausa penetrari, ideo etiam reseratorum est prætereundus introitus. Manifestaverunt enim divinorum eloquiorum multæ auctoritates, et continua omnium sæculorum experimenta docuerunt, justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam nec alendis umquam corporibus hominum, nec docendis juvandisque eorum mentibus defuisse. Semper etenim *pluit super bonos et malos*, semper *solem suum oriri fecit super justos et injustos* (*Matth.* v, 45), semper vitales auras præbuit, semper diei et noctis vicissitudines ministravit, ubertatem agris, multiplicationem seminibus, fecunditatem generandis hominibus semper [c] impendit. Et si quando aliquid horum minuit, benignis correptionibus aversionem desidiamque male utentium castigavit; ut miserationes ejus quærerent in adversis, cujus justitiam non timuerant in secundis. Denique si ad ipsa mundi exordia recurramus, inveniemus, omnium sanctorum qui diluvium præcesserunt, Dei Spiritum fuisse rectorem, propter quod et filii Dei nominati sunt : quoniam, sicut ait Apostolus, *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* viii, 14). Et cum iidem, neglecta observantia patrum, illicitis se reproborum connubiis miscuissent, atque ob nefariam societatem digni exterminio judicarentur, Dominus ait, *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt* (*Genes.* vi, 3). Unde apparet quod iste populus, cujus generationes discreto ordine cum annorum numero digeruntur, spiritalis antea fuit; ea utique voluntate cui Spiritus sanctus præsidebat : sic impendens moderaminis sui regimen, ut declinandi ad vitia non adimeret potestatem : qua potestate hic populus si non uteretur, non relinqueret Deum, nec relinqueretur a Deo, essetque ille de quo dictum est, *Felix qui potuit transgredi, et non est transgressus* (*Eccli.* xxxi, 10). Quamdiu ergo apud Deum mansit, ea voluntate mansit quam Deus inspiravit et rexit. *Præparatur enim*, sicut scriptum est, *voluntas a Domino* (*Prov.* viii, *sec. LXX*).

## 897 CAPUT XI.

*Hominibus fere paulatim et particulatim accrescit, quod superna largitas eis dare decrevit.*

Sed hujus præparationis non unus semper provectus, nec una mensura est. Quoniam multis modis et innumerabilibus differentiis, gratiæ opera et dona variantur, inque ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus et impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum, quæ terra producit, non una species, nec unum in omnibus genus est; sed singula quæque in sui seminis forma, et in suæ stirpis qualitate gignuntur, plenum A autem decorem non statim ut eduntur accipiunt, sed certis et ordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem per succedentia sibi incrementa perveniant; ita et semina charismatum plantæque virtutum, non in omni agro cordis humani totum hoc pariter, quod sunt futura, nascuntur, nec facile reperitur in exordio maturitas, et in inchoatione perfectio. Exserit quidem frequenter potens et misericors Deus mirabiles istos suæ operationis effectus, et quibusdam mentibus non exspectata profectuum mora, totum simul quidquid collaturus est, invehit. In Abrahæ lumbis Levi sanctificatur (*Heb.* vii, 10), et simul cum eo domus Aaron et sacerdotalis ordo benedicitur (*Gen.* xiv, 19). In Isaac de repromissione concepto, et contra spem B (*Rom.* iv, 18) sterilium senum nato, omnium gentium vocatio, et tota Christi forma præconditur. Jacob, nullo merito suffragante, dilectus priusquam nascatur, eligitur (*Malach.* i, 2; *Rom.* ix, 13). Jeremiæ dicitur, *Priusquam te formarem in utero, novi te : et priusquam exires de vulva, sanctificavi te* (*Jerem.* i, 5). Joannes intra Elizabeth matris viscera Spiritu sancto repletus exsultat (*Luc.* i, 44), et ut nullus inter natos mulierum major sit (*Matth.* xi, 11), prius sentit initia gratiæ quam naturæ.

Sed cum et alia similium documentorum exempla non desint, quæ brevitatis studio præterimus, multo tamen crebrior, multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quidquid superna largitas donat, accrescit; ut conferendorum munerum C causæ, de his quæ sunt collata, pariantur. Quidam accepta fide, diffidentia non carent, quam utique inesse sibi noverat, qui dicebat, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* ix, 23). Quam nec illi abesse penitus a suis animis sentiebant, qui dixerunt, *Auge nobis fidem* (*Luc.* xvii, 5). Quidam quod credunt non intelligunt, et multi eorum diu in suæ simplicitatis modulo detinentur. Multi vero cito intellectus lumen accipiunt. 898 Ipsa autem intelligentia non in omnibus eumdem habet vigorem, aut similem facultatem. Et plurimi, cum et fide et intellectu videantur ornati, laborant tamen indigentia charitatis, et his quæ fide et intellectu vident nequeunt inhærere : quoniam perseverari in eo non potest, quod non toto corde diligitur. Donum quoque D ipsius charitatis non semper ejusmodi est, ut quidquid ad plenitudinem ipsius pertinet, simul a percipiente sumatur. Est enim amor qui potest alio amore superari, et sæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marcescit; nisi ad eum fervorem, Spiritu sancto inflammante, profecerit, qui nullo exstingui frigore, nullo possit tepore languere. Cum itaque in hoc inenarrabili dono Dei, omnium summa donorum, et quædam cunctarum sit vita virtutum, ad hoc cætera conferuntur, ut habeat animæ fidelis intentio per quæ ad perfectam charitatem possit eniti. Quæ quo-

[a] Sic mss. Camb. et Jol. ac Leonis edit. Editi nostri, *cogitatione*.

[b] Ms. Joliensis, *quia nequeant*.

[c] Mss. Camb. et Jol., *impertiit*.

Digitized by Google

niam non solum ex Deo, sed etiam Deus est (I *Joan.* A iv, 8), stabiles et perseverantes atque insuperabiles facit, quos flumine [a] suæ voluptatis impleverit. Qui autem istarum aquarum dulcedinem nesciunt, et adhuc de mundi hujus torrentibus bibunt, aut etiam si aliquid primoribus labris de vitæ fonte gustaverunt, [b] inebriari tamen aureo Babylonis calice delectantur (*Apoc.* xiv, 8, *et* xvi, 19); suo prorsus decipiuntur arbitrio, sua voluntate labuntur : et si in hac desidia perseverant, ipsi se his quæ accepere dispoliant. Facile enim quælibet bona sine charitate possunt perire, quæ non possunt sine charitate prodesse (I *Cor.* xiii, 4).

## CAPUT XII.

***Divinæ constitutionis non est nostra a Deo aversio, sed propriæ voluntatis; ideoque meriti hominis esse si steterit, quia cadere potuit.***

Hæc autem summatim breviterque perstricta, ad id valeant, ut certissime noverimus nullum fidelium a Deo non discedentem relinqui, neque cujusquam ruinam ex divina esse constitutione dispositam : sed multis, qui jam judicio rationis utuntur, ideo liberum esse discedere, ut non discessisse sit præmium; et ut quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, ejus [c] meritis deputetur, cujus id potuit voluntate non fieri. Quæ voluntas in malis actionibus sola esse potest, in bonis autem sola esse non potest. Quamvis enim [d] secundum naturam sit ejus, ut bona sit; vitium tamen, quod per malam voluntatem incidit in naturam, non naturæ superatur virtute, sed gratiæ.

## 899 CAPUT XIII.

***Bonitatem Dei non solum sanctis, sed et impiis instituendis affuisse ante diluvium.***

Regebatur ergo primus ille populus Dei Spiritu Dei, et a maledicti ac prædamnati populi societate ac moribus per eruditionem sancti Spiritus abstinebat, custodiens discretionem sui a permixtione carnalium : quorum mala tamdiu sustinuit patientia Dei, quamdiu boni, per id quod eos non imitabantur, placere potuerunt : ubi vero etiam boni malorum imitatione corrupti sunt, et [e] per voluntarium defectum in eamdem nequitiam [f] conspiravit universitas : quos, excepta Noe domo, una impietas profanavit, sententia una delevit. Bonitas autem Dei ne illi quidem parti defuit, quæ in charitate non stetit, et ab initio sui, veneno diabolici livoris intumuit. Principem enim gentis impiæ, sancti fratris meritis invidentem, cædemque ejus parricidali corde meditantem, dignatur Dominus paterno mitigare consilio, dicens ad Cain, *Ut quid tristis factus es? Ut quid concidit vultus tuus? Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? quiesce. Ad te enim erit conversio ejus, et tu dominaberis ejus* (*Gen.* iv, 6). Depone, inquit, ortam de invidiæ æmulatione tristitiam, et flammas odii crudelis exstingue : nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placendo te læsit. Despexi munera tua meo judicio, non illius voto. Opus enim bonum negligenter egisti. Recta fuisset oblatio tua, si fuisset recta discretio. Sciens cui offerres, scire debueras quid voveres. Non digne inter me et te divisisti, quoniam tibi electiora servasti. Tuus ergo hic error est, tuumque peccatum. Quiesce, et noli in insontem fratrem moveri : ad te potius tua culpa B revocetur. Noli peccato regnum in te dare, sed tu potius in ipsum sume dominatum. Pœnitendo enim nec in majus facinus progredieris, et ab eo in quo te doles displicuisse, mundaberis.

Cum ergo talia ad Cain loqueretur Deus, numquid ambiguum est voluisse eum, et (quantum ad [g] illum medendi modum sufficiebat) egisse, ut Cain ab illo impietatis furore resipisceret? Sed malitia pertinax inde facta est inexcusabilior, unde debuit esse correctior. Et utique præsciebat Deus ad quem finem insanientis esset progressura conceptio. Neque ex eo quod falli scientia divina non poterat, necessitate peccandi urgebatur facinus voluntatis. A cujus utique intentione **900** atque effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi; nisi placuisset Deo cum magna C laude patientiæ suæ, ut temporalis furor impii fieret perpetuus honor justi. Posteris vero istius [h] parricidæ, quamvis in progenitoris sui moribus viverent, [i] numquam se divinam bonitatem negasse, quis non facile advertat, si consideret quantum eis prodesse potuerit tam longa patientia Dei, tam dives bonorum temporalium copia, et multiplicatæ fecunditatis tam numerosa propagatio? Quæ beneficia licet obduratis nihil remedii et emendationis attulerint; probant tamen aversionem eorum non divinæ fuisse constitutionis, sed propriæ voluntatis.

## CAPUT XIV.

*In diluvio, et postea usque ad Christum, revelata sunt opera divinæ gratiæ, et Christianæ gratiæ miracula præsignata; etsi abundantia gratiæ, quæ nunc mundum rigat, pari largitate non fluxit.* D

In conservatione autem Noe filiorumque ejus et nuruum (*Gen.* vii), in quibus omnium gentium semi-

[a] Mss. Jol. et Camb., *suæ voluntatis*, et sic olim in Leone. At alii, *suæ voluptatis*.

[b] Sic mss. Jol. et edit. Lovan., Duac. et Colon. et Leonis editio, *inebriati tamen*.

[c] Ita mss. Thuan., Camb. et Jol. et Leonis editio. Editi Prosperi, *eorum meritis.... quorum*.

[d] Ita mss. Camberon. et Jol. et Leonis editio. Editi vero Prosperi, *secundum naturam sit homini ut bonæ sit voluntatis; vitium tamen, quod per malam voluntatem irruit in naturam*. Ms. Cam. tamen habet, *incidit in ruinam*.

[e] Editi nostri, *per voluntatis*. Mss. Camb. et Jol. ac Leonis editio posterior, *per voluntarium*.

[f] Ms. Joliensis, *conspirabat*.

[g] Vox *illum* non legitur in mss. Thuaneo et Joliensi, nec in ullis Operum S. Ambrosii editionibus quibus libri de Vocatione Gentium inserti sunt. In Lovan. Prosperi editione duobus uncis ( ) inclusa, quasi dubiæ auctoritatis, notatur. In aliis Prosperi libris et nova editione Leonis legitur. Quid vero discriminis in sensu hujus sententiæ gignat hæc lectionis varietas non facile est definire.

[h] Sic mss. Camb. et Jol. et Leon. edit. Editi alias, *fratricidæ*.

[i] Ms. Joliensis, *numquam Deum divinam bonitatem negasse*.

Digitized by Google

narium disponebatur, quanta divinæ gratiæ opera revelata sint, sancta Scriptura manifestat, dum in illa mirandæ capacitatis arca, universi generis animalium, quantum [a] reparationi sat erat, receptrice, congregatura ad se omne hominum genus Ecclesia figuratur : dum per lignum et aquam redemptio crucis Christi, et ablutio regenerationis aperitur : dum in his qui ex illa mundi vastatione salvati sunt, omnium gentium plenitudo benedicitur; dum donum fecunditatis iteratur, et solo [b] esu suffocatorum et sanguinis interdicto, libertas edendi quod placuerit augetur, salutisque securitas in testimonio versicoloris arcus, hoc est, in signo multiformis gratiæ consecratur (*Gen.* IX). Quæ utique mysteria atque sacramenta non unius tantum familiæ paucissimos tunc homines, sed in ipsis omnes eorum posteros imbuebant; ut quod eruditioni impendebatur parentum, proficeret scientiæ filiorum. Jam vero procurrente humanæ propagationis augmento, cum ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, et secundum elationis suæ altitudinem, cœlo cuperet molem immodicæ [c] exstructionis inserere (*Gen.* XI); quam mirabilis erga cohibendam hanc insolentiam fuit divinæ censura justitiæ? quæ unam illorum populorum loquelam notis sibi invicem significationibus consonantem, septuaginta et duarum **901** linguarum varietate confudit : ut et inter dissonas voces operantium pereunte concordia, insanæ molitionis machina solveretur, et habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio. In isto autem opere providentiæ Dei præordinabantur miracula gratiæ Christianæ, quæ omnem hanc dispersionem in illius ædificationis erat [d] coaptatura, compagem, in qua *omne genu flectitur Deo, et omnis lingua confitetur quoniam Jesus in gloria Dei Patris est* (*Philip.* II, 10, 11).

Hanc latitudinem gratiæ, in plenitudine dispositorum temporum revelandæ, facta ad Abraham promissio Dei, signis jam luculentioribus indicabat, quando duplex ejus successio, filii scilicet carnis et filii promissionis (*Rom.* IX, 8), multitudini arenarum comparabatur et siderum, et vir senex per annosam uxoris sterilitatem, ab spe jam prolis alienus, credebat laudabili fide per germen unius filii patrem futurum esse se mundi, prospiciens illum in semine suo, immo conspiciens, qui dixit : *Abraham diem meum vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). Qua fide Abraham cum justificaretur, nondum mandatum circumcisionis acceperat; sed cum esset in præputio naturali, reputata est fides ejus ad justitiam (*Rom.* IV, 10). Et eadem fides signaculum circumcisionis

A [e] acceperat in eo corporis membro, per quod semen procreationis perventurum erat ad eam carnem, in qua sine carnali semine Dei Filius, Deus Verbum caro fieret, ac de Abrahæ filia Maria Virgine nasceretur; assumptis omnibus in hujus nativitatis consortium, qui in Christo [f] per Spiritum sanctum regenerati quod Abraham credidit, credidissent. Hæc autem fides antequam veniret hoc semen de quo Abrahæ dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ* (*Gen.* XII, 3), intra unius stirpis populum continebatur vigente apud veros Israelitas spe redemptionis nostræ. Quoniam etsi fuerunt ex alienigenis, quos temporibus legis veritas illustrare dignata sit, tamen tam pauci fuerunt, ut vix [g] cognoscatur an fuerint. Neque ob hoc [h] excusabiles sint B nationes, quæ alienatæ a conversatione Israel, spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo (*Ephes.* II, 12), sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.

## CAPUT XV.

*Meliora non nasci nunc ingenia, quam ante Christi adventum; quin immo tempore adventus Christi inventa est iniquitas robustior, ut gratia Dei manifestaretur.*

Adhibita enim semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ quæ, etsi parcioris occultiorisque **902** gratiæ fuit, [i] sufficit C tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium : ut non dubie, sed evidenter appareat, quod nisi ubi abundavit peccatum, superabundaret et gratia; nunc quoque universum genus humanum similis obcæcaret impietas. [j] An forte, ut plerique garriunt, meliora quam veterum ingenia nostris sæculis orta sunt, et aptiores divinis donis [k] animas tempora extrema pepererunt? Quod etiam si ita esset, ad bonitatem id referendum esset auctoris, qui vocandis ad vitam æternam populis, ea quæ non reniterentur, corda finxisset. Sed nihil prorsus novatum est in generatione carnali, nec generosior avis minorum orta successio est : cum potius in hominibus illius temporis quo mundi Redemptor advenit, quanto erat propago D tardior, tanto sit iniquitas inventa robustior. Probavit hoc Judaici furoris impietas; et quam apta Evangelio Christi fuerit illa generatio, non solum populi, sed etiam scribarum et principum ac sacerdotum corda docuerunt. Quibus parum fuit in Agnum Dei tollentem [l] peccatum mundi (*Joan.* I, 29), contra

[a] Ita ms. Joliensis, et editio Leonis. Alias, *reparationis aderat.*

[b] Mss. Thuan. et Camb. carent voce hac *esu.* Ms. vero Joliensis, *et solo suffocato et sanguine interdicto.*

[c] Melius *exstructionis* ex ms. Jol. et Leone, quam antea in editis, *instructionis.*

[d] Sic mss. Camb. et Jol. ac Leon. edit. Editi olim, *vocatura.*

[e] Mss. Camb. et Joliensis, *accepit.*

[f] Ms. Jol. caret his verbis, *per Spiritum sanctum.*

[g] Editi alias, *cognoscantur.* Ms. Jol. et Leo., *cognoscatur.*

[h] Ms. Joliensis, *excusabiles sunt.*

[i] Ms. Joliensis, *suffecit.*

[j] Ms. Camberon., *Ante.*

[k] Ms. Joliensis, *animos.*

[l] Mss. Camb. et Jol., *peccata mundi.*

Digitized by Google

testificationem legis, contra oracula prophetarum, contra divinarum experimenta virtutum, seditionibus, contumeliis, sputis, alapis, colaphis, lapidibus, flagris, et ad postremum crucis atrocitate sævisse; nisi etiam testes resurrectionis ejus eadem persequerentur insania. Quam Apostoli quando a pontificibus flagellati sunt, ostenderunt in psalmo Davidico prophetatam, dicentes : *Domine, tu es qui fecisti cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti* (*Ps.* II, 1) : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium decreverunt fieri* (*Act.* IV, 24 *seqq.*). Igitur ad manifestandam gratiam Dei quæ ex æterno ejus incommutabilique consilio in salutem omnium gentium disponebatur, non priora, quasi incapacia, declinata sunt tempora; sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox et voluntaria iniquitas non consulendi affectu, sed intentione sæviendi persisteret facere quæ manus Dei et consilium decreverunt fieri : ut mirabilior esset gratia et potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelem, subditum, sanctum, qui non per sapientiam hujus mundi pervenit **903** ad lumen sapientiæ Dei : sed per illius donum, de quo testatur Joannes apostolus, dicens : *Scimus quia Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus* (I *Joan.* V, 20). Cui testimonio apostolus Paulus consonat dicens : *Gratias agentes Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris et de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ* (*Coloss.* I, 12). Et iterum idem : *Eramus enim*, inquit, *aliquando insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ* (*Titi* III, 3 *seqq.*).

Potuitne plenius, luculentius, verius explicari, quæ merita hominum Christus invenerit, et quos sibi mores subjecerit, quæ ad se corda converterit, quando venit mederi non sanis, sed male habenti-

A bus, et vocare non justos, sed peccatores (*Matth.* IX, 12)? Quoniam gentium *populus, qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam, et sedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est illis* (*Isa.* IX, 2). Fremebant gentes, irascebantur populi, sæviebant reges, et potestates contradicebant, superstitiones et totius mundi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furentibus, persequentibus, populum suum Christus augebat, et per vincula ac supplicia mortesque sanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque universum mundum [a] Dominicæ segetis multiplicabatur ubertas. Tanta enim desuper præbebatur constantia fidei, fiducia spei, fortitudo tolerantiæ, ut ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo ab opprimen-
B tibus posset exstingui : cum et qui cruciabantur, vehementius inardescerent, et qui sæviebant, eamdem quam persequebantur flammam sæpe conciperent, qua beatus apostolus Paulus ignitus, fidenter ferventerque dicebat : *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus* [b] *ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et accessum habemus* [c] *fide in gratiam istam in qua stamus,* [d] *et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus ; scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia* **904** *autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 1 *et seqq.*). Et iterum : *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an*
C *persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est* (*Psal.* XLIII, 22), *Quia propter te mortificamur tota die :* [e] *existimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus,* [f] *neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 35). Hæc charitas diffusa per Spiritum sanctum, fecit ut mundus fidelium mundum vinceret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem, Domitiani furorem, multorumque post eos Principum [g] rabiem glorioso innumerabilium martyrum fine confudit, donante Christo imitatoribus suis, de
D persecutionibus regum æternarum stemmata coronarum.

## CAPUT XVI.

*Quod Christus pro omnibus impiis mortuus sit.*

Nulla igitur ratio dubitandi est, Jesum Christum Dominum nostrum pro impiis et peccatoribus mor-

[a] Sic ms. Joliensis cum edit. Leonis. Editi antea, *Dominici agri segetis.*

[b] Sic restitutus locus ex Leonis libro, juxta textum utrumque Apostoli. Ms. Jol., *ad Dominum per Dominum nostrum Jesum Christum.* Editi antea omiserant *Deum per.*

[c] Mss. Joliensis et Thuan., *fidei.*

[d] Antehac editi, *Sed et gloriamur. Sed* omissum in ms. Joliensi et Leone, nec in Apostoli textu hic legitur, sed paulo infra.

[e] Ms. Joliensis, *æstimati sumus.*

[f] Ms. Joliensis, *neque instantia neque futura, neque angeli, neque principatus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia.*

[g] Mss. Camb. et Jol. et Leonis edit. addunt, *rabiem.*

Digitized by Google

tuum, a quorum numero [a] si aliquis liber inventus est, non est pro omnibus mortuus Christus : sed prorsus pro omnibus mortuus est [b] Christus : nemo ergo omnium hominum ante reconciliationem quæ per Christi sanguinem facta est, non [c] aut peccator aut impius fuit : dicente Apostolo : [d] *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, juxta tempus, pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori : commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis justificati sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius* (*Rom.* v, 6 *et seqq.*). Idem autem Apostolus in secunda ad Corinthios ait, *Charitas enim Christi urget nos, judicantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt : et pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit* (II *Cor.* v, 14 *et seqq.*). De se ipso vero quid pronuntiet, audiamus : *Fidelis,* inquit, *sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus* **905** *venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam* (I *Tim.* I, 15 *et seq.*).

Sive ergo circumcisio, sive præputium, peccato universaliter concludebatur, unusque omnes reatus obstrinxerat, et inter magis minusque impios nemo erat qui posset absque Christi redemptione salvari. Quæ redemptio universo sese intulit mundo, et omnibus hominibus indifferenter innotuit. [e] Quandoquidem in die quinquagesimo ab illo Pascha, in quo se hostiam Deo verus Agnus obtulerat cum apostoli et qui cum eis unanimes erant, repleti Spiritu sancto linguis omnium gentium loquerentur, conveniebat [f] excita miraculo diversi generis hominum multitudo, ut Evangelium Christi in eis qui aderant, totus mundus audiret. Confluxerant autem, sicut scriptum est, *Parthi, et Medi, Elamitæ, et qui inhabitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Egyptum et partes Libyæ quæ est circa Cyrenen, et advenæ Romani, Judæi quoque et Proselyti, Cretes et Arabes*, audientes omnes linguis suis prædicari magnalia Dei (*Actor.* II, 9 *et seq.*) : quorum testificatio etiam in eas gentes quæ remotiores sunt, longe lateque procurreret. Ad cujus rei effectum credimus providentia Dei Romani regni latitudinem præparatam : ut nationes vocandæ ad unitatem corporis Christi, prius jure unius consociarentur [g] imperii : quamvis [h] gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma; multosque jam [i] populos sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis quam solio potestatis.

## CAPUT XVII.

*Nationes quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, disposito tempore vocandas esse ad Evangelium.*

Quod si forte, quemadmodum quasdam gentes [j] non olim in consortium filiorum Dei novimus adoptatas, ita etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes quibus nondum gratia Salvatoris **906** illuxit, non ambigimus, etiam circa illas occulto judicio Dei tempus vocationis esse dispositum, quo Evangelium, [k] quod non audierunt, audient atque suscipient. Quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ de super omnibus semper hominibus est præbita, non negatur : quamvis tam acerbo natura humana vulnere sauciata sit, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio spontanea plene valeat erudire; nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit, quam inscrutabili judicio Deus justus et bonus, non ita in præteritis sæculis, quemadmodum in novissimis diebus effudit. Unde et beatus apostolus Paulus scribens Colossensibus, ait, *Mysterium quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus* [l] *in gentibus, quod est Christus in vobis* (*Coloss.* I, 26 *et* 27).

## CAPUT XVIII.

*Prioribus sæculis absconditam fuisse gentibus gratiam Christi, non tamen prophetis.*

Numquid hoc mysterium etiam prophetis incognitum fuit, et illi per quos Spiritus sanctus loquebatur, ea quorum ab ipsis [m] fiebat denuntiatio, nesciebant? Non ita plane intelligendum puto, sed ipsis gentibus

[a] Mss. Camb. et Jol. ac editio Leonis addunt, *si aliquis*, quorum defectu pendet sententia in aliis libris. Lovanienses suspicati erant legendum cum sensu novo, *Nonne pro omnibus*, etc., ut loci intellectus compleretur.

[b] Deest hic, *Christus*, in mss. Camb. et Joliensi et editione Leonis : quæ vox in aliis habetur.

[c] Male in editis alias, *non autem*. Correximus ex mss. Camb. et Joliensi, ac Leone.

[d] Ita Leonis editio : juxta Apostoli textum, cum in aliis codicibus, scribatur, *Si enim*.

[e] Ms. Joliensis, *Quando in die*.

[f] Ms. Joliensis, *excitata*.

[g] Alias editi, *impietatis*. Melius mss. Camb. et Jol. ac Leonis editio, *imperii*.

[h] Ms. Joliensis, *gratia Christi jam non contenta sit*.

[i] Olim editi, *populorum*. Mss. Camb. et Jol. et Leo, *populos*.

[j] Ita legitur in mss. Camberon. et Jol. ac Leonis editione. In Prosperianis editis, *quod ante non norunt, in consortium*. Lovan., Duac. et Colon. in margine ex conjectura indicarunt, *quod non volunt*. Iidemque ibidem monent quod *tempore SS. Leonis et Prosperi* (Leonem addit editor Operum Leonis, Prosperum dumtaxat aliis indicantibus) *ad Christum venere Scoti opera Cœlestini; ut in fine libri contra Collatorem legitur*.

[k] Ita legimus in ms. Joliensi et editione Operum Leonis. In aliis libris Prosperi, *quod nondum viderunt, audiant, atque suscipiant*.

[l] Lovan. editio habet, *in gentibus*. Alii omittunt præpositionem *in*, quæ legitur in textu Apostoli. Et infra ms. Joliensis, ut in eodem textu, *in vobis*, loco horum *in nobis*, quomodo alii codices exhibent.

[m] Editi alias, *fiebant denuntiationes*. Mss. Camb. et Jol. et Leonis editio, ut in textu nostro.

Digitized by Google

absconditum fuisse mysterium, quod Dominus quando voluit, et quibus voluit, revelavit. Nam de vocatione gentium, quæ non erant populus Dei, et quibus prius non misertus est, nunc autem miseretur, in Deuteronomio ita dicitur : *Et vidit Dominus, et zelavit, et iratus est propter iram filiorum suorum et filiarum, et dixit, Avertam faciem meam ab eis, et ostendam quid erit in novissimo, quia generatio* [a] *perversa est, filii in quibus non est fides in illis. Ipsi in zelum compulerunt me* [b] *in hoc quod non est Deus, irritaverunt me in idolis suis; et ego in zelum incitabo eos in eis qui non erant gens, super gente insipiente irritabo eos* (*Deut.* XXXII, 19 *et seq.*). Et David hæc de adoraturis Deum omnibus gentibus præcinit, *Omnes gentes quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum* (*Psal.* LXXXV, 9). Et iterum idem, *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes* [c] *servient ei* (*Psal.* LXXI, 11). Et iterum, *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes* **907** *magnificabunt eum* (*Ibid.* 17). Isaias quoque similia annuntiat dicens : *Quoniam erit in novissimis diebus manifestus* [d] *mons Domini, et domus Dei in cacumine montium,* [e] *et exaltabitur super colles, et venient ad eum omnes gentes* (*Isaiæ* II, 2). Et iterum idem, *Et faciet*, inquit, *Dominus Sabaoth omnibus gentibus in monte isto : bibent in jucunditate vinum, ungentur unguento in monte isto; tradet hæc omnia gentibus; hoc enim consilium super omnes gentes* (*Isai.* XXV, 6, *sec. LXX*). Et iterum idem, [f] *Et revelabit Dominus brachium suum sanctum in conspectu omnium gentium, et videbunt omnes gentes terræ salutem quæ a Domino est* (*Isai.* LII, 10). Et iterum, *Ecce advenæ ad te per me accedent, et ad te confugient* (*Isai.* LIV, 15, *sec. LXX*). Et infra, *Gentes quæ te non cognoverunt, invocabunt te; et populi qui te nesciunt, ad te confugient* (*Isaiæ* LV, 5, *sec. LXX*). Osee quoque paria prophetat dicens : *Et erit in loco in quo dictum est eis, Non populus meus vos; ibi vocabuntur filii Dei vivi, et congregabuntur filii Juda et filii Israel* [g] *in idipsum* (*Ose.* I, 10 *et* 11). Et iterum, *Miserebor non dilectæ, et dicam non populo meo, Populus meus es tu; et ipse dicet, Deus meus es tu* (*Ose.* II, 23 *et* 24).

Sub apostolis vero cum ii qui in Christum ex circumcisione crediderant, eos qui gentiles erant, dicebanturque præputium, justificationum gratiæ arbitrarentur participes esse non posse, docet beatus apostolus Petrus quam indiscretus apud Deum uterque sit populus, si in unitatem fidei ambo convenerint. *Cum autem*, inquit, *cœpissem loqui, decidit* [h] *Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis qui credidimus in Dominum Jesum Christum; ego quis erum qui possem prohibere Deum? His auditis, tacuerunt et glorificaverunt Deum dicentes, Ergo et gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit* (*Act.* XI, 15 *et seq.*). Jacobus quoque apostolus de hac vocatione gentium dicit (*Act.* XV, 13 *et seq.*) : *Viri fratres, audite me, Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est* (*Amos* IX, 11) : *Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David quod cecidit, et diruta ejus ædificabo et erigam illud : ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc, notum a sæculo est Domino opus suum.* Simeon quoque ille, [i] cui responsum erat a Spiritu sancto non eum visurum mortem priusquam videret Christum Domini, de salute omnium gentium quæ in Christo **908** revelabatur, hæc dixit : *Nunc* [j] *dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti* [k] *ante faciem omnium populorum, Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* (*Luc.* II, 29 *et seq.*). His et aliis testimoniis Scripturarum non dubie demonstratur istam ditissimam, potentissimam, benignissimam gratiam, qua in novissimo mundi tempore omnes gentes in regnum Christi vocantur, prioribus sæculis in occulto Dei absconditam fuisse consilio.

## CAPUT XIX.

*Deus pro omni tempore vult omnes homines salvos fieri : aut generalibus donis, aut etiam peculiaribus.*

Et cur hac manifestatione, qua nunc universis nationibus innotescit, antea revelata non fuerit, nullam posse [l] scientiam comprehendere, nullam intelligentiam penetrare, [m] cum tamen illud quod de bonitate Dei piissime creditur, quia *omnes homines velit salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* II, 4), non oporteat nisi perpetuum æternumque sentiri, secundum eas mensuras quibus Deus dona generalia specialibus novit cumulare muneribus : ut et qui exsortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur; et qui ejus lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino glorientur.

[a] Sic ms. Joliensis et Leonis editio. Editi alii, *perversa est filiis.*

[b] Ms. Joliensis, *in eo quod*; et infra, *qui non erant gentes.*

[c] Ms. Joliensis, *magnificabunt eum*, idemque omittit sequentem Psalmographi auctoritatem.

[d] Ms. Joliensis, *mons Domini in cacumine*, cæteris omissis. Vulgata, *mons domus Domini*:

[e] Ms. Joliensis non habet particulam *et*; nec postea, *idem*; sed, *Et iterum, Faciet.*

[f] Ms. Joliensis, *Revelavit*, omisso *et.*

[g] Ms. Joliensis. et olim Leonis codices, *ad ipsum.*

[h] Editio Leonis, *in Spiritu sancto;* ut Græca Actuum.

[i] Ms. Joliensis, *qui responsum acceperat;* postea, *de salute vero . . . hæc dicit.*

[j] Sic Leonis editio juxta textum Evangelii. Editi Prosperi, *dimitte.*

[k] Ms. Joliensis, *secundum faciem;* deinde, *in revelationem . . . . populi tuï Israel.*

[l] Mss. Camb. et Jol. et Leo, addunt recte, *scientiam.*

[m] Supple ex capite præcedenti, *testimoniis Scripturarum non dubie demonstratur.*

Digitized by Google

## CAPUT XX.

*Objectio ex parvulis contra illud,* Qui vult omnes homines salvos fieri.

In hoc sane angusto quidem, sed tamen recto intelligentiæ tramite, non parum difficultatis opponit consideratio parvulorum, qui nullo judicio rationis utuntur, quo auctoris sui beneficia sentientes, ad agnitionem valeant veritatis accedere; nec videntur de neglectu opitulantis gratiæ juste argui, in illa ignorantia naturaliter constituti, quam dubium non est nullam recipere scientiam, nullam sentire doctrinam. Unde cum *omnes homines velit Deus salvos fieri* (I *Tim.* II, 4), quid est quod alienatur a salute perpetua tanta infantium multitudo, totque in his ætatibus hominum millia extra vitam relinquuntur æternam : quasi ad hoc tantum conditi sint ab eo qui neminem odiens creavit, ut quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt, insolubilis culpæ vincula sine reatu propriæ actionis [a] inciderent? Quid hoc profundius, quid mirabilius **909** esse potest? Neque enim credi fas est, eos qui regenerationis non adepti sunt [b] sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium. Et magis stupendum, magisque fit mirum, quod ubi actio non offendit, ubi arbitrium non resistit, ubi eadem miseria, similis imbecillitas, causa communis est, [c] non unum est in tanta parilitate judicium, et quales reprobat abdicatio, tales adoptat electio.

## CAPUT XXI.

*Juste agi cum parvulis pereuntibus, tam in hoc sæculo, quam futuro, propter originale peccatum.*

Verumtamen de hac altitudine discretionis Dei non conturbabitur [d] cor humilitatis nostræ, si firma et stabili fide omne judicium Dei justum esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit esse secretum; ut ubi investigari non potest quare ita judicet, sufficiat scire quis judicet. Quamquam non ita incognoscibilis ista sit quæstio, [e] ut nihil inde eruditionis possimus acquirere, si ad contemplandum id quod videri potest, tranquillus sobrii cordis adhibeatur intuitus. Cum enim consideramus, inter paganos, inter Judæos, inter hæreticos, interque ipsos catholicos Christianos, quam multiplex pereat numerus parvulorum, quos, [f] quantum ad proprias pertinet voluntates, neque [g] boni aliquid,

A neque mali constat egisse; discimus super eos illam manere sententiam, quam humanum genus [h] in Adæ primi parentis prævaricatione excepit; cujus sententiæ rigor dum etiam circa tales non resolvitur, quam magnum illud peccatum fuerit, demonstratur. [i] Nemo autem putaretur non innocens nasci, nisi etiam talibus esset noxium non renasci.

De immaturitate vero mortis non est ratio conquerendi, cum semel in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas obnoxium sibi omnem vitæ nostræ fecerit diem. Esset enim, [j] quando secundum aliquem modum, immortalis dici homo posset, si esset tempus intra quod mori omnino non posset. Sed numquam corruptio ita incorruptionis est particeps, ut non semper obnoxium sit defectioni, quod

B debetur occasui. Vitæ hujus principium mortis exordium est; nec prius incipit **910** augeri ætas nostra, quam minui. Cui si quid [k] adjicitur spatii temporalis, non ad hoc accedit ut maneat, sed in hoc transit ut pereat. Quod ergo [l] ab initio sui mortale est, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec umquam ei vicinius est posse vivere, quam posse deficere. Quamvis autem ex una causa omnium hominum [m] sit orta mortalitas, non in unam tamen, sed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura distrahitur. Et sive morbis, sive debilitatibus, sive vulneribus, non solum anni aut menses, vel dies ætatis humanæ, sed et omnes horæ, omniaque momenta subjecta sunt. Nec est aliquod mortis genus, aut ullus obeundi modus, qui

C non intra universitatem mortalium in aliquam incidat portionem. Manet enim *grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, in diem sepulturæ in matrem omnium* (*Eccli.* XL, 1).

## CAPUT XXII.

*Divina justitia cuilibet mensuram et modum miseriæ ordinat.*

Sed hujus asperrimi jugi pondera, non ita in Adæ filios irruerunt, ut divina justitia [n] nihil eis suæ dimensionis adhiberet, quæ defectionum legibus ita defectura [o] subjecit, ut ab eis moderationum suarum non averteret potestatem : [p] nec ideo omnia omnes inciderent mala, quia per communem conditionem omnes omnibus subjacerent : sed ut generali necessitate variata, causas sibi Dominus indulgentiæ

---

[a] Editio Leonis, *inciderint*. Alii codices, *inciderent*.

[b] Ms. Camb. et edit. Leonis, *sacramenta*. Alii, *sacramentum*.

[c] Sic emendatur ex ms. Joliensi et editione Operum Leonis. Alias editi Prosperi, *non unum esse de tanta parilitate judicem*.

[d] Ita legimus in mss. Camberon. et Jol. et edit. Leonis. In aliis Prosperi libris, *cor nostrum*.

[e] Ita cum mss. Camberon. et Jol. Leonis codex. Alias apud Prosperum, *ut nihil sit quod de ea eruditionis possimus acquirere*.

[f] Mss. Camberon. et Joliensis non habent ista, *quantum ad proprias pertinet voluntates*. Alii codices habent illa.

[g] Editi, *bonum aliquid, neque malum*. In secundo casu ponunt, *boni . . . mali*, Ms. Camberon. et Leonis

D editio.

[h] Ita habet editio Leonis. Mss. vero Camberon. et Joliensis, *in Adæ prævaricatione suscepit*. Editi Prosperiani, *prævaricatione primi parentis excepit*.

[i] Editio Leonis, *Nemo etiam*.

[j] Emendamus hic *quando*, ex mss. Camb. et Jol. et Leone; ubi *quoniam* in editis cæteris Prosperi legitur.

[k] Editio Leonis, *adjiciatur*. Alii codices, *adjicitur*.

[l] Sic mss. Camberon. et Jol. cum edit. Leon. Alii, *ab initii sui die*.

[m] Ms. Joliensis, *sit ista mortalitas*.

[n] Apud Leonem, *nihil ei*, id est jugo. Alii, *nihil eis* : refer ad *pondera*.

[o] Ms. Joliensis, *subegit*.

[p] Mss. Camberon. et Joliensis cum Leone addunt *nec*.

Digitized by Google

correptionisque servaret, essetque in uno omnium A debito quod et misericors remitteret, et justus exigeret. Cum igitur justa et omnipotens providentia Dei incessabiliter universa dijudicet, et nemo in hunc mundum veniat, neque ab hoc mundo exeat, nisi eo ortu [a] atque discessu quem rerum arbiter secundum altissimam scientiam suam sapientiamque decernit, sicut scriptum est in libro Job, *Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cujus manu anima omnis viventis et spiritus universæ carnis hominis* (*Job* XII, 9)? et iterum, *Breves dies hominis sunt, et numerus dierum ejus apud te est* (*Job* XIV, 5); quis audeat causas operum et consiliorum ejus inquirere? Inscrutabile enim est, valdeque secretum cur tantis differentiis **911** conditio humana variata sit. Illum ab infantia usque [b] in senectutem longæva B carpit infirmitas, nec inter perseverantes dolores statutæ deficit tempus ætatis: illum integris valentem viribus annosissimus vigor vegetat. Huic in pueritia finis est, illi in adolescentia. Huic ultra juventutem non licet progredi, illi impossibile est usque ad loquendi rudimenta grandescere. Quas vitæ metas multiformiter inæquales, minus acerbas experiretur caduca mortalitas, si præsentis tantum sæculi detrimenta pateretur; et non in æternas miserias caderent, qui hinc sine lavacro regenerationis exissent.

## CAPUT XXIII.

*Parvulis pereuntibus generalis gratia tribuitur, dum ea parentibus datur.*

Sed cum [c] inscrutabilior sit causa donorum quæ C gratia tribuit, quam miseriarum quas natura promeruit, ipsa nos intelligentiæ difficultas ad nostrum remittit auctorem. Et cum quærimus quomodo omnes homines salvos fieri velit (I *Tim.* II, 4), qui non omnibus illud tempus [d] impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces; non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus: qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ, sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest: et consequens est illos ad eo- D rum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cum ipsi nec præsentis vitæ desiderium [e] habuerunt, nec futuræ; quam ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci,

Sicut autem circa majores, præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, [f] potentiore virtute vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quæ quidem [g] nec illis qui renati non sunt in parentibus defuit, sed iis qui renati sunt, præ parentibus affuit: ita ut multis sæpe quos [h] suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit, et ad regenerationem **912** venerint per extraneos, quæ eis non erat providenda per proximos.

## CAPUT XXIV.

*Non esse justam querelam ex discretione parium parvulorum, sed magnam divinæ justitiæ et gratiæ Christi commendationem.*

In quo opere gratiæ, quis nisi arrogantissimus [i] atque vanissimus de divina justitia conqueratur, quod non omnibus parvulis similis providentia consulat, omniaque pericula, quæ moriturorum regenerationem prohibere possunt, aut potestate submoveat, aut miseratione præveniat? Quod utique erga omnes [j] fieret, si ita fieri omnino deberet. Non autem latet, quantum [k] cordibus fidelium desidiæ gigneretur, si in baptizandis parvulis nihil de cujusquam negligentia, nihil de ipsorum esset morte metuendum: quandoquidem ut tales baptismo fraudarentur, nullo modo posset accidere. Hac vero tam inamissibili felicitate infantium, vehementissime opinio illius roboraretur erroris, qui gratiam Dei secundum merita hominum dari, audet contra fidem catholicam prædicare. Videretur quippe inculpabili innocentiæ hoc tota æquitate deberi, ut neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus obstringeret: nec impie a quodam de parvulorum baptismo dictum fuisset, *Habet gratia quod adoptet, non habet unde quod diluat*. Sed hoc detestabiliter prædicatum omnes discipuli veritatis intelligunt: et inde manifestum est eos qui salvi fiunt, non merito, sed gratia liberari, quia sine baptismo mortuos periisse non dubium est. Qui utique nisi gravissimi peccati essent participes, non perirent. Nunc autem occulta quidem Dei discretione, sed justa, sic ostenditur et quid conferat gratia, et quid prævaricatrix mereatur natura: ut nec contra donum elevetur superbia, nec contra periculum cesset industria.

## CAPUT XXV.

*Deum ob generalem gratiam omni tempore velle omnes salvos fieri: at peculiari gratia quosdam tantum.*

Sive igitur novissima contemplemur sæcula, seu prima, seu media, rationabiliter et pie creditur omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, et hoc non aliunde monstratur quam de

[a] Ms. Joliensis, *decessu:* postea ms. Camb. *quæ*.
[b] Ms. Joliensis, *ad senectutem longævam*.
[c] Sic mss. Camberon. et Jol., et edit. Leon. Alii, *inscrutabilis sit causa tam donorum quam miseriarum*.
[d] Ms. Camberon., *impertitur*.
[e] Ms. Joliensis, *habuerint*.
[f] Ms. Joliensis, *potentiore justitia*.
[g] Ms. Joliensis, *nec in illis ... sed in his qui*.
[h] Ms. Joliensis, *suorum pietas*.
[i] Ms. Joliensis, *atque inanissimus... conqueratur... simili providentia*.
[j] Editi, *ita fieret*. Ms. Jol. et Leonis editio non habent *ita*, hoc loco.
[k] Alias editi, *cordibus*, absque *in*; et post aliquot verba, *de ipsorum esset mortalitate*. Lectionem nostram hausimus ex ms. Joliensi et editione Leonis

Digitized by Google

iis beneficiis [a] quæ providentia Dei **913** universis A generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt [b] hujusmodi dona ita generalia, ut [c] ipsorum testimonio ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari: quibus donis auctorem suum per omnia sæcula protestantibus, specialis gratiæ largitas superfusa est. Quæ licet copiosius nunc quam ante præstetur; causas tamen distributionum suarum Dominus apud scientiam suam tenuit, et intra secretum potentissimæ voluntatis occuluit: quæ si omnibus uniformiter affluerent, non laterent; et quam nulla est ambiguitas de benignitate generali, tam de speciali misericordia nihil quod stupendum esset exsisteret: ac proinde illa esset gratia, ista non esset. Deo autem placuit et hanc multis tribuere, et illam a nemine submo- B vere; ut ex utraque appareat non negatum universitati, quod collatum est portioni, sed in aliis prævaluisse gratiam, in aliis resiluisse naturam.

## CAPUT XXVI.

*Quod in omni justificatione gratia quidem principaliter præemineat, sed voluntas ei subjungatur, quia gratia primo sibi, tamquam receptricem et famulam donorum suorum, præparat voluntatem.*

Hanc quippe abundantiorem gratiam [d] ita credimus atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam, [e] quod quidquid in salvandis hominibus agitur, ex sola Dei voluntate peragatur; cum etiam ipsis parvulis per alienæ voluntatis subveniatur obsequium. [f] Gratia quidem Dei illa in omni justificatione principaliter præeminet, suadendo ex- C hortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum, quod de superno semine concepit ad studium; de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ. Sive igitur initia, sive profectus fidelium, sive usque in finem [g] perseverantiam cogi- D temus, nullum genus nulla **914** species cujusquam virtutis occurret, quæ vel sine dono divinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur. Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat, primam sibi receptricem et famulam donorum suorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his bonis consensus alienus est.

## CAPUT XXVII.

*Consensum voluntatis per gratiam gigni, non solum ex doctrina et illustratione, sed etiam ex terrore et metu.*

Hunc autem consensum non solum cohortatio prædicantium et incitamenta doctrinæ, sed etiam metus gignit: propter quod scriptum est, *Principium sapientiæ timor Domini* (*Prov.* IX, 10). Qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit quam ut quem fecerit timentem, faciat et volentem, nec solum volentem, sed etiam sapientem. Unde et illud scriptum est, *Beatus cui donatum est habere timorem Dei* (*Eccli.* XXV, 15). Quid enim tam beatificum quam hic timor, qui genitor eruditorque sapientiæ est? In cujus utique devotione devota est et voluntas, [h] quæ auctore gratiæ eodem proficit timore, quo cœpit. Cum ergo hic timor etiam per quamdam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio exstinguitur, nec intellectus aufertur; sed illa potius quæ mentem premebat caligo discutitur, ut voluntas depravata prius atque captiva, recta efficiatur et libera. Unde sicut animus nihil virtutis capit, nisi radium veri acceperit luminis; ita gratia nihil ei quem vocat confert, nisi oculos in eo aperuerit voluntatis. Quæ in plerisque, sicut superius disputatum est, ab ipso initio sui ardentissima, [i] citis et magnis ditatur augmentis; in plerisque autem tarde cunctanterque proficiens, vix ad ea incrementa provehitur, quæ idoneam ad perseverandum habeant firmitatem. Dicit quidem Dominus, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, at traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Sed hoc ideo dictum est, ut illam fidem, sine qua nemo ad Christum venit, ex Patris haberi munere noverimus, secundum illud quod apostolo [j] Petro dicitur: *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 17). Qui in cordibus trahendorum hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent. Non enim esset unde traherentur, si sequaces fide et **915** voluntate non essent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt; neque accedunt qui dissentiunt, sed recedunt. Qui

[a] Sic ms. Camberon. et Leonis editio. Editiones vero Prosperi, *eaque providentia Dei, quam*, etc.

[b] Ms. Joliensis, *ejusmodi dona ista generalia.*

[c] Ita mss. Camberon. et Jol. et Leonis editio. Editi alias, *per ipsorum testimonia.*

[d] Mss. Thuan., Camb. et Jol., *ita credimus benignam.*

[e] Ita editio Leonis. Mss. Thuan. et Jol., *quod si quid.* Ms. Camb., *quo si quid.* Editi Prosperiani, *quo quidquid.*

[f] Mss. Jol. et Camb., *Gratia quidem illa in omni justificatione principaliter præeminet.* Editi nostri, *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus.* Leonis editio, *Gratia quidem Dei illa in omnibus justificationibus.*

[g] Sic mss. Camberon. et Jol., cum Leone. Editi alias, *perseverantium cogitemus genus, nulla species.* Iidem postea, *occurrit.*

[h] Ms. Joliensis, *quæ auctore eodem proficit timore.* Ms. Camberon., *quo auctore, eodem proficit timore.*

[i] Editi nostri antea, *sitis.* Melius *citis*, per *c*, ex mss. Camb. et Jol. et edit. Leonis; cum correspondeat statim, *tarde cunctanterque.*

[j] Recte mss. Camb. et Jol. cum Leone addunt *Petro*, qua voce carent editi nostri.

Digitized by Google

A ergo veniunt, amore ducuntur : dilecti enim sunt, et dilexerunt; quæsiti sunt, et quæsierunt, et quod eos voluit Deus velle, voluerunt.

## CAPUT XXVIII.

*Posse eos qui gratia Dei in Christum credunt, non credere, et eos qui perseverant, a Deo recedere.*

[a] Qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam a perseveraturis illam mutabilitatem quæ potest nolle non auferat. Alioquin nemo umquam fidelium recessisset a fide, neminem concupiscentia vinceret, neminem tristitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigesceret, nullius patientia frangeretur, et collatam sibi gratiam nemo negligeret : sed quia hæc possunt fieri, et in consensum talium tentationum facilis nimium proclivisque B descensio est, numquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare, qua apostolis dicitur, *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* xxvi, 41). Ubi si de vigilando tantum, non etiam de orando discipulos admoneret, solas liberi arbitrii vires videretur hortatus. Sed cum addidit, *et orate*, satis docuit superni futurum muneris ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Tale est et illud quod ait, *Simon, Simon, ecce Satanas postulavit ut vos* [b] *cerneret velut triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua; et tu tandem conversus, confirma fratres tuos, et rogate ne intretis in tentationem* (*Luc.* xxii, 31). Si ergo defectura erat fides tanti apostoli, [c] nisi pro eo Christus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas, quæ posset in tentatione [d] nutare; et C non ita jam perseverantiæ fuerat virtute solidatus, ut nullis periculis esset obnoxius. Si quidem tam gravis eum perturbatio etiam post ista concusserit, ut in Caiphæ domo unius ancillæ interrogatione pavefactus, usque ad trinam negationem [e] Christi, cui commoriturum se spoponderat, constantia deficiente perductus sit. Qui ergo tunc conturbatum cor apostoli non humanis, sed divinis convenit oculis, et ad largos pœnitudinis fletus potenti incitavit aspectu, potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre discipulo, ut sicut ipsum Dominum nihil ab explendæ **916** passionis proposito deterrebat, ita nec beatum Petrum ulla tunc formido superaret. Sed hæc stabilitas illius tantummodo propria fuit, qui solus vere potenterque dicebat, D *Potestatem habeo ponere animam meam, et potestatem habeo iterum* [f] *sumere eam* (*Joan.* x, 18). In cæteris vero hominibus, donec *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal.* v, 17), et donec *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* xxvi, 41), incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri. Quoniam non hujus, sed alterius vitæ est [g] veræ pacis perfecta et secura felicitas : in præsentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio est (*Job* vii, 1), et [h] ab insidianti superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris [i] sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, a nullis tamen [j] aufert quod ipsis repugnat ex ipsis : ut in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se velle et nolle [k] decertent.

Quam compugnantiam idem beatissimus Petrus etiam in ipsa palmarum omnium consummatione perpessus est. Si quidem hoc [l] ipsi Dominus protestetur et dicat, *Amen, amen, dico tibi : quando juvenis eras, præcingebas te, et ambulabas ubi volebas ; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te præcinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem* [m] *dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deum* (*Joan.* xxi, 18 *et* 19). Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem et virtutis sumpsit et nominis, hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur (*Matth.* xvi, 18)? Verumtamen ita inevitabilis erat obluctatio trepidationis, [n] ut vir martyrii avidissimus, adepturus quidem denuntiaretur victoriam passionis, sed non sine tentatione formidinis. Merito igitur non solum ab incipientibus, verum etiam a [o] provectis sanctis uniformiter Domino supplicatur, et dicitur, *Ne nos* [p] *inducas in tentationem, sed libera nos a malo* (*Matth.* vi, 13). Universis enim qui in fide et dilectione permanent, ab ipso donatur ne in tentatione superentur, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* i, 31). Ipsamque [q] gloriam iisdem quibus eam impertit, ascribit ; ut quamvis auxilio Dei steterint, tamen, quia in se habebant unde caderent, ipsorum sit meritum quod steterunt. Igitur sicut qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant ; sic et qui nondum crediderunt, juvantur ut credant. Et **917** quemadmodum illi in sua habent potestate ut exeant, ita et isti in sua habent potestate ne veniant. Fitque manifestum quod diversis atque innumeris modis *omnes homines vult Deus salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* ii, 4) ; sed

[a] Ms. Camberon., *Quia*.

[b] Ms. Joliensis, *expostulavit ut vos cribraret*. Ms. Camb., *postulavit ut vos cribraret*. De voce *cerneret*, quam habent editi nostri et Leonis, vide supra pag. 885, in nota C. Idem Camb. et Leonis editio *rogate*, pro *roga*, in aliis.

[c] Mss. Camberon. et Jol., *nisi pro ea*.

[d] Alias in Leone, et in Colon. edit. Prosperi, *mutare*.

[e] Ms. Jol., *ejus cui*. Deinde alias, *moriturum*. Leonis edit., *commoriturum*.

[f] Ms. Joliensis, *sumendi eam*.

[g] Sic mss. Camberon. et Jol., et Leonis editio. Nostri codices excusi, *vere perfecta*.

[h] Editi Prosperiani, *ab insidianti superbia*. Mss. Camb. et Jol. et Leo ut supra.

[i] Ms. Jol. caret voce, *sanctis*.

[j] Mss. Camb. et Jol., *aufertur*.

[k] Editi Prosperi, *decertet*. Mss. Camb. et Jol. ac Leo, *decertent*.

[l] Alias excusi, *ipse Dominus*. Mss. Camb. et Jol. et edit. Leonis, *ipsi Dominus*.

[m] Ms. Joliensis, *dicebat*.

[n] Ms. Joliensis, *ut viro martyrii avidissimo adepturo quidem denuntiaretur victoria passionis*.

[o] Ita mss. Camb. et Jol. cum Leo. Alii, *provectissimis*.

[p] Mss. Camb. et Jol. et antiquæ Leonis editiones, *inferas*.

[q] Editio Leonis Operum, *victoriam*.



Digitized by Google

qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.

## CAPUT XXIX.

*Promissio benedictionis omnium gentium ita complectur quotidie, ut nec pereuntibus sit excusatio justa, nec salvatis de sua justitia gloriatio.*

Quamvis [a] enim multi amantes tenebras suas, splendorem non recipiant veritatis, et multi qui illuminati fuerant, tenebrescant, *verbum* tamen *Dei manet in æternum* (*Isa.* XL, 8), et de promissionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie præscita et promissa gentium plenitudo, et in Abrahæ semine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim Pater Filio dedit, Filius non amittit, neque quisquam potest de manu ejus [b] rapere quod accepit (*Joan.* VI, 39, *et* X, 29). *Firmum fundamentum Dei stat* (II *Tim.* II, 19), et mansuri in æternum templi ædificatio non vacillat, prætenta super omnes veritate et misericordia Dei; a quo quod et nemini negatur, et nulli debetur, in iis quos promisit efficitur. Ipse enim *operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* XII, 6), sed omnia proculdubio justa et bona. *Universæ* enim *viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Qui sicut præscivit ante sæcula, quanta totius mundi hominum multitudo vel communibus [c] usa donis, vel specialibus adjuta præsidiis, declinans tamen ab itinere veritatis et vitæ, ingressura esset latitudinem erroris et mortis: ita semper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ et per servitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: ut nullo excidente de plenitudine promissorum, qui nec [d] provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus quos elegit ex omnibus. Universitati quippe hominum, quod abunde probavimus, ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper et consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari; cum et illos propria nequitia demergat ad pœnam, et istos Dei gratia perducat ad gloriam.

## 918 CAPUT XXX.

*Repetitio primi capitis libri secundi.*

Quod itaque in principio secundi hujus voluminis insinuavimus, hoc nunc iterum commendamus, ut cum de gratiæ profunditate et altitudine disputatur, [e] tribus illis saluberrimis et veracissimis definitionibus simus innixi. Quarum una profitetur æternum et proprium divinæ esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit, et in agnitionem veritatis venire (I *Tim.* II, 4); alia simul prædicat, omnem homi-

A nem qui salvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio juvari et regi, utque in fide quæ *per dilectionem operatur* (*Gal.* V, 6), permaneat, custodiri. Tertia vero temperanter et sobrie protestatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi posse rationem, et multas divinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas: ut cum in temporibus, in nationibus, in familiis, in parvulis, in nondum natis [f] et geminis quædam aut varie aut insigniter gesta noscuntur, non ambigamus ea ex illis esse quæ justus et misericors Deus in hoc transituro sæculo noluit sciri. Quod quidem ad utilitatem nostram dispositum sentiendum est: ut quoniam, [g] *spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24), cui præparavit Deus *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in*
B *cor hominis ascendit* (I *Cor.* II, 9); sicut constanter credimus videndum quod nondum videmus, ita patienter [h] exspectemus intelligendum quod nondum intelligimus. Si ergo cesset insidiosa malignitas, si insolens præsumptio conquiescat, his recte, ut arbitror, [i] pertractatis, nullius superest causa certaminis, neque ultra necesse est nos interminabilibus quæstionibus occupari.

## CAPUT XXXI

*Omnibus sæculis affuisse omnibus hominibus generalem Dei bonitatem; sed tantum salvandis peculiarem gratiam.*

Elaboratum est enim, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in
C cunctis retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, providentia quidem pari et bonitate generali; [j] sed multimodo opere, diversaque mensura: quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est, ut Apostolus ait, *Salvator omnium hominum, maxime fidelium* (I *Tim.* IV, 10). Quæ sententia subtilissimæ brevitatis et validissimi roboris si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc [k] de qua agimus controversiam **919** dirimit. Dicendo enim, *Qui est Salvator omnium hominum*, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adjiciendo autem, *maxime fidelium*, ostendit esse partem generis humani quæ, merito fidei divinitus inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur. Quod utique
D nulla iniquitate agitur justissimi et misericordissimi Dei, cujus judicium in his dispensationibus non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est.

## CAPUT XXXII.

*Inter fideles varios esse gradus munerum Dei; idq e*

[a] Editi alias, *autem*. Mss. Camb. et Jol. et Leo, *enim*.
[b] Mss. Camb. et Jol., *rapere*. Alii, *eripere*.
[c] Ms. Joliensis, *adjuta donis*.
[d] Ms. Joliensis, *proventu*.
[e] Editio Leonis, *primis illis*.
[f] Sic mss. Camb. et Jol. ac Leo. Alii, et olim Leonis libri, *et genitis*. Infra editi, *non ambigimus;* ubi mox citati codices, *non ambigamus*. Et adhuc inferius ms. Camb., *transitorio*, pro *transituro*.

[g] Mss. Camb. et Jol. cum Leone supplent vocem hanc, *spe*, quæ in aliis deficiebat. Leonis ed., *quibus*, pro *cui*: spei intellige.
[h] Ms. Joliensis, *exspectamus*.
[i] Ms. Joliensis, *retractatis*.
[j] Ms. Camberon., *multimoda diversaque mensura*. Sic alias et in Leone.
[k] Editi, *de qua egimus*. Ms. Joliensis et Leonis editio, *agimus*.

Digitized by Google

*non ex meritis eorum, sed justo et latenti Dei judicio.*

Siquidem in ipsis quoque fidelium populis, quod jam superius ostensum est, non eadem omnibus, nec paria conferantur, et ante ulla humanorum pondera meritorum, dissimillima divinorum mensura sit munerum. Si enim de parentum carnalium judiciis conqueri non audemus, cum aliquos filios suos ante ulla morum examina, ante aliqua pietatis obsequia, indulgentiore amplectuntur affectu; [a] si in dominis quoque erga famulos libera est dispositio, nec juste a quoquam reprehenditur, qui de unius conditionis familia quosdam sibi quos benignius honestaret, et quos [b] liberalius erudiret, elegit: numquid de summi Patris et veri Domini benevolentissima æquitate causandum est, quod in magna domo ejus innumeris differentiis universa variantur? Cumque nemo aliquid boni habeat quod non ille donaverit, non omnes tamen iisdem virtutibus micant, aut eadem charismatum dote ditantur. Nec possumus hanc diversitatem graduum causis aptare meritorum, cum totius boni meriti principalis causa sit gratia, de cujus opibus sumitur quidquid in singulis probabile reperitur.

## CAPUT XXXIII.

*Nemo perit, qui perire non debet; sed omnes ab æterno electi salvi fiunt.*

Sicut ergo de iis quæ intra Ecclesiam multiformiter Spiritus sanctus operatur, impium est ullam querelam corde concipere; ita etiam de illa providentia quæ infidelibus præsidet, nullatenus murmurandum est. Quoniam et justus et bonus arbiter nec voluntatis iniquæ est, nec discretionis incertæ, **920** ut sub immensa [c] omnipotentis Dei misericordia atque justitia putemus quod quisquam pereat, qui perire non debeat. Nulla pars mundi ab Evangelio vacat Christi. Et licet illa generalis vocatio non quiescat, tamen etiam ista specialis jam universis est facta communis. Ex omni gente, et ex omni conditione adoptantur quotidie millia senum, millia juvenum, millia parvulorum; et [d] effectibus gratiæ Christianæ, etiam ipsa quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quam multos enim qui in tranquillitate pacis sacramentum baptismatis suscipere differebant, ad aquam regenerationis confugere instantis periculi metus impulit, et lentis tepidisque animis quod diu cohortatio quieta non suasit, minax subito terror extorsit? Quidam Ecclesiæ filii ab hostibus capti, dominos suos Christi Evangelio manciparunt, et quibus conditione bellica serviebant, eisdem fidei magisterio

A præfuerunt. At alii barbari dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris [e] didicere regionibus, et ad sedes suas cum Christianæ religionis [f] institutione remearunt. Ita nihil obsistere divinæ gratiæ potest quominus id quod voluerit impleatur, dum etiam discordiæ ad unitatem trahunt, et plagæ in remedia vertuntur, ut Ecclesia unde metuit periculum, inde sumat augmentum.

Ad quoslibet igitur rerum humanarum exitus se nostra convertat inspectio, nulla sæcula, nulla negotia, nullos generationum ortus atque decessus ab æternis et inscrutabilibus judiciis Dei vacare reperiet. Omnes varietatum compugnantiæ, et universæ dissimilium [g] proventuum causæ, quas investigare et

B discernere non valemus, in illa æterna scientia simul notæ, simulque divisæ sunt. Et nihil ibi inordinatum est, etiam de necdum existentium qualitatibus actionum. Quoniam non est in Deo accidens motus, aut nova voluntas, aut temporale consilium, nec cogitatio ejus cum rerum mutabilium inæqualitate variatur, sed cuncta pariter tempora et temporalia, sempiterno ac stabili comprehendit intuitu, et omnibus omnia jam retribuit, [h] qui quæ sunt futura, jam fecit. Hinc illud est beati Pauli apostoli scribentis ad Ephesios, *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos*

C *in adoptionem filiorum per Jesum Christum* [i], *secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ* (*Ephes.* I, 3 *seqq.*), **921** et cætera [j], quæ sub ejusdem sensus prædicatione connectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno semper Dei mansisse consilio, omnesque adoptionis filios non solum [k] in eo tempore quo jam existentes vocati sunt, sed etiam priusquam mundus [l] constitueretur, electos. In qua electione quidquid hominum in Christo præcognitum non est, nulla eidem ratione sociabitur. Omnes enim qui in regnum Dei de cujuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ista, quæ sæcula cuncta præcessit, adoptione signati sunt. Et sicut nullus infidelium in hac sorte numeratur, ita nullus piorum [m] ab hac benedictione discretus est. De plenitudine

D quippe membrorum corporis Christi, præscientia Dei, quæ falli non potest, nihil perdit, et nullo detrimento minui potest summa præcognita, atque in Christo ante sæcula æterna præelecta, sicut ad Timotheum scribens Apostolus dicit, *Collabora Evangelio*

[a] Ms. Joliensis supplet particulam *si*, quæ est etiam in Leone.

[b] Editi, *liberius*, emendantur ex ms. Joliensi et Leone.

[c] Ms. Joliensis omissis his, *omnipotentis Dei*, habet, *misericordia ejus*.

[d] Duac. et Colon., *affectibus*. Alii, *effectibus*.

[e] Ms. Joliensis et Leonis editio, *cognovere*. Alii, *didicere*.

[f] Ms. Joliensis, *justificatione*.

[g] Leonis editio, *provectuum*. Cæteri, *proventuum*.

[h] Ms. Camberon., *quæque sunt futura*.

[i] Hoc loco editi addiderant *Dominum nostrum*, quibus carent ms. Joliensis et Leonis editio, immo etiam textus Apostoli cum Vulgata ejusdem versione.

[j] Editio Leonis, *quæ ibi*.

[k] Præpositio *in* non legitur in ms. Joliensi.

[l] Editi alias, *conderetur*. Mss. Camb. et Jol. et Leo ut in textu.

[m] Editi, *numeratus*. Postea ms. Jol. et Leonis editio, *ab hac benedictione;* cum alii ferant, *ab hac sorte*.

Digitized by Google

*secundum virtutem Dei, qui nos liberavit et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora æterna* (II *Tim.* I, 8 *et* 9).

## CAPUT XXXIV.

*Non frustra laborari ad acquirenda bonorum operum merita, vel orationibus insisti; quamvis incommutabile sit Dei propositum super salute electorum.*

Contra hanc invictæ veritatis splendidissimam lucem solent quidam non sobrie dicere, superfluo ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustra etiam orationibus, quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito ejus Christianæ gratiæ subsistit electio, nec aliter quidquam procedere potest, quam Omnipotentis voluntate dispositum est. Sed qui [a] hoc ingeniose se arbitrantur opponere, non intelligunt scientiam Dei, quæ et præterita, et præsentia, et futura complectitur, tempore non teneri, et tam in conspectu ejus astare ea quæ gerenda sunt, quam illa quæ aut geruntur, aut gesta sunt. Quod cum verissimum sit, non indiget mora cernendi et discernendi illa virtus quæ perpetuo veroque **922** contuitu creata et creanda, orta et oritura, acta et agenda simul aspicit, et quidquid in universitate rerum per sæcula præfinita evolvitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo jam ordine comprehendit, quem ex ipsius summo illo perfectoque judicio mundi hujus finis accipiet. Hæc autem æterna et semper tranquilla cognitio, nulla nos urget necessitate peccandi, nec inde manat iniquitas, unde justitia. Quia cum bonus Deus omnia bona fecerit, [b] et mali nulla sit omnino natura, a liberis voluntatibus, quas utique bonum fuit liberas fieri, spontanea est orta transgressio; et natura mutabilis, cujus incolumitas ab incommutabili pendebat essentia, a summo se bono, [c] dum proprio perverse delectatur, abrupit; cui nunc ruinæ medetur gratia Dei.

## CAPUT XXXV.

*Gratia datur electis, non ut otientur, vel a nullo hoste impetantur, sed ut bene operentur, et hostem vincant.*

Et propterea Jesus Christus venit in hunc mundum, *ut solvat opera diaboli* (I *Joan.* III, 8); quæ utique sic A solvuntur, ut in destructione eorum etiam ab iis quibus succurritur, laboretur, quoniam et hoc a salvante donatur. Ideo beatus Apostolus, *Non solum autem*, inquit, *sed et gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3 *et seq.*). Itemque idem ad Ephesios, *Gratia*, inquit, *salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* (*Ephes.* II, 8 *et seq.*) Deus ergo his quos [d] elegit sine meritis, dat unde ornentur et meritis. Et frustra dicitur quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam B [e] ad hoc ut operentur electi sint. Virtutum quippe munera otiosa esse non possunt. Quoniam, sicut Veritas ait, *Omni habenti dabitur, non habenti autem etiam quod habet auferetur ab eo* (*Matt.* XXV, 29). Non igitur ad hoc datur continentia, ut concupiscentiis non repugnet. **923** Nec ideo cuiquam tribuitur sapientia et intellectus, ut non die ac nocte [f] in Domini lege meditetur (*Psal.* I, 2). Quid agit donum dilectionis, si benevolentiæ sollicitudo non vigilat? Quis fructus est patientiæ, si non habet fortitudo quod toleret? Aut quomodo in Christo pie vivere (II *Tim.* III, 12) [g] ostenditur, qui nulla persecutione pulsatur? Vel pax quæ est a Deo et cum Deo, numquid bene quieta est, si non [h] discordat a mundo? Aut amor C Dei [i] potest sine diaboli inimicitiis obtineri? Neminem prorsus Dei gratia intentabilem facit. Neque ob hoc cœlestium armorum præsidio a dextris et a sinistris instruitur Christiana militia, ut nullo cum hoste confligat, cum laudabilius sit [j] atque felicius pugnantem non potuisse vinci, quam desidem non potuisse tentari.

## CAPUT XXXVI.

*Electio non tollit orandi studium, sed ejus effectus per orationem et bona opera completur.*

Orationum vero sollicitudinem divinæ electionis proposito non resolvi, uno testimonio evidenter probabo, ut cætera studio brevitatis omittam. In libro igitur Tobiæ ad filium ejus Tobiam Raphael angelus

---

[a] Leonis editio, *hæc se ingeniose*. Editi, *se ingeniose hoc*. Ms. Jol. ordine supra scripto.

[b] Ms. Joliensis, *et mala nulla sit omnino natura*.

[c] Ms. Joliensis non habet *perverse*. Editio Leonis, *dum propriis delectatur*.

[d] Olim editi, *eligit*. Ms. Jol. et Leonis editio, *elegit*.

[e] Ita legendum esse, non vero, ut antea legebatur in editis, *ad hoc operentur ut electi sint*, et contextus series persuadet, et tota hujus libri doctrina, et mss. Thuan. et Joliensis. Objectio enim, cui verbis istis satisfacit, ex eo nata est, quod ante docuerat in hæc verba: *De plenitudine membrorum corporis Christi præscientia Dei, quæ falli non potest, nihil perdit, et nullo detrimento minui potest summa præcognita atque in Christo ante sæcula æterna præelecta*, cap. 33. Si hæc, inquiunt, ita se habent, *ratio operandi non est electis*. Immo, regerit ille, maxima ratio operandi, cum non tantum ad hoc ut salventur, sed etiam, *ad* D *hoc ut operentur electi sint*. Concinit plane beato Apostolo ad Ephes. II, 10: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*; et cap. I, 4, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*. Inde hausit S. Augustinus quod passim docet, quod *prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*. Quod *prædestinatio est gratiæ præparatio*. Quod *Deus prædestinavit quos voluit, et ad opera bona, et ad præmia sempiterna*. Porro, ut subjicit auctor noster, *virtutum munera otiosa esse non possunt*.

[f] Ms. Joliensis, *in Dei lege*.

[g] Ms. Joliensis, *creditur*.

[h] Ms. Joliensis, *discedat a mundo*.

[i] Editi, *poterit*.

[j] Ms. Camberon., *utique pugnantem*, omisso *felicius*.

Digitized by Google

dicit: *Memor esto mandatorum patris tui, quoniam* A *præcepit tibi accipere uxorem de genere patris tui. Et nunc audi me, frater: noli computare dæmonium illud, sed postula eam. Et scito quoniam dabitur tibi hac nocte uxor: et cum intraveris in cubiculum, tolle de jecore piscis illius, et impone super carbones, et odor manabit, et odorabitur illud dæmonium, et fugiet, et non apparebit circa illam omnino in perpetuum. Et cum cœperis velle esse cum illa, surgite primum ambo, et deprecamini Dominum cœli, ut detur vobis misericordia et sanitas. Et* **924** *nolite timere; tibi enim destinata est ante sæcula, et tu eam sanabis* (*Tob.* VI, 12 *seqq.*). Quamvis ergo quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur: cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus B effectus, ut per laborem operum, per instantiam [a] supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum; et qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione secreto, præfinitio hujus electionis abscondita est.

CAPUT XXXVII.

*De nullo ante finem vitæ hujus pronuntiari potest quod in electorum gloria sit futurus; et nullius lapsi est desperanda reparatio.*

Et de nullo ante ipsius finem pronuntiari potest quod in electorum gloria sit futurus, ut perseverantem humilitatem utilis metus servet, et *qui stat videat ne cadat* (I *Cor.* X, 12); [b] et si forte aliqua victus tentatione corruerit, non absorbeatur tristitia, nec de ejus miseratione diffidat qui *allevat omnes* [c] *qui corruunt, et erigit omnes elisos* (*Psal.* CXLIV, 14). Dum enim in hoc corpore vivitur, nullius [d] est negligenda correctio, nullius est desperanda reparatio. Oret itaque sancta Ecclesia, et pro iis qui crediderunt gratias agens, proficientem eis perseverantiam petat; pro iis autem qui extra fidem sunt, poscat ut credant. Nec ideo ab obsecrationibus cesset, si pro aliquibus exaudita non fuerit. Deus enim qui *omnes vult ad agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* II, 4), non potest quemquam sine justitia refutare.

[a] Ms. Camberon., *supplicantium.*
[b] Ms. Camb. et Jol., *ac si forte.*
[c] Editi alias, *qui ruunt.*
[d] In ms. Joliensi omittitur *est* hoc loco.

# APPENDIX
## AD OPERA
# S. PROSPERI AQUITANI.

*Hic liber* de Vita Contemplativa, *ut qui S. Prospero ab eruditissimis viris per longum temporis lapsum fuerit adscriptus, in omnibus ante editis exstabat. Nos vero, quia jamdudum verum dignoscere auctorem licuit, et aliunde in nostra universali Bibliotheca suus cuique scriptori assignatur locus et ordo, hoc opusculum tunc edi curabimus cum et Pomerii opera.* Edit.

## ADMONITIO
### IN CONCILII ARAUSICANI II CANONES DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

Omnibus sancti Prosperi operibus annecti solet concilium Arausicanum secundum, canones viginti quinque complexum. Et merito quidem. Nam hujusce concilii decreta, illa maxime dogmata statuunt quæ contra Semipelagianos Augustinus primum, ac deinde S. Prosper, Augustini doctrinæ strenuus assertor et vindex, defenderant. Quin immo ex ipsissimis utriusque Patris verbis concinnata notantur, cum sint ex diversis S. Augustini libris hausta, et specialim ex sententiis illis excerpta quas S. Prosper de operibus S. Augustini collegerat. Nec solum ex Augustino, sed etiam ex operibus a Prospero ipso post Augustini obitum exaratis: quomodo ex libro contra Collatorem decerpti canones 6, 7 et 8. Qua episcoporum illorum agendi ratione manifestum est, probatam fuisse a Patribus Arausicæ convenientibus, tum Augustini, tum specialim S. Prosperi nostri doctrinam: immo etiam a Felice IV, quo Romæ sedente, et ad id celebrandum eos admonente, et auctoritate sua muniente, habitum est concilium. Hæc docent Patres in Præfatione his verbis: *Pervenit ad nos esse aliquos qui de gratia et libero arbitrio minus caute, et non secundum fidei catholicæ simplicitatem, sentire velint. Unde id nobis, secundum auctoritatem et admonitionem sedis apostolicæ, justum et rationabile visum est, ut pauca capitula ab apostolica nobis sede transmissa de gratia et libero arbitrio, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac causa collata sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiebant, ab omnibus observanda proferre, et manibus nostris subscribere deberemus.* Cui concilio postea assensum suum approbationemque authenticam concessit Bonifacius II in epistola ad Cæsarium Arelatensem in hunc finem data. In quibusdam vero suis canonibus, maxime in octavo, ex professo Patres illi rejiciunt distinctionem illam quam Cassianus collatione decima tertia confinxerat, duplicis generis prædestinatorum, quorum alii meritis quibusdam gratiæ donum præverterent, alii nullis meritis præcedentibus a Deo gratia donarentur, quamque S. Prosper fuse refellerat in libro contra Collatorem per multa capita. Diversas quoque hujusce auctoris Scripturarum explicationes singulis membris applicatas circa finem canonis 25 paucis verbis rejicit, sic statuens: *Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Unde manifestissime credendum est quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est, et Zacchæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.*

Arausione convenit hæc synodus secunda quinto nonas Julii anno Christi 529, ut observat Jacobus Sir-

Digitized by Google

**mondus, sub Felice papa IV, regnante in Italia Athalarico Amalasuntæ filio, in Gallia vero liberis Clodovei. Concilio præsedit Cæsarius Arelatensis : quod approbavit Bonifacius II pontifex in sua ad Cæsarium ipsum epistola, quam ex antiquis mss. Sirmondus in lucem protulit. Hac synodo contra Semipelagianos, qui in Gallia, maxime in secunda Narbonensi provincia, per hujus hæresis præcipuos assertores eximii ingenii viros Cassianum et Faustum percrebuerant, Christi gratiæ necessitas, etiam ad fidei omnisque piæ vitæ initium, commendata est.**

# CONCILII ARAUSICANI II CANONES

## DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

[a] *Concilium Arausicanum* II *in dedicatione basilicæ a Liberio patricio constructæ celebratum* V *nonas Julias, Decio Juniore V. C. consule, id est, anno Christi* 525, *Felicis IV papæ anno* 3.

PRÆFATIO.—Cum ad dedicationem basilicæ quam illustrissimus præfectus et patricius filius noster Liberius in Arausica civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante, et ipso invitante convenissemus, et de rebus quæ ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset spiritalis oborta collatio: pervenit ad nos esse aliquos qui de gratia et libero arbitrio minus caute, et non secundum fidei catholicæ regulam sentire velint. [b] Unde id nobis secundum auctoritatem et admonitionem sedis apostolicæ, justum et rationabile visum est, ut pauca capitula, ab apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collata sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, et manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat, de gratia et libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.

*Quod per peccatum Adæ non solum corpus, sed anima etiam læsa fuerit* (*Aug. lib.* II *de Nupt. et Conc. cap.* 34).

I. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum; sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium : Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ dicenti : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 20); et : *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis* (*Rom.* VI, 16)? et : *A quo quis superatur, ejus et servus addicitur* (II *Petr.* II, 19).

*Quod peccatum Adæ non ipsi solum nocuit, sed ad posteros quoque transiit* (*Aug. lib.* IV).

II. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non et ejus propagini, asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur; injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors,* [c] *et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* v, 12).

A *Quod gratia Dei non ad invocationem detur, sed ipsa faciat ut invocetur.*

III. Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis: contradicit Isaiæ prophetæ (*Isaiæ* LXV, 1), vel Apostolo idem dicenti : *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant* (*Rom.* x, 20).

*Quod Deus ut a peccato purgemur voluntatem nostram non exspectet, sed præparet.*

IV. Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per sancti Spiritus infusionem et operationem in nobis fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti : *Præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII *sec. LXX*); et Apostolo salubriter prædicanti : *Deus est qui operatur* [d] *in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13).

B *Quod initium fidei non ex nobis, sed ex gratia Dei sit* (*Aug. lib. de Præd. SS. a cap.* 1 *usque ad* 9.)

V. Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, et ad regenerationem [e] sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit; apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente : *Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi* (*Philip.* I, 6); et illud : *Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (*Ibid.*, 29); et: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est* (*Ephes.* II, 8). Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodam modo fideles esse definiunt.

C *Quod sine gratia Dei credentibus et petentibus misericordia non conferatur, cum gratia ipsa faciat ut credamus et petamus* (*Aug. lib. de Dono Persever. c.* 23; *Prosp. contr. Coll. cap.* 6).

**VI. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus,**

[a] In vetere codice Lugdunensi inscriptio est : *Constitutio episcoporum in civitate Arausicana, de gratia et libero arbitrio.* In edit Lovan., Duac. et Colon., *Canones concil. alterius Arausicani, circa tempora Leonis papæ primi. De libero arbitrio, vel de diversis conditionibus, et de rebus necessariis per capitula requirendis.* Hoc quidem primo Baronius collocaverat ad annum 463, sed postea in addit. to. X voluit in annum 529 transferri. Cæsarium enim episcopum Arelatensem, qui ei præfuit concilio, non illis temporibus sedisse docetur variis in locis : quem et pervenisse ad annum Christi 544 constat ex ejus vitæ scriptoribus. Insuper tempus Liberii patricii præfecti D Galliarum, qui huic Arausicano concilio subscripsisse reperitur, erratum fuisse, cum assignatum est temporibus Leonis magni, admonet Spondanus, tom. II Epitom. p. 20.

[b] In editionibus Lov., Duac. et Colon., *Unde et nobis.* Mutatum in Append. to. X Aug., ut supra. Sic et infra *de certis Scripturarum voluminibus*, ubi nunc Aug. editio, *de sanctarum.*

[c] In edit. Lovan., Duac. et Colon. desunt, *et ita. . . . , mors*, quæ restituta sunt in append. tom. X Aug.

[d] In Lovan., Duac. et Colon., *in nobis.*

[e] Editio concilii in append. tomi X Aug. addit hic, *sacri:* et infra, *et hoc*, ante *non ex vobis;* quibus carent Prosperiani codices.

Digitized by Google

desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem et inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; et aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, *Quid habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7)? et: *Gratia Dei sum id quod sum* (I *Cor.* XV, 20).

*Quod viribus naturæ bonum aliquod quod ad salutem pertineat cogitare aut eligere sine gratia non possimus* (*Aug. lib. de Gratia Christi, cap.* 26).

VII. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem [a] in consentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5); et illud Apostoli: *Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II *Cor.* III, 5).

*Quod per liberum arbitrium ad gratiam baptismi pervenire nullus possit* (*Prosper. contra Coll. cap.* 2, 7, 18; *et Resp. ad definit.* 6 *Cassiani*).

VIII. Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum), ad gratiam baptismi posse venire contendit; a recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum: aut certe ita læsum putat, ut tamen quidam valeant, sine revelatione Dei, mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere. Quod quam sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit (*Joan.* VI, 44). Sicut et Petro dicit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 17); et Apostolus: *Nemo potest dicere,* [b] *Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3).

*De adjutorio Dei per quod bona operamur* (*Prosper. sent.* 22).

IX. Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia [c] continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.

*De adjutorio Dei omnibus semper implorando* (*Prosp. contra Collat. cap.* 24).

X. Adjutorium Dei etiam renatis [d] ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

*De oblatione votorum* (*Aug. lib.* XVII *de Civ. Dei c.* 4: *Prosp. sent.* 54).

XI. Nemo quidquam Domino recte voveret, [e] nisi ab illo acciperet quod voveret, sicut legitur: *Quæ de manu tua accepimus damus tibi* (I *Paral.* XXIX, 14).

*Quales nos diligat Deus* (*Prosp. sent.* 56).

XII. Tales nos amat Deus quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

*De reparatione liberi arbitrii* (*Aug. lib.* XIV *de Civ. Dei c.* 11; *Prosp. sent.* 152).

XIII. Arbitrium [f] voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa Veritas dicit: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36.)

*Quod ut liberemur a miseria, misericordia Dei præveniamur* (*Prosp. sent.* 211).

XIV. Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur: sicut dicit Psalmista: *Cito anticipet nos misericordia tua, Domine* (*Psal.* LXXVIII, 8); et illud, *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11).

*Quod per gratiam Dei in melius mutetur fidelis* (*Aug. serm. in ps.* LXVIII; *Prosp. sent.* 225).

XV. Ab eo quod formavit Deus, [g] mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi; *hæc*, secundum Psalmistam, *mutatio est dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11).

*Quod ex eo quod habemus non sit gloriandum, cum ex Deo sit* (*Aug, de Spir. et Litt. c.* 28; *Prosp. sent.* 260).

XVI. Nemo ex eo quod videtur habere glorietur, tamquam non acceperit; aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur insonuit. Nam sicut Apostolus dicit: *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (*Gal.* II, 21). Porro autem si non gratis mortuus est: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV, 8; *Psal.* LXVII, 19). Inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut vere non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo (*Matth.* XXV, 29).

*De fortitudine Christiana* (*Aug. lib.* I *Op. Imp. n.* 83; *Prosp. sent.* 297).

XVII. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ *diffusa est in cordibus nostris*, non per voluntatis arbitrium, sed *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V. 5), [h] nullis meritis gratiam prævenientibus.

*Nullis meritis gratiam præveniri* (*Aug. lib.* I *Op. Imp. num.* 133; *Prosper. sent.* 299).

XVIII. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.

*Neminem nisi Deo miserante salvari* (*Aug. epist.* 186, *n.* 37; *Prosper. sent.* 310).

XIX. Natura humana, etiam si in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum

[a] Duac. et Colon. omittunt *in*. Melius Lovan. et app. tom. X Aug. non omittunt.

[b] Editio tom. X Aug. in append., *Dominus Jesus*. Prosperiani libri addunt textui sacro, *Dominum Jesum*, vocem hanc, *Christum*.

[c] Sic August. editio et in Sentent. libro. Lovan., Duac. et Colon. hic, *tenemus*.

[d] Duo mss. scilicet Lugdunensis et Remensis, *ac sanatis*.

[e] Emendatur ex tomo X Aug. in append. et libro Sent. Prosperi: nam Lovan., Duac. et Colon. hic, *voverit, nisi ab illo acceperit, sicut legitur:* cæteris omissis. Titulum quoque ex libro Sententiarum supra edito correximus, *oblatione*, loco vocis *obligatione*, quæ etiam in append. August. irrepsit.

[f] Nonnulli mss., *Arbitrium libertatis.*

[g] Lovan., Duac. et Colon., *mutatur*.

[h] Hæc verba ad finem canonis 17 leguntur in codicibus Prosperi Lovan., Duac. et Colon. hic: non vero in editione tom. X Oper. S. Aug., nec in sent. 295, nec in libro Oper. Imperf. contra Julianum. Forte huc irrepserunt ex titulo canonis sequentis.

Digitized by Google

sine gratia Dei salutem non possit custodire quam A accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare [a] quam perdidit?

*Nihil boni hominem posse sine Deo* (*Aug. l.* II *cont. duas epist. Pelag. c.* 8; *Prosp. sent.* 314).

XX. [b] Multa Deus facit in homine bona quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona quæ non Deus præstet ut faciat homo.

*De natura et gratia* (*Aug. l. de Grat. et Liber. Arbit. cap.* 13; *Prosper. sent.* 317).

XXI. Sicut eis qui volentes in lege justificari, a gratia exciderunt, verissime dicit Apostolus: *Si ex lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est* (*Galat.* II, 21): sic et his qui gratiam quam commendat et percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur, Si ex natura justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Jam hic enim erat lex, et non justificabat: jam hic erat et natura, et non justificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, ut et lex B per illum impleretur, qui dixit: *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17); et natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, venisse se quærere et salvare quod perierat (*Luc.* XIX, 10).

*De his quæ hominum propria sunt* (*Aug. tract.* 5 *in Joan.; Prosper. sent.* 323).

XXII. Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. [c] Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.

*De voluntate Dei et hominis* (*Aug. tract.* 19 *in Joan.; Prosper. sent.* 340).

XXIII. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius C tamen voluntas est, a quo et præparatur et jubetur quod volunt.

*De vite et palmitibus vitis* (*Aug. tract.* 81 *in Joan.; Prosper. sent.* 368).

XXIV. Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc et manentem in se habere Christum, et manere in Christo, discipulis prodest [d] utrumque, non Christo. Nam præciso palmite, potest de viva radice alius pullulare: qui autem præcisus est, non potest sine radice vivere.

*De dilectione, qua diligimus Deum* (*Aug. tract.* 102 *in Joan.; Prosper. sent.* 372).

XXV. Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus [e] dilexit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris et Filii, quem cum Patre amamus et Filio (*Rom.* v, 5).

Ac sic secundum supra scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, et prædicare debemus et credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum et misericordia divina prævenerit. Unde Abel justo, et Noe, [f] et Abrahæ, et Isaac, et Jacob, omnique antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem quam in ipsorum laude prædicat apostolus Paulus, non per bonum naturæ quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio [g] haberi, sed Christi novimus simul et credimus largitate conferri: secundum illud quod jam supra dictum est, et prædicat Paulus apostolus: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (*Philip.* I, 29); et illud: *Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri* [h] *Jesu Christi* (*Ibid.*, 6); et illud: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est* (*Ephes.* II, 8); et quod de seipso ait Apostolus: *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (I *Cor.* VII, 25): non dixit, quia eram, sed *ut essem*; et illud: *Quid habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7)? et illud: *Omne datum bonum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jacob.* I, 17); et illud: *Nemo habet quidquam*, boni, [i] *nisi illi datum fuerit desuper* (*Joan.* III, 27). Innumerabilia sunt sanctarum Scripturarum testimonia quæ possint ad probandam gratiam proferri, sed brevitatis studio prætermissa sunt; quia et revera, cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.

Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, [j] quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono, non nos incœpimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit (*Luc.* XXIII, 43), et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est (*Act.* X, 3), et Zacchæi,

[a] Editi Prosperiani, *quod perdidit*. Verum, *quam perdidit* habetur apud Augustinum loco in margine citato, et in append. tom. X, nec non in sententia Prosperi.

[b] Sic legitur canon iste in edit. append. tom. X Aug. et locis Aug. et Prosperi in margine citatis. In edit. vero Prosperi Lovan., Duac. et Colon., *Multa in homine bona fiunt*.

[c] Editi Lovan., Duac. et Colon., *Si quis autem habet homo veritatem atque justitiam*. August. append. tom. X et loci in ora libri citati habent ut legitur in textu.

[d] Edit. Lovan., Duac. et Colon., *et non Christo*. In append. tom. X Aug. et locis in margine notatis, *utrumque, non Christo*

[e] In cod. Prosp. Lov., Duac. et Colon., *diligit*.... et infra, *diffudit*. Append. tom. X Aug. hic et Sent. D Prosp. ut in textu.

[f] Sic editio concilii in append. tom. X Aug. ac mss. recensiti. Prosperiana vero, Lovan., Duac. et Colon., *et Abraham... in ipsorum laudem*.

[g] Lovan., Duac. et Colon., *habere*. Melius legi *haberi* convincit editio append. Aug. tom. X et sensus loci.

[h] Desunt hæc verba, *Jesu Christi* in Lovan., Duac. et Colon. Prosperi editionibus. Habentur in appendice August. tom. X. In utroque textu Apostoli desunt hæc duo, *Domini nostri*.

[i] In Lovan., Duac. et Colon. Prosp. edit., *nisi illud*. Addititium videtur *illud*, quo caret editio August. append. conformiter textui sacro.

[j] Lugdunensis codex, *post acceptam baptismi gratiam*.

Digitized by Google

qui ipsum Dominum suscipere meruit (*Luc.* XIX, 6), illa tam admirabilis fides non fuit de natura, [a] sed divinæ largitatis donum (*Vide supra lib. Prosp. contra Cassianum, cap.* 7).

Et quia definitionem antiquorum Patrum, nostramque quæ supra scripta est, non solum religiosis, sed etiam laicis, medicamentum esse et desideramus et cupimus: [b] placuit ut eam etiam illustres ac magnifici viri qui nobiscum ad præfatam festivitatem convenerunt, propria manu subscriberent.

CÆSARIUS in Christi nomine episcopus, constitutionem nostram relegi, et subnotans subscripsi, quinto nonas Julii, Decio juniore viro clarissimo consule.

JULIANUS [c] AMARTOLUS episcopus relegi et subscripsi.

CONSTANTIUS in Christi [d] nomine episcopus consensi et subscripsi.

CYPRIANUS.... episcopus.... subscripsi.

EUCHERIUS.... episcopus.... subscripsi.

Item EUCHERIUS.... episcopus.... subscripsi.

HERACLIUS.... episcopus.... subscripsi.

PRINCIPIUS.... episcopus.... subscripsi.

PHILAGRIUS.... episcopus.... subscripsi.

MAXIMUS.... episcopus.... subscripsi.

PRÆTEXTATUS.... episcopus.... subscripsi.

ALETHIUS.... episcopus.... subscripsi.

LUPERCIANUS.... episcopus.... subscripsi.

VINDEMIALIS.... episcopus.... subscripsi.

[e] PETRUS MARCELLINUS FELIX LIBERIUS vir clarissimus et illustris præfectus prætorii Galliarum atque patricius, consentiens subscripsi.

[f] STAGRIUS vir illustris consentiens subscripsi.

OPILIO vir illustris consentiens subscripsi.

PANTAGATHUS vir illustris consentiens subscripsi.

DEODATUS vir illustris consentiens subscripsi.

CARIATHTO vir illustris consentiens subscripsi.

MARCELLUS vir illustris consentiens subscripsi.

[g] NAMATIUS vir illustris consentiens subscripsi.

[a] Codex Lugdunensis, *sed gratiæ largitate donata.* Remensis et Bellovacensis, *sed de divinæ largitatis dono.*

[b] Edit. Prosp. Lovan. et Duac., *placuit ergo ut etiam.* Aug. append. tom. X ut in textu.

[c] Hæc vox *Amartolus* additur in edit. append. tom. X. Aug., abest a Prosperi libris Lovan., Duac. et Colon. excusis; additur quoque in eadem Aug. edit. *in Christi nomine*, et *consensi.*

[d] Editio append. tom. X. Aug. supplet hujus episcopi nomen, et subscriptionem, cum absit a codicibus Prosperi.

[e] In codicibus Prosperi legebatur: *Petrus, Marcellinus, Felix, Liberius, viri clarissimi et illustres præfecti prætorio Galliarum atque patricii consentientes subscripserunt.* Emendavimus ex editione concilii ut habetur in append. tom. X Augustini, erasis virgulis, et plurali mutato in singulare. Nam recte observat Spondanus tom. II Epitomes ad annum 529, pag. 2, falso referri eidem concilio interfuisse quatuor præfectos prætorio, ut textus depravatus habet. Nam, ut codex Vaticanus docet, quatuor sunt illa nomina personæ unius: et in ipsius synodi exordio, non quatuor qui interfuerint ibi præfecti, sed unus duntaxat Liberius patricius nominatur: ac denique hoc tempore Athalarici regis, non quatuor præfectos Galliam administrasse, sed unum hunc Liberium patet ex ejusdem regis epistola ad eumdem Liberium data (*Cassiod. l.* VIII, *ep.* 6). Qui quidem ille ipse esse Liberius invenitur, cui Theodoricus Athalarici prædecessor fasces antea crediderat. Quippe qui inter alia præclare ab ipso, bello paceque in Italia, Gallia et alibi gesta, commendatus ex eo habetur, quod Italos Gothis consociarit, tertia agrorum parte illis concessa (*Ibid.*, *l.* II, *epist.* 15, *ad Senat.*).

[f] Ex eadem edit. tom. X. Aug. Oper. mutamus *subscripsit*, quod legitur in codicibus Prosperianis, in *subscripsi* hic et in sequentibus.

[g] Hoc nomen, et hæc subscriptio additur ex Augustini tom. X in append.: cum desit editionibus Prosperi. Lovan., Duac. et Colon. Cujus auctoritate in subscriptionibus sex quæ præcedunt posuimus, *vir illustris*, ubi antea habebatur, *vir clarissimus.*

# ADMONITIO

## IN LIBRUM DE PROMISSIONIBUS ET PRÆDICTIONIBUS DEI.

Cassiodorus in libro Institut. Divin. Litter. capite primo, hortatur ut assidue et attente legantur libri tres in quibus sanctus Prosper omnes verbi divini auctoritates in centum quinquaginta tribus capitulis, ad instar centum quinquaginta trium piscium quos Evangelica retia de hujus sæculi tempestuosa profunditate traxerunt, complexus est. Quæ vix est ullus dubitandi locus ab eo dici de hocce opere cui titulus est, *de Promissionibus et Prædictionibus Dei.* Hanc enim illius fuisse mentem, inde conjicitur, quod ipsemet, libri ejusdem cap. 17, de historicis Christianis sermonem persequens, de Prospero ita loquatur (*Cap.* 84): *Sanctus quoque Prosper Chronica ab Adam ad Genserici tempora et urbis Romæ deprædationem usque perduxit.* Quibus verbis hunc Prosperum qui Chronica scripsit, eumdem se existimare satis innuit quem tres libros totius divinæ auctoritatis elucubrasse antea testatus erat: uterque enim sanctus illi reputatur. At Chronica illa Cassiodorum Prosperi nostri opus intellexisse ex eo quisque intelliget, quod Gennadius *Chronica ejusdem nomine prætitulata* vidisse se testetur in Catalogo, ex quo sua haud dubie mutuatus est Senator, qui jam citato capite, hujus operis lectionem impense commendat.

Hoc vero opus hodie in quinque partes, ut ab auctore exierat, distributum habetur. Ille autem ad centum quinquaginta tres illos pisces quos apostoli, post Christi resurrectionem, uno retis jactu cepisse referuntur in Evangelio (*Joan.* XXI, 11), alludens, sub centum quinquaginta tribus titulis (ut notavit Cassiodorus) omnes Christi Domini promissiones, per totum Scripturæ sacræ campum diffusas, voluit contineri: quas ideo ille in unum collegit, ut eas vere a Christo fuisse impletas, aut in posterum certo certius implendas fore demonstraret. Cum autem promissiones illæ partim ante legem, partim sub lege factæ, tandem tempore manifestatæ hominibus gratiæ, impletæ inveniantur, non defuere qui hocce opus nomine *Libri ante legem, sub lege et sub gratia*, designarent. Cassiodorus vero locum ex parte tertia petitum tamquam sancti Prosperi dictum producit.

Doctissimus quoque Annalium Ecclesiasticorum conditor ad annum æræ Christianæ 444 auctorem operis de Promissionibus et Prædictionibus Dei Prosperum esse scribit, atque ita illum longis itineribus per Italiam Africamque circumducit; tum illi nova bella contra Pelagianos attribuit, quæ omnia ex eodem fonte manant. In utriusque supra memorati auctoris sententiam multi, re maturius non examinata, toti descenderunt. Nec tamen facile definiam an ex sola utriusque auctoritate recte concludi possit hujus operis auctori Prosperi nomen fuisse. Quæ conjectura a quibusdam non improbata, ab aliis omnino refutatur. Hos inter eminentissimus cardinalis Norisius, Historiæ Pelagianæ libro secundo, capite decimo quarto, rem pro verosimili supponens, libri auctorem putat agnosci posse sanctum Prosperum, Rhegiensem episcopum, alium a Prospero Aquitano, quem umquam episcopali dignitate auctum fuisse non credit vir doctissimus.

Digitized by Google

At vero de hac conjectura quidquid fuerit, ex ea illud saltem in res nostras accederet, quod et ejus etiam auctoritate confirmari posset, Prosperum nostrum librorum de quibus hic agitur, auctorem dici nullatenus posse, sed alterum iis esse necessario assignandum. Quæ res tam ex eruditorum criticorum judicio, quam ex librorum horum lectione et styli eorum gustu non difficile evincitur. Nam, ut optime notarunt jam Philippus Labbeus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Prospero, ac etiam accuratius supra dictus Henricus Norisius, Historiæ Pelagianæ libro secundo cap. 14, vel ipsomet teste auctore, non Aquitanus, sed Africanus fuit : quippe qui, præterquam quod inter multos hæreticos, de Donatistis præcipue, Maximianistisque loquitur, Ticoniumque hominem inter Donatistas celebrem citat, eventus quoque quosdam singulares qui in Africa contigerunt, ut testis eorum oculatus in medium adducit. Nam Carthagine degebat adolescens adhuc, cum ea in urbe sanctus pontifex Aurelius templum illud deæ Cœlestis longe lateque diffamatum Christo vero cœlesti Regi dedicavit : quod satis indicat rem narrans, parte tertia, Promissione 38, subjungensque statim, *Ipse tunc aderam cum sociis et amicis*. Atque dum sese, ut adolescentium ætas solet, impatiens circumquaque verteret, et dum singula curiose cum amicis aspiceret, mirum quoddam et incredibile se ingessit aspectui, titulus videlicet æneis grandioribusque litteris in fronte templi conscriptus : AURELIUS PONTIFEX DEDICAVIT. Cum igitur templum Cœlestis, eodem ipso assertore Africano, paucis post lineis, Deo consecratum fuerit occasione legis ab Honorio Theodosii Senioris filio latæ, qua templa omnia cum sibi adjacentibus spatiis ecclesiis contulit, simulque idolorum simulacra confringi indulsit, superest ut hoc facinus contigerit post annum 399, quo datum hoc cum aliis istiusmodi edictum, vel talis facultas concessa, idque, ut observat, paschali solemnitate recurrente.

Eodem etiam Carthagini constituto, Aspare vi consule (si recta codicum censeri possit lectio), contigit signum, ut ait, monstruosum diabolicumque, *quod*, inquit (*De Promiss. et Prædict. dimid. tempor cap.* 6), *quis illius patriæ civis ignorat?* Hoc deinde fusius narrat, de juvencula quadam Araba natione, quæ in pœnam aspectus impudici a dæmone arrepta, nihil cibi vel poculi per septuaginta ferme dies trajicere valens, in monasterio puellarum a sacerdote collocata est, ubi per duas hebdomadas nihil cibi aut potus sumens cum mansisset, die tandem quinto decimo : *Ascendente nobiscum* (ait ille) *sacerdote, ut matutinum sacrificium illic offerretur, puellam præpositus ad altare perduxit*, etc. Quibus verbis insignis facti testem oculatum se prædicat, qui in Africæ metropoli tunc temporis degeret, et aliqua forte apud clerum illum dignitate vel officio aliquo cohonestatus esset; quod innuere videntur illa narrationis verba : *Ascendente nobiscum sacerdote*, etc. Ibi ergo degebat Aspare vi consule, hoc est ad annum 434, quo contra Gensericum invasorem acriter armis decertabatur. Prosper vero hoc eodem anno adversus Massilienses pertinacius in sancti Augustini doctrinam tumultuantes calamum resumens, Cassiani illorum antesignani scripta nervosa responsione percellere tandem coactus fuerat.

Refert (*Ibidem*) quoque se novisse, cum Carthaginem advenit, quemdam sub specie monachi, qui quædam signa curationum se operari jactabat circa ægros, quos oleo, nescio cujus mortui osse infuso, liniebat : qui tamen cum fraudem suam proditam cognovit, statim ex illa urbe aufugit.

Si autem scriptor iste anno circiter 400 in adolescentia constitutus Carthaginem incoluit, et ibi sedem adhuc fixam retinebat anno 434, difficile eum alium quam Carthaginiensem, vel saltem Africanum dixeris; multoque minus in tanto temporis intervallo eumdem, non mediocris nominis virum, Augustino tum in hac metropoli, tum ex provinciæ synodorum occasione in his regionibus sæpius diversanti, de facie notum fuisse negaveris. At Prosper noster et Aquitanus fuisse omnium hucusque consensione perhibetur, et Hipponensi antistiti de facie ignotus suomet testimonio proditur. Nam ad eumdem scribens, sic habet : *Ignotus quidem tibi facie, sed jam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone compertus*, etc. (*Supra col.* 67). Hinc patet eum qui hos libros *de Promissionibus et Prædictionibus Dei* elucubravit, esse omnino diversum a sancto Prospero Aquitano. Ne dicamus Gennadium in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, aliosve qui post ipsum ecclesiasticos scriptores recensuerunt, nusquam eos tractatus Prospero tribuisse.

His omnibus testimoniis adde etiam non dubiam in stylo dicendique charactere diversitatem inter auctorem istorum librorum et Prosperum Aquitanum; de qua quivis æquus rerum æstimator facile judicabit. Auctoris quippe oratio humilis, jejuna et simplex; Prosperi loquendi genus abundans, dives, viribus et nervis valens, locuplesque sententiis. Frustra vero quis dixerit exaratum hoc opus a Prospero juniore, cum sit hominis ætate provecti, ut ipse auctor de se testatur, et ex multis locis constat. Scribebat autem regnante Valentiniano III; at, ut videtur, defuncta jam Placidia : et sic post annum 450 et ante 455. In multis Augustinum sequitur, et identidem ipsum citat. Denique Lovanienses doctores, qui sancti Prosperi opera typis mandari curarunt, fatentur hoc opus stylo et eruditioni sancti Prosperi sibi videri imparem, textumque in multis locis depravatum et mutilum. Cui nos vitio, in quantum licuit, ope manuscripti Remigiano-Remensis annorum 800, et veterum editionum mederi conati sumus.

Id autem nunc cum aliqua cura expendere non pigebit, unde tandem factum sit ut hic Prospero fetus ascriptus, et inter ejus opera fuerit recensitus. Nam, 1° etsi ex styli similitudine non potuerit error prodire, cum tanta sit inter utrumque auctorem diversitas styli, ne quid etiam dicatur de loquendi formulis plane disparibus ; non sic tamen lapsus occasio nasci nequivit ex affectuum studiorumque satis magna inter utrosque affinitate. Nam præterquam quod hic scriptor in Augustini lectione satis se versatum prodit, cujus adeoque verba et auctoritatem assumit in hoc opusculo, non secus ac Prosper in suis, id etiam ingenue fatendum est, Africanum istum in aliis multis Prosperi genium quasi sibi proposuisse sequendum et imitandum. Patet id primo ex prima operis linea, ubi toties laudatam a Prospero Pauli I Corinth. III, 7, sententiam, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, etc., adducit et ipse præfationis initio ; tumque *de agricultura cœlestis et regalis patrimonii*, quam excoluerunt apostoli, loquitur ad mentem omnino Prosperi, quem in istis frequentem fuisse facile animadvertitur. Sed et alia suppetunt hujus imitationis argumenta : nam 2° tum in præfatione totius operis, tum in sequenti prologo, distributionis præscriptæ methodus Prosperianum genium aliquatenus spirat, quod vel ex hac loquendi formula satis elucescit : *Sub gratia manifesta, quæ occultis semper interfuit :* ubi *occultum manifesto* opponitur, ad eum modum quo sæpe sæpius in Prospero hæ voces sibi invicem correspondentes leguntur. Et paulo post sententia Augustiniana citatur ab illo, quam Prosper antea deflorasse, et suis ex Augustino excerptis inseruisse reperitur. 3° In multis operæ titulis quædam assumuntur argumenta pertractanda, quæ Prosper occupaverat, immo et interdum illius verba depromuntur. Namque Prosperiana penitus est hæc phrasis parte I, præd. 3, ubi diaboli sententiam eos manere dicit qui ejus faciunt voluntatem. Quæ frequenter in Prosperi nostri responsis adversus calumniatores Gallos usurpatur. Sed et alii consequenter tituli.

Ex his igitur aliisque similibus, quæ facile in his libris reperientur, pronum est credere sciolos quosdam, hac argumentorum consonantia delusos, viri Augustinianæ doctrinæ studiosi, sed anonymi, fetum non con-

Digitized by Google

temnendum, Aquitano ejusdem fideli discipulo et acerrimo vindici tribuere primum cœpisse, unde et in illius operum collectionem titulus ille, cum aliis similiter adulterinis tractatuum inscriptionibus irrepsit. Id certe proclivius est credere, quam alium Prosperum, eumque sanctitatis fama decoratum admittere, cujus nulla superest memoria, nullus in horum temporum monumentis apex reperiri perhibetur.

---

# INCERTI AUCTORIS

## LIBER

# DE PROMISSIONIBUS ET PRÆDICTIONIBUS DEI

### A NONNULLIS S. PROSPERO ATTRIBUTUS.

## Præfatio.

Paulus apostolus dicit : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus* (I *Cor*. III, 7). In hac igitur agricultura cœlestis et regalis patrimonii, quam excoluerunt apostoli, patriarchæ et prophetæ, inter cæteros Dominicos canes, ipse catellus dum limites circumeo, ex divinis Scripturis, duce gratia, centum quinquaginta tria capitula venando confeci : in quibus sunt promissiones Dei centum et tres; prædicta quinquaginta, distributa hoc modo. Populus ante legem promissiones quas credendo vidit, et videndo credidit, habuit XIX. Quas credidit, et populo post se [a] videndas reliquit, VI. Prædicta quæ vidit, XII. Quæ credidit, III. Populus sub lege promissiones quas credendo vidit et A credidit, XVIII. Quam creditam post se videndam reliquit, unam. Prædicta quæ vidit, XIX. Quæ credidit, II. Populus sub gratia promissiones [b] habebat XL. Quas ante nos vidit, XXXII. Nos quas vidimus, et videmus impleri, VII. Et unam, finis mundi, quam omnes credimus. Dimidium temporis, prædicta quæ in fide sunt, XII. Quæ vidimus, II. Promissiones quæ in fide et in fine venturæ sunt, VI. Tredecim [c] etiam gloriæ sanctorum in fide sunt, quia soli sancti ea percipient [d] facta. Promissiones impletæ, LXXXIV. Implendæ XIX. Prædicta impleta, XXXV. Implenda XV. Quis igitur durus [e] adeo et [f] ferrei ferreus sensus est, qui dubitet impleri pauca, cum tot jam cernat impleta?

[a] Editiones Lugd. et Lovan., *videnda*. Ms. Remigianus, *videndo*.
[b] Ms. Remigianus, *habet*, nec male. Editi omnes, *habebat*.
[c] Ms. Remigianus, *autem*.
[d] Ms. Remig., *Fratres, promissiones implete*.
[e] Ms. Remig., *adhuc*.
[f] Edit. Lugd. non habet hanc vocem, *ferrei;* sic et ms. Remigianus.

---

# *PARS PRIMA.*

## TEMPUS ANTE LEGEM.

### PROLOGUS.

1. Omnis fidei ratio spe dilectioneque concluditur. Etenim diligendo quisque promissum quod credit, [a] fidem commodat, donec potiatur omni quod sperat. Convictionem rerum quæ non videntur, esse fidem Paulus apostolus definiit (*Heb*. XI, 1): cujus dispensatione Creator omnium Deus, omnia ex nihilo formare dignatus est (ut Scriptura sancta [b] loquitur) ex materia invisa (*Gen*. I, 2; *Sap*. XI, 18), summa mediis, et media imis libratione perpendens. Nam quædam invisibilia visibilibus præferens, rationalia irrationabilibus, et sensata insensibilibus, et viventia vitæ expertibus, in mensura, numero et pondere cuncta disposuit (*Sap*. XI, 21). Quibus pro modo subsistentibus rebus, rationale animal hominem terrenis præferens creaturis, et soli ad imaginem et similitudinem suæ divinitatis condito (*Gen*. I, 26) [c] tribuit liberam voluntatem. Huic et legem dedit semper vivendi, si mandata servaret [d]; moriendi, si sui Creatoris præcepta contemneret (*Genes*. II, 17). Verum serpentina C fraude [e] diabolus, superbia qua ipse cum sociis ceciderat, homine decepto (*Genes*. III, 1), dum se cum tota stirpe humani generis Adam per inobedientiam præcipitaret in mortem (*Rom*. V, 12), Creatori præ-B judicium, bene condita natura, inferre non potuit. Mortem licet causa prævaricationis invenerit, vitæ tamen essentiam, in quantum est, nec in morte dimisit. Immortalis quippe anima creata, in hoc stadio mundi labe [f] vitiata, corporis subversa eluvie, flagitiorum gravata ponderibus, nisi sanguine redempta fuerit Salvatoris, ablutaque spiritali unda, contagio inflicti vulneris carens, decorem collatæ gratiæ [g] inviolata fide servaverit, eam in æternam pœnam cum carne victuram Evangelica fides annuntiat (*Matth*. XXV, 41; *Joan*. V, 29). Quæ bonis æternam vitam, malis æternam pœnam, ea auctoritate firmavit, qua omnia quæ a principio mundi prædixit implevit.

2. Verum ne longum proœmium hujus libri humanus sterilisque sensus extendat, quem in tres partes et dimidiam distributum, juvante illo cujus munere loquimur, divina testimonia collecta undique, conjunctaque supplebunt; ex omnibus divinis Scripturis, quæ prædicta, quæve sint promissiones Dei, ut occurrerint, per capitula decerpenda suscepimus; signantes trifaria tempora ab exordio mundi usque in finem, in diversis populis consistere, ante legem, sub lege, sub gratia manifesta, quæ occultis signis semper interfuit. Quorum tripartita divisio hæc est. A prima conditione primi hominis usque ad Moysen,

[a] Ms. Remig., *fide commendat*.
[b] Editi, *proloquitur*. Ms. Remig., *loquitur*
[c] Ms. Remig., *attribuit*.
[d] Ms. Remig., *moriturum*.
[e] Sic Lugd. et ms. Remig. Aliæ editiones, *diaboli*.
[f] Ms. Remig., *vitiato*.
[g] Ms. Remig., *inviolata fides*.

Digitized by Google

ante legem est. A Moyse, cui lex data est in monte Sina (*Exod.* xx, 1 *seq.*), usque in adventum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, sub lege est. Manifestato autem eo in carne, crucifixo, resurgente, atque ascendente in cœlum, usque nunc et in finem mundi, cum illo ipso brevi spatio [a] Antichristi, tempus agitur gratiæ. Quibus tribus temporibus moderatione sui Creator justissimus Deus ita jura promissaque sua ordinavit, ut non omnia fidei tantum credenda committeret, sed pleraque intuenda oculis commendaret : e quibus illa quæ futura sperabantur his quæ videbantur crederentur implenda. Singulis igitur prædictis temporibus singulas partes hujus libri, ut promisimus, [b] consignabimus : quæ promissa sunt, quæve Christo et Ecclesiæ figurate exhibita; quæ credita relicta sint, intuenda futuris, capitula per ordinem posita demonstrabunt (*Sent. Prosp.* 214).

## CAPUT I.

[c] *Ex libro Geneseos creaturæ, est in Adam et in Evam, Christum et Ecclesiam.*

3. In principio [d] fecit Deus cœlum et terram, mare, omniaque eorum; in cœlo fulgentia, gradientia in terris, in aere volantia, natantia in aquis (*Genes.* I). Quibus perfectis, dixit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Ibid.*, 26). [e] Eoque formato ex limo terræ, *insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Genes.* II, 7). *Et dixit Deus : Non est bonum solum hominem esse* : *Faciamus ei adjutorium* [f] *simile illi, consiliarium* (*Ibid.*, 18). Et paulo post : *Immisit Deus soporem in Adam, et obdormivit. Et sumpsit unam de costis ejus* (*Ibid.* 21), *et formavit eam in mulierem : et adduxit eam ad Adam,* [g] ut videret quid eam vocaret (*Ibid.* 22). *Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; hæc vocabitur,* [h] *Virago, quoniam de viro suo sumpta est* (*Ibid.* 23). *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Ibid.*, 24). Hoc [i] itaque factum esse, ut rem gereret et figuram, apostolus Paulus testis est. Exponens quippe hunc locum in epistola ad Ephesios, ait : *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v, 32). Sacramentum igitur magnum quod promissum speravit Adam, sibi conjunctam vidit, quam credidit conjugem, nobis per fidem [j] vivorum signavit futuram Ecclesiam, matrem appellavit omnium vivorum (*Genes.* III, 20); ea scilicet causa qua, ex latere Adæ dormientis formata Eva, ex latere Christi in cruce pendentis formandam, ut factum est, prævidit Ecclesiam, quæ vere est mater omnium vivorum. Hæc est enim illa *mulier quæ custoditur per tempus et tempora,* [k] *et dimidium temporis a conspectu serpentis*, ut in Apocalypsi (*Cap.* XII, *v.* 14) de Ecclesia dicitur.

## CAPUT II.

[l] *In mandato contempto duas sequi mortes.*

4. Prædixit Deus Adæ et mulieri ejus mortem secuturam, si vetita tetigissent, dicens : *Ex omni ligno paradisi edetis, de ligno autem dignoscentiæ boni et mali non edetis ex eo. Qua die autem ederitis, morte moriemini* (*Genes.* II, 16). Præceptum autem, fallente diabolo, contemnentes, vetitum tetigerunt (*Genes.* III, 6). Quod peccatum dum vir excusat per mulierem, mulier per serpentem, mortem prædictam non tantum sibi, quantum suis etiam posteris propinarunt (*Rom.* v, 14). Hanc enim expendit omne simul genus humanum, aliam significans perpetuam mortem, cujus expers erit omnis qui mandata Christi servaverit (*Joan.* VIII, 51); eum vero qui monita salutaria Domini nostri Jesu Christi [m] temnenda duxerit, sine ulla dubitatione suscipiet. *Beatus* enim *et sanctus*, ait Joannes apostolus, *qui habet partem in hac prima resurrectione,* [n] *in quo secunda mors non habet potestatem* (*Apoc.* xx, 6). Et Dominus : *Qui audit,* [o] inquit, *verba mea, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam ; et in judicium non veniet, sed transiliet a morte ad vitam* (*Joan.* v, 24).

## CAPUT III.

*Diaboli sententiam eos manere qui ejus fecerint voluntates.*

In Genesi credita et visa.

5. Sequitur in serpentem diabolum prolata prædictaque sententia, in qua metuendum quiddam reperitur, quod ei inter cætera dictum est : *Terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ* (*Genes.* III, 14). Terrenis enim cupiditatibus inhiantes animæ, terræ similes comparantur, easque impias propheta David in primo psalmo designat, dicens : *Erunt tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I, 4). Et Jeremias propheta : *Recedentes a te*, ait, *in terra scribentur* (*Jerem.* XVII, 13). Job etiam dicit : *Terra tradita est in manus impii* (*Job* IX, 24). Item David : *Memento, Domine, quoniam terra sumus* (*Psal.* CII, 14). Se vero exui a terra, quam peccati merito serpens comedendam accepit, in alio psalmo dicit : *Salva me de luto, ut non inhæream* (*Ps.* LXVIII, 15). Item alibi : *Hæsit in terra venter noster; exsurge, Domine, auxiliare nobis, et redime nos propter nomen tuum* (*Ps.* XLIII, 25). Item alibi : *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori* (*Ps.* CXXXIX, 9). Propter quod, quotidie monendos nos per sacerdotes censuit divina clementia, cor sursum erigere, nosque profitemur habere ad Dominum ; si tamen sponsio nostra firma sit, ut quod verbis proferimus, [p] jugi gratia factis etiam compleamus.

## CAPUT IV.

*In maledicto mulieris sequi originale peccatum.*

Prædictum peccatum originale. In Genesi credita et visa.

6. Mulieri autem dixit Deus : *Multiplicans multiplicabo* [q] *gemitus et dolores tuos; in tristitia paries filios* (*Genes.* III, 16). Sic nasci transgressorum filios David propheta confirmat : *In iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum,* [r] *et in peccatis in utero me alui.*

[a] Ms. Remig., *ante istum.*

[b] Ms. Remigiano Remensis totum locum sic præfert, *consignavimus : quæ promissa sint intuenda futuris, quæve Christo et Ecclesiæ figurate exhibita, quæ credita relicta sint, capitula per ordinem posita demonstrabunt.*

[c] In ms. Remigiano titulus talis est : *Promissio ex libri Geneseos, credita et visa.*

[d] Edit. Colon., *creavit.*

[e] Ms. Remig., *eumque formatum ..... insufflavit, dictum est, in faciem.*

[f] Ms. Remig., *similem illi consiliarium.*

[g] Hæc non sunt pars textus sacri, in Vulgata, nec in Hebræo.

[h] Ms. Remig., *mulier.*

[i] Ms. Remig., *Hoc ita.*

[j] Ms. Remig., *virorum signavit futuram Ecclesiam matrem, propter quod eamdem mulierem suam Adam matrem appellavit omnium virorum. Hæc est enim*, etc. Omissis quæ intermedia leguntur in editis codicibus.

[k] Ms. Remig., *et dimidium tempus a conspectu serpentis.* Reliqua desunt.

[l] In ms. Remig. titulus. *Prædixit Deus Adæ et mulieri ejus mortem secuturam, si vetita tetigissent ; tum* a linea : *In Genesi credita et visa.* Deinde caput II incipit : *Ex omni ligno*, etc.

[m] Ms. Remig., *non tenenda.*

[n] Sic ms. Remig. Editi vero, *in qua mors.*

[o] Hæc vox, *inquit*, legitur in ms. Remigiano, non vero in editis

[p] Ms. Remig., *adjuti gratia.*

[q] Ms. Remig., *gemitus tuos.*

[r] Sic ms. Remig. Editi, *cum peccatis.*

Digitized by Google

*mater mea* (*Psal.* L, 7). Salomon quoque paria testatur : *Grave*, ait, *jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium* (*Eccli.* XL, 1). Item ipse : *Et ego natus accepi*, dicit, *communem aerem, et in similiter factam decidi terram, primam vocem similem omnibus emisi plorans, in involumentis nutritus sum et curis magis. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus est enim omnibus introitus ad vitam, et similis exitus* (*Sap.* VII, 3 *seqq.*). Et paulo post : *Semen enim erat maledictum ab initio* (*Ibid.* XII, 11). Et Isaias : *Semen nequam*, ait, *filii scelesti, dereliquistis Dominum* (*Isai.* I, 4). Job etiam dicit : *Nullus est immunis a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram* (*Job* XIV, 4 *sec. LXX*). Item ipse : *Nemo potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus mundus es* (*Ibidem, sec. Vulg.*). Pro cujus expiatione maledicti seminis, immunditia parientis mulieris et infantis (*Levit.* XII), sacrificia sunt legalia instituta, usque ad Christum regnantem : qui sui corporis oblato sacrificio, salvos facit pusillos cum magnis. *Ipse enim salvum faciet populum suum*, dictum est, *a peccatis eorum* (*Matth.* I, 21). Hæc tamen quæ prædicta sunt, ita cernuntur impleta, ut usque in finem mundi supplenda doceantur.

## CAPUT V.

*In Adam omnibus posteris labor, sudor et dolor.*

Prædicta propagataque sententia. In Genesi credita et visa.

7. *Adæ autem dixit Deus : Quoniam audisti vocem mulieris tuæ*, [a] *plusquam me, et tetigisti de arbore de qua sola præceperam tibi ne manducares ex ea, et manducasti : maledicta terra in operibus tuis, spinas et tribulos pariet tibi ; in tristitia et gemitu edes pabulum agri tui, in sudore vultus tui manducabis panem tuum, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quoniam terra es et in terram ibis* (*Genes.* III, 17 *et seq.*). Hanc prædictam pœnam peccati, quam radix humani generis Adam pro sententia excepit, ac suis posteris tamquam ramis [b] transfudit, *per unum hominem*, dicit Apostolus, *peccatum intrasse in mundum, et ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12). Humus enim, quæ creatoris imperio [c] fertilis, salubresque ex se herbas, sine ulla cultura homini ante produxit, post ærumnis sentibusque referta est ; ut in sudore ac labore ex ea omnem hominem edere panem oporteat, donec recurrat in mortem. Non tantum prædicta audire ista meruimus, quam etiam probata expendere. Unde et David dicit : *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam* (*Psal.* CIII, 23). Et iterum : *Labores manuum tuarum manducabis* (*Psal.* CXXVII, 2). Apostolus quoque dicit : *Qui non vult operari, nec manducet* (II *Thess.* III, 10). Et Dominus usque in undecimam horam operarios mittit ad vineam (*Matth.* XX, 9).

## CAPUT VI.

*In Cain et Abel, duorum populorum, Christianorum et Judæorum.*

Prædictio figurata, duorum populorum scilicet. In Genesi credita et visa.

8. Ex primis igitur hominibus mortalibus jam effectis, duo filii procreati sunt, ambo mortales : Cain major, minor Abel ; pastor ovium unus, alius agricola. Hi dum terram incolunt laboribus jam obnoxiam ju-
A dicio divinæ sententiæ, seque a propriis paternisque delictis expiare contendunt, ex primitiis frugum suarum sacrificia obtulerunt. Minoris Abel ex ovibus oblatum, acceptabile suscipitur sacrificium, repudiatur Cain (*Genes.* IV, 7), non recte divisa terræ particula. Invidia hinc nascitur : præsciaque divinitas futurorum, indicit patientiam furenti, diciturque ad Cain : *Peccasti, quiesce, ad te conversio ejus, et tu dominaberis ejus :* id est, ut peccato suo ipse dominaretur, nec fieret servus peccati, si præcipienti humilis obediret. Verum Cain contumax, suique impatiens, insiliit super Abel in campum, et occidit eum. Proh nefas ! hæccine sunt, Cain, germanitatis fœdera? hæccine principia bonæ naturæ? hæccine bonæ indolis spes est, ut ante te norit pater homicidam quam filium! Sed his ausibus, facinus suum Cain multis [d] etiam vinculis connodavit. Effectus contemptor divini mandati, superbiæ caput, auctor invidiæ, princeps illatæ mortis, et primus in hominibus parricida.

B 9. Hic initia bellandi instituit, ut reus innoxium sanguinem [e] diffundat, livoris plenus gloriam [f] impetit alienam. Nam præclara hinc fulsere martyria, dum justi occiduntur ab impiis. Sed ut omne nobis quod actum est, proficere demonstraret divina providentia, fratrem a fratre requirit, [g] quem jam occisum noverat ; negantem, terra [h] teste, convicit : *Vox*, inquit, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (*Gen.* IV, 10). Cain figurasse Judaicum populum terrenis desideriis inhiantem, Abel Christum pastorem ovium, ab eo populo occisum, nullus jam ambigit Christianus, cujus sacrum sanguinem omnis nunc terra accipiens, [i] clamat : Amen (quod est, Verum), ut neganti Judæo quod occiderit Christum, recte dicatur a Deo : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Pro Abel, quem occidit Cain, natus est Seth (*Gen.* IV, 25), ex quo per ordinem successionis venit Enoch, qui Deo dum placeret, translatus est ne gustaret mortem (*Eccli.* XLIV, 16), Eliæ sociandus C (IV *Reg.* II, 11), ut duo testes idonei secundo Christi adventui præparentur (*Apoc.* XI, 3), [j] in confutationem Antichristi, et in gloriam judicantis Filii Dei ; de quibus suo loco testimonia proferemus.

## CAPUT VII.

*In diluvium arcæ, quæ significavit Ecclesiam.*

Prædictio : in Genesi credita et visa. Prædictum diluvium.

10. Dum filii Dei a proposito [k] desciscerent sanctitatis, Deus Noe justum sic admonuit : *Finis*, inquit, *universæ carnis venit coram me : repleta est enim terra iniquitate eorum, et ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis quadratis, tricameratam facies arcam, et bituminabis intrinsecus et extrinsecus ; et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo ipsius. Fenestram facies in arca, et in* D *cubito consummabis eum. Ostium autem arcæ pones ex latere. Ecce adducam diluvium aquæ super terram, et interficiam omnem carnem, in qua est spiritus vitæ, sub cœlo* (*Gen.* VI, 13 *et seq.*). Dum igitur fides commodat ac præparat mentem, creditque futurum quod sperat implendum, mysticæ jussioni et fabricæ obediens Noe, arcam, qua se cum mundis immundisque animalibus, ut præceptum fuerat, conderet, fabricavit : geometrica quippe mensura, quæ, ut fertur, sexies tantum quam [l] nostra se extendit.

[a] Hæc verba, *plusquam me*, adduntur ex ms. Remig.
[b] Ms. Remig., *infudit.*
[c] Editi, *fertiles.* Ms. Remig., *fertilis.*
[d] Ms. Remig., *multis ex vinculis.*
[e] Ms. Remig., *fundat.*
[f] Ms. Remig. *impetrat ;* nec male, si referas ad mox sequentia : *Præclara hinc fulsere martyria, dum*, etc.
[g] Ms. Remig., *Qui jam occisum noverit.*
[h] Ms. Remig., *testante.*
[i] Ms. Remig., *clamat tamen quod verum, ut neganti Judæo quod occiderat Christum.*
[j] Ms. Remig., *in confutatione Antichristi et in gloria.*
[k] Ms. Remig., *deficerent.*
[l] Edit. Lugd., *quam nostræ.* Ms. Remig., *geometricam quippe mensuram, quæ, ut fertur, sexiens tantum quam nostra est extenditur.*

Digitized by Google

11. De his [a] autem ascriptis numeris, quantum divinitus adjutus fuero, colligens pauca, architecti illius nostri Pauli apostoli sententiam introducam (I *Cor.* III, 10) : qui illius arcæ figuratam fabricam, omnemque ejus spiritalem constructionem ad Ecclesiam sanctam referens, instar in ea crucis expressit. Ait enim in epistola ad Ephesios : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis, secundum divitias gratiæ suæ, virtutem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati atque fundati, ut valeatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit altitudo, latitudo, longitudo et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi* (*Ephes.* III, 14 *et seqq.*). Quinque sententias [b] in quinque articulis dixit, ut pote is qui dixerat : *Volo quinque* [c] *verba mente mea in Ecclesia loqui* (I *Cor.* XIV, 19). Quinque ergo istæ sententiæ ad prædictæ arcæ mensuras pertinere hac ratione monstrantur. Quinarius enim numerus ex pari et impari constitutus, habet duo, et tria : tria a trinitate, duo a duobus præceptis, quæ conjuncta quinarium formant. Huic additur unus, propter unitatem individuæ Trinitatis, et efficitur senarius perfectus, omni ex parte sibimet respondens, in primam, tertiam ac dimidiam. De quo numero multi jam dixere majores. Hi igitur quinarius et senarius conjuncti numeri, ac multiplicati in invicem, extenduntur ad prædictæ arcæ mensuras quinarias. Propter quod quinta die, excepto homine, universa quæ creata sunt [d] fecerit Deus; atque in quinque libris Moysi universa legis mandata conscripta sunt; et quod perficiendæ legis causa, quinta feria ad patibulum traditus fuerit ipse Salvator et Dominus. Senarius vero numerus hoc continet, quod sexta die formatus est homo; et sexta ætate sæculi ad redemptionem mundi hominem susceperit Verbum Dei; et sexta feria suspensus in cruce, nostrum omne pretium ex suo latere, tamquam per ostium arcæ, pretiosum sanguinem fuderit; ex quo columba (*Gen.* VIII, 8) Ecclesia tanto sanguine dotata processit. [e] Propter quod et corvus hæreticus exiens, humani cadaveris cupiditate naufragus, ad arcam Ecclesiam redire noluit. De quo intus posita munda animantia clamant : *Ex nobis exiit, sed non erat ex nobis : nam si ex nobis esset, mansisset utique nobiscum* (I *Joan.* II, 19). Hi igitur duo, ut dixi, numeri, quinarius et senarius, dum multiplicantur in invicem, supplent tricenarium. Quinquies enim seni, et sexies quini ductus numerus tricenarium [f] format. Et ipsi sunt triginta cubiti, qui in altitudine arcæ præcepti sunt construi, ad sublimem partem pertinentes spei; in qua caput eminus confixum est Crucifixi. Omnis enim spes in capite. Propter quod et ipsum caput nostrum triginta annorum dignatus est crucifigi. Rursum quinarius numerus in decalogo multiplicatus, propter decem præcepta legis. Decies enim quini, et quinquies deni numerus ductus, quinquaginta efficiunt. Et hi in latitudine arcæ ponuntur, qui ad charitatis spatia in cruce signantur, in qua manus infixæ sunt Crucifixi. Decem enim præcepta digito Dei [g] dicuntur esse conscripta, nosque ipsi manus nostras levare in sancta jubemur (*Psal.* CXXXIII, 2). Item quinarius et senarius numeri in quinquagenario multiplicati, arcæ longitudinem supplent. Quinquagies enim seni, et sexagies quini trecentos efficiunt, qui nostræ arcæ [h] longitudini patientiæ ascribuntur, in qua corpus extensum est Crucifixi : cui dicitur, *Christus pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). *Quoniam vetus homo noster simul cum illo affixus est cruci* (*Rom.* VI, 6); patientesque esse jubemur usque in [i] adventum Domini (*Jac.* V, 7). Profundum vero crucis diluvii magnitudinem significat, qua et illa et nostra arca portatur. Quoniam sunt judicia Dei (ut scriptum est) sicut abyssus multa (*Ps.* XXXV, 7).

12. Quod vero dictum est : *Tricameratam facies eam* (*Gen.* VI, 14) : hanc fabricam prædictus architectus noster Paulus expressit : *Manet*, inquit, *fides, spes, charitas, tria hæc* (I *Cor.* XIII, 13). Nam cum in prima et secunda habitatione, bestiæ, pecora, serpentes, avesque in fide et spe manserint; in tertia Noe cum suis in charitate manens (quia *major horum omnium charitas* (*Ibid.*). diluvium formidare non potuit. *Qui enim manet in charitate, in Deo manet, et Deus in illo* [j] *permanet; quia Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 16). Fenestram vero arcæ melius [k] accipimus respectum in salutem animarum, quæ sunt bitumine intrinsecus et extrinsecus sociatæ et colligatæ invicem in unitate Spiritus [l] sancti, et in vinculo pacis (*Ephes.* IV, 3). In cubito dictum est consummari arcam; sic enim decuit [m] significare Ecclesiæ unitatem. Quoniam *finis legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Unde et ille dives in Evangelio, diluvium [n] hujus vitæ formidans, ait ipsi Domino rerum : *Magister bone, quid faciens vitam æternam consequar* (*Luc.* XVIII, 18)? Et Dominus, prædictæ arcæ illi mensuras ostendens : *Præcepta*, inquit, *nosti* (*Ibid.* 20)? Cumque ei plurima dixisset ex numero, ille [o] velut quadratus arcæ cupiens sociari : *Omnia hæc* [p] *mandata*, inquit, *feci; quid adhuc mihi superest* (*Ibid.*, 21)? Et Dominus perfectionem arcæ nostræ designans in uno cubito consistere : *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, et veni sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Quod cum ille facere nequivisset, quia omni ex parte quadratus non fuit, ad cubitum perfectionis [q] arcæ non meruit pertingere. *Abiit enim*, ut dictum est, *contristatus* (*Ibid.*, 22).

13. Quod vero quadraginta diebus et quadraginta noctibus diluvium factum est super terram (*Gen.* VII, 17), non tantum præteriti in hoc numero, quantum etiam præsentis temporis animarum diluvium ostendit; quæ in scopulis sæculi, atque in gurgite flagitiorum, diversarumque [r] voluptatum naufragis fluctibus submerguntur. [s] Propter quæ evadenda quadraginta diebus Moyses (*Exod.* XXIV, 18), quadraginta diebus Elias (III *Reg.* XIX, 8), quadraginta diebus et ipse Salvator (*Matt.* IV, 2) jejunia consecrasse, hac tripartita ratione monstrantur : tamquam prædictis tribus temporibus necessaria, ante legem, sub lege, sub gratia. Finis igitur diluvii, sexcentesimo primo anno Noe terminatus (*Gen.* VIII, 13), finem mundi significat post sex, ut dictum, ætates sæculi, et breve Antichristi spatium. Tot enim ætatibus etiam hominis longævi vita protenditur, donec ab infantia recurrat in senium. Nunc vero Ecclesia, aut [*forte* ut] arca, velut munda et

[a] Ms. Remig., *tamen*.

[b] Ms. Remig., *in quinque articulos dixit : ut puto bisque*.

[c] Ms. Remig., *verba mea in Ecclesiam loqui*.

[d] Ms. Remig., *fecerat*; et paulo infra, *fuerat*; ubi editi, *fuerit*.

[e] Ms. Remig., *Per quod*.

[f] Ms. Remig., *facit*.

[g] Ms. Remig., *docentur*.

[h] Ms. Remig., *longitudine*.

[i] Hæc vox, *Domini*, habetur ex ms. Remig.

[j] Ms. Remig., *manet*.

[k] Ms. Remig., *accepimus*.

[l] In ms. Remig. deest *Sancti*, juxta textum Apostoli ad quem alludere videtur Auctor.

[m] Ms. Remig., *significari Ecclesia in unitatem*; forte melius, *significari Ecclesiæ unitatem*.

[n] Ms. Remig., *hujus vitæ*. Editi, *hujusmodi*.

[o] Ms. Remig., *Ille vero velut quadratis*.

[p] Ms. Remig. caret hac voce, *mandata*.

[q] Ms. Remig. addit, *nostræ*.

[r] Editio Lugd., *voluntatum*.

[s] Editi, *propter quod*. Reliqua supplentur ex ms. Remig.

Digitized by Google

immunda animalia, bonos malosque portare cognoscitur, usque in prædictum finem : de quo Dominus et Salvator noster in Evangelio testatus est, dicens : Sic futurum adventum suum quemadmodum fuit in diebus Noe, subito manducantibus ac bibentibus, ementibus et vendentibus (*Matth.* xxiv, 37). Credidit igitur Noe quæ prædicta vidit in arca. Credidit quæ [a] futura erat nobis præsentanda Ecclesia : nobiscum sperat quæ erit ultimo judicio declaranda.

## CAPUT VIII.

*In tribus filiis Noe, gentes, quas Christus Dominus sparsas invenit, collegit.*

Prædictæ gentes : [b] ex tribus filiis Noe. In Genesi creditum et visum.

14. Ex tribus igitur filiis Noe, Sem, Cham, Japhet, totidemque nuribus ejus, mortalium fecunditas dum accrevisset, radix peccati superbia, mundo pereunte diluvio, ipsa perire non potuit. Turris superba a superbis exstruitur, cujus caput cœlum hactenus occuparet (*Gen.* xi, 4). Hujus cœpta a vero artifice Deo per confusionem linguarum in irritum deducuntur : sic enim scriptum est : *Ecce labium unum est omni terræ, et hoc cœperunt facere,* [c] *et nunc non deficient ab eis omnia quæcumque aggressi sunt facere* (*Ibid.*, 6). Et dixit Deus, *Venite descendamus, et confundamus ibi linguas eorum* (*Ibid.*, 7). Deus trinitas loquitur. Descendere vero Deum, est humanos actus inspicere, vel eorum sensibus propinquare. Quæ, [d] ut prædicta sunt, mox impleta sunt. Confusæ quippe linguæ non tantum disposita supplere nequiverunt, quantum etiam dispersæ per orbem gentes quasque suo [e] distinxere eloquio (*Ibid.*, 9). Attamen Creatoris et judicis impleta censura, per humilem Christi gratiam, charitas uno sub dogmate congregavit, quæ superba impietas [f] male disperserat. *Omnis* ergo nunc in unum *lingua confiteatur, quod Dominus Jesus Christus,* qui est turris fortitudinis, *in gloria est Dei Patris* (*Philip.* ii, 11). Quem inebriatum, ut Noe ex vinea (*Gen.* ix, 21), nudatumque in passione, Cham filius irridens, in Canaam filio maledictum excipiens, gentibus propinavit. Quod abstulit Jesus Dominus, qui pro nobis factus est maledictum (*Galat.* iii, 13).

## CAPUT IX.

*In Heber gens Hebræa, quem primatum Christiano populo tradidit.*

Prædicta gens Hebræa, a quo exorta sit, primatum habens in omnibus linguis. [g] In Genesi creditum et visum.

15. Inter cæteros quos linguarum confusio per gentes divisit, [h] unus Heber dictus est (*Gen.* xi, 14), in quo, ut fertur, Hebræa prima lingua resedit, unde etiam Hebræa gens nomen accepit. Primam vero Hebræam esse linguam, mysticus ille titulus a Pilato conscriptus ostendit. Erat enim [i] is tribus linguis insignitus, Hebræa, Græca et Latina (*Joan.* xix, 20) : quæ linguæ primatum fere in omnibus retinentes linguis, eidem Creatori [j] in titulo consignatæ sunt, eo ordine divino quo prædicta ante quam fierent, propheta David testatus est, dicens. *Tituli inscriptionem ne corrumpas* (*Psal.* lviii, 1). Regem enim Judæorum crucifixum ille scripserat judex (*Joan.* xix, 19). Hunc sua lingua [k] Hebræi dum legerent, quæ primo in loco posita erat, postulantes mutandum, [l] divinitus actus Pilatus, *Quod scripsi*, inquit, *scripsi* (*Ibid.*, 22) : ut et tituli inviolata, sicut promissum est, maneret integritas, et lingua Hebræa sub testimonio in principalem locum, quem post amisit, merito signaretur. Ex isto igitur Heber currit progenies usque ad Abraham (*Gen.* xi, 17 *et seqq.*), a quo, ut quidam dicunt, Abræi [*f.* Abrahæi], sicut ab Heber Hebræi appellati sunt. Primitivum vero esse hunc populum, licet ipse Dominus attestetur, dicens, *Primitivus meus Israel* (*Exod.* iv, 22); in Deuteronomio libro plenius ostenditur. *Cum dispartiretur Altissimus* (dictum est) *nationes, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei. Et facta est portio ejus Jacob, series hæreditatis ejus Israel* (*Deut.* xxxii, 8, *sec. LXX*). Sed hic Jacob, qui appellatus est Israel, ex quo tramite veniat per ordinem recurramus, ut Abrahæ, cujus hic nepos est, promissa suppleantur.

## CAPUT X.

*In Abrahæ vocatione, terra viventium Christiano populo futura.*

Promissio facta et figurata. [m] In Genesi credita et visa.

16. Ex semine igitur Sem filii Noe, natus est Heber, cujus fuit filius Phaleg (*Gen.* x, 25), sub quo divisæ sunt linguæ. Phaleg genuit Reu (*Gen.* xi, 18 *et seqq.*) : Reu genuit Seruch; Seruch genuit Nachor; Nachor genuit Thare; Thare genuit Abram, qui postea dictus est [n] Abraham; cujus nepos fuit Jacob. Hunc [o] Abraham apud Chaldæos genitum Scriptura testatur (*Gen.* xi, 28). Ex qua gente vocatus, dum primus [p] crederet, pater fidei (*Rom.* iv, 11), gratia vocantis, meruit appellari. Chaldæi astronomiæ dediti, dum callide positiones siderum perscrutantur, multum errantes circa cultum religionemque divinam, Creatorem [q] omnium rerum minime perquirentes, *evanuerunt*, ut Paulus dicit, *in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* (*Rom.* i, 21). E quibus Abraham non [r] callidæ creaturæ, sed calore divini cultus accensus, ab stultis et insipientibus Domini munere segregatus est. *Exi*, inquit ei Deus, *de terra tua et de cognatione tua, et veni in terram quamcumque tibi ostendero* (*Gen.* xii, 1). Ad præceptum vocantis, prima sede cognationeque relicta, per fidem credit quæ non vidit, donec videre mereatur omne quod credit. Exiens igitur de terra Chaldæorum, habitavit Charræ (*Act.* vii, 4), in qua omnibus [s] repletus est divitiis. Terræ quoque ipsius, in spe sui seminis futuram suscepit hæreditatem. Cum etiam ex anu [t] et sterili conjuge, vergens quoque ipse in senium, [u] per promissionem exspectat hæredem, hic nobis pater fidei ostendit, nec incolatus nostri longos

[a] Ms. Remig., *futura erant . . . nobiscum. Speratque ad ultimum judicium declaranda.*

[b] Hæc addimus ex ms. Remigiano, in quo caput VIII sic incipit : *Iis nominibus Sem, Cham et Japhet*, etc., forte, *Iis hominibus.*

[c] Sequentia absunt a ms. Remig. et Edit. Lugd., usque ad : *Et dixit Deus.*

[d] In ms. Remig., *Quæ prædicta sunt, mox et impleta sunt.*

[e] Ms. Remig., *creavere.*

[f] Additur *male*, ex ms. Remig.

[g] Hæc addimus ex fide ms. Remigiani.

[h] Abest vox *unus*, a ms. Remig. et edit. Lugd. et Lovan.

[i] Ms. Remig., *his tribus.*

[j] Ms. Remig., *in titulum.*

[k] Editi, *Hebraici.*

[l] Ms. Remig., *divinitus actum, Pilatus.*

[m] Supplentur hæc ope ms. Remig., cui deest prior titulus.

[n] Ita legimus in ms. Remig. Aberant vero hæc ab editis, *Abram, qui postea dictus est.*

[o] Ms. Remig., *Abram.*

[p] Ms. Remig., *crediderit.*

[q] Ms. Remig., *rerum omnium munimine.*

[r] Ms. Remig., *callide creatura;* sola editio Lugd., *non callidæ creaturæ.*

[s] Ms. Remig., *repletus divitiis, terræ quoque.*

[t] Ms. Remig., *et ex sterili.*

[u] Ms. Remig , *promissionis.*

Digitized by Google

exitus formidandos, et in Christo Domino semper A sperandum : cujus per gratiam [a] terra viventium, sempiterna potiemur hæreditate : de qua David propheta dicit : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Ps.* XXVI, 13).

## CAPUT XI.

*In Abrahæ semine multiplicari, ut stellas, populum Christianum.*

Promissio multiplicandi seminis Abrahæ. In Genesi credita et visa.

17. *Factus est sermo Domini ad Abraham per visum dicens : Noli timere, Abraham, ego te protego; merces tua multa erit valde* (*Gen.* XV, 1 *et seqq.*). *Dixitque Abraham : Domine, quid dabis mihi? ego enim sum absque liberis, et filius præpositus* [b] *domui meæ, hic Damascus Eliezer. Dixitque Abraham : Quia non dedisti mihi semen, vernaculus meus mihi hæres erit. Statimque sermo Domini ad eum : Non erit hic hæres tuus; sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis* B *hæredem. Eduxitque eum foras, et ait illi : Suspice in cœlum, et numera stellas, si poteris numerare eas. Et dixit : Sic erit semen tuum. Credidit autem Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam.* Hæc Paulus [c] firmat apostolus, dicens : *Igitur fides*, ait, *ex auditu; auditus autem per verbum Christi* (*Rom.* X. 17). Et Isaias ait : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec. LXX*). Fundamentum omnis rei futuræ fides est : cujus culmen ædificii terras cœlumque obtinuit in Christo Jesu, qui est ex semine Abrahæ.

## CAPUT XII.

*In sacerdotio Abrahæ, regale Ecclesiæ sacerdotium.*

Promissio qua Abraham, poscente Deo sacrificium, sacerdos ostenditur. [d] In Genesi credita et visa.

18. Secundo oraculo dixit Dominus ad Abraham : *Ego sum qui eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam. At ille ait : Do-* C *mine, unde scire possum quod possessurus sum eam. Et Dominus : Sume, inquit, vaccam triennem, et capram trimam, et arietem trimum, turturem quoque et columbam.* [e] *Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, et utrasque partes contra invicem posuit : aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera divisa, et abegit eas Abraham. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abraham, et horror magnus et tenebrosus invasit eum. Dictumque est ad eum : Sciens prænosce, quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent annis quadringentis. Gentem autem cui servierint, judicabo ego, dicit Dominus. Post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos nutritus in senecta bona. Quarta autem generatione revertentur huc : necdum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum* (*Gen.* XV, 7 *et seqq.*). In hac promissione, et in hoc sacrificio tripartito (quod in præsenti ita actum est, ut tamen alia fu- D tura signaret), tria tempora quæ superius dicta sunt, in tribus his animalibus, spiritalis lector, agnosce : vaccam trimam, ante legem lascivientem plebem sine jugo legis : capram trimam, sub lege quam immolare debet plebs legem transgrediens, pro peccato : arietem trimum, sub gratia perfectum sacrificium, quod figurate pro filio idem offerens Abraham, arietem nostrum Christum triennem, tribus temporibus prædicatum, pro peccato populi ara crucis excepit (*Vide Aug. lib.* XVI *de Civit. Dei, cap.* 24). Quoniam *pro iniquitate populi*, ait Isaias, *ductus est ad mortem, et livore ejus omnes sanati sumus* (*Isa.* LIII, 5 *et* 8).

19. Quod vero hæc animalia contra invicem divisa posita sunt, divisiones et schismata, quæ sese invicem impugnarent, futura apostolus Paulus ostendit, dicens : *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis* (1 *Cor.* XI, 19). Nam et ante legem, ut hæreticorum, Cain repudiatum est sacrificium (*Genes.* IV, 5) : et in lege, Chore, Dathan et Abiron (*Num.* XVI, 32), dum hæresum schismatumque auctores, vivos terra voravit. Et sub gratia, multarum hæresum dogmata, et aves circa divisa cadavera mortuorum residentes, abiguntur a Paulo, cum dicit : *Divisus est Christus?* [f] *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis* (1 *Cor.* I, 13)? Præceptum est autem Abrahæ in illo sacrificio, ut turturem castum et simplicem columbam non divideret. Quoniam spiritales filii casti, et simplices virgines, dum in charitate sacrificium illibatæ fidei offerunt, dividi omnino non possunt. Peregrinum vero esse in hac vita semen [g] eorum, qui Domino suo canunt, testatur David dicens : *Inquilinus sum et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Ps.* XXXVIII, 13). [h] Et vexari in Ægypto annis quadringentis, dum gemunt et dicunt : *Heu me, quia peregrinatio mea elongata est* (*Ps.* CXIX, 5), satis in promptu est. Quarta vero generatione ad libertatem reverti ex hac Ægyptia servitute ; nostra a peccato eruta libertas ostenditur, quæ tribus sæpe dictis expletis temporibus, [i] in quartam, quam regenerationem Dominus appellat (*Matth.* XIX, 28), declarata per resurrectionem veram, omnis nostra libertas exsurgat : impletis [j] peccatis Amorrhæorum, eorum scilicet qui non credunt Dei Evangelio. Quoniam *qui non credit*, ut Dominus dicit, *jam judicatus est* (*Joan.* III, 18).

## CAPUT XIII.

*In nominis perfectione, qua in fide, pater gentium est Abraham.*

Promissio figurata. In Genesi credita et visa.

20. Tertio oraculo promissio divina, etiam in ejus nomine firmatur. [k] Abram ante vocatus, Abraham eum creator Dominus nuncupat, cujus nominis proprietas designatur : *Patrem*, inquit, *multarum gentium posui te* (*Gen.* XVII, 5); ut hæc promissio, non ad solam progeniem carnis Abrahæ, ex qua populus Judaicus veniebat, crederetur pertinere. De qua gloriati in Evangelio [l] dixerunt : *Nos patrem habemus Abraham;* responsumque est ab eo qui et vocabulum tale dederat et fidem : *Nolite*, inquit, *in hoc gloriari; potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 9 ; *et Luc.* III, 8); ut esset Abraham in Christo pater multarum gentium per fidem (*Rom* IV, 8) : cum unius tantum gentis fuerit per generationem.

## CAPUT XIV.

*In Circumcisione, qua corde circumciditur Christianus.*

Prædictio figurata.

21. Huic Abrahæ jam vocato per fidem, pactum quoddam circumcisionis indicitur (*Gen.* XVII, 10 *et seq.*), in signo veteris testamenti quod ipse, suique posteri servare præcipiuntur : omnemque animam perituram de populo quæ circumcisionem minime

[a] Ms. Remig., *terram viventium, sempiternam potiemur hæreditatem.*

[b] Ms. Remig., *domus meæ.*

[c] Editi Lovan., Duac. et Colon., *affirmat.*

[d] Hæc addita ex ms. Remig., in quo omittitur prior titulus.

[e] In ms. Remig., *Tollensque.*

[f] Ms. Remig. addit, *in vobis.*

[g] Ms. Remig., *Sanctorum.*

[h] Ita ms.; editi vero, *ut vexati.*

[i] Ms. Remig., *in quarta.*

[j] Ms. Remig., *suppletis.*

[k] Ms. Remig., *Abram ante vocitatus Abraham, creator Dominus voluit nuncupari : cujus.*

[l] Ms. Remig., *dixerunt.*

Digitized by Google

celebrasset (*Ibid.*, 14). Quæritur fortasse cur [a] placuerit Deo circumcidi omne dumtaxat masculinum eorum qui se ad obediendum Deo voverant. Grandi autem sacramento res hæc acta est, quæ media et præterita tempora respiceret, ac futura. Nam primæ prævaricationis causa, [b] ea parte corporis serpentis veneno homo percussus, ardore libidinis æstuans puduit ex his quæ pudenda creata non erant; eaque [c] operienda verecundia statuit quæ fuerant inverecunde nudata. Idcirco creator et judex Deus, in ea parte corporis signum circumcisionis indixit, temperans morbum male conceptæ libidinis ex copula [d] debita: ut per continentiæ bonum atque integritatis decus id repararet quod fuerat vitiatum. Circumcisio quippe cordis, quæ in novo fulget Testamento, in illo signo figurata est: quia *sunt spadones, qui se ipsos castraverunt propter regnum Dei* (*Matth.* XIX, 14). Et filios Israel, incircumcisos corde, Deus increpat et objurgat (*Jer.* IX, 26).

## CAPUT XV.

*In Isaac nato, qui risus dicitur, quid ostendat in Christo.*

Promissio figurata. [e] In Genesi credita et visa.

22. Rursum eidem Abrahæ ad ilicem Mambræ in tribus viris divina majestas apparuit, proxime de filio suscipiendo ferens promissionem, ac supra dicta confirmans; a quo etiam Sara uxor ejus inquiritur (*Gen.* XVIII, 1 *et seq.*). Dixit enim Deus Abraham: *Ubi est Sara uxor tua? Qui dixit: In tabernaculo est. Dixitque illi Dominus: Revertar ad te hoc tempore opportune, et habebit Sara filium. Audiens vero hæc Sara, cum esset in ostio tabernaculi post eum, risit intra seipsam dicens: Nondum factum mihi est usque in hoc tempus, et dominus meus senior est. Ait Dominus ad Abraham: Quare risit Sara intra seipsam dicens: Ergo ego vere pariam quæ senui? numquid nihil potest verbum Dei? Rursumque confirmat: Revertar igitur ad te opportune, et habebit Sara filium* (*Ibid.*, 9 *et seq.*). Timendo negat Sara risisse, quod riserit convincitur veritate (*Ibid.*, 15). Quæ concipiens et pariens, appellatum est nomen ejus Isaac, quod interpretatur risus (*Gen.* XXI, 2). Ob quam rem et ipsa Sara, cum jam parvulum portaret in manibus: *Risum*, inquit, *mihi fecit* [f] *Deus. Omnis enim qui audierit* senem et sterilem peperisse, *congratulabitur mihi in risu* (*Ibid.*, 6). [g] Proles risus excipitur, [h] in qua benedictionem promissam omnium gentium suscepit Abraham. Gentes enim quæ Christo [i] per illum senem in carne venienti nunc credunt, [j] in risum a Judæis suum Salvatorem confitentur, eumque glorificantes, agnoscunt illius contumeliosam passionem suam esse veram libertatem.

## CAPUT XVI.

*In Sodoma et Gomorrha futuri judicii diem.*

Prædictio facta et figurata. In Genesi credita et visa.

23. Impiarum civitatum subversionem prædictam Sodomorum et Gomorrhæorum, eidem fideli famulo Abrahæ Dominus demonstravit dicens: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccata eorum valde* [k] *nimia. Descendens*, inquit, *videbo si clamorem, qui venit ad me,* [l] *consummaverint; sin autem, ut sciam* (*Gen.* XVIII, 20 *et seq.*). Descendit, ut hic dictum est, Deus: quia famulo gratissimo non celavit suum justum judicium, ac per quamdam pactionem, quam supplex humilisque intercessor acceperat, Deum cognoscens jure prædictas velle perdere civitates, ut irascentem mitigaret, hoc modo: *Ne perdas*, inquit, [m] *pariter justum cum impio. Et erit justus quomodo et injustus? Si fuerint quinquaginta justi in civitate, perdes illos? Non remittes* [n] *omnem locum causa illorum quinquaginta justorum* (*Ibid.*, 23 *et* 24)? [o] Cumque promisisset Deus non se perditurum, si quinquaginta justos in illis reperisset locis; ex eo loquendi sumpsit audaciam, pias precantis adhibens voces, limum pulveremque sese confitens, Dei sententiam, [p] a quinquaginta uno ad decem, mira serenitate suspendit (*Ibid.*, 26, 27 *et seq.*). Quorum exiguum numerum minime reperiisse dicitur. Eruensque Loth cum uxore et duabus filiabus ejus, de populis et civitatibus quas cœlesti igne consumpturus erat, eos quos liberavit admonuit non stare in tota regione illa, neve retro respicerent. Quæ uxor Loth præcepta contemnens retroque respiciens, statua salis effecta (*Gen.* XIX, 17 *et seq.*), suo exemplo fatuos condivit, in proposito sancto quo tendunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere (*Luc.* XVII, 32); nec posse evadere tales statuta supplicia, hæc femina demonstravit, quæ quod evaserat, perdidit. Tales Dominus in Evangelio increpat dicens: *Remissius erit terræ Sodomorum in die judicii, quam vobis* (*Matth.* X, 15; *et* XI, 24). Quos vero Christi gratia liberat, admonet per Apostolum: *Exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus* (II *Cor.* VI, 17). Item ipse: *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus* (*Philipp.* III, 13). *Nemo enim in retro attendens, et ponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). Cum Dominus diceret: *Mementote*, ait, *uxoris Loth* (*Luc.* XVII, 32). Securi igitur diem judicii exspectant, [q] quibus in cruce Domini gloriantibus, mundus eis crucifixus est, et ipsi mundo (*Gal.* VI, 14). Terruit enim Dominus corda fidelium, dicens: *Ut factum est in diebus Loth, ita futurum adventum Filii hominis* (*Luc.* XVII, 28); ne gravatos in crapulis et ebrietatibus eos subitaneus inveniat dies (*Luc.* XXI, 34). De quo dicit Apostolus: *Quia dies Domini,* [r] *sicut fur in nocte, ita veniet* (I *Thess.* V, 2).

## CAPUT XVII.

*In Isaac immolando, Christi passio.*

[s] Prædictio figurata. In Genesi credita et visa.

24. *Tentavit Deus Abraham dicens: Abraham, Abraham. Et dixit: Ecce ego. Et Dominus: Accipe filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram excelsam, et offer ibi eum holocaustum super unum montium, quem tibi dixero* (*Gen.* XXII, 1, 2). Eum sibi jubet offerri holocaustum in quo semen Abrahæ ut stellas cœli multiplicari, et in eo gentes benedici, tot jam oraculis [t] divinitus ipse promiserat. Non tamen cunctatur pater in filio implere quæ jussa sunt, sciens, ut Paulus dicit, *quod etiam ex mortuis posset eum*

[a] Ms. Remig., *placuerat.*

[b] Sic ms. Remig. Editi omnes, *a parte.*

[c] Locum emendamus ex ms. Remig. Alii s, *parere verecundiæ statuit.*

[d] Ita ms. Remig. Editi, *debitum.*

[e] Suppletur ex ms. Remig., qui priori titulo mutilus legitur.

[f] Ms. Remig., *Dominus.*

[g] Ms. Remig., *Prolis risus.*

[h] Editi, *in quo.*

[i] Ms. Remig., *per illam seriem in carne venientem.*

[j] Forte una voce, *inrisum*, pro *irrisum.*

[k] Sic ms. Remig. Editi, *invisa.*

[l] Ms. Remig., *consummabunt.*

[m] Ms. Remig. addit vocem *Domine.*

[n] Ms. Remig., *omni loco causam illorum.*

[o] Ms. Remig., *Cumque promittentis Dei sumpsisse audaciam, non se.*

[p] Ita omnino in ms. Remigiano. In editis vero, *pro quinquaginta justis, addens quadraginta quinque, mira celeritate suspendit.*

[q] Ms. Remig., *qui in cruce Domini gloriantes, mundus eis*, etc.

[r] Ms. Remig., *sicut fur, ita in nocte veniet.*

[s] Ms. Remig., *Promissio.* Idemque addit hæc: *In Genesi*, etc.

[t] Ms Remig., *divinitas ipsa.*



Digitized by Google

A *Dominus excitare* (*Heb.* xi, 19). [a] Sed ejus qui tentatur in filio, non tantum collatæ fidei virtus demonstratur, quantum etiam nobis imitanda proponitur : [b] et ut præcepti novi ex Evangelio maneret auctoritas : *Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus, aut qui amat filium aut filiam plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x, 37; *Luc.* xiv, 26). Nam cum eum necdum proli sciret idoneum, Deo tamen [c] jubenti ea intentione paruit Abraham, qua sciebat Deum nec immemorem promissionum suarum, et mysticum quoddam futuræ passionis Dominicæ geri sacramentum : illum scilicet respiciens diem nostræ redemptionis, de quo Dominus in Evangelio increpans Judæos dicit : *Abraham pater vester* [d] *concupivit videre diem meum; et vidit, et gavisus est* (*Joan.* viii, 56); diem scilicet passionis Filii Dei in suo filio figuratum vidit Abraham; quod unico filio non pepercit; quod velut ad aram crucis triduo cum insonti victima convolavit; quod patiens, ac sine voce, [e] similis agno coram tondente se, filius patri, ut percuteret, pia colla præbuit; B quod se ligno quod portaverat ipse, suspendi Isaac non reluctatus est; quod aries cornibus in vepre detentus, spinis coronatum Christum ostendens, pro Isaac immolandus apparuit; quod ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio Filio Dei servata est. Hæc omnia credens Abraham videre meruit per figuram quæ nos per gratiam impleta esse cognoscimus.

## CAPUT XVIII.

*In juratione Dei qua semen ejus in Christo supra numerum extenditur.*

Promissio figurata Abrahæ. [f] In Genesi credita et visa.

25. *Per* [g] *memetipsum juravi, dicit Dominus,* [h] *propter quod non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me; benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris. Et possidebit semen tuum civitates inimicorum suorum,* C *et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ* (*Gen.* xxii, 16 *seq.*). Multiplicatum quidem semen Abrahæ, atque ad grandem numerum pervenisse, liber Numerorum ostendit : non tamen scimus esse innumerum. Promissio vero Dei ut stellas cœli, et ut arenam maris, quæ numerari nequeunt, continet : quam in Christo per fidem gentium, quarum pater est Abraham, benedictionem esse suppletam, et ipse rerum ordo demonstrat; simul et oracula prophetarum, quæ filios Abrahæ, non tantum ex semine carnis, sed fide vocari ad infinitum numerum, per David, cæterosque testantur. *Benedicentur*, inquit, *in eo omnes tribus terræ. Omnes gentes beatum dicent eum* (*Ps.* lxxi, 17). Item : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi* (*Ibid.*, 11). Et Isaias : *Erit radix Jesse, et qui exsurget* [i] *regnare in gentibus, in eo gentes sperabunt* (*Isa.*, xi, 10; *Rom.* xv, 12). Apostolus quoque Paulus, fractos ramos, Judæos dicit per incredulitatem, atque [j] in fide radicis Abrahæ D gentes, ut oleastro, fuisse insertas (*Rom.* xi, 17, 19 *et* 20). Item ipse : *Gentes autem super misericordiam glorificare Deum* (*Rom.* xv, 9) : misericordia qua ablata, ut promisit, corde lapideo, daret eis cor carneum (*Ezech.* xi, 19; *et* xxxvi, 26). Lapides enim appellat, lapideos deos colentes, cum dicit : [k] *Dico vobis, si hi tacuerint, lapides clamabunt* (*Luc.* xix, 40). Mirum in modum qui erant lapides, per gratiam facti filii clamant : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* vi, 9) : et qui erant filii, effecti lapides, dicunt : *Fac nobis deos qui nos præcedant* (*Exod.* xxxii, 1); quia derelinquentes Deum vivum, servierunt Baal et idolis gentium. Gentes e contrario, spretis idolis, secutæ sunt Deum vivum. Quæ nos videmus impleri. [l] Illa scilicet [m] quæ promissa sunt in semine suo futuro per Christum, quæ et credidit Abraham.

## CAPUT XIX.

*Ex femore Abrahæ Christum hominem suscepturum.*

Prædictam carnem Christi ex femore Abrahæ venturam, sequens mystica actio ostendit. In Genesi credita et visa.

26. Vocat [n] Abraham præpositum domus suæ, et ait illi : *Pone manum tuam* [o] *sub femore meo et jura per Deum cœli, quia non accipies uxorem filio meo, ex filiabus terræ hujus, cum quibus ego habito; sed ex tribu mea accipies illi uxorem* (*Gen.* xxiv, 2, 3). In femore Abrahæ Deum cœli fuisse, hic ordo ostendit, quod Abraham genuit Isaac; Isaac Jacob; Jacob, duodecim patriarchas; in quibus Judas, ex cujus tribu David : de quo per seriem generationum, virgo Maria quæ peperit Christum, qui est Deus cœli, quia per ipsum facta sunt omnia (*Joan.* i, 3).

## CAPUT XX.

*In geminis Rebeccæ populos duos, Christianos et Judæos.*

Promissio facta et figurata. In Genesi credita et visa.

27. Cum [p] idem Isaac Rebeccam propinquam sibi accepisset uxorem, eam sentiens sterilem, pro gignenda prole, Deum, qui multiplicem promiserat, deprecatus est : statimque ut [q] poposcit, accepit. Cum autem concepisset Rebecca; gemini gestiebant in utero ejus (*Genes.* xxv, 21). At illa [r] ægre ferens : *Si sic mihi futurum erat*, ait, *ut quid mihi hoc* (*Ibid.*, 22)? Abiit autem Isaac cum ea interrogare Dominum, atque hujusmodi responsum accepit : *Duo*, inquit, *populi in utero tuo sunt, et duæ plebes de ventre tuo* [s] *prodibunt; et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Ibid.*, 23). Suscepit duos promissos filios Isaac, duosque populos fide tantum futuros agnoscens, quos illa mystica actio nobis revelatos exhibuit. Esau quippe, dum prior pilosus prodiret ex utero, minoris Jacob manus emissa post eum, plantam ejus apprehendit (*Ibid.*, 25) : quod factum mirum magnumque visum præbuit. Idem igitur Jacob [t] minor lenis, in ipsa jam pueritia per coctura rubram lenticulæ majorem fratrem supplantans, abstulit ejus primatus (*Ibid.*, 30 *et seq.*); nec vacuum esse potuit tanti mysterii sacramentum. Lenis ille minor Jacob, lenem mitemque [u] signabat populum Christianum, ea lenitate præditum, qua innocuum

[a] Ms. Remig., *sed ei qui tentatur in filio, non tanta collata fidei virtus.*

[b] Ms. Remig., *quibus præcepti novi ex Evangelio manaret auctoritas.*

[c] Ms. Remig., *jubente.*

[d] Ms. Remig., *cupivit.*

[e] Ms. Remig., *similis agni, tondenti se Filius Patri*, etc.

[f] Additio hæc habetur ex ms. Remig. in quo desideratur anterior titulus.

[g] Editi, *Per me juravi.*

[h] Editi, *propterea.*

[i] Ms. Remig., *regere..... in eum.*

[j] Ms. Remig., *in fidem radices.*

[k] Ms. Remig., *cum dicit Judæis : Si vos tacueritis, lapides clamabunt.*

[l] Hæc duo verba, *Illa scilicet*, absunt a ms. Remig.

[m] Ms. Remig., *quæ promissa in semine suo futura per Christum credidit Abraham.*

[n] Ms. Remig., *vocans.*

[o] Ms. Remig., *super.*

[p] Ms. Remig., *Et idem... eamque sentiens... Dominum, qui multiplicem*, etc.

[q] Ms. Remig., *poscit. Concipiens namque Rebecca.*

[r] Ita ms. Remig. Editi vero, *hæc referens.* Tum ms., *Si sic mihi incipiet fieri, ut quid.*

[s] Ms. Remig., *prodient.*

[t] Editi hic et infra, *junior*, ubi ms Remig. habet, *minor.*

[u] Ms. Remig., *designavit.*

Digitized by Google

gentilis furor crediderat [a] absumendum. Hic igitur lenis populus per cocturam [b] rubram, passionem scilicet Christi sanguine rubratam, edaci et sævienti Judaico populo, cujus figuram gestabat Esau, qui etiam Edom dictus est, petenti voluntarie obtulit; ac primatus quos habuit ille, vendidit, iste suscepit. Judæus quod nascendo habuit, per concupiscentiam perdidit; Christianus per gratiam, [c] quod in natura non habuit, acquisivit.

## CAPUT XXI.

*In eosdem, quæ gesserint per figuram.*

Promissio facta et figurata. In Genesi credita et visa.

28. Ea vero quæ in duobus istis geminis acta sunt, quam mira, quam grandia, quam juxta promissiones Dei [d] sacramentis omnia plena sint, breviter, ut justum fuerit, explicare contendam. Cæcatus Isaac pater eorum exterioribus oculis (*Gen.* XXVII, 1 *et seq.*), lumine vero interiore fulgente, promittit Esau primitivo filio benedictionem, si desideratas escas ex sua venatione filius præpararet patri. Pergit ille implere quæ jussa sunt (*Ibid.* 5 *et seq.*). Mater, quæ audierat benedictionem majori promissam, divinitus acta, ut minori Jacob proveniat, prophetica arte composita mysticam [e] artem parat. Vestem accepit primogeniti sui, quæ erat apud illam in domo; hac juniorem induit, ac super brachia ejus, et nudam cervicem pelles hædorum imposuit: [f] aptavitque eum qui erat, ut posset intueri quod non erat; tamquam jam nobis illum figuratum ostenderet Christum, qui accepit non carnem peccati, sed *similitudinem carnis peccati* (*Rom.* VIII, 3). Legem quoque veteris Testamenti, tamquam vestem primogeniti excipiens, non eam se solvere Dominus venisse dixerit, sed implere (*Matth.* V, 17). Sic compositus minor filius ille Jacob, qui fratri jam primatus abstulerat, usurpat insuper [g] et benedictionem, offerens patri paratas a matre escas, et dicit: *Pater. At ille*: *Quis es tu, fili? Ego sum*, inquit, *primogenitus tuus Esau. Feci sicut locutus es mihi* (*Genes.* XXVII, 18). Cumque pater vocem filii minoris agnosceret, palpandum æstimans, [h] habitu membra majoris invenit. Turbatusque in filiis, factus est, ut ait quidam (*Virgil.*), gratus error parentibus. [i] Acceptis igitur epulis quas paraverat mater, filius offerebat: pater quas libenter accepit, hujusmodi benedictionem minori filio dedit. *Ecce*, inquit, *odor filii mei, sicut odor agri pleni quem benedixit Dominus. Det tibi*, inquit, *Deus a rore cœli et a fertilitate terræ multitudinem frumenti, vini, et olei: et serviant tibi gentes, et adorabunt te principes, et eris dominus fratris tui*, [j] *et adorabunt te filii patris tui: et qui te benedixerit, erit benedictus; et qui te maledixerit, erit maledictus* (*Genes.* XXVII, 27 *seq.*). Hæc omnia Christo Domino conveniunt, post ejus odorem benedictæ concurrunt omnes gentes.

29. Venit, peractis illis, et filius primogenitus Esau ex minoris gratia jam reprobus. Offert et ipse escas patri, et dicit: *Exsurgat pater meus, et manducet de venatione filii sui, ut benedicat me anima tua.* Ad hæc pavefactus pater: *Et quis est*, inquit, *qui*

A *venatus est mihi, et intulit priusquam tu introires; et benedixi illum, et benedictus est* (*Ibid.* 31 *seqq.*)? Benedictus posterior populus Christianus, jam patri [k] dicit: *Dedisti lætitiam in corde meo:* [l] *a fructu frumenti vini et olei sui multiplicati sunt* (*Ps.* IV, 7 8). Majori autem populo Judæo pater dicit: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Sacrificium enim laudis glorificabit me* (*Ps.* XLIX, 9 *et* 23). *Venit enim frater tuus cum dolo, et accepit benedictionem tuam* (*Genes.* XXVII, 35). Quia igitur Jacob Deus dilexit, Esau autem odio habuit (*Malach.* I. 2; *Rom.* IX, 13), propterea suppleto tempore, sacrificiis Judæorum explosis, sacrificium mundum, ut prædictum est (*Malach.* I, 11), offerri nomini ejus omnis nunc populus Christianus agnoscit, qui per gratiam Judæo et primatum et benedictionem abstulit. [m] De isto enim dictum est: *Eris dominus fratris tui* (*Genes.* XXVII, 29). Cæterum [n] in illis geminis non provenit. Minor enim et munera majori obtulit,
B et famulum [o] se esse professus, eum humilis adoravit (*Genes.* XXXIII, 3); ut res quæ tunc signata est per litteram, nobis nunc [p] manifestaretur in gratia.

## CAPUT XXII.

*In Esau, ex cujus semine Job, et Christus in gentibus per fidem.*

Promissio in Genesi credita et visa. Promissa præmia virtuti et patientiæ.

30. Ex semine Esau Idumæa gens (*Genes.* XXXVI, 1), in qua inter cæteros duces, Job ille fortissimus athleta Dei enituit in exemplum omnis patientiæ productus, ut agonistico certamine principem totius militiæ diabolum superaret fultus auxilio Dei (*Job.* I, 12). Vir namque cum esset justus, ac sine querela Deo, eumque in confusione diaboli qualis esset, Deus ostendere dignaretur: *Animadvertisti*, inquit Deus diabolo, [q] *ad puerum meum Job? non enim est similis illi* [r] *quisquam in terris. Et diabolus: Numquid Job*,
C ait, *gratis colit Deum? Nonne tu benedixisti domum ejus, et pecora ejus multiplicasti? Sed mitte manum tuam, et tange* [s] *omnia quæ habet, et scies an in facie benedicat tibi. Ecce*, inquit Deus, [t] *omnia quæ habet in tuas manus do, sed ipsum cave ne tangas* (*Ibid.* 8, *et seq.*). Fit grande certamen. Perfidus apostaticusque angelus fidelem Dei famulum insectatur, atque, ut illi est plena a seipso procreata malitia, vastat, fugat, disperditque omnia innocentis [u] bona, et cum omni hæreditate, omnem simul [v] consumpsit hæredem. Tot tamen jaculis emissis, illæsus manet Job; cujus, ut militis Dei, uno ictu percutitur diabolus. *Nudus exii*, inquit (*Ibid.* 21), *de utero matris meæ, nudus revertar in terram. Dominus dedit, et Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Hoc superatus certamine, aliud majus inimicus indicit. *Mitte*, inquit Deo, *manum tuam, et tange carnes illius, et ossa, et scies an* [x] *in facie benedicat tibi* (*Job* II, 5). Mitte manum tuam, nihil est aliud quam, Da potestatem. Hanc
D enim nec in porcis habuit diabolus (*Matth.* VIII, 32), nisi ille dedisset, qui sub hac auctoritate et Job ei tradidit, ut præcepti non excederet modum. *Ecce*,

[a] Editi, *ab Esau*, nullo recto sensu, ut videtur; at ms. Remig., *ad sumendum*, forte pro *absumendum*, ut notat vox, *furor*, prævia.
[b] Vox *rubrum* est ex ms. Remigiano.
[c] Ms. Remig., *quam*.
[d] Ms. Remig. addit *Dei;* deest in editis.
[e] Ms. Remig., *fraudem*.
[f] Ms. Remig., *aptabatque eum... ut posset invenire*, forte pro *inveniri*.
[g] Editi carent hic particula *et*.
[h] Ms. Remig., *habitum majoris invenit*.
[i] Ms. Remig., *Satiatus igitur epulis quas paraverat mater, filius offerens* (forte *offerebat*), *pater libenter accepit, hujusmodi benedictionem*.
[j] Ms. Remig., *servient tibi*.
[k] Ms. Remig., *dixit*.
[l] Ms. Remig., *A tempore*.
[m] Ms. Remig., *Ad istum*.
[n] Ms. Remig., *illis*, sine *in*.
[o] Ms. Remig., *sese professus*.
[p] Ms. Remig., *manifestetur gratia*.
[q] Ms. Remig., *in puero meo*.
[r] Ms. Remig. non habet *quisquam*.
[s] Ms. Remig., *cuncta quæ habet*.
[t] Ms. Remig., *omnia quæcumque*.
[u] In edit. antiquis deest hæc vox *bona*.
[v] Ms. Remig., *conclusit*.
[x] Ms. Remig., *in faciem*.

Digitized by Google

inquit Deus, *trado tibi illum; tantum animam illius custodi* (*Job* II, 6). Quem percussum gravi vulnere, putrefacta totius corporis compagine, omnibus artubus solutis, sanie profluente, ebullientibus vermibus, dum in corrupto corpore integer animus consisteret, sentiretque diabolus intrinsecus fortem, quem forinsecus debilem æstimabat, mulierem viro suo, illo articulo quam sibi necessariam dimiserat, armat, atque per uxorem fortissimum virum suo pulsat ex latere.

31. Cum et mulier venenata jacula, quæ ab inimico sumpserat, infunderet, ait inter cætera: *Dic aliquod verbum* [a] *in Dominum, et morere* (*Ibid.* 9). Statimque ille ruinam primi hominis recordatus, Evam novam, atque in illa illum inimicum qui præliabatur expugnans, ait: *Tamquam una ex insipientibus mulieribus locuta es. Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non toleramus* (*Ibid.* 10)? His divinis jaculis [b] prostratus inimicus, superatusque per gratiam, pio homini perversus angelus cessit, et humilis patientiæ pietas omnem molestiam superbiæ debellavit. Jam enim [c] per justum virum potentem transitura Christi vestigia in gentes signabantur, de quibus David ex persona ejus dicit: *In Idumæam extendam calceamentum meum* (*Ps.* CVII, 10). Jacobus quoque apostolus ad exemplum patientiæ credentium corda confirmans, ait: *Patientiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quia misericors Dominus et miserator est* (*Jacob.* V, 11). Dupla enim præmia Job victor accepit. Pugnantibus vero suis, et sua gratia juvante vincentibus, [d] centupla hic se daturum Dominus pollicetur, et vitam æternam in futuro sæculo largiturum (*Matth.* XIX, 29; *Marc.* X, 30). Quod in [e] Valentiano Valentis fratre videmus impletum: qui dum pro Christo militiam tribunatus sprevit, hujus mundi regnum adeptus est, et verus Christi confessor vitam acquisivit æternam.

## CAPUT XXIII.

*In Jacob, cui per visum Christus lapis angularis ostensus est.*

Promissio figurata. In Genesi credita et visa.

32. Jacob quoque filius Isaac, nepos Abrahæ, per quasdam res secum mirabiliter gestas accepit promissionem (*Genes.* XXVIII, 10 *seqq.*). Fugiens enim fratris insidias, locum ei mansionis præbuit solis vergentis excursus. [f] Illic lapidem capiti suppositum, talia sibi revelata in somnio narrat. Scalam miræ granditatis, cujus caput cœlum hactenus occuparet, ostensam; per quam angeli Dei ascendentes et descendentes erant, Dominum quoque incumbere in ipsam, sibique dixisse: *Terram in qua dormis, tibi dabo eam, et semini tuo post te* (*Ibid.* 13). Qui evigilans, in sacramento lapidem quem ad caput habuit, eminus erigens, eumque liniens oleo, Christum nobis lapidem angularem consecravit: de quo propheta dicit: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Ps.* CXVII, 22). Et Isaias, *Ecce*, inquit, *pono in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum; et qui crediderit in illum, non confundetur* (*Isa.* XXVIII, 16). Hic lapis angularis Christus Nathanaeli venienti ad se, somnium quod Jacob viderat,

A exposuit: *Videbitis*, inquit, *cœlos apertos, et angelos Dei ascendentes et descendentes ad filium hominis* (*Joan.* I, 51). *Qui enim descendit*, Christus *ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (*Ephes.* IV, 10). Scalam vero angustam viam ponens, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14).

## CAPUT XXIV.

*In ipsius Jacob claudicatione, non credituros omnes Judæos.*

Promissio facta et figurata. In Genesi credita et visa.

33. Ipsi quoque Jacob revertenti de Mesopotamia cum uxoribus, filiis, famulisque suis, angelus in via occurrit; qui cum eo sacratam luctam gerens, [g] et angelus ab homine superari se passus est, victorque a victo exegit benedictionem. *Non te*, inquit, *dimittam nisi benedixeris me. Dixitque ei angelus: Quod tibi nomen est? At ille ait, Jacob. Jam*, [h] inquit, *non vocaberis Jacob, sed erit Israel nomen tuum, quia prævaluisti cum Deo, et cum hominibus potens eris. Tetigitque angelus latitudinem femoris ejus, claudusque effectus est Jacob per omnes dies* (*Genes.* XXXII, 26 *seqq.*). B Claudicatio ista, quæ ex femore ejus facta est, populum ipsum [i] Hebræum significat claudicantem: quibus [j] ait Elias propheta: *Quid claudicatis ambobus inguinibus? Si Deus est, ite post illum* (III *Reg.* XVIII, 21). Et David dicit: *Filii alieni inveteraverunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Ps.* XVII, 46): [k] quod recto itinere ex illo populo, viam Christum sequi non voluit, claudicans per errores variis semitis oberravit; quem videns Deum (quod Israel appellatur) per gratiam Christianus populus apprehendit (*Gen.* XXXII, 28).

## CAPUT XXV.

*In filiis Jacob, et in Joseph, qui gessit figuram Christi.*

Promissio facta et figurata. In Genesi credita et visa.

34. Duodecim filios, quos duodecim patriarchas Scriptura testatur (*Gen.* XXXV), ex suis feminis suscepit Jacob. C Non quod [l] liberet sanctos viros plurimas habere mulieres, concupiscentiæ scilicet causa, sed quod gratia multiplicandæ prolis daret Deus licentiam, [m] qui et unam permisit, et postea aliquando prohibuit. Nam cum in lege dixerit: *Maledictus homo qui non suscitaverit semen in Israel* (*Deuter.* XXV, 9), per Salomonem autem prophetam huic licentiæ terminum dedit. *Tempus*, ait, *mittendi lapides, et tempus colligendi lapides. Tempus amplectendi, et tempus continendi ab amplexu* (*Eccle.* III, 5). [n] In his igitur duodecim patriarchis Judas dictus est, ex quo Judæi, Joseph et Benjamin germani, ex patre Jacob et ex matre Rachel; quorum actio [o] omnis Christum sonat, et Ecclesiam. Dictum est enim: *Jacob diligebat Joseph* (*Gen.* XXXVII, 3). Dicit et Deus de Filio: *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui* (*Matth.* III, 17). *Fecit*, inquit, *Jacob Joseph tunicam variam* (*Gen.* XXXVII, 3). [p] Dicitur et huic nostro Joseph Christo: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate* (*Ps.* XLIV, 10). D Somniavit Joseph somnium, narravitque fratribus suis. *Putabam nos*, ait, *ligare gremia in campo. Surrexit gremium meum et erectum est. Conversa autem gremia vestra adoraverunt gremium meum* (*Gen.* XXXVII, 7).

[a] Editiones veteres, *in Domino*.

[b] Sic ms. Remig. At Editi: *Prostratus est inimicus, superatusque per gratiam, per hominem, perversus angelus et humilis*, etc.

[c] Editio Lugd. et ms. Remig., *per istum*.

[d] Ms. Remig., *centuplicia*.

[e] Forte *Valentiniano;* mox ms. Remig., *vidimus impletum*.

[f] Ms. Remig., *suo illic... appositum*.

[g] Ms. Remig. non habet particulam *et*,

[h] Ms. Remig. addit hic *ultra quidem*.

[i] Ms. Remig., *Hebræorum*.

[j] Ms. Remig. non habet vocem *ait*.

[k] Sic ms. Remig. Editi., *quod*. Tum ms., *noluit*. Editi, *non voluit*.

[l] Ms. Remig., *non quod liber et sanctus vir;* forte, *liberet sanctos viros plurimas habere*, etc., *sed quod multiplicandæ proli daret Deus licentiam*.

[m] Ms. Remig., *qui et tunc permisit, et postea prohibuit*.

[n] Ms. Remig., *His igitur inter duodecim patriarchas*.

[o] Ms. Remig., *omnem Christi sonat Ecclesiam*.

[p] Ms. Remig., *Dicetur*.

Digitized by Google

35. Hoc in Christo futurum, idem [a] Jacob ostendit in benedictione quam a patre acceperat Judas, dicente : *Adorabunt te filii patris tui* (*Gen.* XLIX, 8). Hi enim dicunt : *Venite, adoremus et prosternamur ei* (*Ps.* XCIV, 6), qui jam dicunt : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Et ipse in Evangelio : *Cum exaltatus fuero a terra, traham omnia*, ait, *ad meipsum* (*Joann.* XII, 32). Rursum alia sacramenta videt in somnio, et hæc suis fratribus indicavit. *Quasi sol*, inquit, *et luna et undecim stellæ adorabant me* (*Gen.* XXXVII, 9). Dicitur et de nostro Joseph Christo Domino per prophetam : *Laudate eum, sol et luna, laudate eum omnes stellæ et lumen* (*Ps.* CXLVIII, 3); et, *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Ps.* XVIII, 1); et Habacuc : *Elevatus est*, inquit, *sol, et luna stetit in ordine suo* (*Habacuc.* III, 11, *sec. LXX*). Luna ex decedentibus ac succedentibus mortalibus constans Ecclesia, posteaquam sol Christus exaltatus est, resurgens ordine integro; hæc stetit in fide, fulgentibus stellis ei qui numerat eas. Discipulis enim suis, quorum [b] certus est numerus, ait : *Luceant opera vestra* (*Matth.* V, 16), *sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II, 15).

## CAPUT XXVI.

*In eodem, qui ut Christus Dominus missus est ad visitandas oves.*

[c] Præfigurata promissio. In Genesi credita et visa.

36. Mittitur Joseph a patre ad visitandos fratres suos et oves (*Genes.* XXXVII, 13). Dicit et noster Joseph Christus Dominus, *Non sum missus nisi ad oves quæ periere domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Dictum est : *Oderunt Joseph fratres ejus, propter somnia ejus* (*Gen.* XXXVII, 11). Clamat et hic noster Joseph Christus de Judæis fratribus : *Quoniam odio habuerunt me gratis* (*Ps.* XXIV, 19; *Joan.* XV, 25). [d] Viso Joseph, fratres ejus dixere : *Ecce somniator ille venit : venite, occidamus illum, et videamus quæ erunt somnia ipsius* (*Gen.* XXXVII, 19). Et apud Salomonem de nostro Joseph impios dixisse refertur : *Venite, occidamus justum, quoniam insuavis est nobis* (*Sap.* II, 12). Et sequitur : *Promittit scientiam Dei se habere, et filium Dei se nominat. Videamus si sermones illius veri sunt, et tentemus* [e] *an succedant quæ ventura sunt illi* (*Ibid.* 13 *et seq.*). Hæc quoque in Evangelio ipse confirmat de filio qui ad cultores vineæ missus est, quomodo dixerint : *Hic est hæres : venite occidamus illum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI, 38). Accipientes Joseph fratres ejus, exspoliaverunt [f] illum tunicam illam variam, et misere illum in lacum (*Gen.* XXXVII, 23, 24). Hoc et noster Joseph de sua passione per prophetam dicit : [g] *Projecere me*, inquit, *in lacum exteriorem, in tenebris et in umbra mortis* (*Ps.* LXXXVII, 7).

37. Tunicam vero [h] exspoliatam desuper contextam Evangelica auctoritas narrat (*Matth.* XXVII, 35) : quam etiam milites dividere noluerunt (*Joan.* XIX, 24), unitatem Ecclesiæ firmantes, a cujus sorte excluduntur hæretici : quoniam sorte provenit ut eam unus, id est, unitas possideret. *Accipientes*, inquit, *hædum de capris fratres Joseph, inquinaverunt tunicam ejus sanguine* (*Gen.* XXXVII, 31), quam patri sub falsa testatione [i] proferunt, quod bestia nequam comedisset illum. Tria illa genera sacrificiorum, quæ Abraham obtulit mutato ordine, omne suum tempus observat. Pro Isaac, aries; pro Joseph, hædus ex capris : pro filio perdito redeunte ad patrem (*Luc.* XV, 23), [j] ex juvenco vitulus saginatus occiditur. *Venite*, inquit unus ex fratribus, *venumdemus Joseph, et non occidamus illum.* Hoc et Judæi de Christo, quem venditum tradiderunt Pilato ad necem, dixerunt : *Nobis non licet interficere quemquam* (*Joan.* XVIII, 31). Et vendiderunt Joseph fratres ejus Ismaelitis negotiatoribus euntibus in Ægyptum [k] viginti aureis (*Gen.* XXXVII, 28). Venditum autem nostrum Joseph Christum, Zacharias et Jeremias prophetæ testantur. *Dederunt*, inquit, *pretium* [l] *appretiati triginta aureos* (*Zach.* XI, 12). Quod etiam Judam a Judæis accepisse Evangelia narrant (*Matth.* XXVII, 9; XXVI, 15; *Marc.* XIV, 11; *Luc.* XXII, 5) : ea ratione, qua distractus Christus a Judæis transiret ad gentes. Judas enim simul cum pretio et vitam perdidit : Judæi et pretium et Christum quem [m] comparaverant, amiserunt : gentes vero lucrum gratiæ possidendo possessæ sunt.

## CAPUT XXVII.

*In eodem quo castitas patiendo muneratur.*

Promissio facta et figurata, qua afflictus non deseritur [n] Joseph. In Genesi credita et visa.

38. Ismaelitæ vendiderunt Joseph in Ægypto cuidam præposito [o] cocorum Pharaonis (*Gen.* XXXVII, 36). Nec hoc quidem vacat, quod dictum est, præposito cocorum. [p] Coco enim illa rubra vestis passionis Christi signatur, qua posterior populus Christianus, ut sæpe dictum est, primatum auferat populo qui semper vendere, nec novit Christum gratia comparare. Fuit dictum : *Dominus est cum Joseph* (*Gen.* XXXIX, 2); et noster dicit : *Non sum solus, quia me cum est qui misit me Pater* (*Joan.* VIII, 16). *Immisit uxor domini ejus oculos in Joseph; et ait illi : Dormi mecum* (*Gen.* XXXIX, 7). Cumque ille resisteret, gratiam quam apud suum dominum invenerat narrans, [q] et sancto timore Dei, quo plenus erat, metuens offendere, aliud opportunum tempus mulier auscultans, attraxit illum a vestimentis, dicens : *Veni, dormi mecum* (*Ibid.* 12). At ille relinquens vestimenta sua in manibus ejus, fugit et exiit foras. Cumque ejus dominus, suus maritus, advenisset ( [r] notum quid furens femina possit), mentita est iniquitas sibi, falsa pro veris affirmat, violentiam se dicit perpessam fuisse quam fecerat. O impudica mulier! Ardet amans,

[a] Ms. Remig., *idem Jacob in benedictione acceperat, dicente : Adorabunt.*

[b] Ms. Remig., *certus est numerus.* Editi, *nullus est.* Et infra, *in mundum.*

[c] Primus titulus non legitur in ms. Remig. Secundus autem sic habet : *Per figuratam promissionem mittitur Joseph a patre ad visitandos fratres et oves : In Genesi credita et visa.* Tum vero caput 26 incipit ab his verbis : *Dicit*, etc.

[d] Ms. Remig., *Videntes fratres ejus, de Joseph dixerunt : Ecce.*

[e] Hæ duæ voces, *an succedant*, non leguntur in ms. Remigiano.

[f] Vox *illum* habetur ex edit. Lugd. Ms. Remig., *exspoliaverunt eum tunica illa varia, et miserunt illum.*

[g] Ms. Remig., *projecerunt.*

[h] Ms. Remig., *exspoliatam desuper textam.*

[i] Ms. Remig., *proferrent.*

[j] Verba hæc, *ex juvenco*, absunt a ms. Remig.

[k] Ms. Remig., *triginta aureis.*

[l] Ms. Remig., *appretiatum triginta argenteos.*

[m] Ms. Remig., *comparaverunt.*

[n] Ms. Remig., *justus.*

[o] Ms. Remig. et Lugd., hic et paulo post, *coquorum.* Qui edit. Lovan., Duac. et posteriores curarunt, hic notant in margine quod in hoc opere Prosper (quem illi hujus libri auctorem crediderunt) lectione LXX interpretum utatur. Quod observandum non solum de hocce loco, sed etiam de pluribus aliis, in quibus auctor Scripturas aliter citat quam in Vulgata nostra legi consueverit.

[p] Edit. Lovan., Duac. et Colon., *Cocco enim.* Lugd., *Coco enim.* Ms. Remig., *Coctura illa rubra, et hic Passionis Christi signatur.*

[q] Ms. Remig., *et spiritum timoris Dei.*

[r] Alludere videtur auctor ad hunc versum initio libri quinti Æneidos Virgilianæ :

Notumque furens quid femina possit.

Digitized by Google

Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni;
amat, et persequitur; concupiscit, et sævit. Et quia ei ad stuprum non consentit, trucidandum eum statuit, quæritque perire quem [b] diligit. Hanc impudicam mulierem Ægyptiam impiæ idololatriæ merito comparaverim. Immisit enim et hæc oculos in Josephum nostrum; vidit speciosum forma præ filiis hominum(*Ps.* XLIV, 3), eumque ad illicitum consensum a vestimentis suis attraxit.

39. Quæ sunt vestimenta nostri Joseph Christi, nisi sancti martyres? de quibus per Isaiam prophetam suo corpori Ecclesiæ dicit: *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus illis vestieris* (*Isai.* XLIX, 18); et in Canticis canticorum: *Quam rubicunda sunt tibi vestimenta* (*Cant.* V, 10)? Et Jacob benedictione prophetica: *Lavabit*, inquit, *in vino stolam suam, et vestem suam in sanguine uvæ* (*Gen.* XLIX, 11). Cum igitur attrahuntur Christiani, ut sacrificantes idolis in anima fornicentur, quid aliud quam in suis vestimentis Christus attrahitur? Teneantur Christiani, dicit impia, impudicaque doctrina; aut consentiant, aut eis carceres, exsilia, gladii, ignes, bestiæ cæteraque supplicia præparentur. In his noster Joseph Christus a vestimentis attrahitur. Cum vero suis dicit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* X, 28); eique respondent, *Propter te morte afficimur tota die* (*Ps.* XLIII, 22; *Rom.* VIII, 36), reliquit vestimenta sua in manibus ejus. Quod vero dictum est, *Fugit et exiit foras, relinquens vestimenta sua* (*Gen.* XXXIX, 12), animam liberatam ostendit, quæ clamat per David: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* (*Ps.* CXXIII, 7).

## CAPUT XXVIII.

*In eodem Joseph, [c] qua Christi passio figuratur.*

Promissio in Genesi credita et visa. Promissa Christi Passio per figuras.

40. Traditur Joseph in carcerem (*Gen.* XXXIX, 20). Noster Joseph Christus, ut Isaias dicit, *inter iniquos deputatus est* (*Isa.* LIII, 12). Inter sontes insontem Dei sapientia dum gubernat, quæ *descendit cum illo*, ut scriptum est, *in foveam, in vinculis non dereliquit illum* (*Sap.* X, 13). Exclamat hic noster Joseph Christus: *Factus sum sicut sine adjutorio, inter mortuos liber* (*Ps.* LXXXVII, 5). Quod vero sequitur, gratiam, qua plenus erat, invenisse apud præpositum carceris, universasque claves, totamque custodiam traditam fuisse manibus Joseph (*Gen.* XXXIX, 21), illud [d] intelligendum fuit, ut cui cœlum in sole, stellis, ac luna, et in manipulis terra, inferna quoque carceris subderentur: ut nostro Joseph Christo *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Phil.* II, 10). Neque illud a sacramento Dominicæ Passionis esse æstimo alienum, quod duo Pharaonis spadones, cum eo in illa passione detrusi sunt (*Gen.* XL, 3): ut trium crucifixorum quodam modo numerus suppleretur (*Ibid.*, 21, 22). E quibus noster Joseph Christus revelando mysteria, unum puniret per debitum supplicium, alterum per indebitam gratiam liberaret. Hæ sacratæ actiones tunc in rebus actæ sunt figuratis, ut nobis revelanda omnia servarentur.

## CAPUT XXIX.

*In eodem Joseph Christi resurrectio est figurata.*

Promissio in Genesi credita et visa. [e] Promissa resurrectio figurata.

41. Post duos annos dierum, tertio incipiente, de carcere educitur Joseph (*Gen.* XLI, 1). Et noster Jo- A seph Christus Dominus die tertio a mortuis resurrexit. Præsentatur Pharaoni: mundo resurrectio declaratur. Exponit Joseph Pharaoni somnia, ac futuræ famis arcendæ gratia, ex abundantia annorum septem, per sapientem virum condi debere frumenta, et impleri horrea salubri consilio instruit. Et noster Joseph Christus Dominus mundo per septenarium numerum currenti in finem tale consilium dedit. *Nisi* enim, ait, *granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit,* [f] *multum fructum affert* (*Joan.* XII, 24). *Quia qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Ps.* CXXV, 5). Data est Joseph a Pharaone [g] in tota Ægypto potestas. Et noster Joseph Christus Dominus post resurrectionem dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Misit Joseph suos per totam Ægyptum, et collegit frumentum multum quasi arenam maris (*Gen.* XLI, 47, 48, 49). Et noster Joseph Christus Dominus misit suos per mundum, dicens: B *Ite, baptizate gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Et collectus est credentium numerus sine numero, quasi arena maris. Constituit Joseph horrea per universam Ægyptum; et per totum mundum Christus Dominus consecravit ecclesias, de quo Joannes dicit: *Frumenta recondit in horreo* (*Luc.* III, 17). Aperuit Joseph horrea tempore famis, et ministrabat populis (*Gen.* XLI, 56). Hoc et de nostro dictum est: *Oculi Domini super justos.* Et sequitur: *Ut eruat a morte animas eorum, et pascat eos in fame* (*Ps.* XXXIII, 16). Famem vero animæ Amos propheta ostendit: *Dabo eis, ait Dominus, famem, non panis et aquæ, sed famem audiendi verbum Dei* (*Amos* VIII, 11). Et in Evangelio ipse Dominus: *Quia abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). In hac fame positis, noster Joseph Christus Dominus ex horreis suis nobis divinam sui corporis [h] annonam administrat, quam gustantes videmus quam suavis est Dominus (*Ps.* XXXIII, 9). Dictum est quod acquisierit Joseph Pharaoni to- C tam Ægyptum (*Gen.* XLVII, 20). Et de nostro dicitur: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19).

## CAPUT XXX.

*In eodem, qui, ut Christus Dominus, suos dilexit inimicos.*

Promissio in Genesi credita et visa. Promissa [i] sublimitas eis qui benefecerunt inimicis.

42. Venerunt in Ægyptum fame compulsi fratres Joseph, ab eo quem vendiderant, sub pretio comparare frumenta (*Gen.* XLII, 3). Venerunt ad nostrum Joseph Christum Dominum, qui eum crucifixerunt, ut ejus refecti cibario, famem qua eorum animæ vexabantur auferrent. Adorant illi; adorant isti. Videns Joseph fratres suos, agnovit eos, ipsi vero non cognoverunt illum (*Ibid.*, 8). Hoc et in nostro impletum est, quod sui fratres non cognoverunt illum: *Si enim* [j] *eum cognovissent, numquam* D *Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Alienatus est Joseph a fratribus suis, eisque per interpretem dixit: *Exploratores estis, considerare* [k] *vestigia hujus terræ venistis* (*Gen.* XLII, 2). Hoc et noster Joseph Christus Dominus per interpretem Petrum ait persecutoribus: *Vos sanctum et justum negastis, et principem vitæ æternæ interemistis* (*Act.* III, 14 *et* 15). Pœnitent fratres Joseph ex his quæ gesserunt. Dicitur his: *Pœnitemini* (*Ibid.*, 19). Dicunt illi: *In peccato sumus de fratre nostro* (*Gen.* XLII, 21); et Ruben illis:

[a] Hic quoque versus integer inseritur ex primis libri quarti ejusdem Æneidos.
[b] Ms. Remig., *dilexit.*
[c] In ms., Remig., *Promissa Christo passio, præfigurata, in Genesi credita et visa.*
[d] Ms. Remig., *supplendum.*
[e] Ms. Remig., *Promissio resurrectionis figurata. In Genesi*, etc.
[f] Ms. Remig., *multum fructum.*
[g] Ms. Remig., *In tota terra Ægypti.*
[h] Ms. Remig., *præbet annonam.*
[i] Ms. Remig., *sublimitatis eis qui benefaciunt. In Genesi*, etc.
[j] In ms. Remig. deest *eum.*
[k] Hæc lectio est LXX interpretum.

Digitized by Google

*Numquid non dixi vobis, nolite vexare puerum? et non me audistis. Ecce sanguis ejus exquiritur* (*Ibid.*, 22). Et Judæi qui Pilato dixerant, *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25); dicunt apostolis : *Quid faciemus, viri fratres, monstrate nobis* (*Act.* II, 37). Ut exploratores non esse crederentur fratres Joseph, duodecim [a] se filios unius patris esse testantur, unum non esse, cum ipse esset cui ista narrabant, alium minorem apud patrem esse confirmant. Audiens Joseph germani sui factam mentionem, ejus desiderio inardescens : *In hoc*, inquit, *probabo exploratores vos non esse, si frater vester junior venerit vobiscum.* Accipiensque Simeonem ab eis, vinxit coram ipsis, tradiditque in custodiam (*Gen.* XLII, 15 *seqq.*). Si nostrum Benjamin juniorem fratrem, quem requirit Joseph noster Christus, advertas, ipse est ille Paulus ex Saulo, ex tribu, ut ipse dicit, Benjamin (*Philipp.* III, 5; *Act.* XXIII, 6), qui se asserit minimum apostolorum (I *Cor.* XV, 9). Simeonem ligatum, tribus vinculis negationis quem timor ligavit, et amor solvit, possemus accipere Petrum. Sed melius per ipsum ligari et solvi peccata cognoscimus, cui dictum est : *Quæcumque ligaveris super terram, ligata erunt et in cœlo; et quæ solveris super terram, soluta erunt et in cœlo* (*Matth.* XVI, 19).

## CAPUT XXXI.

*In eodem Joseph figuratæ gratiæ.*

[b] Promissio facta et figurata. In Genesi credita et visa.

13. Jussit Joseph fratrum suorum saccos impleri frumento, et reddi unicuique pretium quod attulerant (*Gen.* XLII, 25), ut gratia [c] nostri Christi non esset ex operibus; alioqui gratia jam non esset gratia (*Rom.* XI, 6). Secundo fratres Joseph cum Benjamin veniunt, ut promiserant (*Gen.* XLIII, 2); secundo ex Judæis [d] tria millia veniunt ad Christum (*Act.* II, 41), subsequente minimo apostolorum Paulo (I *Cor.* XV, 9). Vidit Joseph Benjamin fratrem suum ex una matre, et lacrymatus est (*Gen.* XLIII, 29, 30) : vidit [e] Jesus Paulum sævientem in Ecclesiam matrem, et miseratus est. Idem enim Paulus tamquam abortivo sibi dicit apparuisse Jesum (I *Cor.* XV, 8). Benjamin autem [f] eo exitio natus est, ut matrem præcipitaret in mortem : unde *filius doloris* dictus est (*Gen.* XXXV, 18). Dicit et Benjamin Paulus noster : *Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (I *Cor.* XV, 9). Dixit Joseph [g] præposito domus suæ de fratribus suis (*Gen.* XLIII, 16) : *Introduc istos in domum, mecum enim manducabunt panem;* dicit et noster per prophetam fratribus suis: *Venite, edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov.* IX, 5). Munera dedit Joseph fratribus suis : et noster Joseph Christus dedit dona hominibus (*Ps.* LXVII, 19), cum Sanctum spiritum dedit [h] discipulis suis. Benjamin autem minori fratri ampliora Joseph dedit, quam fratribus munera (*Gen.* XLV, 22). Hoc prædicat et Benjamin Paulus noster; *Plus*, inquit, *omnibus* [i] *illis laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10). Rursum jubet Joseph saccos fratrum suorum impleri frumentis (*Gen.* XLIV, 1), et reddi pretia. Hoc et fratres nostri Joseph clamant acce- A pisse [j] se *gratiam pro gratia* (*Joan.* I, 16). Poculum suum Joseph in sacco Benjamin clam jussit immitti; quod requisitum, cum fratres perturbaret suos, inventum est poculum in sacco Benjamin (*Gen.* XLIV, 12). Calix passionis Christi datus occulte per gratiam in corpore Pauli cognoscitur, quem prædicans, cum omnem synagogam perturbaret in dictis, inventum etiam in suo sacco ipse fatetur, cum dicit : *Ego enim stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto* (*Gal.* VI, 17). Cum autem jam vellet cognosci Joseph a fratribus suis, emisit vocem, dicens : *Ego sum Joseph frater vester. Adhuc pater meus vivit* (*Gen.* XLV, 3)? Et noster Joseph Christus, ut se ostenderet fratribus suis, dixit in Psalmis : *Annuntiabo nomen tuum fratribus meis* (*Ps.* XXI, 23); quos docuit dicere : *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Dixit Joseph fratribus suis : *Nolite* [k] *metuere, non vos huc me misistis, sed Deus* (*Gen.* XLV, 5). Dicit [l] et de nostro Joannes apostolus : *Ad hoc enim misit Deus Fi-* B *lium suum in mundum, ut vivamus per eum* (I *Joan.* IV, 9). Et ipse in Evangelio : *Sic scriptum est*, ait, *et sic oportebat pati Christum, et introire in gloriam suam* (*Luc.* XXIV, 26).

## CAPUT XXXII.

*Descensionis Jacob in Ægyptum, et Christi Domini in mundum.*

Promissio facta et figurata. In Genesi credita et visa.

14. Jubetur Jacob visitatus in Luza descendere in Ægyptum; apparuit [m] enim illi Deus, dicens : *Ne timeas descendere in Ægyptum; in gentem enim magnam constituam te illic, et filius tuus Joseph ponet digitos suos super oculos tuos. Descendit autem Jacob in Ægyptum cum animabus* [n] *septuaginta quinque, occurritque illi Joseph filius suus, quem cum vidisset : Video te, fili, amodo libenter moriar* (*Gen.* XLVI, 3 *et seq.*). Quiddam subsimile in nostro Joseph reperitur. C Cum enim venerabilis ille senex Simeon, pater ætate, non generatione, vidisset Christum, cujus ex causa in hac luce, velut in Ægypto, decrepitus tenebatur : *Nunc*, inquit, [o] *dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29). In animarum numero septuaginta quinque descendit. Davidicus etiam psalmus exclamat : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV, 2). Quia igitur Israel. Videns Deum interpretatur, [p] omnis illuminatus gratia, Judæus et Græcus, necesse est ut ex hac Ægyptia servitute liberetur, tametsi duro jugo diaboli deprimitur Pharaonis. Crevit, dicit liber Exodi, plebs, et multiplicata est in Ægypto (*Exod.* I, 7). Hoc fit per fidem seminis Abrahæ, ut in Christo multiplicetur, sicut promissum est, tamquam arena maris (*Gen.* XXII, 17) : licet Pharao diabolus sæviens pœnas exquirat, quibus interficiat innocentes, necandos in fluvio, [q] quod multiplicari videt, minuendos arbitrans, ne populus augeatur (*Exod.* I, 22). Augetur Dei jussu D moriendo populus, frustrata potentia sævientis : quod etiam nostris provenit martyribus, et maxime parvulis; qui pro Christo ab Herode occisi (*Matth.* II, 16), pretiosa grana dum sata sunt, fidei seges multa surrexit Ecclesiæ.

[a] Editi, *sed filios.*
[b] In ms. Remig., *Promissa gratia sub figurata*, forte pro *sub figura. In Genesi*, etc.
[c] Ms. Remig., *nostro Joseph Christo.*
[d] Ms. Remig., *quinque millia.*
[e] Ms. Remig., *vidit Deus.*
[f] Editi Lovan. et Duac., *ex eo exitio*, minus bene.
[g] Ms. Remig., *ad præpositum.*
[h] Sic ms. Remig. Editi vero, *hominibus suis.*
[i] Ms. Remig. caret voce *illis.*
[j] Hoc pronomen *se* aberat ab editis, legitur in ms. Remigiano.
[k] Ms. Remig., *timere.*
[l] Particulam *et* addit ms. Remig. cum edit. Lugd.
[m] Ms. Remig. addit *enim*, solus.
[n] Auctor sequitur editionem LXX Interpretum, et Stephanum Actuum cap. septimo versu decimo quarto. Eaque de re invenies gravem disputationem apud Augustinum de Civitate Dei, libro decimo sexto, capite quadragesimo.
[o] Ms. Remig., *dimitte.*
[p] Ms. Remig., *omnes illuminatos gratia, Judæos et Græcos, necesse est ut ex hac Ægyptia servitute liberentur.*
[q] Melius forte legeretur, *quos multiplicari.* Ms. Remig. statim, *vidit.*

Digitized by Google

## CAPUT XXXIII.

*In Moyse, qui personam habuit Mediatoris Christi Domini.*

**Promissio facta et figurata Mediatoris. In Exodo credita et visa.**

45. *In illo tempore natus est Moyses, et erat acceptus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui* (*Exod.* II, 2; *Act.* VII, 21). Et hi tres menses tribus sæpe dictis temporibus respondent. Cumque eum amplius celare non possent, accepit mater ejus capsam, linitque a foris bitumine, et misit infantem in eam, projecitque in amnem (*Exod.* II, 3). Figuræ succedunt figuris, dum tamen omnes actiones Christum Ecclesiamque significent. Tria quædam etiam in isto Moyse acta, nostro Mediatori comparanda [a] reperimus, futurum scilicet in carne sacerdotem, aquam fluminis in baptismo, lignum etiam quo pependit in cruce. Descendens filia Pharaonis [b] lavari in flumine, cujus noster Moyses per lignum consecraverat aquas, [c] agnovit quod de infantibus Hebræorum esset, eumque suscipiens educavit ut filium (*Ibid.*, 5 *et seqq.*). Dum descenderet ad Christum doctrina hujus mundi, abluta spiritali unda deposuit superbiam, suscipiensque quasi grandis parvum per humilem gratiam, Ecclesiæ sociata personæ, quæ filia Christi, efficitur mater. Propter quod scriptum est : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Ps.* XLIV, 17). Sic dum erudiendum suscepit, eruditur. *Stulta* enim *mundi elegit Deus, per quæ sapientiam mundi evacuet* (I *Cor.* I, 27). Omnis etenim philosophia Christianæ cessit doctrinæ, quam utiliter expugnans, inimicorum jaculis destruxit inimicos. Sicut Moyses ab Ægyptiis eruditus, illico expugnavit Ægyptios ut in Rubro mari tamquam in baptismo, omnis superbia mergeretur (*Exod.* XIV, 22). Per Moysem filii Israel ab Ægyptiis (*Exod.* II, 11 *et seq*), et per Christum a spiritibus immundis animæ liberantur. Adultus factus Moyses vidit quemdam Ægyptium injuriam facientem cuidam ex gente sua; quem vindicavit, ac defensionem dedit, mactando Ægyptium, eumque obruit in arena. Hoc agit et Moyses noster Mediator Christus, eruens animas de potestate tenebrarum, in illa multitudine [d] spiritalis seminis Abrahæ, quæ crevit ut arena maris. Obruit Ægyptum, dum clamant dæmonia expulsa : *Quid nobis et tibi, Jesu fili David? venisti ante tempus perdere nos* (*Matth.* VIII, 29)?

## CAPUT XXXIV.

*In eodem Moyse, qui ut Christus pacem intulit jurgantibus.*

**Prædictio facta et figurata, qua cum his qui oderunt pacem, jubemur esse pacifici. [e] In Genesi credita et visa.**

46. *Vidit Moyses alia die secum Hebræos altercantes, cœpitque eos componere ad pacem, dicens : Viri fratres, ut quid alterutrum nocetis? Dixitque ille qui alteri injuriam faciebat : Quis te statuit judicem, vel principem nobis? Numquid et me vis occidere, quemadmodum occidisti hesterna die Ægyptium* (*Exod.* II, 13; *Act.* VII, 26)? Et noster Moyses Mediator Christus clamat per David : *Cum his qui [f] oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Ps.* CXIX, 7). Et alibi : *Retribuebant mihi mala pro bonis* (*Ps.* XXXIV, 12). Fugit Moyses in illo sermone, et factus est transfuga in terra Madian (*Exod.* II, 15). Dicit et noster : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in eremo* (*Psal.* LIV, 8). Accepit Moyses uxorem filiam Jethri sacerdotis Madian (*Exod.* II, 21); ut nostrum Mediatorem ex alienigenis sumpsisse conjugem signaret Ecclesiam. *Pascebat*, dictum est, *Moyses oves Jethri soceri sui in eremo* (*Exod.* III, 1). Et noster Mediator Christus pascens oves dicit : *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* X, 11). Terribili visione motus Moyses pergit videre cur ignis in montem descenderat, rubum minime concremaret (*Exod.* III, 2). [g] Noster Moyses testatur ignem se venisse mittere in terram, quem utiliter vult amplius inflammari (*Luc.* XII, 49). Ipse enim dicit : Ego sum ignis, vitia, non homines consumens. Vocatus Moyses dum pergit [h] in montem conscendere, dicitur ei : *Solve calceamenta de pedibus tuis* (*Exod.* III, 5) : ut sint liberi et speciosi pedes Mediatoris [i] annuntiantes bonum (*Isai.* LII, 7; *Rom.* X, 15).

47. Jubetur Moyses pergere ad filios Israel, et ad Pharaonem regem Ægypti, ut populum Dei (quorum clamor duræ servitutis ascenderat) dimitteret ex terra sua, [j] mediationemque futuram susciperet (*Exod.* III *et seqq.*). Per Matthæum dicit noster Mediator : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Excusat Moyses, quod sit [k] impeditus lingua et gracili voce. Dicit et noster Judæis : *Sermo meus non capit in vobis* (*Joan.* VIII, 37). Rursum instanti Deo ut pergeret, omni ex parte excusat Moyses dicens : *Domine, provide alium quem mittas* (*Exod.* IV, 13); ut vox Mediatoris nostri, infirmitatis humanæ susceptæ signaretur dicentis : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39). Dicitur Moysi, ut sibi societ Aaron fratrem suum, ipseque ad Deum agenda suscipiat, ille ad populum; [l] eique signa et prodigia in manu et in virga traduntur (*Gen.* IV, 14). Dicitur et nostro Mediatori : *Dabo tibi gentes hæreditatem, et possessionem tuam fines terræ : reges eos in virga ferrea* (*Ps.* II, 8). Paulum vero electum qui loqueretur ad populum, [m] per Aaron significatum possumus intelligere, de quo Mediator noster in Deum, ipse ostendit Ananiæ dicens : *Vas est mihi electionis homo iste, ut ferat nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel* (*Act.* IX, 15). Sic enim Moyses et Aaron [n] Hebræo populo prædicantes, missos se a Deo ut eos ex Ægypto eruerent, firmaverunt : quos audiens populus [o] ingeniculans adoravit; quibus et signa facientibus credidit (*Exod.* IV, 30). Prædicante vero Paulo gentibus, ac Judæis salutem animarum per Christum fiducialiter [p] promittente; signa dum faceret, ad agnitionem Dei populum mira celeritate convertit, ipsosque reges ex futuro Dei judicio [q] eruit.

---

[a] Ms. Remig., *reperimus*. Editi, *reperiuntur;* minus congruenter mox secuturis; tum a ms. abest vox *scilicet*.

[b] Ms. Remig., *lavare*.

[c] Ms. Remig., *cognovit*.

[d] Ms. Remig., *spiritali*.

[e] Hæc supplentur ex ms. Remig.

[f] Ms. Remig., *oderunt... debellabant me gratis*.

[g] In ms. Remig. hæc phrasis longe aliter habetur, scilicet, post vocem *concremaret*, *Ignem se venisse mittere in terram noster Mediator affirmat*, *quem utiliter vult amplius inflammari*.

[h] Ms. Remig., *montem conscendere*

[i] Sic legimus in ms. Remig. Editi vero : *Ut sint liberi et speciosi pedes Mediatoris annuntiantis bona*.

[j] Ms. Remig., *Mediatoris susciperet personam : dicit*, etc.

[k] Ms. Remig., *tardus lingua, et gracilis voce*.

[l] Emendamus ex ms. Remigiano. In editis hactenus, *Et quæ signa*, sensu minus cohærente.

[m] Ms. Remig. statim post ista, *ad populum*, *cum noster Mediator*, etc.

[n] Ms. Remig., *Hebræorum populum*.

[o] Ms. Remig., *in geniculis*.

[p] Ms. Remig., *promittentem*.

[q] Ms. Remig., *terruit*, nec male; nam videtur auctor ad id forte alludere quod legitur Act. XXIV, 25 : *Disputante illo* (Paulo) *de justitia et castitate, et de judicio futuro tremefactus Felix respondit*, etc.

Digitized by Google

## CAPUT XXXV.

*In eodem Moyse, qui, ut Christus Dominus, diabolum interfecit.*

Prædictio facta et figurata, qua diabolus a Dei ministris expugnatur. In Exodo credita et visa.

48. Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, non tantum jussione divina verba quæ audierant narraverunt, quantum signa quæ data fuerant exhibentes (*Exod.* v, 1 *et seqq.*). Virga quam manu Moyses portabat, coram Pharaone projecta, effecta est serpens. Magi quoque Pharaonis, ut [a] divina potentia superarentur, talia signa facere permissi, projicientes virgas suas [b] etiam ipsi serpentum species ostenderunt, voravitque serpens Moysi magorum serpentes (*Exod.* vii, 10 *et seqq.*); ut nostri ducis Christi [c] virga doctrinæ omnium paganorum hæreticorumque dogmata divina virtute consumpsit. Non tantum [d] ut hac actione figurata signarent, quantum etiam prophetæ David præconia resonarent dicentis: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum* (*Ps.* cix, 2). Aliud signum Moyses coram populo ostentat, in sinum suum manum mittens, [e] eaque producta, leprosa sicut nix effecta est; rursum reducta productaque, restituta est in colore suo (*Exod.* iv, 6). In sinu signatur oratio pro peccato, dicente David: *Oratio mea in sinum meum convertebatur* (*Ps.* xxxiv, 13). Quod vero manus de sinu producta nivem demonstravit, significavit Mediatoris Christi Domini fusa oratione pro nobis, nostra etiam peccata purgari. Sic per Isaiam ipse ostendit: *Si fuerint peccata vestra* [f] *ut coccinum, ut nivem dealbabo* (*Isai.* ii, 18). [g] Eique cantat Ecclesia: *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal.* l, 9). *Advocatum* enim *habemus apud Patrem, Jesum Christum Dominum, et ipse est exoratio pro delictis nostris* (I *Joan.* ii, 1).

## CAPUT XXXVI.

*In eodem, cum flagris, ut Pharao, cæditur diabolus.*

[h] Jam prædictæ plagæ indurato Pharaoni, ejusque populo præsentatus, quibus judicatus. In Exodo credita et visa.

49. Sicut promissum est Abrahæ (*Gen.* xv, 14), filios Israel, quos captivos diu tenuerant, inviti tandem aliquando dimittant: mox quoque ipse Pharao digno exitio cum suis suppliciοque periturus dimisit (*Exod.* vii *et seqq.*). Decem sane plagas illatas Ægypto, comparandas decem præceptis quæ accepit populus in deserto, hac ratione, Domino adjuvante, suscepimus demonstrare, qua sibimet respondentia [i] comprobentur. Prima plaga Ægyptiorum, per Moysem aquas fuisse in sanguinem conversas: et primum præceptum [j] continet: *Audi, Israel: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti. Non erunt tibi* [k] *dii præter me. Non facies tibi ullam similitudinem* (*Deut.* vi, 4; *Exod.* xx, 2). Qui igitur, relicto uno vero Deo, diis falsis serviunt, in carne et A sanguine volutantur; *et caro et sanguis regnum Dei non hæreditabunt* (I *Cor.* xv, 50). Corrupti enim mores elementum aquæ corruptum habere meruerunt. Ideo aquæ in sanguinem mutantur, quia sacrificantes filios et filias suas [l] dæmoniis, effuderunt sanguinem innocentem (*Ps.* cv, 37, 38), puri liquoris fontem verum Deum Christum repudiantes: cujus gratia ex fluxu sanguinis mulier sanata (*Matth.* ix, 22; *Luc.* viii, 44), animam ab idololatriæ fluxu erutam demonstravit. [m] Secunda plaga Ægyptiorum est, scaturiens ranarum multitudo, fetido squalore omnem contaminans Ægyptum (*Exod.* viii, 3). Secundum quoque mandatum in lege est: *Non accipies nomen Domini tui in vanum.* [n] *Non enim mundabit Dominus talem* (*Exod.* xx, 7).

50. Omnis itaque hæreticus, perjurus, sacrilegusque, dum aliud sonat lingua [o] quam nomen Domini, fetore disputationis suæ, ranarum in similitudinem clamitat contra Deum. *Labia dolosa in corde, et corde* (*Ps.* xi, 3) loquuntur mala. Nec immerito B his animantibus comparantur, qui in lacunar rebaptizatorum confectas sordes non abluunt, sed potius cumulant delicta. Tertia plaga Ægyptiorum est, siniphes toto aere vibrantes, morsu quoque pestifero mediis æstibus [p] infestantes Ægyptios: in qua plaga omnis magorum doctrina defecit; professique sunt digitum Dei esse in illa; [q] ipsis quoque vexatis, vacua inanisque eorum remansit astutia (*Exod.* viii, 17, 18, 19). Et tertium præceptum in lege est: Vacatio sabbati nisi fuerit observata, perituram animam de populo suo (*Exod.* xx, 8, 11). Quam vacationem propheta David, ex persona Domini [r] annuntiat dicens: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus* (*Ps.* xlv, 11). Illi igitur qui votum voventes sese offerunt Deo, ejusque verbo vacantes, spiritale sabbatum observant: ut Maria quæ meliorem partem elegit (*Luc.* x, 42). A quo declinantes in strangulatione, dum mundanis curis innodantur, morsu pestifero prædictæ plagæ læduntur [s] in anima redimenda per du- C cem Jesum, qui Dominus est sabbati (*Luc.* vi, 5).

51. Quarta plaga Ægyptiorum, cœnomyia, caninæ scilicet muscæ, secretis etiam membris pœnas morsibus infligentes (*Exod.* viii, 24). Et quartum mandatum in lege est: honorandos esse parentes (*Exod.* xx, 12). Quod primum ad homines refertur mandatum, quoniam [t] superiora Divinitati videntur ascripta. Hi vero qui non ea honestate venerantur parentes qua mandatum est, canibus similes, rabiem suæ fœditatis exercentes, [u] longævi in terra esse non possunt. Neque talibus sanctum dandum Dominus in Evangelio dicit (*Matth.* vii, 6); a quorum consortio Chananæa fide mundata, humili pioque latratu, et sibi gratiam et filiæ salutem, nullis præcedentibus meritis, impetravit (*Matth.* xv, 27). Quinta plaga Ægyptiorum est, omnium pecorum jumentorumque repentinus interitus (*Exod.* ix, 6). Et quintum mandatum legis est: *Non occides* (*Exod.* xx, 13). Non igitur qui gladio tantum, verum etiam qui odio sæ-

[a] Ms. Remig., *ut divina potentia superaretur, talia signa facere permissi sunt, projicientes.*

[b] Ms. Remig., *etiam ipsæ*, referendo ad virgas.

[c] Ms. Remig., *virga doctrinaque.*

[d] Hæc particula, *ut*, abest ab editis veteribus et ms. Remigiano, etsi loci hujus recto sensui utilis videatur. Idem vero ms.: *Non tantum hæc actio figurata signare, quantum etiam propheta David præconia resonare dicentes.*

[e] Ms. Remig., *eamque producens nix effecta est.* Tum, *reducens producensque.*

[f] Ms. Remig., *phœnices.*

[g] Ms. Remig., *Eique.* Editi, *Et quæ*

[h] Abest hic titulus a ms. Remigiano, in quo titulus prior sic legitur: *Prædictio facta et figurata, in eo cum flagris, ut Pharao, cæditur diabolus. In Exodo credita et visa*; quæ postrema verba aberant ab editis.

D [i] Edit. Duac., *comprobantur.*

[j] Ms. Remig., *continetur.*

[k] Ms. Remig., *dii alii.*

[l] Ms. Remig., *dæmonibus.*

[m] In ms. Remig. hic interseruntur hæc verba: *In Exodo credita et visa.*

[n] In ms. Remig., *Non enim mandavit Dominus Deus tale.*

[o] Ms. Remig., *quam est nomen Domini Dei.*

[p] Ms. Remig., *infectantes.*

[q] Ms. Remig., *ipsi quoque vexati.*

[r] Ms. Remig., *denuntiat.*

[s] Sic ms. Remig., pro quo editi, *in animam redimenda.*

[t] Ms. Remig. addit hic *tria superiora.*

[u] Emendamus ex ms. Remig. Editi hactenus, *longe.*

Digitized by Google

vunt, homicidæ sunt. Dicit enim Joannes apostolus : A *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* III, 15). Tales veluti Ægyptia animalia repentino impetu corruunt : quia *omnis homicida non habet in se vitam* [a] *manentem* (*Ibidem*). SEXTA PLAGA ÆGYPTIORUM EST, vesicæ ebullientes, ulceraque manantia (*Exod.* IX, 9). Et sextum mandatum legis est : *Non mœchaberis* (*Exod.* XX, 14). Quid enim mœchi in anima patiantur, compacta plaga demonstrat. Nisi enim ulcera [b] turpissimi amoris ebulliensque libido rationem animi perturbarent, adulter utique non esset; neque, ut scriptum est (*Prov.* VI, 32), per inopiam sensus perditionem animæ suæ acquireret. Et licet hujusmodi puniantur etiam hic legibus humanis, *fornicatores* [c] etiam *et adulteros*, ut Paulus noster dicit, *judicabit Deus* (*Hebr.* XIII, 4). SEPTIMA PLAGA ÆGYPTIORUM EST, grando cum igne permixta, non tantum omne animal, quantum etiam arbusta ipsa virgultaque subvertens (*Exod.* IX, 23). Septimumque mandatum est : *Non furaberis* (*Exod.* XX, 15). [d] Comparatio B hæc est. Fur parietibus domibusque infert alienis quod sæviens grando agit in campis : obnoxiusque est legi generali, qua dictum est : *Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris* (*Tob.* IV. 16).

52. OCTAVA PLAGA ÆGYPTIORUM EST, locustarum multitudo vexans omnia, radicitusque exterminans (*Exod.* X, 13). Et mandatum octavum in lege est : *Falsum testimonium* [e] *non dices adversus proximum tuum* (*Exod.* XX, 16). Falsarius enim multa variaque confingens, rodit ut locusta famam, vitam, actusque alienos, donec totum adversus quem falsa confingit, radicitus exterminet. Sed *falsus testis non erit impunitus* (*Prov.* XIX, 5 et 9). NONA PLAGA ÆGYPTIORUM EST, tenebræ densissimæ, plenæ imaginibus terroribusque feralibus (*Exod.* X, 22). Et nonum mandatum legis est : *Non concupisces uxorem proximi tui* (*Ibid.* XX, 17). Quid deterius [f] est concupiscentia mala, quæ ita totam excæcat mentem, ut non tantum timorem Dei, quantum etiam ipsas pœnas legum infamiemque mortem oblivioni dans, nihil in mœcho C remaneat luminis, [g] quem totum ferales occupant tenebræ? Quos vero ex his gratia liberat, admonet et per Apostolum dicens : *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : sicut filii lucis ambulate* (*Ephes.* V, 8). DECIMA PLAGA ÆGYPTIORUM EST, omnium primogenitorum mors (*Exod.* XII, 19). Et decimum mandatum est in lege, *Non concupisces ullam rem proximi tui* (*Ibid.* XX, 18). Primitivam vero esse concupiscentiam malam, Pharaoni diabolo [h] ostendit illud, quod et ipse concupivit esse quod non erat (*Isai.* XIV, 12); et Adam, [i] qui per cupiditatem præcipitavit se in mortem (*Gen.* III, 5). Vitia vero angelorum ejus per quem mors introivit in orbem terrarum, [j] ut primitiva Ægyptiorum in hoc mundo tamquam in Ægypto, dux noster interfecit; dum nos docet renuntiare diabolo, pompis [k] et angelis ejus : ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia (*Rom.* V, 20).

## CAPUT XXXVII

*Paschæ figuratæ, et transitus Christi ad Patrem.*

[l] Promissio facta et figurata. In Exodo credita et visa.

53. Pascha, quod est transitus, in quo omnis actio fidei nostræ, passionisque Dominicæ agitur sacramentum, jubet Deus Moysi sic fieri, ut ab Ægyptiis Hebræi vasa aurea, et argentea, et vestem poscerent : quibus sublatis exspoliarent Ægyptios, commodantes urgente necessitate primæ amissæ sobolis (*Exod.* XII, 29). Sibi quoque dum metuunt, ocius Hebræos cum universis quæ dederant, pepulerunt : ut *redderetur justis*, ait propheta, *merces laborum* illorum (*Sap.* X, 17). Duas enim Ægyptiis construxerunt civitates, pro quibus spolia illa non sunt furto ablata, sed merces est reddita (*Exod.* XII, 4 *et seqq.*). Transitus vero ipse mysticus hic fuit : agnum sine macula, anniculum jussione divina per tabernacula occidendum, ac de ejus sanguine postes domus liniendos, non comminuendo os ex illo, cum picridibus et azymis, succinctis lumbis in omni festinatione comedendum, nihil ex eo relinquendum in mane. Quæ omnia figurata dum fuerint, quomodo sunt impleta, evangelica auctoritas narrat, quæ nobis carnes agni usque in mane quod vesperum non habebit, id est, usque in resurrectionem, comedendas præcipit, *non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis* [m] (I *Cor.* V, 8); signatis sane sanguine postibus, quorum in frontibus [n] crux ejus elucet. Cum picridibus dictum est, amaram vitam lugendo agentibus. Sed beati, quia ipsi consolabuntur (*Matt.* V, 5).

54. Sane exspoliatos Ægyptios a nostris, hac ratione colligimus, quod omnis mundialis scientia, qua inflati super ea superbiebant, moralisque sapientia transiit ad Christum, ut ea humilis [o] recta fide possideat, populusque jure superbus amittat. Expulsi Hebræi per eremum ductitantur (*Exod.* XIV, 3) : quia omni Christiano renuntianti mundo, arcta illi angustaque necessaria est via quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14). Huic populo columna nubis in die, et columna ignis per noctem iter ostendit (*Exod.* XIII, 21) : quoniam [p] Christiani hominis gressus a Domino diriguntur, et vias ejus volet (*Ps.* XXXVI, 23). Ubi vero populum eremus ac Rubri maris littus excepit, induratus Pharao, ut totus cum suis periret, curribus equitibusque conjunctis, secutus est fugientes (*Exod.* XIV, 6). Hoc agit sæviens diabolus cum vitiis angelisque suis, dum nostros a se fugientes insequitur. Omnis enim qui his renuntiat, ad baptismum tamquam ad Rubrum mare festinans hostem fugit, [q] ut Salvator eum inveniat.

## CAPUT XXXVIII.

*In baptismo, ut in mari Rubro.*

Promissio [r] facta et figurata in baptismo. In Exodo credita et visa.

55. *Dixit Dominus ad Moysem : Quid clamas ad*

[a] Ms. Remig. addit hic vocem *æternam*.

[b] Editi habebant *pessimi*. Ms. Remig., *turpissimi*.

[c] Ms. Remig., *vero... judicat*.

[d] Longe aliter in ms. Remig., *Comparatur enim fur grandini : hoc enim et iste, clam effractis parietibus, domibus infert... obnoxius fur*.

[e] Sic ms. Remig. Editi, *non dices*. Recentiores editiones, *noli dicere*.

[f] Ms. Remigianus omittit verbum substantivum *est*.

[g] Sic legitur in ms. Remigiano. In editis vero, *quod non totum occupent ferales tenebræ*.

[h] Ita ms. Remig. At vero editi codices, *Pharaoni diabolus per illud ostendit*; excepto Lugd., in quo particula *per* non habetur. In aliis vero quasi addititia diverso charactere, aut uncis duobus designatur.

D [i] Sic ms. Remig. At vero Lugdun., *qui cupiditate præcipitavit in mortem*. Duac. et Colon., *qui cupiditate præcipitavit*, omisso *se*. Lugd. vero, *qui cupiditatem præcipitavit in mortem*.

[j] Ita ms. Remig. Alias editi, *in primitiva*.

[k] Ms. Remig. caret his vocibus, *et angelis*, legitque, *diabolo et pompis ejus*.

[l] Sic ms. Remig. et Lugd. edit. Alii codices, *prædictio*.

[m] Ms. Remig. addit, *et veritatis*.

[n] Ms. Remig. omittit pronomen *ejus*.

[o] Ms. Remig., *recte*.

[p] Ms. Remig. diverso ordine legit sic, *Christiani a Domino gressus hominis... et viam ejus volet*.

[q] Ms. Remig., *ut Salvatorem inveniat*.

[r] Hæc verba, *facta et*, desunt in ms. Remig.

Digitized by Google

*me? Dic filiis Israel, ut jungant se, et tu leva virgam* A *tuam super mare, et divide illud, et intrent filii Israel per medium mare, per siccum. Ego enim indurabo cor Pharaonis et Ægyptiorum omnium, ut insequantur eos, et magnificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus* (*Exod.* XIV, 15 *et seqq.*). Cumque id fieret, mare exsequendo judicium sui creatoris et regis, [a] sententiæ divina jussa complevit. Dein puniendo rebelles, innocuis viam, rescisis undis, suspensoque gurgite, sicco pulvere gradientibus præbuit; reductaque in sese unda hostes in ima demersit (*Ibid.* 22, *et seqq.*). [b] Et vindex aqua sacrata verbo, rubrata sanguine, ligno crucis in mysterio virgæ percussa, salutem ad Salvatorem [c] venienti ministravit, peccata vero cum auctore diabolo, ut Ægyptios cum suo rege, in profundo detrusit. Hic est Deus noster de quo Micheas [d] dicit propheta: *Ipse convertetur, et miserebitur nostri, et demerget in profundum maris omnia peccata nostra* (*Mich.* VII, 19). Post dura [e] exsilia, post labores eremi, ac Rubri maris transitum (*Exod.* XV, B 17), Dei populum victrix palma suscepit: quamvis Marath aqua amara fatigaverit sitientem: quæ ligno in eam misso, dulcis effecta (*Ibid.* 23), ostendit sitientem Christianum statim ut amarum passionis poculum biberit, ligni [f] crucis dulcedine, omni amaritudine liberandum. Unde et Paulus dicit: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini* [g] *nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Idem enim locus, qui illi populo requiem præbuit in duodecim fontibus aquarum (*Exod.* XV, 27), ex septuaginta palmarum arboribus, nostris in mysteriis sacratus fuit. Namque post baptismum, duodecim apostolorum fontium fluenta puræ doctrinæ exuberant satiandis [h] pectoribus, quibus sacer psalmus insonat: *In Ecclesiis benedicite Dominum Deum de fontibus Israel* (*Ps.* LXVII, 27). In septuaginta vero arboribus palmarum, omnis numerus sanctorum martyrum in millibus consignatur, qui pro veritate usque ad mortem certantes, palmam *supernæ vocationis* accipiunt (*Phil.* III, 14). Hos etiam Apocalypsis Joan- C nis apostoli designat dicens: *Vidi turbam multam, quam dinumerare nullus hominum poterat, ex omni tribu, populo, et lingua. Et induti erant alba veste, et palmæ fuerunt in manibus eorum* (*Apoc.* VII, 9), quas vincentibus illa palma [i] Sapientia dedit, quæ exaltata est in Cades (*Eccli.* XXIV, 18).

## CAPUT XXXIX.

*Panis cœlestis in manna, quod est Christus.*

I Promissa manna de cœlo.

56. Consumptis panibus quos secum attulerat ex Ægypto, panem a Moyse murmurando poposcit, carnes etiam desiderans Ægypti (*Exod.* XVI, 2). Verum mediator ille Moyses panem eis et carnem [k] ocius a Domino impetravit. Jubetur populus [l] mane panem, in vesperum carnes accipere (*Ibid.*, 8). Sed hæc figuræ nostræ fuerunt. Panem enim illum sanctum qui de cœlo descendit, suscepit primo populus manducandum, postea carnem Christi in passione confe- D ctam: de qua ipse Dominus dicit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Sane sub certa diurna mensura, manna sanctus populus vescebatur: quam si quis [m] excederet, vermibus corruptum putrefactumque projiciebat (*Exod.* XVI, 20), avaritiæ atque intemperantiæ suæ cupiditate frustratus. Tales doctor gentium Paulus exprobrat dicens: *Victum et tegumentum habentes, his contenti simus, nam qui volunt divites fieri, incidunt in desideria multa stulta et noxia, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* [n] *Radix enim omnium malorum est cupiditas* (I *Tim.* VI, 8, 9). Hæc est putredo et hi vermes eorum qui pereunte mundo cupiunt suas augeri divitias, nec sunt diurno pane contenti. Sed idem populus in deserto potandæ aquæ causa, adversus Moysem rursus murmuravit. Petenti Moysi a Domino dictum est: *Præcedam te*, inquit, *in Coreb: et stabo super petram, et tu veniens percuties petram,* [o] *et exibit aqua, et bibet populus meus* (*Exod.* XVII, 6, *sec. LXX*). Hoc factum est. Et David testatur: *Disrupit in deserto petram, et potavit eos, sicut in abysso multa* (*Ps.* LXXVII, 15). Quæ sit vero hæc petra, Paulus exponit apostolus, omne quod tunc actum est in mysterio, Christo Domino assignans: *Patres*, inquit, *nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari. Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* [p] *Bibebant enim de spiritali sequenti petra: petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 1 *seqq.*). Hæc petra etiam nos satians dicit: *Qui biberit ex aqua quam* [q] *ego dedero, non sitiet umquam; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 13, 14). Hæc petra percussa in cruce, sanguinem produxit et aquam (*Joan.* XIX, 34), [r] quibus sobrie inebriamur.

## CAPUT XL.

*In signo crucis expugnare inimicos.*

Promissio figurata, qua omnes nostros adversarios signo crucis expugnare præcipimur. In Exodo credita et visa.

57. Huic populo, in quo omnis nostra figurata actio [s] est, Amalech et omnis cum suo duce gens adversa occurrit, bellum rudi plebi indicens, [t] quam a se credebat facile superandam (*Exod.* XVII, 8). Conserta pugna, adversarii dum plurimum prævalerent, extendens Moyses manus ad Deum, crucifixi instar expressit. Quo signo cadentes hostes, [u] dum manus Moysi inclinarentur, adversarius fortior vincebat. Ut autem manus Moysis stabiles fierent, Aaron et Ur sustentantibus manus ejus, et quadam stabilitate firmantibus, cadens fugiensque Amalech omnis exstinctus est (*Ibid.*, 11 *seq.*). Si nostri Mediatoris hic respiciamus signum, cum per David canentem recordemur, *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Ps.* CXL, 2), cujus in passione, sol et luna habitum cursumque mutavit (*Luc.* XXIII, 44); quis spiritus adversarius, quæve inimica potestas huic signo poterit obviare, ac non potius [v] omnis aufugiat? Si tamen spes pugnantis ex manibus crucifixi pen-

[a] Ms. Remig., *sententia divina*, forte legendum, *sententia divina jussa*.
[b] Editio Lugd., *En vindex aqua*.
[c] Ms. Remig., *venientibus*.
[d] Ms. Remig., *dixit*.
[e] Ms. Remig., *exitia*.
[f] Ms. Remig. omittit particulam *et*, quæ legitur in editis.
[g] Ms. Remig., *Domini mei*.
[h] Sic ms. Remig. Editi. *peccatoribus*.
[i] Ms. Remig., *sapientiæ*.
Ita editiones antiquæ omnes, licet neutrius generis modo censeatur hæc vox *manna*, si pro cœlesti pane usurpetur.
[k] Ms. Remig., *toties*.
[l] Ms. Remig., *in mane*.
[m] Ms. Remig., *scatescere*.
[n] Hæc reliqua loci apostolici verba desumuntur ex ms. Remigiano, omissa sunt in editis.
[o] Ms. Remig., *et exiet*.
[p] Ms. Remig., *Bibebant de spiritali petra*.
[q] Vox *ego* abest a ms. Remig.
[r] Ms. Remig., *quibus sacramentis quotidie sobrie debriamur*.
[s] Ms. Remig., *versabatur*.
[t] Ms. Remig., *quam se credebat facile superare*.
[u] Ms. Remig., *dum manus Moysi stabiles fierent, Aaron et Ur sustentabant manus ejus, et quadam stabilitate firmantes, cadens*, etc.
[v] Ms. Remig. addit vocem *omnis*.

Digitized by Google

deat, per quam quotidie [a] eruimur de potestate tenebrarum (*Coloss.* I, 13).

58. Nunc jam recurrentes omnes figuratas actiones temporis ante legem, cum omnia quæ gesta sunt, ita ille populus promissa susceperit, ut ipse quoque fide multo [b] longius prospiciens sibi credenda, posteris videnda reliquerit. Quia igitur ad montem Sina per certas prædictiones promissionesque perductus est populus, in quo Moyses legem [c] a Domino percipiens, regendis tribubus jura cœlestia [d] panderet (unde æstimo quod ideo nuncupentur Judæi, tam-

A

quam portantes vel sequentes jus Dei): huc usque tempus ante legem conclusum, lector, agnosce, tamquam unum diem quatuor ex cardinibus mundi surgentem, patriarcharum scilicet procerum, Abraham, Isaac, et Jacob, Orientis radio fulgente [e] Melchisedech rege et sacerdote, in duodenario horarum numero. Qui ex illis progeniti, nostri quoque patriarchæ nuncupantur; ut in vesperum conclusum aliud tempus sub lege, velut alius dies per cæteros numeros inchoatus exsurgat.

[a] Ms. Remig., *eruemur.*

[b] Deest vox *longius* ab antiquioribus editionibus, et ms. Remigiano, in quo pro voce *multo* legimus *multa.*

[c] Ms. Remig., *legem Domini.*

[d] Ms. Remig., *panderentur.*

[e] Ms. Remig., *Melchisedech regem et sacerdotem.*

# PARS SECUNDA.

## TEMPUS LEGIS.

### CAPUT PRIMUM.

*In monte leges datæ, et Christi Domini mandata in monte.*

Prædictio facta et figurata. In Exodo credita et visa.

1. Vocans Deus Moysem in monte Sina, legem in tabulis lapideis conscriptam, ut populo traderet, dedit, quam rite servans, terram promissionis acciperet (*Exod.* XIX, 20 *et* 24). Noster vero Mediator Jesus Dominus (cujus figuram gestabat etiam Moyses) ascendens montem cum discipulis suis (*Matth.* V, 1), quibus modis beati homines fierent, legem non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus Dei spiritu scripsit (II *Cor.* III, 3); qua [a] non terra, sed cœlo atque vita potiantur æterna qui ejus mandata servaverint. Sed eidem cætero populo, prælatis decem præceptis, per Moysem cœlestia jura traduntur: de successione hæredum; de cessante hærede; fidelem amicum et domesticum [b] loco hæredis debere succedere; de furto in quadruplum restituendo; de depositis seu commodatis, casu vel vi aliqua sublatis; de puniendis adulteris; de virgine vitiata in agro, vel in civitate; de muliere prægnante percussa; oculum pro oculo; dentem pro dente, et cætera quæ [c] in his juris divini tenet auctoritas (*Exod.* XXI *et seqq.*). Populus sub lege ea testificatione suscepit a Moyse, qua spopondit omnia esse facturum. Mactans itaque Moyses in sacrificio vitulum, sanguinem ipsius in testimonium accipiens cum hyssopo et lana coccinea, populum ipsumque librum aspersit, dicens: *Hic sanguis testamenti quod vobis mandavit Deus* (*Exod.* XXIV, 8; *Hebr.* IX, 20). Ad hæc [d] Mediator noster Christus Dominus, legem non vacuans, sed adimplens (*Matth.* V, 17), non tantum liberis et potentibus, quantum etiam ignobilibus servisque facientibus præcepta sua, Testamentum novum suo sanguine consecravit, non sine hyssopo, quod [e] mixtum aceto in passione bibit (*Matth.* XXVII, 48; *Marc.* XV, 36; *Joan.* XIX, 29): in quo Testamento, discretio nulla est personarum. Ait enim apostolus Paulus: *Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina. Omnes enim vos estis unum in Christo Jesu* (*Gal.* III, 28): qui est fidelium indivisa sempiternaque hæreditas. Fidem servandam

B

proximo [f] commodanti, vel deponenti, per eumdem Apostolum mandat. *Bonum*, inquit, *o Timothee, depositum custodi* (II *Tim.* I, 14). Et iterum: *Non quæ sua sunt quisque intendentes*, [g] *sed et quæ aliorum* (I *Cor.* XIII, 5; *Philip.* II, 4). Et per prophetam Salomonem: *Fideli homini totus mundus divitiarum est: infideli autem, nec obolus.* Item Paulus: *Qui furabatur, jam non furetur* (*Ephes.* IV, 28). Ipse quoque virgini castæ timet serpentinam diaboli corruptionem (II *Cor.* XI, 3), cum se, pio affectu concipiens, spiritu prægnantem esse confirmat, dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Gal.* IV, 19). Hos omni ex parte illæsos edere cupit, cum dicit: *In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui* (I *Cor.* IV, 15).

2. [h] Addidit quoque noster Mediator novæ legis mandata, veteris [i] Testamenti temperans vindictam. Nam cum [j] illic adulteros puniendos statuit (*Levit.* XX, 10), hic adulteram ea pietate liberat, qua legem non destruit, dicens: *Vade et noli amplius peccare* (*Joan.*

C

VIII, 11). Non solum non mœchandum, sed nec oculis consentiendum ad concupiscentiam (*Matth.* V, 27). Homicidium non tantum perpetrandum non esse, quantum qui odit fratrem, homicidam esse (I *Joan.* III, 15). Oculum pro oculo nullatenus expetendum, verum insuper malum pro malo reddendum non esse. Qui abstulerit tunicam, dimittendum illi et pallium. Qui percusserit in maxillam, præbendam illi et alteram. Qui angariaverit, duplum cum illo eundum. Benefaciendum inimicis. [k] Orandum pro persequentibus (*Matth.* V, 38 *et seq.*); et cætera quæ ab ipso cœlesti juris conditore mandantur in Evangelio, non esse contraria legi hinc ostenduntur, quod ibi mandatum fuerit animal in via si ceciderit inimici, erigendum esse, nec prætereundum; dolose non loquendum cum proximo; neque pignus pauperis retinendum usque in vesperum; septimo anno sata frumenta non metenda, fructusque omnes ejusdem anni, proselytis, viduis et orphanis relinquendos,

D

eodemque anno dandam Hebræis servis libertatem; decimas omnium fructuum primitiasque in domum Domini inferendas; debitum, septimo suppleto anno, non repetendum, relaxatis etiam pignoribus; quinquagesimo vero anno reddenda omnia prædia, quæ cautionum nexu obstrinxerant, pecunia non recepta

[a] Ms. Reg., *non terram, sed cœlum atque vitam potiantur æternam, qui. . servaverint.*

[b] Ms. Remig., *locum hæredis succedere.*

[c] Ms. Remig., *in ea lege.*

[d] Ms. Remig., *Mediator Dei Christus.*

[e] Ms. Remig., *mixto aceto.*

[f] Ms. Remig., *commendanti.*

[g] Ms. Remig., *sed ea quæ.*

[h] Ms. Remig. et Lugd., *Addit quoque.*

[i] Abest vox hæc, *testamenti*, a ms. Remig.

[j] Ms. Remig., *ille... non destruat.*

[k] Ms. Remig., *orando.*

Digitized by Google

(*Exod.* xxviii, 4, 5 *et seqq.*). Et omnia quæ, ut dixi, novi ac veteris mandata continent, discussa, nulla ex parte sibimet repugnantia inveniuntur, cum et in novo Testamento non parva terribiliaque exempla vindictæ processerint : dum spiritui immundo superbus traditur *ut discat non blasphemare* (I *Tim.* i, 20); dum adulteri traduntur *Satanæ* [a] *in æternum interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu* (I *Cor.* v, 5); dum fraudantes mendacesque Ananias et Saphira subita morte plectuntur (*Act.* v, 5, 9); dum manibus pedibusque ligatis in tenebras exteriores mittitur qui vestem non habuerit nuptialem (*Matth.* xxii, 12); quæ est *charitas de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* i, 5). Et quæcumque alia ex veteribus signis in novo suppleta noscuntur, sacro, ut dictum est, sanguine Mediatoris, simul cum ipso populo consecrata sunt.

## CAPUT II.

*Domus Dei in Ecclesia sancta.*

**Promissio facta et figurata. [b] In Exodo credita et visa.**

3. Eidem Moysi dicitur : *Vide ut facias tabernaculum, quemadmodum tibi monstratum est in sancto monte* (*Exod.* xxvi, 30). Et ex quibus rebus oblatis illud tabernaculum surgat indicitur. *Dabunt*, inquit Deus, [c] *in oblatione filii Israel lanam hyacinthinam, byssum tortum, purpuram, coccum bis tinctum* (*Exod.* xxv, 3). E quibus opere vario tentoria tabernaculi, simulque et vestis sacerdotalis confecta, mystica omnia in tempore futuræ Ecclesiæ revelarentur. In opertoria sane tabernaculi pelles hyacinthinas, aliasque rubratas, et undecim vela ex pilis caprarum conficienda (*Exod.* xxvi, 1 *et seqq.*), divina auctoritas mandat. Quæ omnia signa fuisse, ipsius legis resonant testimonia. In hyacinthino colore pallor quidam est cum splendore concordans, jejuniis eleemosynisque conveniens. Unde et sanctus Raphael archangelus ad Tobiam : *Bona est*, inquit, *oratio, cum jejunio, et eleemosyna* (*Tob.* xii, 8). In jejuniis pallor, in eleemosynis splendor refulget, qui hyacinthi figuram [d] ostendunt. *Byssum* vero, *mundum*, ut Apocalypsis dicit, *justitiæ sanctorum sunt* (*Apoc.* xix, 8). Quod dictum est, *tortum : per multas tribulationes oportet* justos *introire in regnum Dei* (*Act.* xiv, 21). Purpura vestis est regia; qua ipse rex noster Christus Dominus, in sua passione indutus est. In cocco bis tincto martyria sancta rutilant : quæ semel baptismo Christi in sanguine tinguntur, atque suo effusionis cruore [e] denuo sunt retincti. Sic enim et ipse tinctus est Dominus semel in Jordane, iterum in passione, de qua dicit discipulis suis : *Baptisma habeo baptizari quod vos ignoratis* (*Luc.* xii, 50). Hoc pelles rubratæ, hyacinthinæque testantur (*Exod.* xxvi, 31). Centum per centum cubitos duo latera tabernaculi protenduntur; aliaque duo frontalia, quinquaginta per quinquaginta : tamquam misericordia et veritas occurrentes sibi, justitia et pax osculantes invicem (*Psal.* lxxxiv, 11); quatuor ex partibus conjunctis angulis dignum tabernaculum [f] demonstrarent; futurum templum Dei Ecclesiam, quæ in centenario et

A quinquagenario numero psalmorum misericordiam et judicium suo Domino cantat (*Ps.* c, 1).

4. Neque [g] sine mysterio undecim velis cilicinis tabernaculum de super operitur (*Exod.* xxvi, 14); quo reum esse ostendat totum mundum Deo, ac sub [h] pœnitentiam degere. Ipsius enim numerus psalmi habet principium : *Salvum me fac, Deus, quoniam defecit sanctus* (*Psal.* xi, 2). Et cur [i] defecerit narrat : *Quoniam diminutæ sunt*, ait, *veritates a filiis hominum :* pro quibus salvandis Veritas ipsa [j] de cœlo descendit, quæ dignata est habitare cum hominibus in terra. Interiora vero tabernaculi his ex rebus ornantur. Bis denæ in parte columnæ ex lignis imputribilibus (*Exod.* xxvii, 10), non tam sanctos apostolos quam doctores quoque Ecclesiarum præsignant, quos etiam Paulus ostendit, dicens : *Petrus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis* (*Gal.* ii, 9). Barnabas enim in apostolatum est susceptus in ordine, Domino præcipiente et dicente : *Separate mihi Barnabam et*

B *Paulum in opus in quod provocavi eos* (*Act.* xiii, 2). In quo opere ipsa Sapientia fabricans sibi domum, subdidit columnas septem (*Prov.* ix, 1) : quas, terra cum defluxisset peccatis incursantibus, columnas ejus ipsa confirmavit (*Psal.* lxxiv, 4). Harum igitur columnarum numerus in duabus partibus tabernaculi [k] quadraginta sunt, quadragesimum diem ascensionis Domini demonstrantes, in qua suis ait discipulis : *Vos sedete in civitate, donec induamini* [l] *virtute ex alto* (*Luc.* xxiv, 49). [m] Ternis seris connectuntur columnæ : quoniam fidei, spei et charitatis trinitatis vinculo doctores Ecclesiarum salubriter astringuntur : ex [n] basis argenteis, capitibusque aureis, tamquam in operibus [o] misericordiæ : ut sanctitate virginali columnarum omne decus exsurgat. Sancta sanctorum in interioribus sunt tabernaculi, habentia arcam testamenti refertam mysteriis (*Hebr.* ix, 3). In quam [p] ingreditur sacerdos in anno semel cum sanguine alieno (*Ibid.*, 7) : ex qua accipiens responsum divi-

C num, illud verbum resonat, quod Verbum carnem suscipiens, nostram ob redemptionem, consecravit arcam non veteris, sed novi Testamenti : *In qua sunt omnes thesauri sapientiæ* [q] *et scientiæ absconditi* (*Coloss.* ii, 3). Ad quam cum suo sanguine verus ipse princeps sacerdotum introiit semel in sancta (*Hebr.* ix, 12); quoniam semel Christus oblatus est, ut multorum peccata portaret (*Ibid.*, 28). Cui dicit propheta : *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctitatis tuæ* (*Psal.* cxxxi, 8). Mensam quoque positam [r] et aram, quæ carnem sacram et sacrificantis exciperet, quid aliud in his quam crucem intelligimus, in qua noster Agnus immolatus est? ipse sacerdos et victima panem sanctificatum, suum sacratum corpus, in sua mensa confirmans. Cui lucerna septiformi Spiritu accensa toti lucet tabernaculo. Quoniam fulgor illius ut lumen [s] est : atria vero hujus spiritalis tabernaculi, corda piorum sunt confitentium et laudantium Deum. De quibus propheta dicit David : *Atria ejus in hymnis, confitemini ei*

D (*Ps.* xcix, 4).

[a] Ms. Remig., *in interitu.*

[b] Ms. Remig., omisso primo titulo, hic addit, *domus Dei.* Cætera habet ut editi.

[c] Ms. Remig., *in oblationem.*

[d] Sic ms. Remig. Editi omnes, *ostendit.*

[e] Ms. Remig., *denuo tincti.*

[f] Ms. Remig., *demonstrant.*

[g] Ms. Remig., *sine hoc mysterio.*

[h] Ms. Remig., *pœnitentia.*

[i] Ms. Remig., *deficeret.*

[j] Ms. Remig., *descendit de cœlis.*

[k] Emendamus ope ms. Remigiano-Remensis ; et quidem ad fidem textus Exodi cap. xxvii, num. 10 et 11. Editi habebant *undecim;* cui lectioni repugnat applicatio quadragesimi diei Ascensionis, quæ ab auctore statim instituitur.

[l] Ms. Remig., *virtutem.*

[m] Ms. Remig., *Externis.*

[n] Sic. ms. Remig. Editi, *vasis,* mendose, ut videtur ex Exodo.

[o] Ms. Remig. non habet vocem *misericordiæ,* sed legit, *in operibus et in sanctitate.*

[p] Ms. Remig., *ingreditur sacerdos.* Editi, *ingrediuntur sacerdotes.* Vide Hebr. c. ix, v. 7.

[q] Ms. Remig. addit *et scientiæ.*

[r] Ita ms. Remig. Editi, *et arcam.*

[s] Ms. Remig. addit *est;* tum idem ms., *corda piorum sunt;* ubi editi, *piorum scilicet.*

Digitized by Google

## CAPUT III.

*In Aaron sacerdotium figuratum in Christo.*

Promissio facta et figurata. In Exodo credita et visa.

5. Præcepit Dominus Moysi ut Aaron fratrem suum ex oleo sanctificato unctum, sacerdotio consecraret (*Exod.* xxix, 21); ut unctum nostrum præ participibus suis [a] Christum Dominum (*Psal.* xliv, 8), nomen ipsum unctionis ostenderet. Ipsius quoque Aaron vestis, mystica taxatione describitur. *Indues*, inquit, *eum tunicam talarem ex lana hyacinthina, scapulisque ejus superhumerale impones* (*Exod.* xxviii, 5). *Duos lapides* [b] *smaragdos, sculptos singulos singulis* [c] *nominibus filiorum Israel, e quibus catenulæ ex auro purissimo, percurrentes umbones ultimos humeralis apportent* (*Ibid.*, 14 *et* 25). Quadratum quoque ex diversis coloribus pretiosisque duodecim lapidibus, fibulam rationalem sacerdotis in pectore collocandam, quæ duas principales partes superhumeralis astringat. Cingulum quoque lumbis ejus dandum, atque in ora talaris tunicæ quinquaginta tintinnabula aurea, totidemque mala granata in medio tintinnabulorum poni jubentur: ut omnis vestis ex supradictis [d] speciebus vario opere confecta fulgeret. Capiti quoque ipsius hæc imponenda præcepta sunt: cidarim ex bysso mundo, mitram quoque ex qua lamina conscripta in titulum pendens, caput frontemque sacerdotis consecraret (*Ibid.*, 16 *seqq.*). Quæ singula nostro Christo Domino sacerdoti conveniunt: nam cidaris ex bysso in capite ejus, justitiæ, ut diximus, sanctorum sunt (*Apoc.* xix, 8). Quoniam *omnis viri caput Christus est* (I *Cor.* xi, 3), a quo est omnis justitia. Quod mitram regalem, indicat sacerdotium spiritaleque connubium. Quod titulus conscriptus, in passione sacerdoti nostro Pilatus imposuit (*Joan.* xix, 19). Tunica talaris, viscera sunt misericordiæ Dei nostri: de quibus Apostolus dicit: *Induite vos, sicut electos Dei, viscera misericordiæ* (*Coloss.* iii, 12). Superhumerale vero, principatum ejus ostendit de quo dicit Isaias: *Datus est vobis filius, et factus est principatus super humeros ejus* (*Isai.* ix, 6). Duo lapides in humeris, duo præcepta sunt dilectionis Dei et proximi, quibus duodecim tribuum sculpta nomina continentur, duodecim discipulos in hoc numero jam designantes, quos noster Sacerdos in humeris perfecta dilectione portavit. *Cum enim dilexisset*, ait evangelista Joannes, *discipulos suos, usque in finem dilexit eos* (*Joan.* xiii, 1). [e] Ex his catenulæ portantes umbones: *fructus sunt spiritus: charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia* (*Gal.* v, 22). Rationalis in pectore, ex pretiosis lapidibus omnis est doctrina pontificis: ut sit, sicut Apostolus dicit, habens *rationale obsequium* (*Rom.* xii, 1). Præcinctum sane nostrum sacerdotem nonagesimus secundus psalmus ostendit: *Induit*, inquit, *Dominus fortitudinem, et præcinctus est* (*Psal.* xcii, 1). In quinquaginta vero tintinnabulis, totidemque malis granatis, linguæ sunt Ecclesiarum, quæ per Sanctum spiritum die Pentecostes in specie ignis divisæ discipulis insederunt (*Act.* ii, 3). Ut etiam numerus ipse ostendit: ex quo mala granata omnis Ecclesia per mundum, connexos, ut grana intrinsecus, continens populos in vinculo pacis (*Ephes.* iv, 3) et gratiæ, unum eos [f] teginen operiat charitatis. Resonantibus enim in tintinnabulis apo-

A stolis, mala granata statim mota sunt, in Actibus Apostolorum dicentia: *Nonne hi qui loquuntur, natione sunt Galilæi* (*Act.* ii, 7)? *Et quomodo agnoscimus in illis sermonem in quo nati sumus?* Et sequitur: *Variis enim linguis magnificabant Deum* (*Ibid.*, 4). Sed hæc [g] omnia gressibus liberi sacerdotis moventur, dum ingreditur in Sancta sanctorum (*Hebr.* ix, 12), quo pro nobis noster jam Mediator ascendit, apparere ante faciem Dei.

## CAPUT IV.

*In populis vindicta, qui prævaricati, et qui mandata Christi non servavere.*

Prædictio facta et figurata. In Exodo credita et visa.

6. Dum hæc quæ supra diximus, in monte Sina Moysi facienda mandantur (*Exod.* xxx, 1), populus prævaricatus a Deo, idololatriæ crimen incurrit. Fingit [h] per Aaron vitulum ex auro, eique in contumeliam Dei veri victimas sacrificiaque obtulit, dicens: *Hi dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*Ibid.* xxxii, 4). *Et obliti sunt Deum qui liberavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, et terribilia in mari Rubro* (*Ps.* cv, 2 ). Per nostrum quoque Sacerdotem hujusmodi apostaticæ animæ in Evangelio increpantur. Sic enim ait: *Nisi fecissem in eis signa quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* xv, 24). Sequiturque ex gravi culpa vindicta. *Dixit autem Dominus ad Moysem: Descende celeriter: prævaricatus est enim populus tuus, quos eduxisti ex Ægypto. Fecerunt sibi deos aureos, eisque dixerunt: Hi dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Et nunc sine me, deleam eos, et faciam te in gentem magnam, ampliorenque quam hæc est* (*Exod.* xxxii, 7 *et seqq.*). Pius Dominus [i] dat intercedendi tempus, cum dicit: *Sine me.* Non enim Deus [j] ex hominis, sed homo ex Dei voluntate pendebat. Cumque multis modis precaretur Dominum Moyses, seipsum pro peccato populi offerens (*Ibid.*, 11 *et seqq.*), nostrum Mediatorem sub figura expressit, qui animam suam pro impiis posuit. *Christus* enim, ut Apostolus dicit, *pro impiis mortuus est* (*Rom.* v, 6)

7. Nec tamen illud tam grande peccatum caret vindicta: quoniam peccatum impunitum esse non potest. Descendens enim de monte Moyses, diffluentem populum dum videret, stans in medio castrorum, ait: *Si quis est* [k] *Domini, veniat ad me* (*Exod.* xxxii, 26). Cumque una tantum ex duodecim tribubus ad eum transiret, præceptum ei tale dedit: *Hæc dicit Dominus: Accipiat unusquisque vestrum gladium in manu sua, et pertranseat a castris usque in castra, et percutiat unusquisque patrem, fratrem, filium.* Quod cum incunctanter fecissent: *Implevistis*, ait Moyses, *manus vestras hodie Domino unusquisque in filio et in fratre,* [l] *ut detur super vos benedictio* (*Ibid.*, 27 *et seqq.*). Tales in his discipulos nostri Mediatoris ostendit, quibus ait [m] Dominus Jesus: *Si quis venit ad me, et non odio habet patrem, matrem,* [n] *fratres, filios, insuper et animam suam, non potest meus discipulus esse* (*Luc.* xiv, 26). Et iterum scriptum est: [o] *Qui dicit patri suo et matri suæ: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos, et filios suos oderunt, ii testamentum tuum servabunt* (*Deut.* xxxiii, 9). Quod sancti fecere martyres vocati per gratiam, felicitate perpetua munerati.

[a] Ms. Remig. addit, *principem sacerdotem*, forte, *sacerdotum*.
[b] Vulg. *Onychinos*. LXX interpretes, *smaragdos*.
[c] Ms. Remig., *singulis humeris, e quibus*.
[d] Ms. Remig., *rebus*.
[e] Ms. Remig., *Et his*.
[f] Ms. Remig., *tegumen*.
[g] Ms. Remig., *omnibus*.
[h] Sic ms. Remig. At editi, *Fingitur per Aaron vitulus*; sed concinnior videtur lectio ms. codicis.
[i] Ms. Remig., *dat locum intercedendum*; forte, *intercedendi sibi, cum dicit*.
[j] Ms. Remig., *ex homine*.
[k] Ms. Remig., *ad Dominum*.
[l] Ms. Remig., *dari vobis benedictionem*.
[m] Ms. Remig. addit vocem *Dominus*.
[n] Editi, *fratrem*. Ms. Remig., *fratres*.
[o] Ms. Remig., *Qui dicit patri et matri*: *Non novi vos; insuper et filios suos oderunt*.

Digitized by Google

## CAPUT V.

*In sacrificiis omnibus Christum Dominum figuratum.*

**Promissio facta et figurata. In Exodo credita et visa.**

8. Rursum Moyses secundo montem jubetur ascendere (*Exod.* XXXIV, 2). Eique [a] mandatur, quæ in sacrificiis ex animalibus avibusque populus offerat, sub certa mensura similaginis conspersæ ex oleo, pro peccato, pro solemnibus, pro votivis, vel certis neomeniis, diebusque festivis (*Ibid.*, 18 *seqq.*). Vitulum, dictum est, sine macula, referens ad Christum veritatem, quæ signa sunt rerum. *Placebit*, dictum est, *Deo super vitulum novellum cornua producentem et ungulas* (*Ps.* LXVIII, 32). Agnum anniculum sine macula ipse est *Agnus Dei, qui tollit* [b] *peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Ovem ex grege, [c] idem ipse de quo Isaias dicit : *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (*Isa.* LIII, 7). Arietem ex grege, [d] idem ipse est Christus Dominus, qui dicit per prophetam : *Exaltabitur* B *sicut unicornis cornu meum* (*Ps.* XCI, 11). Et Habacuc : *Cornua*, inquit, *in manibus ipsius sunt* (*Habac.* III, 4). Hædum ex grege : ipse est Christus Dominus, qui non propria, sed aliena peccata portans, [e] pelles, e quibus cilicia collatæ pœnitentiæ texuntur, suo intulit tabernaculo : qui et per David dicit : *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi* (*Ps.* LXXIV, 11). In turture vero et columba Ecclesiam agnoscimus. *Quoniam turtur invenit sibi nidum ubi ponat pullos suos* (*Ps.* LXXXIII, 4). Unamque dicit esse columbam, sponsam, electam suam (*Cant.* VI, 8). Cujus pullos in sacrificium offerri jubet dum dicit Dominus Jesus : *Sinite parvulos venire ad me;* [f] *talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 14). Quoniam et parvuli dum ejus baptismo consecrantur, simul cum illo sepeliuntur in morte, ut etiam in eis evacuetur corpus peccati (*Rom.* VI, 4, 6).

9. Illa vero distinctio peccatorum ignorantiæ et scientiæ, pro quibus sacrificium contriti cordis, ut similago frixa ex oleo, offertur (*Levit.* II, 3, 4 *et seqq.*); etiam in nostro sejungitur sacrificio, cum dicit anima : *Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris* (*Ps.* XXIV, 7). Quæ beatus Petrus minus cautus incurrit, dum prædicenti Domino passionem suam, ignorans eam per Legem atque Prophetas promissam fuisse: *Absit a te*, ait, *Domine, propitius tibi esto, non fiet istud* (*Matth.* XVI, 22). [g] Et Dominus, *Vade retro, Satana; non enim sapis* [h] *quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Marc.* VIII, 33). Quod peccatum ignorantiæ, et scientiæ negationis, simul et juventutis (de qua præsumens dixerat Domino : *Animam pro te ponam* (*Joan.* XIII, 37) respectus atque compunctus omnia flendo [i] delevit. Docuitque in his peccatorem præsumptoremque dicere : *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus* (*Ps.* XXIX, 8). *Sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Ps.* XL, 5). Pro votivis vero [j] et solemnibus quæ [k] Christi Domini offerat populus, Paulus apostolus ostendit. [l] *Offeramus*, inquit, *sacrificium laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci; talibus enim sacrificiis placatur Deus* (*Hebr.* XIII, 15, 16).

A

## CAPUT VI.

*In lepræ inspectione, hæreticos varios similasse.*

**Prædictio facta et figurata. In Levitico credita et visa.**

10. Jubet Deus Moysi ut lepræ inspectio atque purgatio, hujusmodi sacrificiis expietur (*Levit.* XIII *et* XIV). Par gallinarum offerendum sacerdoti, ex quibus unam offerat [m] aliamque relinquat (*Ibid.* XIV, 4). Similiter quæ ex hircis cæterisque pecudibus. Sed hæc mysteria noster Sacerdos Jesus [n] Dominus evidenter ostendit in Evangelio dicens : *Duo erunt in agro, unus assumetur, alius relinquetur; et duæ in molendino, una assumetur, alia relinquetur* (*Matth.* XXIV, 40). Quantum autem [o] intersit inter assumi et relinqui, columba corvusque dimissi ex arca ostendunt (*Gen.* VIII, 6). Columbam enim Noe ad se recipiens in arcam, servandam sacrificio custodivit; corvum vagantem errantemque relinquens. Sic agnos ab hædis discerni, sic virgines sapientes a stultis voluit segregari (*Matth.* XXV, 12); animas scilicet per gratiam; quas digna oblatione purificans, sacrificio contriti cordis (quod similago frixa ex oleo signavit) secum in æternam Jerusalem, cujus spiritalis sponsus est [p] introducit in patriam; repulsis hæreticis, quia leprosi foras extra castra mittuntur (*Levit.* XIII, 46). Nec prætereundum existimo ipsam distinctionem lepræ, ut datum fuerit aliqua ex parte discutere. Nam lepra in capite Manichæos, Priscillianos, complicesque eorum demonstrat. Etenim cum *viri caput Christus* sit, *caput vero Christi Deus* (I *Cor.* XI, 3); Deo ipsi capiti dum adversarium nescio quem principem tenebrarum disputantes opponunt; ipsi in capite sui erroris aspersi lepra, foris extra castra pelli meruerunt. Lepra in barba, Arianos, Photinianos, Nestorianosque designat : qui nostrum pontificem Christum, dum minorem in divinitate, aut solum hominem, non Deum et hominem prædicant, aliterque de Christo sentiunt quam tenet [q] tradiditque fides catholica; leprosi in barba eum lacessunt, quem in C similitudinem Aaron, David propheta introducit; verum Principem sacerdotum Christum Dominum dicens : *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit* [r] *in barba, in barba Aaron* (*Ps.* CXXXII, 1, 2). Hi igitur qui unitatem catholicam relinquentes, unguentum quod in nostri pontificis barbam descendit, erroris sui dogmate fœdandum existimarunt; ut leprosi in barba inventi, etiam ipsi extra castra pulsi sunt. Lepra in corpore, Donatistæ, Maximianistæ, Luciferiani, cæterique similibus erroribus obvoluti, dum per totum mundum Christi corpus, Domini Ecclesiam, humanis calumniis insectantur, [s] in lepra corporis sui ejecti, nisi a vero Sacerdote [t] Christo charitate mundati fuerint, castra eos populi Dei non suscipiunt.

11. Pelagiani vero omni ex parte lepræ macula turpantur, dum capiti et corpori nebulas [u] suas perversæ doctrinæ infundere contendunt. Capiti, quod D Deus ante peccatum, mortalem hominem fecerit : qui *mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum : creavit enim, ut essent, omnia* (*Sap.* I, 13, 14). Corpori ; quod gratia Dei necessaria [v] homini non

[a] Ms. Remig., *mandantur.*
[b] Sic ms. Remig. Editi, *peccatum.*
[c] Ms. Remig , *ipse est.*
[d] Ms. Remig., *in manu.*
[e] Ms. Remig., *pilos.... texuerunt.*
[f] Hæc adduntur ex ms. Remigiano.
[g] Ms. Remig., *Et Christus : Redi.*
[h] Ms. Remig. addit *eu*, *ait.*
[i] Ms. Remig., *abluit.*
[j] Ms. Remig., *vel solemnibus.*
[k] Ms. Remig., *Christo Domino.*
[l] Ms. Remig., *Offerimus.* Et paulo post : *Bene autem facere, et communicatores esse, nolite oblivisci.*
[m] Ms. Remig., *alterumque.*
[n] Ms. Remig., *Jesus Christus*
[o] Ms. Remig., *interesset.*
[p] Ms. Remig., *introducat.*
[q] Ms. Remig., *traditque.*
[r] Ms. Remig., *in barbam barbam.*
[s] Ms. Remig., *ex lepra.*
[t] Ms. Remig., *Christi charitate.*
[u] Ms. Remig., *suæ.*
[v] Ms. Remig. addit *homini.*

Digitized by Google

visum sit, cum unum consecratum sit in remissionem omnium peccatorum. Sic in toto lepræ macula viliati, castris Dominicis etiam ipsi pulsi sunt. Cum vero hæc noster Sacerdos inspicit, variasque dirimit plagas, utrum sit tetra in Manichæis, an rubea in Arianis, an in Pelagianis alba, vel varia : *Quoniam oportet*, ait Paulus, *et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis* (I *Cor.* XI, 19). Quamdiu in his variis erroribus, velut in lepræ maculis animæ detinentur, castra eos, ut dictum est, Dominica non admittunt. Ex quibus omnibus hæresibus, compuncti Dei gratia, dum mundandi redeunt, in illis quodammodo decem leprosis nostro se offerunt Sacerdoti (*Luc.* XVII, 12 *et seqq.*). Eosque juxta Legis præceptum dum ad sacerdotem Judæorum mittit, euntes in via, id est, in hac vita, potentia Verbi mundavit. Pro quorum mundatione sacrificium seipsum obtulit gallina illa pretiosa, quæ dicit : *Quoties volui, Jerusalem, colligere filios tuos sicut gallina colligit pullos suos sub alas, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 37)? Colligit sane etiam [a] illa nolentes, quos ad unitatis suæ membra pertinere cognoscit; quoniam *novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19). Unus enim ex decem mundatis reversus gratias egit nostro Pontifici (*Luc.* XVII, 15); quia unitas cognoscit, non in se, sed in Domino gloriandum (I *Cor.* I, 31), quæ spem noluit habere in homine (*Jerem.* XVII, 5), quæ intellexit [b] bonam voluntatem a Domino præparari (*Prov.* XVI, *sec. LXX*), quæ vere libera esse voluit, quoniam cognovit [c] quod eam Filius liberavit (*Joan.* VIII, 36). Hi vero qui [d] mundanti ingrati, vel in erroris sui lepræ maculis persistunt, in castris Dominicis suscipi omnino non poterunt. [e] Contra quos exclusos claudens ostium dicturus est noster Pontifex : *Non novi vos* (*Luc.* XIII, 25); ut a longe illi dimissi foris remaneant, canes, malefici, et omnes homines qui operantur et faciunt mendacium (*Apoc.* XXII, 15). Multa [f] hic dicere non oportuit, cum Origenes (*Super Leviticum*) singula discutiens, quæ recta fide sensit Domino consignaverit Christo.

## CAPUT VII.

*In escis mundis, et immundis, eleemosynis munda omnia fieri.*

[g] Prædictio facta et figurata. In Levitico credita et visa.

12. Inter omnia mandata quæ ad erudiendum Dei populum Moysi in monte Sina a Deo tradebantur, expleto ordine sacrificiorum, animalia munda ab immundis quæ populus in escam sumeret, ista sunt [h] distinctione signata. Ruminantia, quæque fissa ungula, habenda munda esse, et in escam sumenda (*Levit.* XI, 3 *et seqq.*). Quæ animas signant ruminantes verbum Dei, ex fissa ungula, duorum scilicet præceptorum. De avibus quoque vel piscibus nominatim mandata sunt, quæ contingere, quæve abnuere populus debuisset. Quam legem in tabulis lapideis, juxta duritiam cordis Judæorum, datam, Dominus in Evangelio testatus est (*Matt.* XIX, 8). Verum cum de [i] his singulis priores nostri patres, quibus revelatum est, allegoricas omnes disputationes longo volumine splendidoque stylo conscripserint, quid opus sit, quod Christus gratis mortuus sit (*Gal.* II, 21), quod unum baptisma in minoribus majoribusque di-

A fuit cuncta persequi? Cum de compendio noster Mediator Jesus Dominus, in quo ista omnia personabant, vecordes Judæos, qui Legem littera, non spiritu sequebantur, increpaverit, dicens: *Væ vobis, Scribæ et pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham, cyminum, et omne olus, mundantes catinum et calicem, cum intus pleni sitis rapina et iniquitate* (*Matth.* XXIII, 23, 25) Eisque singularis ipse transiens (*Ps.* CXL, 10), singulare sacrificium ostendit, dicens : *Veruntamen dico vobis, date eleemosynam, et ecce vobis munda sunt omnia* (*Luc.* XI, 41).

13. O quam breve compendiosumque sacrificium, quod intrinsecus atque extrinsecus totumque hominem mundat! *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata.* [j] *Eleemosyna non patitur ire in tenebris* (*Tob.* IV, 11). Eleemosyna munus bonum est omnibus facientibus eam, coram summo Deo. Hæc est quæ perpetuos ignes exstinguit; hæc est quæ resistit peccatis; hæc est quæ Christum pascit esurientem

B in paupere ; hæc vestit nudum; hæc visitat infirmum; hæc peregrinum hospitio [k] recipit: hæc quæ omnem angustiam [l] carceris tollit (*Matt.* XXV, 35); hæc omnem inopiam finit; hæc divitibus confert remedia ; hæc vitam æternam comparat ; hæc fenerat Deum ; hæc continet regnum cœlorum : hæc est quæ discernit agnos ab hædis (*Ibid.*, 32); hæc est quæ ad dexteram collocat Judicis (*Ibid.*, 34); hæc angelis sociat; hæc ex servis filios Dei fieri præstat. Concurrite omni ex genere peccatores, concurrite omnes ex vitiis erroribusque leprosi; concurrite omnes quolibet flagitio maculati atque immundi, pœnitentes, voventesque; concurrite ad tam magnum, compendiosum, utileque sacrificium, cum omni lætitia offerentes. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (I *Cor.* IX, 7). Prout quisque [m] quod offerat habuerit, hoc offerat munus. [n] Quod ita noster Princeps sacerdotum instituit, acceptumque præ omnibus esse mandavit, ut usque ad duo minuta (*Marc.* XII, 42) calicemque aquæ frigidæ mensuras hujus perduxerit sacrificii (*Matth.* X, 42) :

C pacem promittens, etsi hæc desunt, hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). Ista sunt posteriora Dei, quæ faciem ejus dum videre non posset Moyses, spiritu sunt ei revelata prophetico (*Exod.* XXXIII, 20), in Christo Jesu Domino et homine, qui est æternus Princeps omnium sacerdotum. [o] Hæc in Levitico suppleta noscuntur.

## CAPUT VIII.

*In escis desideratis Ægypti, Christum manna renuisse.*

Prædictio facta et figurata. In libro Numerorum credita et visa.

14. In Numerorum libro populus, principibus sibimet a Moyse constitutis, certa sub descriptione quantus sit designatur (*Num.* I *et* XXVI). Immemor quoque factus libertatis [p] et gratiæ Ægyptiæ, idem escas desiderans, adversum Deum et Moysem murmurasse compertus est (*Num.* XI, 1). *Quis nos*, inquiunt, *cibabit* [q] *carne? Rememorati enim sumus*

D *piscium quos manducabamus in Ægypto gratis, cucumeres, porros, allium, et cepas. Nunc autem*, aiunt, *arida facta est anima nostra, nihilque aliud nisi manna in oculis nostris* (*Ibid.* 4, 5, 6). Repudiantur dulcia, desiderantur amara. Hoc periculosa gravisque animæ ingerit ægritudo, ut noxia sumere [r] velit, et quæ

[a] Ms. Remig., *illa nolente*, scilicet Jerusalem.
[b] Ms. Remig., *bona voluntate ad Dominum præparari.*
[c] Sic ms. Remig. At editi, *etiam.*
[d] Editi, *mundati.* Ms. Remig., *mundanti.*
[e] Ms. Remig., *Contra quos claudens dicturus est.*
[f] Ms. Remig., *hinc dicere.*
[g] Ms. Remig., *Promissio.* Idem vero caret priori titulo.
[h] Ms. Remig. caret hac voce *distinctione.*
[i] Ms. Remig. habet hanc vocem, *his.* Editi non habent.
[j] Hæc pars additur in ms. Remigiano
[k] Editi, *accipit.* Ms. Remig., *recipit*
[l] Ms. Remig., *etiam carceris.*
[m] Ms. Remig. omittit has voces, *quod offerat.*
[n] Ms. Remig., *Quod dicat noster princeps Sacerdotum instituit.*
[o] Hæc ultima verba capitis non legimus in ms. Remig.; sed adduntur secundo titulo capitis subsequentis.
[p] Ms. Remig., *et gratias Ægyptias.* Forte pro *et gratiæ, Ægyptias idem escas desiderans.*
[q] Ms. Remig., *carnibus.*
[r] Ms. Remig., *vellet.*

Digitized by Google

utilis sunt ac saluti proficiunt spernat ac renuat. Sic repudiaverunt manna Christum, dicentes: *Nos scimus quia cum Moyse locutus est Deus, hic vero nescimus unde sit* (*Joan.* IX, 29). Eosque increpans dicit: *Si crederetis Moysi, crederetis* [a] *utique et mihi: de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). *Ego enim sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51). Nonne manna sanctum repudiaverunt, quando Pilato, volenti Jesum dimittere, dixerunt: *Noli ipsum dimittere, sed Barabbam* (*Joan.* XVIII, 40). Barabbas autem fuit insignis latro, quem sibi dimitti poscentes, velut porros, cepas, allium, [b] asperas lacrymosasque Ægyptias escas, ex latronis sceleribus se desiderasse professi sunt. Sane murmurantibus, carnes divina majestas exhibuit, non quæ reficerent, sed quæ vexarent potius comedentes (*Num.* XI, 33; *Ps.* LXXVII, 30). Quoniam igitur *animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei* (I *Cor.* II, 14), et, *in concupiscentiis est omnis segnis* (*Prov.* XXI, 25), recteque spiritalis petiit auferri a se *ventris concupiscentias* (*Eccli.* XXIII, 6); ostensum est impium esse [c] ea desiderare vel peti a Deo quæ sunt animæ perniciosa; et maxime quod cum murmure postulatur. [d] Fugiat anima tali desiderio Deum offendere, si terram promissionis cupit intrare.

## CAPUT IX.

*In Moyse, Christo Domino et Ecclesiæ fratres detraxisse.*

Prædictio facta [e] et figurata. In libro Numeri credita et visa.

15. *Erat*, dicit Scriptura, *Moyses mitis præ omnibus hominibus* [f] *qui erant super terram* (*Num.* XII, 3). In hac mansuetudine noster resonat Mediator, cui dicit David: *Tu, Domine, suavis ac mitis es* (*Psal.* LXXXV, 5). Et ipse in Evangelio: *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Detraxerunt Aaron et Maria Moysi germano suo, quod Æthiopissam accepisset uxorem (*Num.* XII, 1). Detraxerunt et nostro Domino sui fratres, quod cum publicanis et peccatoribus vesceretur (*Luc.* XV, 2). Quibus cum dixisset, *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus; non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam* (*Matth.* IX, 12), ostendit illam Æthiopissam se accepisse ex gentibus, quæ dicit: *Fusca sum, et decora, filiæ Jerusalem* (*Cant.* I, 4). Maria quæ detraxerat, illico ex vindicta pœnam lepræ suscepit (*Num.* XII, 10), quam metuere animæ debent, quæ Christo detrahunt et Ecclesiæ. Dicit enim de talibus per prophetam: *Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi; ego autem orabam* (*Ps.* CVIII, 4). Oratione enim Moysi, Maria mundata indulgentiam meruit (*Num.* XII, 13), ut talis anima tanto exorante Pontifice, omni ex culpa sanetur. Jussu tamen divino Moyses, duodecim electos de plebe viros explorandam Chananæorum terram misit, quibus in mandatis dedit, non tantum civitates hominesque prospicere, quantum etiam secum ex terræ fructibus asportare. Pergentes dum agunt quæ jussa sunt, vallis eos quædam excepit; ex qua botrum abscindentes pro magnitudine phalangæ impositum, simul cum malis granatis ficusque portantes ad castra redeunt, fructus ostendunt, ea narrantes quæ viderant (*Num.* XIII, 3 *et seqq.*). In tribus his fructibus, mysteria Christi Domini resonant Ec-

A clesiæ. Botrus in Christo, vox Ecclesiæ in Canticis Canticorum: *Botrus cypri, fratruelis meus* (*Cant.* I, 13) Quod ligno portatur, [g] Crucifixum agnosce. Quod in medio duorum exploratorum, Habacuc propheta: *In medio*, inquit, *duorum animalium cognosceris* (*Habac.* III, 2, *sec. LXX*). [h] Item Ecclesia de seipsa in eodem cantico: *Floruit*, inquit, *vitis, floruerunt mala granata* (*Cant.* VII, 12). Ficus vero, cujus ex foliis transgressores primi homines sibi succinctoria fecerunt (*Genes.* III, 7), ostendunt originale peccatum, quod per mala granata Ecclesiæ, botrique sanguinem absolvitur, qui fusus est in remissionem omnium peccatorum.

16. Hi autem qui cum exploratoribus ascenderant, his dictis populum terruerunt: terræ illius promissæ audaces esse homines, magnosque viros, civitatesque munitas. Gigantes se quoque illic vidisse confirmant, quorum in conspectu ipsi ut locustæ fuerint super terram (*Num.* XIII, 28 *et seqq.*). Horum metu perculsus populus, rursum adversum Moysem murmuravit, B sibique statuit eligere ducem qui eos reduceret in Ægyptum (*Num.* XIV, 2 *et seqq.*). Hoc malum eorum est qui liberati per baptismum metu dæmonum, non ante, sed retro respiciunt (*Philip.* III, 13), Dei beneficia ejusque mira facta obliti: [i] desperantes erga se impleri promissa Dei, eligunt ad eum reverti cui jam renuntiaverant; illum cui crediderant spernentes, ejusque potentiam abnegantes. Hos increpans dicit: [j] *Verterunt ad me dorsum suum, et non facies suas* (*Jerem.* II, 27). Et Petrus apostolus: *Melius illis erat non cognoscere viam salutis, quam cognoscentes retro respicere a tradito sibi sancto mandato. Contingit illis res veri proverbii: Canis reversus ad vomitum, et sus lota in* [k] *volutabro luti* (II *Petr.* II, 21; *Prov.* XXVI, 11). Jesus vero filius Nave, et Caleph [l] Jephonæ, qui terram inspexerant, simul cum Moyse et Aaron sacerdotibus prostrati (*Num.* XIV, 5, 6), agunt pietatis officia, ab intentione desperatæ voluntatis populum revocant, dicentes: *Nolite metuere populum* C *terræ: quoniam devotio* [m] *nobis sunt. Discessit enim tempus ab illis, Dominus autem in nobis est: nolite timere eos* (*Ibid.*, 9, *sec. LXX*). Quæ omnia subversione idolorum etiam [n] populo resonant Christiano, ne sint homines apostatæ a Deo, qui [o] dæmones metuunt, a quibus jam per Dei gratiam liberati sunt. Quorum pompam inanem describens Jeremias, ait: *Inter cætera, ingressi in Babyloniam, videbitis ibi deos aureos et argenteos portari in humeris* (*Baruch* VI, 3 *et seqq.*). Ipsi autem sunt manufacta et inania: sed neque præstare, neque nocere possunt, ideo quod nihil sint: *ne ergo timueritis eos. Dominum autem sanctificate in cordibus vestris, et ipse erit vobis timor*, [p] sicut Isaias ait (*Isa.* VIII, 13; I *Petr.* III, 15). De dæmonum autem cultoribus Jeremias scribens ait: *Ibi fuerunt gigantes illi nominati scientes prælium. Non hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit eis. Et perierunt, propter quod consilium non habuerunt* (*Bar.* III, 26 *et seqq.*). Et Salomon: *Ab initio*, ait, *cum perirent superbi gigantes* (*Sap.* XIV, 6). Contra quorum super-D biam humilis Christi populus victor [q] exsurgit.

17. Sed cum Hebræus populus, indignatus vellet lapidare precantes [r] se, honor Domini apparuit in tabernaculo (*Num.* XIV, 10). Sic enim semper audacia malorum comprimitur præsentia divinæ vir-

[a] Hæc particula, *utique*, additur ex ms. Remig.

[b] Sic ms. Remig. Editi vero, *asperas lacrymas, absque Ægyptiis escis.... desiderasse*, sine particula *se*.

[c] Ms. Remig., *ea desideria*.

[d] Ms. Remig., *Fugiat animo tale desiderium.... cupit videre*.

[e] Hæc supplentur ex ms. Remig.

[f] Sic ms. Remig. Editi vero, *qui sunt*.

[g] Sic ms. Remig. Editi, *Crucifixum significat. Agnosce quod*, etc.

[h] Ms. Remig., *Inter hæc*.

[i] Sic ms. Remig. At vero editi, *deprecantes*.

[j] Ms. Remig., *Posuerunt*.

[k] Ms. Remig., *in volutabris cœni*.

[l] Ms. Remig., *Sephone*.

[m] Ms. Remig., *nobis est*.

[n] Ms. Remig., *populum resonant Christianum*.

[o] Ms. Remig., *dæmones*; editi, *homines*.

[p] Ms. Remig., *Esaias autem dæmonum cultores describens, ait*.

[q] Ms. Remig., *exsurgeret*.

[r] Ita ms. Remig. At editi, *pro se*.



Digitized by Google

tutis. Cumque exacerbantes se Dominus perdere voluisset, mitis ille præ omnibus Moyses, gratiæ intercessionis verba quæ proferret, invenit : *Audient*, inquit, *Ægyptii, cum contriveris hunc populum, et dicent : Quoniam non potuit illos introducere in terram quam juravit illis, prostravit illos in deserto. Et nunc exaltetur manus tua, Domine, sicut dixisti : Ego sum Deus patiens, et multum misericors, et verax* (*Num.* XIV, 13). Quibus precibus propitiatus Deus, ita temperavit iram suam, ut tamen peccantes sequeretur digna vindicta (*Ibid.*, 20 *et seqq.*). Non ipsos intraturos in requiem promissæ terræ, testificando prædixit, excepto Jesu filio Nave, et Caleph filio [a] Jephonæ; omnesque defuncti in eremo (*Ibid.*, 37), filii eorum obedientes susceperunt hæreditatem quam illi amiserant contumaces. Sic noster Mediator Jesus Dominus, rebelli adversum se eodem populo, et cum Herode de sua nece conferente, spretis atque [b] in hujus vitæ eremo mortuis, etiam in anima, Judæis, filiis eorum sempiternam hæreditatem dedit, quos pro eo impius Herodes occidit (*Matth.* II, 16).

## CAPUT X.

*In virga Aaron germinante, confirmatio sacerdotii Christi Domini.*

Prædictio facta et figurata. In libro Numerorum credita et visa.

18. Contemptores præceptorum suorum, officiumque sacerdotale usurpare volentes Chore, Dathan et Abiron (*Num.* XVI, 1 *seq.*), præsens Dei judicium dum puniret, [c] condemnans in illis omnes hæreticos, ut jam supra (*Parte* I, *c.* 12) posuimus, signum quoddam [d] indicit Moysi, quod a se electum confirmet principem sacerdotum. *Dixit Dominus Moysi :* [e] *Sic dices filiis Israel, ut dent omnes principes illorum singuli* [f] *in tribubus virgas suas* (*Num.* XVII, 2). Duodecim igitur virgas accipiens Moyses, et virgam Aaron inter virgas illorum, posuit eas coram Domino, intulitque in tabernaculum testimonii. Et factum est, in crastinum introiit Moyses et Aaron in tabernaculum. Et ecce germinavit virga Aaron ex domo Levi, et produxit germen, florem, germinavit et nuces (*Ibid.*, 6). Quo profecto signo quietum populum esse jubet, dicens : [g] *Desinat murmuratio eorum a me, et non morientur sic omnes* (*Ibid.*, 10). Hæretici pereunt contra Domini sacerdotem legitimum murmurantes. Quod vero florescens virga Aaron produxit nuces, nostrum hæc Christum Dominum indicant Sacerdotem : de quo dicit Isaias : *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* XI, 1). In nuce vero mundum Ecclesiamque in mundo ostendi, qui pie quærit, intelligit. Ex duabus quippe partibus conjunctis, tamquam intra cameram cœli et spatia terræ, velut quatuor partes orbis, [h] intrinsecus cum populis continentur : tenue quoddam corium habens in medio sui, ut maria diffusa per partes.

19. Ecclesiæ quoque mysteria hæc in ea sunt, duorum veteris et novi Testamentorum operta secretis, quatuor cornua crucis, quibus orbis redimitur, et aquam baptismi in medio sui habens, qua virens semper fructificansque florescit. Hujus pomi arbor celsa petens, opacis ramis, aspersa per tenues mollesque surculos, aut singulas in unitate, aut [i] binas in duobus præceptis, aut ternas in trinitatis numero, quatuorve connexas in quatuor Evangeliis, gemmarum in modum producens, sui artificis pulchritudinem operaque mira declarat. Harum expressus succus [j] ex tegmine, quædam in se tincta alba colorat, ac medendi gratia exasperatis faucibus adhibetur. Hæc virentium nemorum fronde vestita tegmina fovent æstuantes, in requiem suorum scilicet [k] foliorum, temperantque flatu suo ægrotantis incendia. Nec immerito Jeremiæ prophetæ jubet Dominus [l] baculum sibi nuceum facere debere (*Jer.* I, 11), in quo omnis Ecclesia in mundo, [m] et mundus in ea Christi sustentetur auxilio, ejusque gratia sufferatur, quæ canit in Psalmis, et dicit : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (*Ps.* XXII, 4).

## CAPUT XI.

*In æneo serpente, Christum Dominum a morsu diaboli liberantem.*

Prædictio facta et figurata. In Numerorum libro credita et visa.

20. Sitiens rursum in alia eremi parte populus, adversus Moysem et adversus Dominum murmuravit (*Num.* XX, 2). [n] E petra qua, ut prius aderat, Moyses produci posse aquam diffidit (*Exod.* XVII, 5), is qui talia vel ampliora signa jam fecerat, ex hoc offensam incurrens, quod non [o] clarificaverit Deum coram filiis Israel; non ipsum introducturum populum in terram promissionis, vindex sententia divina confirmat (*Num.* XX, 12). Ibi Aaron in Or monte defunctus, Eleazarum filium sacerdotemque dimisit (*Ibid.*, 29). Moyses paululum reservatur, cujus in locum [p] Jesus Nave filius transit, qui populum in terram promissionis induxit. Recte huic nomini etiam terrena hæreditas distribuenda servata est : quoniam non *esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat salvari* (*Act.* IV, 12. *Phil.* II, 10), apostolica est sententia præfinitum, quæ nostrum ducem Christum Jesum Dominum ostendit, suis hæreditatem perpetuam seipsum distribuentem, et qui [q] eum percipientes, dicunt : *Hæreditas mea præclara est mihi* (*Ps.* XV, 6).

21. Dum vero idem populus pergit per certas gentes, quas ei Dominus mandaverat exstirpandas, quarum scilicet ex culpa idololatriæ, suppletis peccatis jam finis advenerat, fatigatus itinere, adversum Dominum murmurans, serpentum morsibus vexatus in eremo est, pœnitensque Moysem supplicem pro se Domino fieri precibus exorat (*Num.* XXI, 5 *et seqq.*). Verum ille semper pius et misericors Deus, qui partibus judicans dat locum pœnitentiæ (*Sap.* XII, 10), remedium exaltati serpentis in ligno, contra mortiferos serpentum morsus dedit. Jubetur enim Moyses æneum formare serpentem, eumque alto ligno configum, populo præcipere, ut si quis se vulneratum cujuslibet serpentis morsu sentiret, statim æneum respiceret serpentem, cujus aspectu continuo [r] sanaretur. Hic etiam sic ille illuditur serpens diabolus, de quo per David dicitur : *Draconem quem finxisti, ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 26). Cum enim in hujus vitæ eremo diversis ex vitiis, jam consecratis in baptismo tamquam in mari Rubro, pestiferos morsus

[a] Ms. Remig., *Sephone.*

[b] Ms. Remig., *in hujus vitæ eremo.* Editi, *in hac vita.*

[c] Ms. Remig., *contemnens.*

[d] Ms. Remig., *prædicit.*

[e] Ms. Remig., *Dic.*

[f] Editi, *in tribus.*

[g] Ms. Remigianus, *desinet.*

[h] Ms. Remig., *intrinsecus continetur, cum populus tenue*, etc.

[i] Ms. Remig., *geminas.*

[j] Ms. Remig., post hæc verba, *ex tegmine, fovet æstuantes* subjicit, cæteris prætermissis.

[k] Ms. Remigianus, *filiorum.*

[l] Alludit auctor ad Jerem. I, 11 : *Virgam nuceam*, seu *baculum amygdalinum, ego video.*

[m] Hæc verba, *et mundus in ea*, omittuntur in ms. Remigiano.

[n] Editio recentior : *E petraque.*

[o] Edit. Colon., *glorificaverit.*

[p] Ms. Remigianus, *Jesus Nave transeat . . . repromissionis.*

[q] Ms. Remigianus, *qui ei.*

[r] Ms. Remig., *sanabatur.*

Digitized by Google

infixerit diabolus, statim exaltatum in ligno crucis Jesum Dominum respiciat, id est, a cœlesti medico non recedat, ut *omnis qui* viderit et *crediderit in eum* (sicut ipse in Evangelio dicit) *non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 15).

## CAPUT XII.

*In eis qui pro Christo parentes contempserint, venire benedictionem.*

**Promissio facta et figurata. In Numeris credita et visa.**

22. Benedictum a Deo populum, Balaac rex Moab conducens Balaam prophetam ex gentibus (licet unius veri Dei vatem) ut malediceret invitavit: quem maledictum existimabat se facile superaturum (*Num.* XXII, 5 *et seqq.*). Sed propheta a Domino requirit utrum pergat an maneat. [a] Prohibeturque a Domino ne veniat, ac regi mandat sibimet interdictum. Aliis nuntiis rex, ampliora munera promittens, prophetam hortatur ut veniat (*Ibid.*, 15 *et seqq.*). Rursum ille ab eo qui jam prohibuerat, corde perverso quærit tentans utrum locus daretur eundi. Huic recte resonat Scriptura: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI, 16; *Matth.* IV, 7). Datur igitur jam mente saucio pergendi potestas, ita ut [b] si quid Dominus in os ejus dedisset, hoc ipse proferret. Dum vadit [c], avaritiæ suæ jam corde captivus obvius ei angelus, jumento ipsius quo [d] vehebatur se potius manifestare voluit quam illi (*Num.* XXII, 28): quia *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insensatis, et* non *similis*, sed pejor *factus est illis* (*Ps.* XLVIII, 21). *Subjugale enim* (ut Petrus apostolus dicit in Epistola sua) *humana voce respondens, vetuit prophetæ dementiam* (II *Petr.* II, 16).

23. Tunc coram rege conductus ille propheta, dum cogitat maledicere, benedixit (*Num.* XXII, 36; XXIII, XXIV): illorum deputatus ex numero, quos propheta David designat, dicens: [e] *Maledicent illi, et tu benedices* (*Ps.* CVIII, 28); et alibi: *Ore suo benedicebant* (*Ps.* LXI, 5) [f]. Hoc exitus posterior docuit. Suppletam enim benedictionem propheticam, [g] qua, etiam per talem, adventum unici Filii sui ex illo populo Deus gentibus promittebat. Quo vaticinio actus dixit inter cætera: *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israel, et confringet omnia regna terræ* (*Num.* XXIV, 17). Quæ de Christo Domino dicta, Evangelia divina attestantur (*Matth.* II, 2). Is igitur qui maledicere voluit, [h] nec valuit, consilium nequissimi serpentis exquisitum regi dedit. Speciosas quasque feminas, quarum forma ornatusque ferrum virtutemque [i] molliret, electas e suo populo ad concitandam libidinem [j] Hebraico populo dimittendas (*Num.* XXIV, 14; XXV, 1; XXXI, 16). Harum ex concupiscentia persuasi, sacrificantes idolis ac sacrificata vescentes, offenso Deo, totum pene Israel in mortem duxere captivum. Divina quippe manu percussi, dum plurima multitudo caderet in deserto, tota pene synagoga periisset, nisi Phinees sacerdos (*Num.* XXV, 8), adulteros mente et corpore ferro transfodiens, iram Dei [k] hoc facto placasset. Admonetur Joannes apostolus in Apocalypsi, scribere angelo, id est, rectori Ecclesiæ Pergami, quod in plebe ejus essent *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum* [l] *sub oculis filiorum Israel, edere de sacrificio, et fornicari* (*Apoc.* II, 14; *Num.* XXV, 2); esse etiam nunc tales ostendens, quos aut vindex ira [m] consumit, aut objurgatos sub pœnitentia indulta gratia liberat sacerdotis.

## CAPUT XIII.

*In Moyse transeunte, Jesum signasse Dominum rectorem.*

**Prædictio facta et figurata. In Deuteronomio credita et visa.**

24. Moyses vicinum se dum cognosceret sepulturæ, populo omnem recapitulans legem, benedictionibus maledictionibusque, atque terribili illo Deuteronomii cantico, totam synagogam astrinxit, testem inducens cœlum et terram, nihil se ex mandatis Domini celasse, omnique vigili cura egisse ne quid exsisteret quod læderet populum: monetque a præceptis Domini non discedendum, neque ab eo in aliquo declinandum; metuendumque esse [n] prosperis ne sequantur adversa (*Deut.* XXXI, 12). Addit quoque prophetico spiritu eis futura designans, post suum obitum, relicto vero Deo, post gentium eos vana et noxia concursuros [o] simulacra: quorum ex cultu peccatorum ponderibus gravati, in ima [p] mergantur: eosque dimitti a Deo, si ipsi dimiserint Deum (*Deut.* XXXI, 16). Quibus dictis, omnes tribus mystica benedictione consignans (*Deut.* XXXIII, 1 *et seqq.*), Jesu filio Nave tradita gubernanda plebe (*Deut.* XXXI, 7), ipse jam provectus ætate, ad Dominum ex hac vita migravit (*Deut.* XXXIV, 5). Commendavit quoque noster Mediator Jesus Dominus fidem ac pacem suam discipulis suis, transiens de hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIV, 1), eosque, ut Joannes evangelista dicit usque in finem diligens erudiit (*Joan.* XIII, 1). Illud, quoque propheticum futurum discentibus per suum Paulum apostolum mandans, quod post ejus obitum introirent graves lupi non parcentes gregi (*Act.* XX, 29), et ex ipsis discipulis exsurgerent pseudoprophetæ loquentes perversa (*Matth.* XXIV, 5) De quibus in epistola sua dicit: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem* (*Phil.* III, 2). Commendansque [q] omnes Deo et verbo gratiæ ejus, ulterius non visuros faciem suam Paulus affirmat (*Act.* XX, 25), eosque Domino Jesu tradidit gubernandos, qui est cum suis usque in consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20).

## CAPUT XIV.

*In Jesu Nave, Jesu Domini figuram ostendit, terrenam expugnantem civitatem.*

**Promissio facta et figurata. In Jesu Nave credita et visa.**

25. Jesus Nave filius, jubente Deo, manu Moysi consecratus, dux effectus est populi (*Deut.* XXXI, 7). Neque enim, quod sæpe dicendum, decebat Dei populum in terram promissionis alium introducere, nisi illum qui et nominis et rei [r] sacramenta salutemque portaret. Hic exploratores duos in Jericho mittit, quæ prima in civitatibus promissæ terræ esse videbatur (*Josue* II, 1). Misit et noster Jesus Dominus exploratores duos, qui sui primi adventus ter-

[a] Ms. Remig., *prohibitusque regi mandat, ne veniret ad non sibimet interdictum.*
[b] Ms. Remig., *sicut.*
[c] Ms. Remig. addit vocem, *iter.*
[d] Ms. Remig., *vectabatur.*
[e] Ms. Remig., *Maledicunt illi, et tu benedicis.*
[f] Ms. Remig. addit, *et corde suo benedicebant*; forte, *maledicebant. Hoc enim.*
[g] Ms. Remig. et edit. Lugd., *quam etiam.*
[h] Hæc verba, *nec valuit*, supplentur ex ms. Remigiano. Aberant ab editionibus antiquioribus dempta Lugd., in qua habetur, *nec potuit.*
[i] Ms. Remig., *mollesceret.*
[j] Ms. Remig., *Hebræo.*
[k] Ms. Remig., cum recent. edit., *hoc modo.*
[l] Ms. Remig., *in oculis.*
[m] Ms. Remig., *consumet.*
[n] Ms. Remig., *prospera.*
[o] Ms. Remig. addit vocem hanc, *simulacra.*
[p] Editi, *merguntur.*
[q] Ms. Remig. supplet vocem *omnes.*
[r] Ms. Remig. addit, *futura.*

Digitized by Google

tam [a] prædicando concuterent, Zachariam scilicet A sacerdotem, ejusque filium Joannem : de quo idem pater sacerdosque eidem suo filio dicit : *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini, præparare vias ejus* (*Luc.* I, 76). Item de ipso Joanne angelus : *Præcedet*, inquit, *ante eum in spiritu et virtute Eliæ* (*Ibid.*, 17). Exploratores terræ illius excepit Rahab meretrix, quæ eos abscondens, a suis persequentibus liberavit (*Josue* II, 4). Et quos [b] Dominus Jesus misit, suscepit anima fornicaria, quæ nominis Jesu exspectans salutem, a prostitutione idololatriæ, per coccinum, signum ejus [c] sacri sanguinis, liberata est.

26. Has animas ex hac fornicatione [d] venientes, etiam Thamar illa nurus Judæ in suis [e] geminis signat, dum minor ejus filius manum prior ex utero [f] cœpit mittere, et accepto signo coccino, posterior natus est (*Genes.* XXXVIII, 27) : gentium in se populum ostentans, qui vagus, dum prior manum misisset in sacris idolorum, posterior ad Christum per signum ejus sanguinis baptismo renatus advenit. Sub B lino illa Rahab exploratores abscondit. Sub lino [g] et nostri Jesu Domini exploratores fuisse absconsos Isaias propheta testatur, dicens : *Arundinem quassatam non comminuet, et linum fumigans non exstinguet* (*Isa.* XLII, 3; *Matth.* XII, 20) : gentem ipsam Judæam signans, quæ ut linum, fumigans in sacrificiis, omnem usque ad Christum [h] tectam celavit prophetiam ; ipsosque præcursores nostri Christi Jesu, a quo non exstincta nunc usque servatur ; ut quæ in ea adhuc tecta latent, [i] futuro in tempore revelentur. Metu [j] enim Jesu ducis suos territos cives mulier illa explorantibus prodidit, ut etiam illud impleretur quod de nostro Jesu Domino dictum est : *A facie tua gentes turbabuntur, cum feceris mirabilia* (*Isai.* LXIV, 2, 3). Reversi exploratores ad Jesum, cum omnia quæ egerant retulissent ; jussu divino duodecim tribuum Israel jubet castra moveri, simulque omnes transire Jordanem, arca præeunte (*Josue* III, 1), quæ [k] jam in figura, ut dictum est, nostri Jesu ducis [l] sa- C cramenta portaret.

27. Hæc dum in medio fluminis moraretur, divisas in partes inferior unda dum iret, superiorque immota subsisteret, solum siccum ipse alveus præbuit transeuntibus (*Ibid.* 16). Statimque præcepto Domini duodecim lapides a singulis tribubus de medio fluminis Jesus jussit auferri (*Josue* IV, 1) : quibus in sacrato numero duodecim apostoli nostri Jesu signarentur. Transeunte autem populo, famulatu quem unda Dei jussu præbuerat suppleto, rursum recurrens in sese fluvius lætos per se reddidit transeuntes (*Ibid.*, 18). Baptismi et hic instar expressum, ut hi qui in eremo nati Rubri maris sacramenta non noverant, Jordanis in transitu abluti, circumcisionem ex cultellis [m] susciperent petrinis. Omnis enim sub nostro Jesu consecratus in baptismo, ex petra corde circumciditur, quia omnis virtus ejus in petra firmatur. Quam petram Christum esse jam supra [n] ostenditur (I *Cor.* X, 4).

## CAPUT XV.

*Per Jesum Dominum animæ a prostitutione idolorum liberantur.*

Prædictio facta et figurata. In Jesu Nave credita et visa.

28. Jerichonta Dei populus cum Jesu duce veniens, eamque munitam omni ambitu prospiciens civitatem, obsidione vallavit (*Josue* VI, 1 *et seqq* ). Mirabilis autem in divinis præceptis illic videtur [o] initus esse conflictus : actumque est quodammodo certamen spiritale, septem tubarum clangoribus septies in die septimana tota recurrente, die ultimo [p] tubis concrepantibus, jubilantibus cunctis, omnis illa superba murorum constructio, non humana, sed divina manu concussa intercidit (*Ibid.*, 16). Subversa civitas, concremataque cum populis incendio, sola [q] ex eo Rahab cum suis per signum sanguinis potuit liberari (*Ibid.*, 17). His tubis, hoc fremitu jubilantium, præcepto Jesu Domini etiam noster pugnat exercitus. Nam septiformi spiritu, sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, ac timoris Dei (*Isai.* XI, 2 ), dum resonant qui canunt in tubis ductilibus et voce tubæ corneæ, jubilatque populus in conspectu regis Domini (*Ps.* XCVII, 6), septies in die dum laudes dicunt super judicia justitiæ ejus (*Psal.* CXVIII, 164), omnis Jerico civitatis [r] terrenæ superbia debellatur (*Josue* VI, 24). Concrematur incendio ab eo de quo dicitur : *Ignis ante eum* [s] *præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus* (*Psal.* XCVI, 3). In qua spes salutis datur fornicariæ animæ pœnitenti, dum signo sanguinis Jesu Domini liberata, dicitur elatis et tumidis : *Meretrices et publicani præcedent vos in regnum Dei* ( *Matth.* XXI, 31). Tales quippe animas invenit Jesus Dominus noster, sive in Judæis, sive in gentibus. Quarum exemplo ut a sua prostitutione transiret ad legitimum virum, jubetur Osee propheta mulierem accipere fornicariam, atque ex ea procreare filios, ut sit jam uxor, quæ paulo ante fuerat meretrix, habeatque filios, quæ studebat filios non habere, nec jam libidini, sed suscipiendæ serviat proli (*Osee* I, 2).

29. Evidentius hoc per Jeremiam prophetam exponitur, cum tota arguitur Judæa : *Si contaminata fuerit mulier*, ait Dominus, *numquid revertetur ad eum vir suus? Et tu fornicata es in pastoribus multis, et sic revertere ad me, dicit Dominus* (*Jerem.* III, 1). Et per Oseam : *Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non dilectam, dilectam* ( *Osee* I, 10 ; II, 24 ; *Rom.* IX, 25). Apostolus quoque Paulus hujusmodi animas salubriter objurgat, dicens : *Auditur in vobis fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec* [t] *inter gentes* (I *Cor.* V, 1). Sed tales etiam sua gratia Jesus noster Dominus dum suscipit ad salutem, divinitate illa potentiæ suæ fornicariam, virginem facit. Quam pronubus in se Paulus casto spiritualique connubio componit, dicens : *Aptavi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2). De qua filios non carne, sed spiritu excipiens, facit Ecclesiam virginem, matrem filiorum fecunditate [u] lactantem (*Ps.* CXII, 9). Quos

[a] Ms. Remig., *prædicandam*.
[b] Ms. Remig., *noster Jesus Dominus*.
[c] Ms. Remig., *sacro sanguine*.
[d] Emendamus ope ms. Remigiani. Alias editi, *vehementer*.
[e] Ms. Remig., *criminibus*, sed, ut videtur, minus bene.
[f] Ms. Remig., *mitteret*.
[g] Ms. Remig., *et nostros*.
[h] Ms. Remig., *texit et celavit*.
[i] Sic ms. Remig. Editi, *latent futura, in tempore revelentur*.
[j] Ms. Remig., *Metu tamen Jesu duce*.
[k] Ms. Remig. habet, *in figura*. Editi carent particula *in*.
[l] Ms. Remig. *omnia sacramenta*.
[m] Ms. Remig., *susceperint*.
[n] Ms. Remig , *ostendimus*.
[o] Corrigimus ex fide ms. Remig. In editis legebatur, *illic videtur virtus fuisse. Conflictus, actumque*, etc.
[p] Ms. Remig. addit vocem, *tubis*.
[q] Ms. Remig., *ex ea*.
[r] Ms. Remig., *terrena*.
[s] Ms. Remig., *ardebit*.
[t] Ms. Remig., *in gentibus*.
[u] Editiones antiquiores, *lactantem*, recentiores vero, *lætantem* ; prioribus favet ms. Remig.

Digitized by Google

secum admonet Joannes apostolus dicens : *Charissimi, filii Dei sumus, et necdum apparuit* [a] *quid erimus* (I *Joan.* III, 2). Conjungit et Paulus : *Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 17).

## CAPUT XVI.

*Per Jesum Dominum omnia vitia expugnanda.*

[b] Promissio facta et figurata. In Jesu Nave credita et visa.

30. Expugnat Jesus Nave filius Chananæum, Cethæum, Pheresæum, cæterasque gentes, quarum terras populo suo Dominus in hæreditatem promiserat (*Josue*, XI 3, *et seq. cap.*). Expugnat et noster Jesus Dominus idololatriam, superbiam, invidiam, luxuriam, cæteraque vitia, ut suis seipsum præparet æternam hæreditatem. In funiculo Jesus Nave filius, victori populo terram divisit (*Ps.* LXXVII, 54). Dicit et noster triumphans in Christo Jesu populus : *Funes ceciderunt mihi in præclaris. Nam et hæreditas mea præclara est mihi* (*Ps.* XV, 6). Jubet Dominus filiis Salphad, quia virum hæredem non reliquit, paternam suscipere hæreditatem (*Num.* XXVII, 6), ut in his animæ auxilio [c] humano destitutæ signarentur, quas dum respicit Deus, dicunt : *Dominus portio hæreditatis meæ et calicis mei ; tu es qui restitues mihi hæreditatem meam* (*Ps.* XV, 5). Terminos positos quæque tribus inviolata fide custodit. Dicitur et nostro populo : *Non transgredieris terminos æternos quos posuerunt patres tui* ( *Prov.* XXII, 28 ). E mundo migraturus Jesus, ultima contestationis suæ verba, sicut Moyses, hæc populo tradidit : A mandatis Domini non discedendum, si vellent semper esse liberi, et ab inimicorum insidiis alieni : nihilque se ab eis accepisse, vel eos in aliquo læsisse confirmat (*Josue* XXIII). Et suos Jesus noster Dominus transiens, hac pactione [d] constringit : *Si feceritis*, inquit, *quæ mando vobis*, *vere mei discipuli estis*, *et cognoscetis veritatem*, *et veritas liberavit vos* ( *Joan.* VIII, 31). Quibus cum dedisset exercendorum miraculorum potestatem, ne quid ab C aliquo sperarent, quod ipsi non dederant, [e] dixit, *Gratis date* (*Matth.* X, 8). Post abscessum Jesu populus ille non ducem, sed judices regendos accepit (*Judic.* I, 2). Et cum noster Jesus Dominus transiret de hoc mundo ad Patrem, rectores Ecclesiæ suæ per universum instituit mundum.

## CAPUT XVII.

*In figura Ecclesiæ Delbora hostem superavit.*

[f] Prædictio facta et figurata. In Judicum [g] credita et visa.

31. Primus Judas inter cæteros Judices fuit qui judicarunt Israel (*Jud.* I, 2). De cujus tribu, ut sæpe diximus, Dominus Christus huic mundo in carne, Judex omnium animarum præsentatus est. Relicto vero Deo, populus Israel oblitus mandatorum Moysi et Jesu famulorum Dei, servivit idolis gentium, [h] eosque sequens vindicta, per confines inimicos vexavit ( *Jud.* II, 11 *et seq.* ). Hoc et nunc agitur, D dum renati per baptismum filii Dei, vanis superstitionibus curisque hujus sæculi implicantur, vin- A culisque peccatorum suorum unusquisque constringitur (*Prov.* V, 22). *Clamaverunt* filii Israel *ad Dominum*, cum pressuram paterentur, *et de necessitatibus eorum liberavit eos* ( *Ps.* CVI, 6 ). Dicit etiam noster Dominus per prophetam : *Erit cum* [i] *clamaveritis ad me et dixeritis*, *Pater*, *exaudiam vos ut populum sanctum* (*Isai.* LVIII, 9). Cujus in manifestatione, clamantem ad patrem filium perditum, cum magna miseratione pius pater in Evangelio [j] pœnitentem suscipit redeuntem (*Luc.* XV, 21). [k] Subsequens in judicibus [l] Delbora prophetes, mater surrexit in Israel, quæ judicavit populum annis quadraginta (*Jud.* IV). Hujus in tempore Sizaram ducem regis Jabin adversus plebem Domini rebellantem, divina virtus in manu feminæ conclusit [m] : illum scilicet terribilem curribus, equitibus, populisque metuendum. Nec eum [n] ferro, sed femina virum ligno confixit, palo ac malleo tempora illius transfodiens (*Ibid.*, 21) : quæ nostræ matris Ecclesiæ similitudinem gerens, [o] voce resonaret B in Psalmis : *Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. Ipsis obligati sunt pedes, et ceciderunt, nos vero surreximus et erecti sumus* (*Psal.* XIX, 8, 9). Hæc et alia cantat sancta Ecclesia expugnans idola, idolorumque cultores, nec non et vicinos hostes suos hæreticos. Qui dum adversus eam castra constituunt, non timere cor suum dicit; et, *Si exsurgat*, ait, *in me bellum, in illud ego sperabo* (*Psal.* XXVI, 3). Et in alio psalmo : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi* ( *Ps.* CXXVIII, 1, 2). Quia *Dominus justus* [p] per crucis lignum *contrivit cervices peccatorum.*

## CAPUT XVIII.

*In figura Gedeon gratiam Domini Christi commendat.*

Promissio facta et figurata. In Judicum credita et visa.

32. Rursum pro peccato idololatriæ affligitur populus eum deprimente Madian (*Jud.* VI, 1). Missus angelus Domini ob redemptionem eorum, Gedeon filium Joas unum ex Hebræis ad judicandum præliandumque pro eo mittens, hoc dicto instruit: *Dominus tecum, potens in virtute* ; et Gedeon : *Si Dominus nobiscum est*, ait, *quare nos invenerunt mala hæc* (*Ibid.*, 12, 13)? Et angelus : *Vade*, [q] ait : *in manu enim tua liberabitur Israel de manu Madian* (*Ibid.*, 14). Cumque Gedeon [r] ex minima tribu se esse in Israel coram Domino fateretur, ab eo qui exaltat humilem, eumque sedere facit cum principibus populi sui (*Ps.* CXII, 8), roboratus, statim aram Baal, quam filii Israel construxerant, subvertit. Hunc populus pro hoc facto insectatus, [s] in domum patris sui fugientem obsedit (*Jud.* VI, 27 *et seqq.*). Cumque impetum populi declinasset, pater ejus Joas furentem plebem his mitigavit verbis : *Numquid vos*, ait, *vindicatis Baal, aut salvum facitis eum? Qui* [t] *in eum injurias ingessit, morietur* [u] *in mane. Si Deus est, ipse se vindicabit* (*Ibid.*, 31). Verum cum populus placatus abscederet, spiritus Domini induit Gedeon, eumque virtute subfultum ad præliandum mittit, signum victoriæ voluntati ejus assignans. Duo tamen ipse poposcit, quæ in magno mysterio usque in tempus

[a] Editiones veteres, *quod erimus*.

[b] Sic ms. Remig. cum edit. Colon. et posterioribus. Antiquiores vero, *prædictio*.

[c] Ms. Remig. addit vocem hanc, *humano*.

[d] Ms. Remig., *constringens*.

[e] Ms. Remig., *Gratis, dixit, date*.

[f] In editione Colon. et recentioribus, *Promissio*.

[g] Ms. Remig. et recentiores editiones hic et in sequentibus capitulorum titulis addunt vocem *libro*, quæ, licet omissa, subintelligitur in antiquioribus editionibus.

[h] Ms. Remig., *eumque*.

[i] Ms. Remig., *Cum clamantes ad me dixeritis*.

[j] Deest vox illa, *pœnitentem*, in ms. Remig.

[k] In ms. Remig. præsens caput dividitur ante hoc verbum, *Subsequens*, cui præfigitur titulus, *Prædictio facta et figurata ; in Judicum credita et visa.*

[l] Ms. Remig. legit, *Debbora*.

[m] Editi addebant hic vocem *illum;* quæ ex ms. Remigiano judicatur superflua.

[n] Ms. Remig., *ferrum... lignum.*

[o] Ms. Remig., *vocem.*

[p] Ms. Remig., *crucis ligno.*

[q] Ms. Remig., *inquit.*

[r] Editi, *in minima.*

[s] Ms. Remig. caret particula *in.*

[t] Ms. Remig., *qui ei.*

[u] Ms. Remig., *usque mane.*

Digitized by Google

velata noscerentur. *Volo*, inquit, *Domine, ut vellus quod est in area, impleatur aqua, et area sicca sit* (*Jud.* VI, 37). Factum est. Sicca area, ros [a] omne descendit in vellus: quod expressum pelvim replevit aqua. Vellus repletum in area sicca, [b] agnoscimus Synagogam, Ecclesia tunc sicca in fide gentium, quæ cum nullo imbre supernæ doctrinæ rigaretur, Synagoga, ut vellus, repleta erat divinis oraculis sacrisque mysteriis. Quod vera virtus Jesus Dominus eo usque expressit in pelvim, ut propinquante passione, pedes in ea lavans suis discipulis (*Joan.* XIII, 5), omnem Sygnagogæ gloriam vacuans, tamquam vellus expressum inanem relinqueret; gentibus gratiam novi Testamenti ministrans, quam in secundo signo evidenter ostendit. *Volo, Domine*, inquit Gedeon, *ut vellus siccum sit, et area omnis compluatur* (*Judic.* VI, 39).

33. Utrumque factum, futurumque in Christo et per Christum, David propheta [c] confirmat, dicens in psalmo septuagesimo primo (*Vers.* 6): *Descendet sicut pluvia in vellus* (quod pertinet ad Synagogam), *et sicut guttæ distillantes super terram* (quod pertinet ad Ecclesiam). Et in Deuteronomio: *Excipiatur*, inquit, *sicut pluvia pronuntiatio mea, et descendant, velut ros, verba mea* (*Deut.* XXXII, 2). In vellere ros, tunc refertam Synagogam; et pluvia in area, nunc repletam Ecclesiam gratia ostendit. Dicit et Isaias propheta: *Sicut ros aut pluvia* [d] *descendens non discedit, quousque inebriet terram et germinet, et det panem ad edendum his qui eam colunt: ita* [e] *et verbum quodcumque exierit ex ore meo, non revertetur quousque perficiat quæ volui* (*Isa.* LV, 10, 11). Perfectis igitur universis sacramentis, quæ aliis [f] condita tegebantur in vellere, Judæorum scilicet Synagogam inanem remansisse, omnis jam mundus [g] agnoscit; aream vero, Ecclesiam per omnes gentes gratia repletam, fecunditate credentium populorum. Sed eidem Gedeoni præceptum est, congregato agmine [h] egredi ad præliandum contra inimicos populi Dei. Veruntamen quia sacramentis omnia tegebantur, idem qui ductabatur exercitus, ad aquam probandus accessit. *Dixit* enim *Dominus ad Gedeon:* [i] *Deduc populum ad aquam: adhuc enim multi sunt tecum: eritque qui lambens lingua,* [j] *ut canis biberit, statues eos seorsum, cæteros dimittes* [k] *e castris* (*Judic.* VII, 4). Repertique sunt trecenti viri. *Hos*, inquit Dominus, [l] *adduces tecum: ne dicat Israel, Quoniam manus meæ salvum me fecerunt* (*Ibid.*, 2). Sic enim [m] agit divina providentia gratiam commendans, ut non in se quisquam, sed in Domino glorietur (I *Cor.* II, 31). *Quoniam non in multitudine exercitus potentia est belli, sed de cœlo est fortitudo Dei* (I *Reg.* XIV, 6).

34. Præliantur autem milites Domini hoc modo, succincti lumbis, hydriasque portantes in manibus (*Judic.* VII, 16), facesquoque [n] succensas, igniti mente et corpore, in hoc victoriæ [o] signo: *Gladius Domini et Gedeon*. Explorans igitur Gedeon per noctem castra partis adversæ, sentiensque quibus somniis Dominus eorum terruerit adversarios, diluculo suos ad milites [p] redit, eosque ut certa victoria potitos, alloquitur, jubetque Dei milites hydrias [q] e suis manibus in terram projicere ac protinus in adversarios omni cum fiducia prosilire (*Ibid.*, 18). Ita etiam sub nostro judice Jesu Domino, noster vicit et vincit exercitus. Cui præcipitur: *Sint lumbi vestri accincti et lucernæ ardentes portantes, gladium bis acutum, verbum Dei* (*Luc.* XII, 35). Quorum fortium corpora martyrum [r] in terra illisa, velut hydriæ, dum concrepant, eorum scilicet qui pro veritate certant usque ad mortem (*Apoc.* I, 16), suo grandi sonitu omnes fugavere inimicos. Horum triumphus suavi cantu resonat dicentium: *Habemus thesaurum istum* [s] *in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei, et non ex nobis* (II *Cor.* IV, 7). Gratias agentes *Deo, qui dedit* eis *victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum* (I *Cor.* XV, 57). Transierunt enim et nostri probandi per ignem et aquam (*Ps.* LXV, 12), lambentes lingua ut canes Domini: quos David memorat, dicens: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* (*Ps.* LXVII, 24). Hi enim pro eo nunc latrant, qui eum aliquando [t] oderant, quorum latratu omnis Christi fugatur adversarius.

## CAPUT XIX.

*In Abimelech concubinæ filium, hæreticos signat.*

Prædictio facta et figurata. [u] In Judicum credita et visa.

35. Abimelech filius ex concubina, post obitum patris sui Gedeon, interfectis a se septuaginta legitimis ejus filiis, sollicitato populo, Judex effectus est in Israel (*Judic.* IX, 1 *et seq.*). Unus e septuaginta dum evasisset absconditus, transeuntem, sub quadam parabola, totum increpat Israel (*Ibid.*, 7): quod infructuosa ligna silvestria, vitem et ficum dum sibi peterent regem, respondisse fructuosa infructuosis, non se posse relinquere fructus pinguedinis suæ, et [v] ire regnare in lignis. Hæc figura [x] præsumptam audaciam hæreticorum ostendit: qui cum sint non filii liberæ, sed ancillæ (*Gal.* IV, 31), ut silvestria silvestribus, id est, infructuosis animalibus, ea intentione, delictorum spinis obruti, potentantur, ut filios veri Regis et Judicis in anima [y] rebaptizando interficiant. Hunc tamen Abimelech audacem principem mulier, [z] e muro misso fragmento molæ, quassato capite occidit (*Jud.* IX, 53). Sic [aa] etiam decet perire hæreticos, qui caput nostrum Christum Dominum, contumeliosa disputatione expugnare [bb] dum nituntur, quoniam hæredes esse non poterunt ancillæ filii, sed liberæ: Ecclesia ut mulier ex gentibus, molam asinariam eorum collo alligans, eos mergit in profundum (*Matth.* XVIII, 6).

[a] Ms. Remig. addit, *omne;* tum pro voce *pelvim*, habet *lebetem*.
[b] Ms. Remig., *agnoscimus Ecclesiam tunc siccam in fide gentium*.
[c] Ms. Remig., *confirmans dicit*.
[d] Ms. Remig. addit, *propheta;* deinde locum Isaiæ sic habet: *Sicut ros aut pluvia descendit quousque... et dat*.
[e] Ms. Remig., *ita ut verbum quocumque... non revertitur quoadusque quod volui*.
[f] Ms. Remig., *abscondita tangebantur*.
[g] Ms. Remig., *agnoscet*.
[h] Ms. Remig., *egrediatur præliando*.
[i] Ms. Remig., *Adduc*.
[j] Sic edit. Ms. Remig. vero, *ut canes biberint*.
[k] Ms. Remig., *in castris*.
[l] Ms. Remig., *Adduc*.
[m] Ms. Remig., *ait*.
[n] Ms. Remig. addit hic, *portantes*.
[o] Ms. Remig., *signum*.
[p] Ms. Remig. et Lugd. editio, *rediit, eosque ut certam jam victoriam potitos*.
[q] Ms. Remig., *e suis*. Editi, *ejus*.
[r] Ms. Remig., *in terram relisa*, forte, *illisa*.
[s] Ms. Remig. addit hic, *absconditum*.
[t] Editi, *adorant*.
[u] Hæc adduntur ex ms. Remigiano.
[v] Ms. Remig., addit, *ire*.
[x] Ms. Remig., *præsumpta*.
[y] Ita ms. Remig. cum edit. Lugd. Cæteri, *baptizando*.
[z] Ms. Remig., *muro emisso fragmento molæ;* editi carebant voce hac, *molæ*.
[aa] Editi, *enim*. Ms. Remig., *etiam*.
[bb] Ms. Remig. addit, *dum;* et post pauca, *alligans;* ubi aliæ editiones habebant, *assignans*, in hoc ultimo ms. concinit editio Lugd. sola.

Digitized by Google

## CAPUT XX.

*In Jephthe, immolatæ carnis Christi immolatio virginis.*

Promissio facta et figurata. In Judicum credita et visa.

36. Jephte [a] quoque ordine subsequente, Dei populum per annos sex judicavit (*Judic.* XI, 6). Hic dum bellum gerit adversus filios Ammon, viditque sibi adversarios prævalere, temeraria præsumptione votum vovit, quod si inimicos vincere contigisset, quidquid ei primitus ex domo sua obviam fieret, offerret in sacrificium (*Ibid.*, 29). Cujus audacia hoc modo correpta est, ut non animal cujusque pecoris [b] existimatum, sed unica filia virgo, triumphantis more occurrens affligeret graviter de promissione victorem. Quam respiciens: *Heu! mihi*, ait, *filia*, *Offensio facta es in oculis meis. Vovi enim super te votum Deo, et non poterit averti. Dixitque ei filia*: *Si in me aperuisti os tuum, pater, ad Dominum, fac ita ut promisisti: propter quod* [c] *fecit Dominus vindictam de inimicis suis* (*Ibid.*, 35). Induciasque petit a patre, quibus in monte cum sodalibus suis fleret virginitatem suam. Quæ consummato tempore reversa, [d] sui sacrificii ex ea Jephte vota complevit. *Et hæc*, ut dictum est, *non noverat virum* (*Ibid.*, 39). Quæritur fortasse cur non ei præceperit Deus parcere debere unicæ filiæ, sicut Abrahæ unico jussit [e] ut parceret filio (*Gen.* XXII, 12)? Nasciturque famosa illa et ad solvendum difficilis quæstio, quam revelante Domino hoc modo persolvam; primo quod Deus non poposcerat a Jephte, tentando eum, [f] sicut ab Abraham; sed hic sponte vovit, non, ut dixi, tentatus a Deo, sed ipse quodammodo tentans Deum. Secundo, dignum [*Forte* indignum] fuit ut non taxata victima, canem, vel subjugale, aut quodlibet aliud [g] indignum pecus sibi primitus occurrens, ut promiserat, immolaret. Quia ergo non tentatus tentare voluit Deum, hoc ei occurrit quod [h] probaret virtutem, votum et animum promittentis.

37. Sed hunc Jephte Paulus apostolus in Epistola ad Hebræos (*Cap.* XI, 32), inter cæteros fide plenos, ex hoc ipso operatum dicit fuisse justitiam: commemorans Barach, Samson, Samuelem, cæterosque heroas nostros; ne sola terrena civitas plausu vanitatis suos extolleret cives, si pro ea filium Torquatus occidit, si Mucius dexteram porrexit in flammas, si Curtius se præcipitem dando voragini, pro ejus [i] sævitia vita privavit: cum longe [j] celsiora nostri, et multi ac multiplicia fecerint cives Jerusalem cœlestis civitatis magnæ. Hujus tamen Jephte operatio justitiæ admonet nos inquirere mysteria actionis Dominicæ, velut [k] datum fuerit tantæ rei explicare secretum. Hæc itaque figurata mysteria ad Judicem Ducemque nostrum Jesum Dominum ita [l] referunt, ut cognoscamus eum pro nostra redemptione de inimicis nostris vindictam volentem suscipere, unicam virginem carnem suam, [m] tamquam filiam immolasse. Et a seipso quippe formatus in utero dicitur per David prophetam: *Mater Sion dicet: Homo et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Ps.* LXXXVI, 5). Hæc occurrit in hora passionis, cum Crea-

A tor ejus, *principatus et potestates aeris hujus* [n] *exemplaret, fiducialiter triumphans eas in semetipso* (*Coloss.* II, 15). Occurrit, inquam, in hora de qua [o] in Evangelio dicit: *Pater, quid dicam? Transeat hæc hora. Sed propterea veni in hanc horam* (*Joan.* XII, 27), [p] ut is qui eam creaverat immolaretur.

38. Quod vero illa petit inducias, ut fleret in monte virginitatem suam cum sodalibus suis (*Judic.* XI, 37), ascendit in montem Jesus cum [q] sodalibus propinquante passione (*Matth.* XXVI, 30), illic orans, ut evangelista testatur, sudans: pro lacrymis, guttæ sanguinis stillare videbantur in terram (*Luc.* XXII, 44). Admonuitque sodales suos vigilare et orare, ne intrarent in tentationem: adjiciens tristem esse animam suam usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38, 40). Descendens vero de monte, hanc quam pro nobis susceperat carnem, sine corruptione virginem, quæ non noverat virum, obtulit sacrificium Deo Patri. Quoniam et hic aperuit os suum super carnem suam, dicens per prophetam: *Quæ* [r] *procedunt de labiis*
B *meis, non reprobabo* (*Ps.* LXXXVIII, 35). Et ipse in Evangelio: *In hoc me*, ait, *diligit Pater meus, quoniam animam meam pono pro ovibus meis* (*Joan.* X, 17). Et iterum: *Majorem hanc charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13). Neque enim vel in morte, caro illa corrupta est: de qua dicit in psalmo: *Caro mea* [s] *requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Ps.* XV, 9, 10). Vivit itaque Deo, qui vitam istam finit propter Deum. *Mihi enim vivere*, ait Apostolus, *Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* I, 21).

## CAPUT XXI.

*In Samson, Nazaræus Dominus Christus, fortis in capite.*

Promissio facta et figurata. [t] In Judicum credita et visa.

C 39. Manue dictus est in tempore illo, quo judices Dei populum gubernabant, cujus uxor sterilis fuit (*Judic.* XIII, 2). Huic angelus Domini astitit promittens filium talem futurum (*Ibid.*, 3). *Ferrum*, inquit, *non ascendet super caput ejus, et vinum et siceram non bibet: quoniam Nazaræus erit puer a die nativitatis, usque in finem mortis.* Jam Nazaræus, virtus sonat in capite: quoniam *viri caput Christus* (I *Cor.* XI, 3). Natus est igitur Samson ille fortissimus, plenus, ut dictum est, virtute ex coma capitis sui, qui judicavit Israel annos viginti. Hujus omnis actio in figura Christum Dominum resonat. Cujus gestorum ordinem adjutus Dei gratia [u] ita percurram. *Descendit*, dicit Scriptura, *Samson in* [v] *Taumatha, et dilexit illic mulierem alienigenam* (*Judic.* XIV, 1), suosque parentes petiit ut eam sortiretur uxorem. Descendit et noster de cœlo fortissimus, de quo dicit angelus ad Mariam: *Quoniam Nazaræus vocabitur* (*Matth.* II, 23); ut sibi dilectas ex gentibus animas sociaret, et fide
D conjungeret. Dum pergit Samson videre desponsatam sibi, catulus leonis ei obviam factus est, quem repletus spiritu [x] discerpsit, eumque misit per partes (*Jud.*

[a] Ms. Remig., *Ipso quoque ordine subsequente Jephte Dei populum.*

[b] Ms. Remig., *æstimatum.*

[c] Ms. Remig., *fecerat... de inimicis tuis.*

[d] Ms. Remig., *sua sacrificia ex ea Jephte votum implevit.*

[e] Ms. Remig., *parcere.*

[f] Ms. Remig., *sicut Abraham.*

[g] Ita ms. Remig., et quidem melius, ut videtur, quam quod legebatur in editis, *dignum.* Tum ms. *immolari.*

[h] Ms. Remig., *provocaret.*

[i] Editiones antiquiores, et ms. Remig., *sævitia*, recentiores, *servitio.*

[j] Ms. Remig., *celsiores.*

[k] Ms. Remig., *doctum... explanare.*

[l] Ms. Remig., *ita feram*, forte, *referam.*

[m] Editi, *eamque;* emendantur ex ms. Remig.

[n] Id est, palam traduceret, ac ostentui ludibrioque haberet; id enim significat, παραδειγματίζειν.

[o] Ms. Remig., *Evangelium dicit.*

[p] Ms. Remig., *ut eam qui creaverat immolaret.*

[q] Ms. Remig., *cum discipulis suis... illa orans.*

[r] Ms. Remig., *procedent... non faciam irrita, non reprobabo.*

[s] In ms. Remig., *requiescit... derelinquis.*

[t] Editi, *In Juda.* Emendantur ope ms. Remigiani.

[u] Abest vox *ita* a ms. Remig.

[v] Ms. Remig., *in Tamna.*

[x] Editio Ludg., *discerpsit.* Aliæ omnes, suffra

Digitized by Google

xiv, 5, 6). Rursum rediens declinansque viam, dum cadaver inspicit animantis, favum mellis in ore leonis suspiciens abstulit, idque comedens suis ex eo parentibus dedit, neque illis factum sui operis intimavit (*Ibid.*, 8). Hoc et noster Nazaræus Jesus Dominus egit. Discerpsit populum Judæorum, [a] ut catulum leonis, misitque per partes : de quo Balaam propheta gentilis ait : *Catulus leonis* [b] *in via fortissimus Israel* (*Num.* xxiii, 24). Hujus particulas per orbem sparsas propheta David testatur, dicens ipsi forti nostro Domino : *Disperge illos in virtute tua* (*Ps.* lviii, 12). [c] Quod factum non credimus, sed videmus.

40. Favum vero mellis quod in ore leonis hujus invenit, legem spiritalem populi ejus, auditor, intellige, quod apes patriarchæ atque prophetæ construentes, in eum mella infuderint divini eloquii. Hoc ex ore leonis mortui abstulit, qui repulsis Judæis, legem ipsam etiam gentibus ministravit. Idque [d] comedens corpus fortissimi nostri Judicis Christi Domini, dicit : *Quam dulcia* [e] *faucibus verba tua, super mella et favos ori meo* (*Ps.* cxviii, 103). Et Salomon ait : *Favi mellis, sermones boni* (*Prov.* xvi, 24). Dedit ex eo, dictum ut est, parentibus suis, sive discipulis, cum *aperuit sensum eorum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* xxiv, 45); sive his qui ex Judæis transierunt ad fidem Christi, ut etiam ipsi gustantes viderent, *quam suavis est Dominus* (*Ps.* xxxiii, 9). Hujus actionis ænigma Samson in convivio nuptiarum protulit, sub certa sponsione triginta sindonum, totidemque stolarum viris qui aderant, si proposita narravissent (*Judic.* xiv, 10). *Ex devorante*, inquit, *exiit esca, et ex forti* [f] *dulce* (*Ibid.* 14). Quam propinquante solutionis die cum intelligere nequivissent, ejus mulierem [g] minis terroribusque coactam explorare faciunt sensus viri, ac per ipsam propositionis solutione comperta, parabolam pandunt, dicentes : *Quid dulcius melle et fortius leone? Quibus ille ait : Si non* [h] *domassetis vitulam meam, numquam intelligeretis parabolam meam* (*Ibid.* 18). Magnum igitur illud pietatis Dominicæ sacramentum, quod in Lege fuit velatum, fuitque absconditum a sæculis in Deo; revelatum per Christum, manifestatum est in gentibus (*Coloss.* i, 26; I *Tim.* iii, 16). Sane a se prostratos exuens spoliis, promissa Samson omni celeritate persolvit (*Judic.* xiv, 19); ut de nostro quod dictum fuerat etiam signaretur, *Fortium dividet spolia* (*Isa.* liii, 12). Salubriter enim noster suos occidit inimicos, dum peccato peccatum occidit in carne (*Rom.* viii, 3), reddens spoliorum promissiones, non merita meritis, sed pro malis bona conferens miseris.

41. Pergens vero Samson ad diem festum Hebræi populi, ut cum suis agere potuisset, mulierem ejus viro alii parentes tradiderunt (*Judic.* xv, 1). Hoc faciunt leves vilesque animæ, quæ consortium unici sponsi Christi casto fidelique corde minime retinentes, cuilibet se hæreticæ tradunt sociantque doctrinæ. Admonetque Apostolus animas unius sponsi Christi, pudico amore, cubile servantes : *Videte ne quis vos seducat ullo modo* (II *Thess.* ii, 3). Reversus igitur Samson, cum cognosceret uxorem suam alteri viro fuisse conjunctam, insidiis illam gentem pro dolore confecit (*Judic.* xv, 3). Trecentis itaque vulpibus apprehensis, earum in invicem caudas innectens, faces his ardentes posuit, [i] easque per segetes Allophylorum ire dimisit, omnesque eorum fruges miro compendio succendit. Dicit quidem et noster fortis Dominus, hæreticos signans : *Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas* (*Cant.* ii, 15) : quibus sunt faces incendii potius erroris quam divini amoris. Nec sunt in capite, sed in cauda. Ardent enim studiis perversisque doctrinis, quibus imperitos vel potius [j] peritos vaporis sui aspersione afflantes, omnes eos, quasi ignis [k] agreste fenum, consumunt. Quoniam in conspectu nostri judicis Christi Domini ignis ardebit (*Ps.* xcvi, 3), *eruntque*, ut dicit propheta, *omnes alienigenæ, stipula : et succendet eos adveniens dies, dicit Dominus* (*Mal.* iv, 1). Illa vero mulier quæ, relicto tanto viro, alii se credidit sociandam, incendio cum suis parentibus a suis civibus dignoscitur esse consumpta (*Judic.* xv, 6), ut omnis anima hæretica cum suis parentibus, id est, doctoribus, igni [l] inextinguibili, peccatis traducentibus, exuratur. Quoniam *traducent illos ex adverso iniquitates illorum* (*Sap.* iv, 20), cum eis dixerit Dominus : *Discedite a me in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41).

## CAPUT XXII.

*In eodem Samson, quod ligatus Christus Dominus a Judæis, vincula omnia disrupit.*

Prædictio facta et figurata. [m] In Judicum credita et visa.

42. Idem Samson in illo populo aliam dilexit mulierem, quam dum pergeret accipere, soli transeunti viam inimicorum insidiæ irruerunt (*Judic.* xv, 15). Cui virtus divina statim affuit. Apprehensa etenim asini maxilla, mille viros ex ea prostravit, cæterosque vertit in fugam. Qui cum siti præliando deficeret, invocato Deo, ex rima ejus maxillæ aqua profluens priscæ virtuti reddidit satiatum, eumque adversariis superatis fecit esse victorem. Si nostrum fortem Dominum respicias hoc animali vectatum, tantumdem atque ampliorem numerum ab eo prostratum invenies inimicorum : cui et dicit David propheta : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : tibi autem non appropinquabunt* (*Ps.* xc, 7). Quoniam sitienti corpori ejus, ex latere, tamquam ex rima, sanguis et aqua manavit (*Joan.* xix, 34), qua satiata omnis anima Christiana dicit : *Super aquas refectionis educavit me, animam meam convertit* (*Ps.* xxii, 2). Post illud mirabile prælium, Samson sociavit sibi aliam quam dilexit mulierem, nomine Dalila (*Judic.* xvi, 4). Duas istas mulieres (ut ipsa actio mystica multipliciter discussa revelat) duas illas existimo civitates quas Ezechiel propheta his vocabulis consignavit, Oolla et Ooliba, Samariam, scilicet et Jerusalem (*Ezech.* xxiii, 4) : Samariam, quæ scissuram regni in undecim particulis suscepit, tamquam illa prima mulier quæ, relicto legitimo viro, se hæreticis tradidit; Jerusalem vero, ut hæc Dalila, quæ mysteria passionis Christi Domini, ordinata omni actione conclusit.

43. Quæ res gestæ ita sequuntur. Dixerunt Allophyli ad Dalilam : Seduc virum tuum, et indicet tibi in quo sit virtus ejus, et dabimus tibi sin-

gante ms. Remig., *dispersit*. At patet ex textu Scripturæ et sequentibus, ubi dicitur : *Discerpsit populum*, priorem lectionem ante ponendam.

[a] Editi, *et catulum*.

[b] Sic ms. Remig. Editi vero, *Juda*.

[c] Ms. Remig., *Quod factum nos credimus dum videmus*.

[d] Ita ms. Remig. At editi, *Idque comedit....... ut dicit*.

[e] Sic legitur in editionibus veteribus et ms. Remig., licet recentiores addant vocem *meis;* in quo ms. habetur : *eloquia tua super mel et favos*.

[f] Ms Remig., *dulcis*.

[g] Sic Ms. Remig., cui accedere videntur Lugdun. et Lovan., ubi legitur, *nimis terroribus*. Alii codices, *nimiis terroribus*.

[h] Ms. Remig., *dominaretis vitulæ meæ, numquam intellexissetis*.

[i] Hæc verba, *easque per segetes Allophylorum ire dimisit, omnesque eorum segetes miro*, quæ habebantur in ms. Remigiano et editione Lugdunensi, ab editionibus illi posterioribus exciderant, non sine sensus loci istius detrimento.

[j] Ms. Remig., *perituros*.

[k] Ms. Remig., *ut agreste fenum*.

[l] Ms. Remig., *inæstimabilis*.

[m] Hæc supplentur ex ms. Remig., cui deest prior titulus.

Digitized by Google

guli mille centum argenteos (*Judic.* XVI, 5). Ecce est illa triplex venditio. Venditur Christus in Joseph ante Legem (*Gen.* XXXVII, 28), venditur in Samson sub Lege, venditur a Juda Judæis sub gratia (*Matth.* XXVI, 15). Seducit Dalila mulier virum illis suadentibus, et dicit: *Indica mihi in quo infirmari possit virtus tua* (*Judic.* XVI, 7). Aperuit quodam modo os suum Samson in parabolis, et dixit: *Si ligatus fuero nervis humidis*, id est, recentibus, *infirmabor, et ero sicut omnes homines.* Sinit se fortis his vinculis colligari: insidiantibusque adversariis, [a] ac dicente illi uxore, *Philistiim* [b] *super te Samson;* ita illa vincula virtute dissolvit, tamquam stupa cum tetigerit ignem; adversariosque omnes vertit in fugam. Noster etiam Dominus [c] fortitudinis, apud Jerusalem velut his vinculis se ligari permisit. Adducunt enim ad eum [d] Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et dicunt tentantes: *Magister, modo hanc deprehendimus. Moyses jussit hujusmodi lapidari; tu vero quid de ea statuis* (*Joann.* VIII, 4)? Nervorum velut ex Lege vinculis se crediderant ligasse Jesum, et maxime recentium cum dixerunt, *modo.* [e] Quæ noster fortis hoc responso disrupit: *Qui*, inquit, *vestrum sine peccato est, prior in illam lapidem mittat* (*Ibid.* 7). Quo audito, unus post alterum discesserunt, ut illud vinculum, quo ligaverant, ita solveretur; quemadmodum dixit propheta: *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (*Ps.* LXVII, 3).

44. Rursum Allophyli per mulierem insidias tendunt; dicitque mulier ad Samson: *Indica jam mihi, in quo infirmetur virtus tua.* Et Samson: *Si ligatus fuero*, ait, *funibus novis, infirmabor, et ero sicut omnes homines* (*Judic.* XVI, 11). Cumque id fieret, *Adversarii ad te*, [f] inquit, *Samson.* At ille repletus spiritu [g] disrupit funes a brachiis suis tamquam filum, sparsit omnesque fugavit adversarios. Ligari se sinit et noster Dominus, fortis, [h] dum secundo veniunt ad eum Pharisæi et dicunt: *Magister, scimus quia in veritate doces; et nullius personam accipis. Licet tributum dare Cæsari, an non* (*Matth.* XXII, 16)? In hac tentatione fortem nostrum bicipiti quasi laqueo ligaverunt. Sed spiritu virtutis, fortis noster nodos omnes ista voce disrupit: *Quid me*, inquit, *tentatis, hypocritæ? afferte mihi numisma census. At illi attulerunt ei denarium. Et Dominus: Cujus est imago et superscriptio? Dixerunt, Cæsaris. Reddite*, ait Dominus, *Cæsari quæ sunt Cæsaris, et Deo quæ Dei sunt* (*Ibid.* 18). His dictis mira celeritate vincula illa disrupit, ille susceptus homo, qui Deo suo canit in psalmis: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo sacrificium laudis* (*Ps.* CXV, 16).

45. Tertio sollicitat mulier virum. [i] *Quousque*, inquit, *illudis me? Indica jam mihi in quo infirmetur virtus tua* (*Judic.* XVI, 13). Pene eadem verba et Judæi dixerunt nostro judici Christo. *Quousque*, inquiunt, *animas nostras* [j] *tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Joan.* X, 24). Sed Samson tertio se ligari hoc modo permisit: *Si alligati fuerint*, ait, *capilli capitis mei in palo orsorio, infirmabor, et ero sicut omnes homines.* Quod cum faceret mulier: *Iidem insidiantes ad te*, [k] inquit, *Samson.* At ille exsurgens, disruptis omnibus, fugatos plagatosque inimicos prostravit. Fit et nostro forti Jesu Domino hujusmodi colligatio, velut in orsorio palo contextio capillorum. Dicunt Scribæ et Pharisæi ad Jesum: *Scripsit nobis Moyses, quod si quis mortuus fuerit non habens filios, accipiat uxorem ejus frater ipsius, et suscitet semen fratri suo. Septem autem fratres erant:* [l] *accepit uxorem fratris secundus et tertius, et mortui sunt non relictis filiis; postea vero omnes eam acceperunt; sine liberis mortua est et mulier: in resurrectione*, aiunt, *cujus erit uxor* (*Matth.* XXII, 24 *seq.*)? Quanto vehementius se ligasse nostrum fortem crediderunt, tanto velocius solvit quam intulerant quæstionem. Et vere sicut potestatem habens (*Matth.* VII, 29), quia nec ligari his tentationibus posset, nisi ipse permitteret. *Filii*, inquit, *sæculi hujus generant et generantur: qui autem digni fuerint sæculum illud contingere, neque nubent neque nubentur. Non enim jam mori poterunt, quoniam sunt similes angelis et filiis Dei* (*Luc.* XX, 34). Quibus dictis, omni confusione prostrati, ejus fugati sunt inimici (*Ibid.* 40). Et venit hora mortis Samson. Dicit et noster: *Venit hora ut clarificetur Filius hominis* (*Joan.* XII, 23). *Nisi enim granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Ibid.* 24).

46. Instante et flente mendaciter coram se muliere, *pusillanimis factus est*, ait Scriptura, *Samson usque ad mortem:* ut [m] nostri figurata actio impleretur, dicentis: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). *Si rasi*, inquit Samson, *fuerint capitis mei capilli, infirmabor, et ero sicut omnes homines* (*Judic.* XVI, 17). Antequam hæc fierent, mittit mulier ad viros dicens: *Afferte argentum, jam enim mihi omnia veraciter indicavit.* Fit certa traditio, quam supplevit Judas percepto argento: impleturque in Samson per figuram quod [n] in nostro Christo Domino actum est etiam manifeste. Nam quod eum accipiens mulier dormire fecit in sinu suo, hoc est quod noster fortis Dominus dicit: *Non expedit mori prophetam extra Jerusalem* (*Luc.* XIII, 33). Quod eum inebriavit poculo mortifero, hoc est quod et Dominus noster dixit: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Ps.* LXVIII, 22). Quod vero novacula adhibita rasit caput ejus, hoc est quod eum in loco Calvariæ crucifixit. Raso capite Samson, discessit et virtus; et noster pendens in ligno clamavit: *Deus, Deus meus, respice me, quare me dereliquisti?* Et iterum: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui me oderunt gratis* (*Ps.* XXI, 1; LXVIII, 5). Effoderunt inimici Samson duos oculos ejus. Duæ partes, velut [o] lumina, discipulorum effusæ sunt ad tempus, [p] alii negando, alii fugiendo; pro quibus clamat noster fortis: *Oculi mei defecerunt sperando in Deum meum;* et iterum: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in mortem* (*Ps.* LXVIII, 4; XII, 4). Quod factum in discipulis novimus, quando illo resurgente, *aperti sunt oculi eorum, eumque cognoverunt in fractione panis* (*Luc.* XXIV, 31). Accipientes inimici Samson, ligaverunt eum ferro. Hoc clavi indicant Crucifixi.

47. Quæ vero illudentes fecerunt, dando palmas in facie, sputis linire, flagellis cædere; hæc omnia Isaias propheta prædixit (*Isa.* L, 6), et impleta in Christo Domino sancta Evangelia testantur (*Matth.* XXVII, 29, 30; *Marc.* XV, 17, 18, 19), ubi velut cæcatum illudunt Judæi, dum calamo percutientes caput ejus, dicunt: *Prophetiza nobis, Christe, quis te per-*

[a] Ms. Remig., *ac dicentibus.*
[b] Ms. Remig., *ad te.*
[c] Ms. Remig., *forti manu.*
[d] Sic ms. Remig. Editi, *foris.*
[e] Ms. Remig., *Quod...* et paulo post, *Si quis, inquit.*
[f] Ms Remig., *inquiunt.*
[g] Sic Ms. Remig. Editi, *disrumpens... spargit.*
[h] Ms. Remig., *hoc secundo: veniunt ad eum rursum.*
[i] Ms. Remig., *vel quo usque... indica jam mihi.* Editi; *indica, inquit, mihi.*
[j] Ms. Remig., *suspendis.*
[k] Ms. Remig., *inquiunt.*
[l] Ms. Remig., *accepit unus ex eis uxorem, et secundus et tertius. et omnes mortui sunt.*
[m] Ita ms. Remig. cum edit. antiquis; recentioribus addita fuerat hic vox *Domini.*
[n] Ms. Remig. hæc habet in accusandi casu: *in nostrum Christum Dominum.*
[o] Ms. Remig., *luminum,*
[p] Hæc voces *alii negando*, supplentur ex ms. Remig.

Digitized by Google

*cussit* (*Luc.* XXII, 64; *Matth.* XXVI, 68)? Unum vero A extremum in morte sua miraculum fecit Samson, quod etiam noster Dominus et fortis implevit. Crescente coma capitis, cum ei crevisset et virtus, ad templum ductus ab inimicis, quo omnis populus ille convenerat dare laudes et victimas diis suis, quod eis acerrimum suum tradiderant hostem; illic positus, puero qui sibi ducatum præbebat, ut ejus manibus columnas supra quas totum illud ædificium ferebatur traderet imperavit. Quas [a] singulis manibus apprehendens, invocato Deo, semel se adhuc confirmari petit; atque impetu spiritus columnas evellens, omne illud ædificium cum populis cadens, plures Samson occidit in morte sua, quam occiderat in vita sua (*Judic.* XVI, 22 *seq.*). Noster etiam Dominus manifestius quod ille mystico fecerat exhibuit: duos angulos mundi, circumcisionem scilicet ac præputium, velut duas columnas, in sua morte movens, omnem culturam idololatriæ subvertit: *solvens inimicitias in carne sua, ut duos conderet in se, in unum novum hominem; faciens pacem,* [b] *ut reconciliet utra-* B *que in uno corpore Deo, per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso* (*Ephes.* II, 14 *et seq.*). Hucusque [c] in Judicum figurate, quæ acta sunt, occurrerunt.

## CAPUT XXIII.

*Ruth, Ecclesia ex Gentibus Judæis illudens.*

Prædictio facta et figurata. In Ruth credita et visa.

48. Ruth in illo populo dicta est, quæ cum esset alienigena, id est, ex Moabitis veniens, sub lege Dei et populo posita, ea egit, quæ figuram gestarent Ecclesiæ venientis ex gentibus (*Ruth.* I, 4). Cuidam enim ex populo Hebræo se in conjugio matrimonii obtulit (*Ibid.* III, 9 *et* 12). At ille servans mandata legis, non specie tractus juvenculæ, non adolescentiæ suæ captus ardore, sese ingerentem ad eum mittit, cui propinquiori ex lege debebatur (*Deut.* XXV, 5). Recusat eam is qui jure divino pulsatus est. Excalceandum lex censuit qui propinquam accipere noluisset: C qua nota iste vexatus, illa illi sociata est, qui locum [d] in propinquiori servaverat (*Ruth.* IV, 8, 10). Sic Ecclesia [e] gentium etiam populo Israelitico in fide Christi Domini, in propinquiori sese obtulit: quam suscipere nolens rite excalciatus est gloria collatæ legis; et infamiæ nota inustus: quoniam *noluit benedictionem, et longe fiet ab eo* (*Ps.* CVIII, 18). Sicut Apostolus eidem populo dicit: *Vobis primo oportuit* [f] *annuntiari verbum Dei: sed quoniam expulistis illud, nec vos dignos vitæ æternæ judicastis, ecce convertimus nos ad gentes* (*Act.* XIII, 46). Domus enim excalceati in illo populo, hoc crimine notabatur. Qui vero eam posterior accepit, populus est, *calceatos pedes* habens *in præparatione Evangelii pacis* (*Ephes.* VI, 15). Quod Evangelium annuntiat, Booz et Ruth Obed genuisse, cujus per successionem seminis, usque ad Joseph et Mariam, ipsiusque Christi Domini nativitatem perventum est (*Matth.* I, 5 *et seq.*).

## CAPUT XXIV.

*In Samuele Christus Dominus, Dux, Sacerdos, et Propheta, sacerdotes arguens.*

Promissio facta et figurata. In Regum [g] credita et visa.

49. Anna uxor Elcanæ, quæ sterilis fuit, votum vovit Deo, si ei daret filium, eum ab infantia usque ad senium futurum in domo [h] Domini (I *Reg.* I, 11 *et seq.*). Datus atque ex ea natus est Samuel, quem ablactatum, ut promiserat, reddidit Domino. Ejusque gratiæ fuit, dum parvulus versaretur in templo, ut et divina responsa acciperet, et ei futura Dominus nuntiaret (I *Reg.* III, 4). Sed is non tantum in figura mutavit ordinem sacerdotii, quantum in illo tria quædam inveniuntur, quæ Christo sunt Domino consignanda. Dux enim et sacerdos atque propheta effectus est populi. Ducem si quæris Christum, Daniel propheta de ipso: *Dux*, ait, *militiæ cœlestis* (*Dan.* IX, 25). Sacerdotem si quæris Christum, David dicit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX, 4). Prophetam si quæris Christum, ipse de seipso in Evangelio dicit: *Non est propheta sine honore nisi in patria sua* (*Luc.* IV, 24). Dum igitur filii Heli sacerdotis maligne agerent, indebite præsumentes partes alias vesci ex carnibus immolandis, quas illis non mandaverat Deus (I *Reg.* II, 12); ac primitus sibi, postea Deo debere offerri; insectantes etiam mulieres venientes ad templum, cum eis flagitia perpetrabant. Quibus sceleribus con- B fectis iratus Deus, prælium eis adversæ gentis immisit (I *Reg.* IV, 1). In quo non tantum cæsus populus, quantum etiam illi ipsi sacerdotes interfecti. Ipsa quoque arca Dei ab hostibus capta est. Sic enim Deus Israel irascitur peccantibus sacerdotibus, ut etiam sacratis locis suis vasisque non parcat. Dicit enim David: *Repulit Deus tabernaculum suum, in quo habitabat in hominibus; et tradidit eos in manus gentium et dominati sunt eorum qui oderunt eos* (*Ps.* LXXVII, 60, 61). Et iterum: *Repulit eos Deus sanctificationem suam* (*Ps.* LXXXVIII, 40). Item alibi: *Si peccaverit populus, exorabit pro eo sacerdos; si autem sacerdos* [i] *peccaverit, quis exorabit pro illo* (I *Reg.* II, 25)?

50. [j] Hei mihi! Cum magno gemitu et inexplebili fletu dicam: dicam præcurrentibus peccatis impieque agentibus nobis, nostris quoque hæc mala provenire temporibus. Arcam vero Dei quam ceperant hostes, ea veneratione colendam esse crediderunt, ut C in templo Dei sui Dagon, collocandam arbitrarentur (I *Reg.* V, 2). Sub cujus potentia, sequenti die idolum suum elisum prostratumque viderunt. Sed hoc casui dantes, eum rursum uncis fortioribus validioribusque defigunt (*Ibid.*, 5). Quem postera die confractum comminutumque coram arca intuentes, quidnam illud esset minime repererunt (*Ibid.* 6); ipsaque gens graviori atrocique plaga percussa est, quam David propheta sub quodam pudore testatur, dicens: *Percussit inimicos suos retrorsum, opprobrium sempiternum dedit illis* (*Ps.* LXXVII, 66). Nec valuerunt hujus turpitudinis evadere ultimam pœnam, nisi arcam Dei quam ceperant, [k] donis appositis, reddidissent (I *Reg.* VI, 3). Videant, metuantque reges et gentes, quæ penes se sacrata omnipotentis Dei vasa nunc usque captiva retinent, eaque reddere detrectant. Quæ enim mala ventura credimus eis qui nomen illud quod est super omne nomen (*Philip.* II, 9), in vasis ejus sacratis honorare D noluerunt: cum sic punitos arcam Dei honorantes divina testetur Historia (I *Reg.* VI, 19), ob quam visam et hic cœperit vindictam facere Deus de inimicis suis?

51. Idem vero ille contumax Hebræus populus, spreto Samuelis ducatu, sibi regem fieri petiit (I *Reg.* VIII, 5). Iratusque Dominus ait Samueli: *Non te isti, sed me spreverunt* (*Ibid.*, 7); ut illud tunc signaretur quod post dixerunt Pilato, spernentes Do-

[a] Ms. Remig., *singulas singulis.*
[b] Ms. Remig., *et commutare utrosque inane . . . in semetipsum.*
[c] Sic ms. Remig., subintellecto, *libris;* editi vero, *in judiciis.*
[d] Ms. Remig., *propinquo reservaverat.*
[e] Ms. Remig., *ex gentibus.*
[f] Ms. Remig., *annuntiare . . . convertimur ad gentes.*
[g] Recentiores addiderant hic vocem, *libris;* et in sequentibus quibusdam capitum titulis, quam uno consensu omittunt antiquiores codices, cum ms. Remig., etsi subaudienda non dubitetur.
[h] Ms. Remig., *Domino.*
[i] Ms. Remig., addit vocem, *peccaverit.*
[j] Edit. Colon. et ms. Remig., *Heu mihi.*
[k] Ms. Remig., *anis appositis.*

Digitized by Google

minum Jesum regem: *Nos non habemus regem nisi solum Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). Dedit tamen eis Dominus regem Saul, filium Cis de tribu Benjamin (I *Reg.* IX, 1), qui eos regia potentia afflixit annis quadraginta. Omnis itaque anima quæ [a] legem Christi Domini et jugum repudiat, sic meretur affligi, quibus dum dominantur mali duces, principes, sacerdotes, audiunt: *Dedi vobis regem secundum cor vestrum* (I *Reg.* XII, 13). Ipsi quoque caveant qui has accipiunt potestates, si cupiditate dominantis, nec consulentis affectu suscipiunt, si ministrari eligunt, ac non potius ministrare. Quod Dominus per semetipsum et per prophetam Osee increpat, dicens: *Chanaan in manu ejus statera* [b] *injustitiæ, dominationem* [c] *enim elegit* (*Ose.* XII, 7). Et in Evangelio ipse: *Qui voluerit major esse in vobis, erit vester servus: sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX, 27, 28).

## CAPUT XXV.

*In David Christum pastorem citharizantem.*

Promissio facta et figurata. [d] In Regum credita et visa.

52. Cum idem ipse rex Saul superbia captus, Dei præcepta contemneret (I *Reg* XVI, 1 *et seq.*), spretus a Deo, David ille (quod dicitur manu fortis), parvus licet in fratribus, [e] unctionis regiæ sacramenta suscepit (I *Reg.* XVI, 13): pastor sane ovium, ut nostrum signaret, pastorem unctum Christum Dominum, qui dicit: *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* X, 11). Eripuisse se prædam ex ore leonis David fatetur (I *Reg* XVII, 35). Et noster manu fortis de ore leonis diaboli, et Petrum negantem, et latronem eripuit confitentem (*Luc.* XXII, 61, *et* XXIII, 43). Suavi sono citharizans David, non tantum animalium mulcebat auditus, quantum etiam in ipso Saule vexationem [f] mali spiritus temperabat (I *Reg.* XVIII, 10). Si nostri manu fortis Christi Domini citharam respicias personantem [g], quam ligno crucis, carnis membrorumque suorum chordis aptatam, plectro dum tangit sancti Spiritus, omne animal replens benedictione (*Ps.* CXLIV, 16), ipsum quoque diabolum fugavit de cordibus inimicorum, pro quibus orans in cruce suavem illum sonum protulit, dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Idem tamen David dum Sauli regi gratus esset ex cithara, eumque turbatum nuntiis Goliæ cognosceret, qui sub conditione servitutis provocaret singulare certamen, contra potentem illum virum hic se David parvus opponit. *Non*, inquit, *corruat cor domini mei: ego ibo*, [h] *et pugnabo huic Allophylo* (I *Reg.* XVII, 32). Cui Saul: *Non potes*, ait: *quia tu puer es, et ille vir bellator est a juventute sua. Et leonem*, ait David, *et ursum occidit servus tuus. Sic erit iste unus ex illis* (*Ibid.*, 33): ex semine suo, ut promissum fuerat, signans illum esse venturum qui conculcavit leonem et draconem (*Ps.* XC, 13).

53. Suscepto itaque prælio, renuit David Saulis arma quibus erat indutus (I *Reg.* XVII, 39). Quinque enim sibi lapides leves eligens de torrente, [i] fundibula manu capta, non in specie regis regem, sed magnum hostem parvus pastor expugnat. Ita noster pastor Christus Dominus, sapientiam hujus mundi, tamquam illa arma rejiciens, in quinque lapidibus *stulta mundi elegit quibus confunderet fortia* (I *Cor.* I, 27). Omnis etenim ille terribilis ambitus superbi, uno ictu lapidis fronte percussus prostratus est, suo-

A

que gladio dignoscitur esse truncatus (I *Reg.* XVII, 49, 51). Ex quinque enim libris legis unus lapis prædictus, fundibula carnis locutus, manu forti expressus, totam superbiam diaboli elisit, suoque peremit gladio, dum mortem morte occidit. *Invidia enim diaboli mors introiit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24). Hanc suscepit innocuus Pastor ille bonus, qui pro suis animam posuit (*Joan.* X, 11), ut sua morte diabolum debellaret. Exstincto, prostratoque hoste, adversus David Saul inique invidiam concepit ex victoria (I *Reg.* XVIII, 8): retribuensque mala pro bonis, fugat, odit, persequitur innocentem. Dicit et noster Dominus de talibus: *Retribuebant mihi mala pro bonis, et odium pro dilectione mea* (*Ps.* XXXIV, 12, *et* CVIII, 5). [j] Quod vero David per latebras montium, per speluncas et per deserta, Saule persequente, discurrit (I *Reg.* XX *et seq.*), corporis sui noster Dominus, id est, sanctorum membrorum suorum, martyrum videlicet, in hac figura persecutiones ex-

B

pressit: de quibus apostolus Paulus dicit: *Cum his dignus non esset orbis terrarum, per deserta errabant, et per speluncas, et per cavernas terræ* (*Hebr.* XI, 38).

54. Quod vero persecutorem suum Saulem non occidit David cum ei traderetur in manibus, abscindensque pinnam chlamydis ejus, se odienti pepercit (I *Reg.* XXIV, 4): hoc quotidie agit noster pastor [k] et rex Christus Dominus, circa osores persecutoresque suos; a quibus dum abscindit vitium magnum superbiæ, parcit etiam regibus sævientibus: quia non vult mortem impiorum, [l] sed ut revertantur et vivant (*Ezech.* XVIII, 23). Quod in omnibus suis fecit, et facit inimicis ille, [m] ille qui non ex meritis, sed gratis justificat impium (*Rom.* IV, 4). Eumdem David declinantem rursum insidias Saulis, gentes excipiunt (I *Reg.* XXI, 10). Sic se noster Christus Dominus sævientibus subtrahens Judæis, gentibus dedit. Prodiderunt Allophyli Sauli regi, quod David esset penes eos absconditus in Geth (I *Reg.* XXVI, 1). Proditum et nostrum Regem idem propheta, dicens:

C

*Adversum me*, inquit, *susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mihi mala* (*Ps.* XL, 8). Et iterum: *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Ps.* II, 2). Sed David proditum sese cognoscens, agit quædam, immo per eum aguntur futura mysteria, arreptitium simulans; salivæ ejus in barbam [n] defluebant, ferturque, ut dicit Scriptura, *totus in manibus suis* (I *Reg.* XXI, 13). Talem gentis illius rex aspiciens, a se projiciendo dimittit, dicens: *Quid mihi introduxistis istum fanaticum* (*Ibid.*, 14)? Nihil enim in lege dictum gestumve est quod vacuum esse possit, aut a figurata actione sit aliquatenus alienum. Dicunt enim et nostro Domino Judæi inimici: *Samaritanus es, et dæmonium habes* (*Joan.* VIII, 48). Quem conspuentes etiam de quibusdam civitatibus miserunt foras. Portatus est quippe et Jesus Dominus in manibus suis, dum suum corpus in sanctificato pane gestans manibus suis, dixit: *Hoc est corpus*

D

*meum quod pro vobis tradetur* (*Luc.* XXII, 19; I *Cor.* XI, 24). De quibus mysteriis, qui etiam illud nosse desiderat, quomodo sit David saltans ante arcam nudatus coram servis et ancillis suis, ut Christum crucifixum præsentibus viris et feminis demonstraret, venerandæ memoriæ Augustini episcopi dicta inspiciat, quibus latius in his pervagatus pene omnia comprehendit (*Vide August. Enar. in psal.* XXXIII, *num.* 5 *et seq.*).

[a] Ms. Remig., *quæ leve Christi Domini jugum.*
[b] Ms. Remig., cum Lugd. edit., *justitiæ.*
[c] Ms. Remig., *minime elegit.*
[d] Hæc adduntur titulo huic, et aliquot aliis ope ms. Remigiano-Remensis.
[e] Ms. Remig., *unctionem regiam sacramento.*
[f] Ms. Remig., *maligni.*
[g] Ms. Remig., *quam lignum crucis...aptat, plectro dum tangit sanctus Spiritus.*
[h] Ms. Remig., *expugnabo hunc Allophylum.*
[i] Ms. Remig., *fundibulo manu capto.*
[j] Ms. Remig., *Quid vero.*
[k] Ita ms. Remig. Editi, *et rerum*, nullo sensu.
[l] Ms. Remig., *tantum ut revertamur et vivamus.*
[m] In ms. Remig. legitur semel, *ille.*
[n] Ms. Remig., *recurrunt.*

Digitized by Google

## CAPUT XXVI.

*In eodem David, inimicos diligentem, lapsos reparantem.*

Promissio facta et figurata. In Regum credita et visa.

55. Ut promissionis ordo poscebat, unctus David [a] in totum Israel, non partem, ut prius, excepit gubernandum, exstincto Saule in prælio (I *Reg.* XXXI, 6). Quem graviter occisum doluit, eumque insuper vindicavit, omnisque ad eum congregatus est Israel (II *Reg.* I, 17 *et seq.*). Hoc etiam nunc agitur, dum noster Rex Christus Dominus suos plurimum diligit inimicos et vindicat; totus ad eum, ut promissum est, colligitur mundus: cui dictum est: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Et licet jam pene omnes occupaverit gentes, superest tamen, ut plenitudo gentium cum intraverit, totus prædestinatus Israel salus fiat; ut per eum omnis mundus reconcilietur Deo (*Rom.* XI, 25, 26). Ea vero quæ David sublimatus gessit in regno, eos respiciunt qui præsumptione quadam superbiæ lapsi, per pœnitentiam emendati Christi corpori sociantur Ecclesiæ secundæ [*Forte*, secundo]. Quippe res, ut ait quidam, sapientum animos fatigant. Quibus hic David elatus, duo principalia quæ lex prohibet, adulterium, homicidiumque [b] commisit (II *Reg.* XI, 1 *et seqq.*). Monitusque per Nathan prophetam, dum magna compunctione cordis [c] actus ageret pœnitentiam (quoniam peccata impunita esse non possunt), mortem licet repentinam evaserit, in his tamen quæ gessit, constat graviter vindicatum (*Ibid.*, XII, 1 *et seqq.*). Jam enim ex ore prophetæ audierat: *Fecisti in abscondito, patieris in sole* (II *Reg.* XII, 12). Qua sententia omnis status domus ejus isto ordine perturbatus est. Unus e filiis ipsius, sororis suæ, ex alia licet matre, turpi concupiscentia, captus clam oppressit, vitiavitque virginem. Germanus puellæ Absalom stupratorem interfecit fratrem (II *Reg.* XIII, 14). Quo facto perculsus Absalom, a facie sui patris aufugiens (*Ibid.*, 34), totum sollicitat Israel, rebellisque effectus fugat (II *Reg.* XV, 16), atque insequitur patrem, thorum quoque ejus in concubinis scelerate contaminans (II *Reg.* XVI, 22). Quæ patienter David ferens, ea in se puniri justitia vindicante cognovit, quæ sibi ut videbatur, [d] abscondite commiserat. Quorum gesta lex divina dum resonat, speculum se esse ostendit, non celans ipsorum quoque facta majorum, ac splendoris sui serenitate, ut pulchritudines, ita [e] etiam fœditates quorumcumque demonstrans: ea veritate pollens, quæ reatus etiam suorum et probat, et vindicat, non sane sine misericordia, quæ totum [f] tegit totumque ostendit; et lapsus tanti viri, et sententiam justi Judicis, et indulgentiam clementissimi Patris. Positus [g] est hic vero exemplum sobriis animabus: ut discant amplius metuere prospera quam formidare adversa. In tribulatione quippe, ut propheta dicit, memores sumus Dei (*Osee* VI, 1). Periculosum est autem animæ dimitti in voluptatibus suis, cum ipse dicat Dominus: *Ego quos amo redarguo et castigo* (*Apoc.* III, 19).

## CAPUT XXVII.

*In Abisac, animas Christi gratia calore ferventes.*

Prædictio facta et figurata. In Regum credita et visa.

56. Huic ipsi David jam senili ætate confecto Abisac A Sunamitis virgo, quæ regem calefaceret, applicatur, nullam ob causam [h] concubitus: quæ etiam post obitum ejus virgo reperta est (III *Reg.* I, 1 *et seqq.*). Hæc [i] similitudo animam significat Dei gratia castitatis calore succensam, quæ frigidas in fide animas, ut membra Regis magni suo accendit affectu. Canit enim de se ipsa in psalmis: *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas* (*Psal.* XVI, 3). Aliosque suo flatu calefaciens, dicit: *Venite et audite, et narrabo vobis omnibus, qui timetis Dominum, quanta fecit animæ meæ* (*Psal.* LXV, 16). [j] Defecto itaque rege, Salomon patri David successit in regnum (III Reg. II, 10 *et* 12). In cujus nomine multa divina promissa dum resonant, ne quis ipsi personæ deputaret quæ fuerant figurata, dum [k] a præceptis Domini declinaret, et vitam in senectute et sapientiam simul amisit (*Ibid.* XI, 4): ut pacifico Christo Domino (quod Salomon interpretatur) omnia illa quæ [l] figurata fuerant, servarentur. Quæ tamen, ut propheta ex persona Christi Domini B gesserit, ut donatum fuerit, parumper excurram.

57. In principio regni ejus visus est ei Dominus per somnium dicens: *Pete tibi aliquam petitionem* (III *Reg.* III, 5). Nihilque aliud [m] expetit quam sapientiam. Christum ergo petit, quia *Christus est Dei virtus, et Dei sapientia* (I *Cor.* I, 24). *Dabis*, inquit, *Domine, servo tuo cor sapiens ad judicandum gubernandumque populum tuum* (III *Reg.* III, 9). Quæ petitio dum placeret (ut donum collatæ sapientiæ omni populo panderetur), duæ mulieres astiterunt regi, quæ simul in conclavi commanentes, uno in tempore filios procrearunt (*Ibid.* III, etc.). E quibus una dormiens cum suum parvulum præfocasset, sociæ dormienti supposuit, [n] ejusque vivum sibimet usurpavit. Expletis igitur [o] nocturni somni officiis, dum clarus solis ortus redderet aspectibus diem, torpore omni discusso, mulier quæ vivum perdiderat, dum suis uberibus crederet applicandum, respiciens mortuum, non agnovit suum. A furante igitur dum vivum repetit, atque illa pro invaso fortiter contradicit, in C hac controversia concertantes regi se pariter obtulerunt. Cumque cujus esset vivus parvulus demonstrari non posset, sapientia illa Christus quæ regi fuerat tributa, gladium afferri jussit, non quo parvulum feriret, sed quo denuo parturientis matris viscera demonstraret. *Dividite*, ait rex suis, *parvulum vivum in duas partes, et date dimidium huic, et dimidium huic* (*Ibid.* 25). Vera mater, ut tantum vivat, adversariæ totum cedit; falsa, ne vera possideat, dimidium petit. Sic hæreticorum nostro sub Rege Christo animæ judicantur: quibus dum vera mater catholica nomen suum vivum jurgantibus offert totum, illi volentes discedere petunt dimidium. Sed Rex noster qui venit gladium mittere in terram (*Matth.* X, 34), hæreticorum fraudes removens, veræ matri petenti vitam, vivum reddidit statum. Quoniam *vitam petiit*, ait propheta, *et dedisti ei* (*Ps.* XX, 5). Idem vero ipse parvulus non divisus, veræ catholicæ matris filius, judicium pacifici summi Regis Christi Domini laudat, et dicit: *Vivet anima mea, et laudabit te,* D *et judicia tua adjuvabunt me* (*Psal.* CXVIII, 175).

58. Templum idem Salomon Domino suo fabricavit illud amplum, mirabili ambitu constructum, omni cum regia potentia dedicatum (III *Reg.* VI, VII, VIII). Quod pater ejus dum voveret, implere permissus non est. Multas enim bellando prostraverat gen-

[a] Ms. Remig. omittit particulam *in*, nec male.

[b] Ms. Remig. addit, *simul*.

[c] Ms. Remig., *tactus*.

[d] Editiones antiquiores, *absolute*, nec videtur correctus error in ms. Remig., sed in editionibus recentioribus emendatur.

[e] Particula *etiam* additur ex edit. Lugdun.

[f] Veteres editiones, *totum egit*, nec repugnat ms. Remigianus.

[g] Sic ms. Remig. Editiones veteres, *positus verum hic*; recentiores, *positus vero in exemplum*.

[h] Ms. Remig., *concupiscentiæ*.

[i] Editi, *in similitudinem*; recentior, *in similitudine*.

[j] Ms. Remig., *Defuncto*. Editi omnes, *Defecto*.

[k] Ms. Remig., *a viis*.

[l] Ms. Remig., *signata*.

[m] Ms. Remig., *expetiit*.

[n] Hæc verba, *ejusque vivum sibimet usurpavit*, addimus ope ms. Remig., faventibus sequentibus verbis, *quæ vivum perdiderat*, scilicet a contubernali suffuratum.

[o] Ms. Remig., *nocturnis officiis*.

Digitized by Google

tes (II *Reg.* VII, 5), eique dictum est, quod [a] plurimum sanguinis effudisset in terra, non ipsum, sed ejus filium pacificum debere construere [b] domum Deo (II *Paralip.* XXII, 8 *et* 9). Sed quoniam [c] illud, spiritale hoc ædificium signat, scriptum est, Altissimum [d] non habitare in ædificiis manu hominum factis (*Act.* XVII, 24). Propter quod Rex noster vera pax Christus Dominus, ex lapidibus vivis domum construens spiritalem (I *Petr.* II, 5), fidelium corda suorum, non tantum singula templa in singulis, sed unum ex omnibus templum fecit. Quibus dicit Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16)? In quo spiritales hostiæ, per ipsum principem sacerdotum offeruntur Deo (I *Petr.* II, 5). *Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Pacificus [e] Salomon omne tempus cum gentibus habuit quietum, pacem Domino largiente. Qui cum se totum sapientiæ dedisset, sententias quasque [f] et icas, id est, immortales partes ascribens, ænigmata etiam mystica dum conderet, [g] præclare regni ipsius fama nuntii sparsa est per orbem. [h] Ad videndum igitur talem, *Regina Austri venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis* (III *Reg.* X, 1). Cujus cum miraretur doctrinam, muneribus oblatis, laudibus præferens præsentiam, ejus a conspectu discessit.

59. Hoc ex facto Rex noster Christus Dominus Judæos increpat, quod regina Austri omnes moras regiasque necessitates abrumpens, neque granditate itineris præpedita, omni cum festinatione venerit videre atque audire sapientem (*Matth.* XII, 42; *Luc.* XI, 31); ipsi vero ultro ad se venientem Sapientiam ipsam contempserunt. Merito dicit exsurgere hanc in judicio cum illa generatione, et condemnare eam. Sed hæc regina nostram sanctam ostendit Ecclesiam, de qua dicitur ipsi Regi nostro: *Astitit regina a dextris tuis* (*Psal.* XLIV, 10), quæ ab ortu solis usque ad occasum nunc [i] accurrit, Christum Dominum audire Sapientiam; laudans nomen Domini muneraque offerens, quoniam sublimia fecit universa. Itaque quæ de Salomone dicta, vel ab eo prophetice gesta sunt, recte Christo Domino consignantur. Cæterum ipse, ut supra dictum est, elatus, in senio fornicatus mente et corpore, Domino ipsum deserente, male obiit; metuendum exemplum posteris relinquens, ne felicitate hujus vitæ turbati, Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas.

## CAPUT XXVIII.

*In Roboam, scissuram hæresum, e quibus Christus suas colligit oves.*

Prædictio facta et figurata. In Regum credita et visa.

60. Regnante Roboam filio Salomonis, et tam suo quam etiam peccato paterno constricto, cum pene totum post idolorum culturam perverteret Israel, regnum e manibus ejus scissum est (III *Reg.* XII, 16 *et seqq.*). Jeroboam [j] quippe servus Salomonis, judicio divino in [k] undecim tribubus ampliorem regni partem suscepit. Per quam divisionem Samaria et

A Jerusalem regnum Juda et Israel suorum principum per successionem ordinem servaverunt. Sed hæc hæreticorum schismaticorumque, sicut sæpe dictum est, ostentat figuram, donec ille qui unitatem facit et diligit, alias oves quas habet extra suum ovile, sua gratia illustrante adducat, ut, sicut promittere dignatus est, sit *unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16). Non omnes nunc in ordine exsequimur reges, sed eos tantum quorum temporibus aliqua vel gesta vel dicta sunt, quæ Redemptoris nostri nuntiaverunt adventum, brevitatis intuitu et lectori fastidium minime inferentes.

61. Achab igitur pessimo (III *Reg.* XVI, 30) rege regnante in Judæa, Elias propheta ad arguendum regem et populum mittitur, quod relicto Deo secuti fuerint Baal (III *Reg.* XVIII, 1 *et seqq.*). Cumque Jezabel uxor Achab regis, incomprehensibili judicio illo Dei quo datur potestas malis, prophetas Domini occidisset, Elias orando [l] in sterilitate a facie se regis abscondit (III *Reg.* XIX, 1 *et seqq.*). B Suppletoque triennio et sex mensibus, cum totam Judæam sæva fames affligeret, Elias jubetur seipsum præsentare regi. Cumque Domino, interfectis omnibus prophetis, solum se relictum esse dixisset, ait ei responsum divinum: *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal* (III *Reg.* XIX, 18; *Rom.* XI, 4). Hinc [m] etiam sanctorum comprimitur elatio, ne quis se in quolibet bono opere arbitretur necessarium Deo: cum omne [n] opus suum per quem vult, impleat Deus, *quoniam omnia serviunt* illi (*Ps.* CXVIII, 91). Homo enim Deo, non Deus homine indigere monstratur. Unde ait ille sanctus propheta: *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2). Elias vero quæ fuerant divinitus imperata, coram rege et populo, per mysticum illud sacrificium vespertinum, ignem cœlitus impetrando perfecit (III *Reg.* XVIII, 36). Quo noster per figuram vitulus immolatus, sacerdotes omnes idololatriæ, sicut Elias, cum ipso errore Baal simul exstinxit (*Ibid.*, C 38), replens terram [o] gratiæ pluvia qua fames fidelis animæ repellatur.

62. Quod vero in eremo constituto eidem Eliæ, jussu divino corvi mane panem et carnes vespere ministrarunt (III *Reg.* XVII, 6), totius corporis Domini figura monstrata est, [p] quando prius in præceptis panem, postea carnem dominicæ passionis Judæi, ut corvi, gentibus ministrarunt, tetri colore, voce [q] raucisona, odore fetidi, horrentes aspectu. Quibus avibus similes Judæi, carnem crucis ex ligno decoctam gentibus præparantes, ut corvi una et raucisona voce Pilato clamaverunt: *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6). Hanc comedunt, qui audiunt dicentem: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem* [r] *ejus, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Tria tamen etiam hic tempora et dimidium temporis in tribus annis et sex mensibus (sicut et superius memoravimus) cœlestis pluvia, Dei alio judicio, negatur eis qui carnem ejus non comedentes, neque ejus sanguinem bibendo redem- D pti, ab ejus corpore inveniuntur alieni.

[a] Ms. Remig., *plurimum sanguinem fudisset.*

[b] Ms. Remig., *domum Dei.*

[c] Ms. Remig. caret hac voce, *illud.*

[d] Ms. Remig., *non habere ædificium manu factum hominum.*

[e] Ms. Remig., *Salomon pacificum omne tempus cum gentibus habuit : pacem.*

[f] Ita editiones omnes et ms. Remig., qui pro, *immortales* habet, *mortales*, forte pro, *morales;* unde suspicamur legendum esse, *sententias quasque ethicas, id est, morales scribens.*

[g] Ms. Remig., *præclara... fama nuntiis sparsere per orbem.* Vocem *nuntii*, aut *nuntiis*, superfluam esse suspicamur; et forte legendum: *præclara regni ipsius fama sparsa est per orbem.*

[h] Ms. Remig., *Ad visitandum... videre.*

[i] Ms. Remig., *nunc occurrit Christo Domino*, forte, *Domini audire sapientiam.*

[j] Ms. Remig., *quoque.*

[k] Ms. Remig., *in duodecim tribus;* forte, *in decem tribus.*

[l] Ms. Remig., *indicta sterilitate;* id est, cum prophetasset futuram mox sterilitatem.

[m] Ms. Remig., *enim.*

[n] Sic ms. Remig. cum edit. Lugd. et Lovan. Duac. vero et Colon., *omne tempus.*

[o] Ms. Remig., *gratia et pluvia.*

[p] Ms. Remig., *quæ;* forte, *qua.*

[q] Ms. Remig., *carnisona.*

[r] Editi, *hujus.*

Digitized by Google

## CAPUT XXIX.

*In Elia Christum, et in vidua misericordiæ principatum.*

**Prædictio facta et figurata. In Regum credita et visa.**

63. Dixit Dominus Eliæ: *Vade in Sarepta Sidoniæ; ecce enim mandavi mulieri viduæ ut pascat te illic* (III *Reg.* XVII, 9 *seqq.*). Et hic mysticas actiones spiritalis lector [a] agnoscit. Neque enim defecerat Omnipotens quanto vellet tempore per easdem aves suum pascere prophetam. Quem tamen necessarium viduæ sciebat, cui ex fame copiam, potentia verbi, per suum ministrum voluit præparari. Hanc viduam in agro duo minuta, ut duo præcepta, colligentem divino nutu prospiciens Elias, actus etiam spiritalis sitis ardore, aquam a muliere poposcit. Quæ dum pergit afferre, et pusillum panis petit ab ea propheta. Illa vero testando dicit modicum se farris habere in hydria, et [b] parum olei in oleario, unius scilicet et eum liberis [c] diei victum, [d] quo absumpto, esset moritura cum liberis. Ex hoc ipso sibi propheta prius offerri jubet, tum etiam sibi suisque filiis præparandum: [e] ut misericordia primum occupet locum: quam præire ante faciem Dei Scriptura testatur (*Ps.* LXXXVIII, 5.). [f] Ex ipso enim omnis copia. *Quoniam hæc dicit Dominus*, ait Elias, *Hydria farinæ non deficiet, et capsaces olii non minuetur, usque in diem quo dabit Dominus pluviam super terram* (III *Reg.* XVII, 14). Sic anima misericors feneratur Deum, sic dum dat in necessitate, sibi consulit ad salutem. Sic repletur anima, quæ corpore abscedente, Domino, [g] castigantem diligens, unius thori fidem pudico amore custodit, sacramento farris et olei unctione munita; secura exspectans [h] gratam pluviam, cum ei dixerit Dominus: *Euge, bone serve et fidelis, quoniam in modico fidelis fuisti, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21). Cujus in similitudinem et illa laudatur a Domino, quæ duo minuta vidua dum mitteret in gazophylacium (*Luc.* XXI, 2 *et seqq.*), plus omnibus eam misisse dixit ille [i] qui vidit, quia sibi nihil dimisit.

## CAPUT XXX.

*In Elisæo, discipulos Christi duplum accipientes spiritum.*

**Promissio facta et figurata. In Regum credita et visa.**

64. Elias discipulum Elisæum reliquit, [j] quia tempus assumptionis suæ, Domino revelante, cognoscens, ait discipulo: *Pete tibi aliquam petitionem, priusquam tollar a te. At ille ait: Volo ut spiritus qui in te est* [k] *duplex in me sit. Dixitque ei Elias: Dure petisti: verumtamen si me respexeris euntem, fiet tibi* (IV *Reg.* II, 9 *et* 10). Hac promissione factus certior Elisæus [l] ut optatæ petitionis suæ omni ex parte potiretur, ita inhæsit magistro, ut nulla enim ab illo necessitas sequestraret. Cumque propheta studium vellet exercere discipuli, necessario se per devia sequi illum sustinentem imperat. At ille ait: *Vivit Dominus et vivit anima tua, si dimisero te quocumque ieris* (*Ibid.*, A 2, 4 *et* 6). Hoc actum est, donec ad eum perventum est locum ubi, curru igneo susceptus, quasi usque in cœlum pervectus est. Atque ita intentio discipuli vigilavit, ut raptum sibi magistrum fletu ac voce magna sequeretur dicens: *Pater mi Elias, Pater mi, auriga Israel* (*Ibid.*, 12)! His vocibus perculsus Elias, spiritale illi viaticum ac pignoris donum, suum [m] pallium dimisit. Quo percepto, rescisso ex eo, et percusso ex eo Jordane fluvio, quem per seipsum non valuerat, pallii adjutorio pertransiit (*Ibid.*, 14). Unde et prophetarum filii dicunt: [n] *Requievit spiritus Eliæ super Elisæum* (*Ibid.*, 15).

65. Et in hac mystica actione, similitudo Domini et magistri nostri Jesu Christi. Cum enim dixisset discipulis suis: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet* (*Joan.* XIV, 12); ut dupla se dona Christus dedisse ostenderet, adjecit: *Et majora horum faciet.* Sed hoc inhærentibus sibi, nec in aliquam partem a se declinantibus, quos edocuit dicens: *Si* B *quis mihi ministraverit me sequatur, et ubi ego fuero, illic erit et minister meus.* His, et duplum spiritum hoc modo infudit: semel post resurrectionem, quando insufflavit in faciem eorum, dicens: *Accipite Spiritum sanctum. Si cui dimiseritis peccata, dimissa erunt: si cui detinueritis, detenta erunt in cœlis* (*Joan.* XX, 22, 23): secundo vero cum nube susceptus, vectantibus angelis, ipsis quoque discipulis [p] oculis deducentibus, ait: *Vos sedete in civitate, donec induamini virtutem ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). Isque die Pentecostes in linguis igneis donum sanctum Spiritum misit (*Act.* II, 3). Non hic duos Spiritus intelligere debemus, cum unus sit Spiritus sanctus; sed ipse idem Spiritus est, charismatum dona dispensans: ita multipliciter prærogatus ab ipsa individua Trinitate, ut in ea non duo, sed unus sit Spiritus. Quoniam, ut Paulus apostolus dicit: *Unus Deus, una fides, unum baptisma, unus Spiritus* (*Ephes.* IV, 5). Unde et ipse Elisæus non ait magistro: [q] *Spiritus qui in te est duo sint, sed, duplo sit in me.* Hoc duplum exposuit Do- C minus cum dixit: *Donec induamini virtutem ex alto;* ut ampliora per eos faceret, quam fecerat per seipsum. [r] Tactu suæ fimbriæ a fluxu sanguinis mulierem sanavit (*Matth.* IX, 20): discipulorum vero umbra infirmitates omnes (*Act.* V, 15). Ipsi resurgenti [s] palpantes videntesque vix crediderunt, etiam ipsi discipuli: ascendenti in cœlum, illis prædicantibus, in eum quem non viderunt totus credidit mundus. Postremo, amplius est impium justificare, quam resuscitare mortuum. Quæ omnia per suos discipulos idem ipse fecit, qui eis hanc tribuit potestatem, dicens: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5).

## CAPUT XXXI.

*In eodem Elisæo, cum mortuum figuratum Christus Dominus gratia suscitavit.*

[t] Prædictio facta et figurata. In Regum credita et visa.

66. Idem ipse Elisæus dum excurrit per diversa, annuntians verbum Domini, quædam eum mulier D Sunamitis hospitio suscepit (IV *Reg.* IV, 8). Cui pro

[a] Ms. Remig., *agnosce.*
[b] Ms. Remig., *et perparvum;* forte, *perparum.*
[c] Ms. Remig., *in die.*
[d] Ms. Remig., *quo sumpto esse morituram.*
[e] Ms. Remig. addit, *postea.*
[f] Ms. Remig., *Ex ipsa enim omnis domus replebatur.*
[g] Ms. Remig., *castitatem.*
[h] Ms. Remig., *gratiæ pluviam.*
[i] Ms. Remig., *qui dedit.*
[j] Ms. Remig., *qui tempus... agnoscens ait ad discipulum.*
[k] Veteres editiones, *duplum*, ut ms. Remig. Recentiores, *duplex.*
[l] Ms. Remig., *in aviditatem petitionis.*
[m] Ms. Remig., *pallium.*
[n] Ms. Remig., *Spiritus Domini resedit in Elisæo.*
[o] Hæc verba: *sibi nec in aliquam partem....* usque ad ista: *illic erit et minister meus*, supplemus ex fide ms. Remigiano-Remensis.
[p] Ms. Remig., *oculis elevantibus*, forte, *oculos elevantibus;* tum infra, post 12 lin., idem. ms., *Eisque.*
[q] Restituimus locum hunc ex ms. Remigiano: antea legebatur: *Fiant in me duo spiritus, sed duplex: Spiritus. Quem exposuit.* In edit. Lugd., *ait magistro spiritus.* Cætera per parenthesim quamdam, ut dubia addiderant Lovan., Duac. et Colon., et his recentiores editiones.
[r] Sic ms. Remig. At editi, *Tactus namque.*
[s] Ms. Remig., *palpantibus videntibusque.*
[t] In ms. Remig., *Promissio*

Digitized by Google

munere, sterilitate subblata, filium ei impetravit a Domino (IV *Reg.* IV, 16 *et seq.*). Quæ suscipiens parvulum enutriit. Adultus vero [a] ad patrem in agrum dum pergeret, solis ardore percussus recurrens domum, æstuans in sinu matris spiritum emisit. Statim mulier ad hominem Dei recurrit, in Carmelo pedibus ejus provoluta, filium, quem ejus gratia susceperat, [b] nuntiat fuisse defunctum. Celatum sibi hoc a Domino propheta miratur, ut nostri Domini Jesu totam figuram impleat [c] propheta, qui cum omnia [d] norit, aliqua se nescire simulat. Ut illud de Lazaro : *Ubi posuistis illum* (*Joan.* XI, 34)? Et : *De die et hora nemo scit, neque angeli, neque Filius* (*Marc.* XIII, 32); cum eo die et ea hora ipse venturus sit Filius. Et illud, narrantibus duobus discipulis de passione ejus et dicentibus ei : *Nescis quæ facta sunt in Jerusalem ante tertium diem* (*Luc.* XXIV, 18, 19)? et ipse in quo facta sunt, nescienti similis dicit, *Quæ?* Sed hæc quæ celantur, aut in magno aguntur mysterio, aut intentio cordis extenditur in Deum, ut quantum non capit, avidius nosse quærat; et cum quæsita non intellexerit, amplius metuat, sciens divinum esse atque profundum, quidquid mortalibus nosse fuerit denegatum.

67. Agit vero Elisæus quæ sunt dominicæ actionis sacramenta (IV *Reg.* IV, 29). Mittit per servum suum baculum, quod supra exanime corpus positum, mortuum vitæ restituat. Misit et Dominus per Moysem servum suum legem, quæ mortuum mundum, sicut illud baculum, vivificare non potuit, quia *si data esset lex quæ posset vivificare*, ut Apostolus dicit, *omnino ex lege esset justitia* (*Gal.* III, 21); *quia littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6). Postea ipse Elisæus descendit [e] magnus ad parvum, salvator ad salvandum, vivus ad mortuum. Descendit et noster Dominus. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (*Ephes.* IV, 10). [f] Quæ omnia? Quæ mystice gessit Elisæus. Ut enim mortuum parvulum suscitaret, juvenilia membra [g] contexit (IV *Reg.* IV, 34). Et Dominus Jesus *seipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Phil.* II, 7); parvum se illi parvo coaptavit, ut efficeret [h] istud *corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ* (*Phil.* III, 21). Jacens subter se frigidum, suo calore succendit (IV *Reg.* IV, 34). Similiter et noster [i] Salvator Dominus mundum, a cujus calore non est jam qui se abscondat (*Ps.* XVIII, 7), insufflavit [j] ille tertio jacenti, ut trina confessio infunderetur credenti. Sic suscitatus est mortuus, dum a morte perpetua justificatus est impius.

68. Multa et varia signa Spiritus Domini fecit per Elisæum, sicut eadem Regum narrat historia. Quæ omnia persequi longum est. Pauca tamen exsequar, cum sint [k] cuncta signa futurorum Christo Domino coaptanda, qui per Isaiam dicit : *Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, bene evangelizare pauperibus misit me, dimittere quassatos in requiem, reddere captivis libertatem, et cæcis visum* (*Isa.* LXI, 1; *Luc.* IV, 18). Jordanem Elisæus eo Spiritu operante transiit (IV *Reg.* II, 14), quo noster Dominus Jesus eumdem fluvium suo in baptismo consecravit (*Matth.* III, 13). Insultantes sibi propheta bestiis tradidit pueros (IV *Reg.* II, 24). Et noster Jesus Dominus [l] de

A parvulis in Paulo dicit : *Nolite pueri effici mentibus* (I *Cor.* XIV, 20). E quibus quosdam bestiis, [m] id est, immundis spiritibus tradidit, *ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20). Rex Israel ad perimendum Eliam quinquagenos viros tribus vicibus cum tribunis misit, quos cœlesti incendio propheta consumpsit (IV *Reg.* I, 9, 11, 13). Dicitur etiam de nostro propheta et Domino, quod *ignis ante eum ardebit et inflammabit in circuitu inimicos ejus* (*Ps.* XCVI, 3). Ipsum postea regem cum omni exercitu se obsidione vallantem, quadam cæcitate percussos hostes, captivos in Samariam induxit (IV *Reg.* VI, 18). Quibus reddito visu, simul et indulgentiam impetravit (*Ibid.*, 22). Hæc licet in multis signentur, evidentius tamen in Paulo, et qui cum eo Ecclesiam [n] persequebantur, Dominus ostendit. Cæcatus quippe prostratusque in via, captivus Dei dum fieret, reddito lumine, qui fuerat persecutor, factus est prædicator (*Act.* IX, 8); atque in ipso ostendit *Deus omnem longanimitatem ad*
B *informationem eorum qui credituri sint illi in vitam æternam* (I *Tim.* I, 16).

69. Item Naaman Syrus amicus regis ad regem Israel directus est, ut ab Elisæo lepræ macula mundaretur. Quem respiciens homo Dei jussit eum [o] septies in Jordane tingi, si vellet corporis sui maculas auferri. Quod cum faceret, mundatus est (IV *Reg.* V, 1 *et seqq.*). Munera homini Dei offerenda credidit (*Ibid.*, 16), quæ jure divino renuens, gratiam gratis datam nostri præsignavit Christi Domini, quam in Evangelio suis discipulis commendavit, dicens : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 8). Septiformi Spiritu mundari animam a vitiis, quibus interior exteriorque homo polluitur, aqua etiam ipsa demonstrat, qua tinguntur consecrati *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Giezi vero puer prophetæ, qui secutus Naaman Syrum, composito mendacio, vendere voluit quod propheta gratis dederat, ea lepræ percussus macula qua ille mundatus fuerat (IV *Reg.* V, 20 *et seqq.*), hæreticorum figuram
C ostendit, qui suæ rapacitatis cæcitate compulsi, dum venditant suis velut expiationes videlicet peccatorum, ipsi quoque maculis quibus illi fuerant aspersi, insigniuntur. Ut merito audiant a Domino : *Non novi vos. Discedite a me omnes qui operati estis iniquitatem* (*Matth.* VII, 23).

## CAPUT XXXII.

*In Ezechia, qua suos Christus docet in bono non debere efferri.*

Prædictio facta et figurata. In Regum credita et visa.

70. Dum [p] alternanter reges Israel, alii a viis Domini declinantes erroribus implicantur, alii fideliter viam Domini gradiuntur, ad Ezechiam regem ordo perductus est (IV *Reg.* XVIII, 1 *et seqq.*). Hic exterminans omnia simulacra, omnemque idolorum culturam subvertens, pene totum Israel errantem convertit ad Dominum (*Ibid.*, 4). Huic divinum datum est responsum, ut ordinare ac disponere deberet domum suam, quod ipse jam iret in mortem (IV *Reg.*
D XX, 1). Qui cum flens orasset dicens : *Memento, Domine, quomodo ambulaverim in via tua* (*Ibid.*, 3 *et* 6), quindecim anni sub hoc signo ei adjiciuntur ad vitam. [q] Duodecim enim gradus sol, cursu quo ascenderat,

[a] Editi, *cum patre.* Ms. Remig., *ad patrem*, melius.
[b] Ms. Remig., *nuntians.*
[c] Editi, *prophetia.*
[d] Ms. Remig., *noverit, aliquid.*
[e] Hæc ipsa leges apud Augustinum sermone 26 de Verbis psalmi XCIV, et Apostoli Galat. III, pag. 141 novæ editionis; et eumdem sensum reperies in sermone 136 de Verbis Evangel. Joannis IX, pag. 663 item novæ editionis.
[f] Hæc verba, *Quæ omnia?* addit ms. Remig.
[g] Ms. Remig., *contraxit.*
[h] Ms. Remig., *iste*, scilicet Christus.
[i] Vox hæc, *Salvator*, abest a ms. Remig.
[j] Ms. Remig., *illi... ut trina confessione.*
[k] Ms. Remig., *tota.*
[l] Ms. Remig., *per Paulum dicit*, nec habet, *de parvulis.*
[m] Hæc verba, *id est, immundis spiritibus*, addit ms. Remigianus.
[n] Editi, *insequebantur.* Ms. Remig. melius, *persequebantur.*
[o] Ms. Remig. addit, *septies*, quod aberat ab editis.
[p] Ita antiquiores editiones, cum ms. Remig. Recentiores vero, *alternantes.*
[q] Ms. Remig., *quindecim.* In Vulgata leguntur tantum *decem.*

Digitized by Google

descendit (IV *Reg.* xx, 12). Quod mire evenisse finitimi dum adverterent reges, nuntios ad Ezechiam miserunt, quærentes quidnam illud esset ostenti. Elatusque in bono, non tantum pro se factum narrat, quantum et jactantiæ gratia universa regalia eis domus suæ et vasa ostendit (*Ibid.*, 13). Indignatusque Dominus per prophetam Isaiam regem increpat, testans venire dies, quibus illa omnia quæ monstraverat, captiva in Babylonia cum populo ducerentur (*Ibid.*, 16). Nec immerito noster Rex per apostolum Joannem in Apocalypsi nos admonet, dicens : *Tene quod habes, ne quis alius accipiat coronam tuam* (*Apoc.* iii, 11). Item alibi : *Beatus qui vigilat et servat vestimenta sua, ne nudus ambulet* (*Ibid.*, xvi, 15). Et in Evangelio : *Non sciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* vi, 3); admonens in bonis operibus, quæ Dei dona sunt, non esse in homine, sed in Domino gloriandum, ne quod humilis [a] accipit, superbus amittat.

## CAPUT XXXIII.

*In regibus peccantibus, qui secum populum in captivitatem ducunt.*

Prædictio facta et figurata. In Regum credita et visa.

71. Regnante Josia atque Sedechia filio ejus (IV *Reg.* xxii, 1 *seqq.*), populus omnis Israel utilia vincla legis, quibus regebatur, abrumpens, multis ex gravibus [b] culpis totius pietatis auctorem Deum ad magnam iracundiam provocavit. Jeremiam prophetam ad objurgandum, corrigendumque regem et populum Dominus misit (*Jer.* xxii, 1 *et seqq.*), prædicens, si conversi legis mandata servarent, suo in loco semper manere illæsos : si vero monentem se contemnerent, in Babyloniam ire captivos. Spretis igitur et mandatis et prædicantis verbis, dum malis ausibus rex et populus suis peccatis urgentibus premerentur, sententiam divinam Jeremias plebi jam captæ, et regibus per epistolam expressit dicens : *Propter peccata quæ peccastis ante Deum, ducemini in Babyloniam, et eritis illic per tempus longum usque ad generationes septem* (*Baruch* iv, 1 *et* 2). Rex igitur Nabuchodonosor, comprehensis regibus Juda, totum Israel captivum transmigravit in Babyloniam, effossis oculis in itinere regi Sedechiæ (IV *Reg.* xxi, 1 *et seqq.*); ut duorum prophetarum de eodem rege prædicta implerentur. Jeremias [c] dixit visurum regem Babyloniam (*Jer.* xxiv, 3); Ezechiel, non visurum (*Ezech.* xii, 13). Qui dum sibi quasi contrariare visi essent, hoc modo utrumque videtur impletum : cum exemptis oculis adductus Sedechias Babyloniam, et vidit, quia præsens fuit, et non vidit, quia in via oculos perdidit. Admonet noster Dominus suos hujus exemplo, et dicit : *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant* (*Joan.* xii, 35). Contemptores vero mandatorum suorum, etiam reges, cæcos esse idem Dominus in Evangelio dicit : *Cæci sunt duces cæcorum. Cæcus autem* [d] *dum cæcum ducit, simul in foveam cadunt* (*Matth.* xv, 14), quæ est dura captivitas animæ impœnitenti, de qua dicitur : *Dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et pœnitere non vult* (*Apoc.* ii, 21). Sic donec suppleretur mensura per annos septuaginta, in Babylonia populus ille captivus fuit.

72. Vasa sane omnia templi Dei idem rex Nabuchodonosor per suos abripuit (IV *Reg.* xxv, 13, 14, 15). Væ peccatis hominum, dum pro his sacrificia ipsa conculcantur ab exteris, quæ semper pro remediis fuerunt in salutem. Quo gemitu, quibus amarissimis fletibus, qua animi angustia hæc descripserit Jeremias, Threni ejus indicant : tabernaculum Domini fuisse pollutum, diem festum ductum in oblivionem, sabbata omniaque solemnia exterminata; sacerdotes et principes, parvulos, senes, juvenes, virginesque suas [e] partem gladium comedisse, partem remansisse captivam (*Thren.* i, 1 *et seqq.*). En dolorum nostrorum ulcera; en luctus nostri opprobrii, en peccata grandia, quorum ex causis etiam nos hæc videre meruimus, amplioreque pœnarum plaga quasi vulnerati curari nolumus. Elisi stare nos credimus, expulsi exsiliatique, ut oportuit, non dolemus : satisfactio [f] nulla, mœstitia nulla, manet ira, nec veniam postulamus. *Hæreditas nostra conversa est alienis, domus nostræ peregrinis* (*Ibid.*, v, 2). Sic castigati non plangimus, sic emendati nolumus suscipere disciplinam. Recedamus a malis quibus Dominum offendimus, pœniteamus in his quæ sacratis ejus contumeliosa ingessimus. Superbia nostra humilitate curetur. Collatum tempus [g] remediis non spernamus, [h] ne is cujus placidam mitemque sensimus misericordiam, non pœnitentibus æternam constituat, pœnalemque sententiam. Paratus est enim ignoscere ille Dominus qui dicit : *Convertimini ad me, et convertar ad vos* (*Zach.* i, 3) : si modo voces filii cum pœnitentia revertentis pius Pater agnoscat (*Luc.* xv, 18).

73. [i] In eadem captivitate, Danielem et Ezechielem narrat historia prophetasse. Daniel vir desideriorum (qui Balthasar a rege nuncupatus est), tres viros gentis suæ amicos habuit Ananiam, Azariam, Misaelem (*Dan.* x, 11; i, 7). Omnis vero ejus prophetia mysteriis licet plena sit (*Dan.* ix, 25). quædam tamen pars ejus ita elucet claritate sui fulgoris, ut etiam tempus signaverit quo venturus esset ipse Salvator et Dominus. Duodecim sane cum sint propheticæ visiones ejus, in Hebræo decem reperiuntur. Quas duodecim, Domino donante, certa cum comparatione percurram. In prima, contra impudicos seniores castitatem Susannæ defendit (*Dan.* xiii, 51). Hoc agit Jesus Dominus, dum adversus sceleratos hæreticos Ecclesiæ suæ integritatem tuetur, quam perversis suis disputationibus vitiare contendunt. Quos etiam per apostolum Paulum notat, dicens : *Ex his sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis* (II *Tim.* iii, 6). In secunda ipse Daniel, suique amici statuerunt legis suæ mandata servantes, ex cibis mensæ regis, quibus cæteri eorum sodales vescebantur, non contaminari (*Dan.* i, 8). Desideriis hujus mundi non solum contaminatus non est noster Magister et Dominus, verum etiam suos amicos prohibuit, dicens : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I *Joan.* ii, 15 *et* 16). Quæ omnia, velut escas illas regias, repudianda ostendit. Et per apostolum Paulum evidentius mandans : *Esca ventri, ait, et venter escis. Deus autem et hunc, et has evacuabit* (I *Cor.* vi, 13); ut sit animæ unus cibus ipse Salvator, qui ei varios diversosque sapores exhibeat.

74. In tertia, sacramentum divinæ dispositionis, quod regi ostensum fuerat, itaque erat [j] oblitus; non humana doctrina Daniel qua instructus erat, sed Domino revelante, et somnium et interpretationem somnii regi narravit (*Dan.* ii, 1, etc.) : Quatuor regna in quatuor metallis, e quibus statua formata ante faciem ejus [k] aderat, mundo exsurgere; caput aureum, ipsum esse Babylonicum Orientis; pectus et brachia ejus argentea, Macedonicum Septentrio-

[a] Ms. Remig., *accepit.*
[b] Ms. Remig. *culpis.* Editi, *causis.*
[c] Editi, *dicit.*
[d] Ms. Remig., *cæcum ducens.*
[e] Ms. Remig. addit hanc vocem, *partem.*
[f] Ms. Remig., *nulla mœstitia manet iram, nec veniam.*
[g] Ms. Remig., *remedii.*
[h] Ita ms. Remig. Editi vero, *ne is quem placidum mitemque sentimus, iracundiam non pœnitentibus æternam constituat, pœnalemque sententiam.*
[i] Emendatur locus hic ad ms. Remig. Editi, *in eamdem captivitatem.*
[j] Editi, *oblatus*; sed melius ms. Remig., *oblitus.*
[k] Editi, *aderat.* Ms. Remig., *erat.*

Digitized by Google

nis; venter et femora ærea, Punicum Meridiani; crura ferrea et digiti pedum partim ferrei, partim fictiles, ultimum Romanum, videlicet Occidentis, sicut et vir eruditissimus Orosius historiographus posuit. Quod regnum tamquam ferrum comminuit omnia, et domuit. Christi quoque regnum subjungit Daniel in lapide abscisso de monte sine manibus concidentium (*Ibid.*, 44 *et* 45), tamquam sine manibus complectentium Deum hominem ex Virgine natum. Qui cum illam statuam percussisset, omnes ejus partes redegit in pulverem, eaque auferens spiritus venti, locus ejus inventus non est : ipsum autem lapidem, qui percussit statuam, factum esse montem magnum et implesse omnem faciem terræ (*Ibid.*, 35). [a] Vacuatis enim omnibus regnis, regnum Christi Domini exsurget, quod nulli alteri populo relinquetur, quoniam permanebit in æternum. Hoc nunc orando omnis ejus petit Ecclesia, cum dicit : *Adveniat regnum tuum* (*Luc.* XI, 2). In quarta, statuam, imaginemque suam Nabuchodonosor quam statuerat adorandam, cum tres prædicti amici Danielis adorare noluissent, camino detrusi, illud mirum divinitus præbuit, quod fugato incendio, ipsos potius ministros regiæ jussionis vorax flamma consumpsit. Tres vero viri illæsi, hymnum Regi vero dum canerent in medio camini, secum Filium Dei habere meruerunt. Quem revelante gratia rex ipse cognovit, qui suos veros adoratores figmenta vanissima contemnentes, a flammis præsentis sæculi ad cœlestem gloriam perducit triumphantes (*Dan.* III).

## CAPUT XXXIV.

*In Daniele, qui Christum Dominum suis visionibus enarravit.*

Prædictio facta et figurata. In Daniele credita et visa.

75. Quinta vero visio continet somnium ejusdem regis, quod Daniel ita interpretatus est (*Dan.* IV, 2, *etc.*) : Arborem magnificam quam viderat, sub cujus ramis omnes bestiæ, pecora, avesque habitarent, ipsum esse regem; præcidendam vero cum Dominus jussisset, servata dumtaxat radice; regnum ejus auferendum ab eo, ipsumque cum bestiis mansurum (*Ibid.*, 17, *etc.*); capillos ejus ut mulieris, et ungues ejus ut aquilæ crescere, fenum ut bos edere, donec septem divinitus tempora jussa complerentur; dans consilium regi eleemosynis sua peccata redimere debere. Quod cum facere neglexisset, prædicta omnia regi advenerunt, suppletaque mensura temporum, regnum quod amiserat, recuperavit (*Ibid.*, 31). Sic præsumptores cæduntur, sic castigantur superbi ab eo *qui potat in lacrymis*, *in mensura* (*Ps.* LXXIX, 6), quia sunt judicia ejus suavia (*Ps.* CXVIII, 39). Sic Petrum apostolum negantem, dum respectum flentem videret, in eum locum restituit quem præsumptor amiserat (*Luc.* XXII, 61). Sic in suis in terfectoribus sacrum ejus sanguinem [b] fundentibus, pro quibus oravit eumdem sanguinem propinavit bibendum, quo regiam susciperent dignitatem. Sic quotidie Rex noster lapsos reparat, quibus collatæ gratiæ cœlestis regni donum servat in posterum. In sexta ex quatuor sibi apparentibus bestiis [c] illius supradictæ, quatuor partium orbis regna confirmat (*Dan.* VII, 4, *etc.*). Quibus quartam bestiam grandiorem fuisse atque terribilem, idem propheta testatur : habentem cornua decem, ac de medio eorum cornu aliud parvum ascendens, tria ex illis ante faciem ejus excussa sunt cornua, donec vetustus dierum sedit in judicio. Sed hæc eo modo [d] sunt exposita, quo regna illa quatuor sibimet succedentia. Bestia quarta, quæ omnibus regnis eminens domavit omnem terram, subjecitque eam (*Ibid.*, 23). Post ipsam uno tempore decem reges exsurgent : et post eos, ille qui nomen perditionis suæ, id est, Antichristi, portaturus est. De quo suo loco, ut jam promissum est, divina testimonia proferentur. In septima ex ariete et hirco, Persarum atque Græcorum sibi prælia revelata describit (*Dan.* VIII, 3, *etc.*). Sub persona quoque Antichristi, qui corde suo dum magnificabitur, dolo corrumpet multos (*Ibid.*, 25), donec veniat qui venturus est Jesus Dominus, et non tardabit (*Habacuc* II, 3).

76. In octava (*Dan.* V, 1, *etc.*), idem vir desideriorum Daniel, providam justitiam Dei judicantem reges superbos ea ratione insinuat, qua Baltasar rex cœnam faciens principibus suis, vasa templi Dei quæ Nabuchodonosor pater ejus abstulerat prolata [Editi, *sublata*], biberit in eis concubinis principibusque suis, laudans deos suos aureos et argenteos, ligneos et lapideos : statimque in conspectu ejus exierunt articuli manus hominis, et scripserunt in pariete regis domus (*Ibid.*, 5); qua visione turbatus rex, cum omnes quos habuit curiosos, scripturam legere nequivissent, Daniel accitus, causa vasorum domus Dei id factum fuisse; regem constanter objurgans, scripturam etiam recitavit : *Mane*, *Thecel*, *Phares*; eamque interpretatus est, *Mane : Numeravit Deus regnum tuum, et implevit illud. Thecel :* [e] *Ponderatus es, et inventus es minus habens. Phares : Divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis* (*Ibid.*, 25). Promissa itaque munera quæ Daniel abnuerat, cum rex contulisset prophetæ, suppleto vitæ cursu, ut prædictum fuerat, regnum reliquit Medis et Persis. Videant, videant superbi reges, qui ausu mentis suæ vasa domus Dei diripientes, quæ juste ille ministris peccantibus tradidit, sine ulla reverentia contrectantes, Deo, cujus nomine consecrata sunt, videntur contumelias irrogasse. Quorum finis utique mors est, quæ non habet finem.

## CAPUT XXXV.

*In eodem, dum eum de lacu leonum eruit, ut Christum Dominum a Judæis.*

[f] Prædictio facta et figurata. In Daniele credita et visa.

77. In nona, Darius Medus successit in regnum; qui cum satrapas centum viginti statueret in regno suo, tres ei præpositos constituit (*Dan.* VI, 1, *etc.*). Daniel unus erat ex tribus gratiam habens in oculis regis. Exquirunt [g] invidi adversum Dei servum consilium, ac regi persuadent diebus triginta petitionem a nullo deo vel homine, nisi a solo rege esse poscendam, in eo pœna interposita, qua si quis præceptum regis contemneret, in vivarium missus leonibus in esca daretur (*Ibid.*, 7, *etc.*). Quod præceptum propositum reperiens propheta, Dominum suum tribus temporibus diei solita oratione precatus est. Detentum ut contumacem regi offerunt, quem cum eripere invidis non valeret, Deo suo prophetam sub hac confessione dimisit, qua eum de mortis periculo solus posset eruere. Quod et factum est. Ex hac tamen mœstitia incœnatus rex, dum neque cibum neque somnum caperet, diluculo ad videndum Danielem ipse perrexit. Quem vivum illæsumque respiciens, Deo vero dans gloriam, educi de lacu præcepit, eosque qui Danielem criminati erant, in lacum misit; et devorati sunt continuo in conspectu ejus. In his etiam suppleta est prophetia, dicens : *Qui foveam fodit proximo,* [h] *incidet in eam. Et qui statuet laqueum proximo, peribit in illo* (*Eccli.* XXVII, 29). Et ipse no-

[a] Ms. Remig., *Vacuatisque.*

[b] Hæc verba, *fundentibus, pro quibus oravit, eumdem sanguinem*, in ms. Remig. reperta huic loco restituimus. In illo tamen paulo post legitur, *susceperit*, non *susciperent*, ut in editis.

[c] Ms. Remig., *illi supradictæ.*

[d] Ms. Remig., *sint exposita.*

[e] Ms. Remig., *Ponderatum est in statera, et inventum est.*

[f] Ms. Remig., *Promissio.*

[g] Ms. Remig., *invidia... consilia.*

[h] Ms. Remig., *incidit... statuit... deperiet.*



Digitized by Google

ster Jesus Dominus, in quo omnia ista figurata surgebant, per Prophetam dicit : *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam* (*Ps.* LVI, 7). Et iterum : *Misit Dominus misericordiam suam et veritatem suam, et liberavit animam meam de medio catulorum leonum* (*Ibid.*, 4).

78. In decima (*Dan.* IX, 2), propinquante fine temporis septuaginta annorum desolationis Jerusalem, quam per Jeremiam prophetam Dominus prædixerat (*Jerem.* XXV, 11; XXIX, 10), Daniel cum omni fletu et jejunio orationem fudit pro se ac pro delictis populi sui, miserationem Domini implorans. Oranti Gabriel astitit archangelus, eique futura mysteria revelavit, septuaginta hebdomadas breviatas esse in populo ejus, et [a] in civitate sancta, ut consummentur peccata, et signentur delicta, et ut finiatur injustitia, et adducatur justitia sempiterna (*Ibid.*, 21); impleri quoque visus prophetarum, et ungi Sanctum sanctorum ab exitu sermonis in respondendo. Et iterum ædificabitur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomadæ septem, et hebdomadæ [b] sexaginta duæ. Et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomadas septuaginta duas, interibit chrisma; et judicium non erit in eo; vel, sicut Hebræus interpres : *Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce veniente, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum* [c] *multis hebdomada una et in medio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium, et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverarit desolatio* (*Ibid.*, 26). Ad confutandum errorem Judæorum hæc sibi revelata scripsit Daniel. Qui ergo exspectant adhuc venturum Christum, credituri sunt Antichristo. Sic enim eos Dominus Jesus in Evangelio increpat, dicens : *Ego veni in nomine Patris mei, et non credidistis mihi; alius veniet in nomine suo, et ipsi credetis* (*Joan.* V, 43).

79. Labore ingenioque magno beatæ memoriæ Hieronymus, [d] per supputationes annorum regum Babyloniæ septuaginta hebdomadas, usque ad nostri Redemptoris nativitatem Christi Domini annos quadringentos nonaginta perduxit, [e] sejungens septem in restauratione templi hebdomadas, sexaginta et duas usque ad Domini nativitatem, et usque ad passionem ipsius, et unam vastationis quæ facta est a Vaspasiano duce, vel Tito filio ejus. Inimici igitur Domini Judæi fallentes semetipsos, cum multiplicia prophetata de Christo, ad quasque suorum regum personas referre contendunt; huic prophetæ Danieli volentes nolentesque colla submittunt, qui non tantum signa omnia supra scripta conscripsit, quantum etiam tempora ipsa adventus Domini designavit. Quæ omnia luce clarius impleta omnis jam mundus [f] agnoscit. Gloriam igitur Christi Domini diffusam in gentibus, eumque, ut scriptum est, omnem terram adorantem (*Ps.* LXV, 4), Judæi adhuc credere nolunt, nobiscum intuentes impleri omnia quæ prædicta sunt oraculis prophetarum.

80. In undecima (*Dan.* XI, 1, *etc.*), eidem prophetæ revelata sunt sub persona bellantium regum, ipsius facta Antichristi, angustiæque ultimi temporis, resurrectio etiam mortuorum, qualiter impii, qualiter vel sancti resurgant. Hæc et Isaiæ (*Isa.* VI, 11, *etc.*; XIII, 9, 16), et Ezechieli (*Ezech.* XXXVIII *et* XXXIX) ita ostensa sunt, quemadmodum eorum dicta evangelica firmat auctoritas.

81. In duodecima (*Dan.* XIV, 2, *etc.*), spectaculum quoddam lætissimum, non tantum regi, quantum etiam spiritalibus mentibus exhibuit Daniel. Bel quippe idolum, quod omnes Babylonii simul cum rege cultui habebant, magnos regios apparatus velut quotidie comedens, quos sacerdotes cum suis per occultum intrantes ostium consumebant. Daniel eorum fraudem subtili arte demonstrans, [g] seri in pavimento templi cinerem suis præcepit. Signatis igitur foribus annulo regis, in posterum diem venientibus, non illa ab illo figmento consumi, virorum ac mulierum impressa vestigia demonstrarunt. Confessione etiam sacerdotum occultum est illud ostium proditum, per quod introeuntes omnia devorabant. Confracto itaque regia jussione figmento (*Ibid.*, 22, *etc.*), draconem, quem simul ut divinum suspiciebant, sine gladio et fuste ita peremit Daniel, quemadmodum sciebat corruptibilem posse corrumpi : docens et ostendens unum et solum verum Deum esse colendum, relictis vanis superstitionibus, quibus non tantum Babylonios, quantum etiam totum mundum sub potestate dæmonum captivum teneri propheta cernebat. [h] A quorum dominatu Christi Domini gratia liberandum, præconio etiam suo [i] futuro tempore designavit. Sed quoniam, ut ait quidam, Veritas odium parit (unde et Paulus noster dicit (*Gal.* IV, 16): *Inimicus factus sum vobis verum prædicans*, pro munere veræ religionis ostensæ, in lacum leonum Babylonii devorandum prophetam miserunt. Nec defuit divina potentia, quæ et custodiam [j] solitam suo et prandium per ejus socium ministraret incluso. Cujus ob meritum gratiæ, ferales leonum impetus in ovium mansuetudinem commutavit. Educto itaque Daniele, cum rex miraretur illæsum, inimici ejus in escam leonum dati sunt ut perirent (*Dan.* XIV, 30, *etc.*). Non sine signo ejus Domini hæc acta sunt, qui pro suis orat, dicens : *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi* (*Ps.* LXXIII, 19). *Rugiens* enim ille *leo* diabolus qui *circuit quærens quem devoret* (I *Petr.* V, 8), [k] inimicos nostri prophetæ Christi Domini quos reperit, accepta potestate consumit.

## CAPUT XXXVI.

*In Ezechiele, manifesta resurrectio per Christum Dominum.*

Promissio facta et figurata. In Ezechiel credita et visa.

82. Ezechiel quoque propheta inter cætera quæ arcanis recondita scripsit, resurrectionem sibi ostensam quæ futura est mortuorum, hoc modo [l] intimavit. In campum se quemdam adductum, qui erat plenus ossibus mortuorum (*Ezech.* XXXVII, 1 *et seqq.*). Illic potentia verbi Dei unumquodque os suis partibus conjungi, carnes, nervos, cutesque ascendere, eisque vitales auras infundi eo Spiritu ipse vidit, quo nos futuram speramus et credimus resurrectionem. Multa quoque sub figura regis Tyri de Antichristo narrans, describit etiam civitatem quæ congregatur [m] ex gentibus ex lapidibus vivis, Jerusalem cœlestem (*Ezech.* XXVIII, 2, *etc.*) : cujus portam orientalem clausam semper ostendit, dicens : *Hæc porta clausa erit, solus princeps sacerdotum* [n] *transibit per eam, et*

[a] Editi, *in civitatem sanctam, ut consummarentur peccata, et signarentur.*

[b] Ms. Remig., *hebdomadas* VI *et hebdomadæ* LXXII. Lugd., *hebdomadæ septem, et hebdomadæ septuaginta duæ.*

[c] Ms. Remig., *multum... et in medio hebdomadis.*

[d] Lege hanc septuaginta duarum hebdomadarum expositionem apud Hieronymum, libro in Danielem prophetam, capite nono.

[e] Ms. Remig., *sed jungens... septuaginta duas.*

[f] Ms. Remig., *agnoscet.*

[g] Ms Remig., *sterni.*

[h] Ms. Remig., *A quarum*; intellige, *superstitionum.*

[i] Ms. Remig., *futura tempora.*

[j] Ms. Remig., *solidam.*

[k] Ms. Remig., *inimicus... sumit.*

[l] Sic ms. Remig. At vero editi, *initiavit.*

[m] Editi, *in gentibus, et lapidibus.*

[n] Ms. Remig., *transiit.*

Digitized by Google

*ipsa clausa erit principi* (*Ezech.* XLIV, 2); Mariæ virginalem uterum signans, quæ semper virgo integra protulit Salvatorem. Solus enim Christus Dominus, ut ait beatæ memoriæ Augustinus episcopus, [a] per inviolata matris virginea viscera, membra infantis eduxit, qui post resurrectionem per clausa ostia membra juvenis introduxit : solus peccatum non habens infantilis ætatis exortu, qui peccatum non habuit grandioris ætatis accessu, ipso dicente : *Ecce venit princeps hujus mundi, et in me nihil inveniet* (*Joan.* XIV, 30).

83. In hac captivitate Babyloniæ etiam Esdras sacerdos et propheta fuit, qui gratus in conspectu regis dum esset, et cum flentem rex aspiceret, qua ex causa tristis esset ab eo perquirens, solemnia [b] religionis ac populi sui agi solere eo tempore firmat, a quibus se alienum esse [c] docebat (II *Esdr.* II, 1, *etc.*). Dat rex eundi licentiam, jubetque [d] restaurari templum Dei. Veniens quoque Esdras ad Jerusalem, zelo legis accensus, purgandam a vitiis primitus plebem statuit. Quoniam *Rex sapiens*, ut Propheta dicit, *populi stabilimentum est* (*Sap.* VI, 26). Reperto itaque libro Moysi, ostendit, inter cætera, etiam hinc iram Dei fuisse succensam, quod contra Dei mandatum ex alienigenis sibi populus accepisset uxores (I *Esdr.* X, 1, *etc.*); persuasitque censura qua valuit, suas quisque cum filiis projiceret mulieres. Nulla itaque [e] detenti carnali dulcedine, cum sibi vellent Deum esse propitium, incunctanter quæ fuerant imperata fecere : ut populi Christiani figuram ostenderet, quos admonet et princeps omnium sacerdotum dicens : *Si quis dimiserit domum, aut agrum, aut uxorem, aut filios causa nominis mei, et hic multiplicia accipiet, et vitam æternam consequetur* (*Matth.* XIX, 29).

## CAPUT XXXVII.

*In Esdra, domus Dei, id est, per Christum Dominum restauratio.*

Prædictio facta et figurata. In Esdra credita et visa.

84. Templum quoque Dei dum restauraret Esdras (I *Esdr.* IV, 1, *etc.*), invidia quorumdam malorum qui socii fabricæ, nec tamen socii religione esse voluerunt, cum eos incircumcisos non susciperet Esdras, malitiose regi insinuantes, ab opere templi cessatum est usque ad Cyrum regnantem (*Ibid.*, 24). Qui divino actus imperio, suppletis annis septuaginta, quos Jeremias ex ore Domini prædixerat (*Jer.* XXV, 12, *et* XXIX, 10), omnem populum, simulque et vasa domus Dei ex Babylonica captivitate ad Jerusalem dimisit, adjiciens munera rex, e quibus præcepit ut fabrica surgeret templi. Quod sub Dario cœptum, usque ad perfectionem ejus quam Cyrus fieri et jussit et juvit, anni evoluti sunt quadraginta sex (I *Esdr.* V, 13; VII, 15). De quibus Judæi, Domino restaurationem sui corporis [f] promittenti, ac dicenti : *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Non intelligentes illius dicti sacramentum, dixerunt : *Quadraginta et sex annis constructum est* (*Ibid.*, 20); et quomodo hic dicit : *Triduo suscitabo illud?* [g] A Salomone enim ea celeritate constructum est, qua omnia præparante David patre repererat. Non ergo Salomonis fabricæ [h] emensa tempora Judæi dixerunt, sed Esdræ, cui, ne perficeret, fuerat interdictum.

85. Reparato itaque templo ac muro Jerusalem, juxta Danielis tempora constituta (quo exorante simul cum Zacharia populus mansit in Jerusalem) septuaginta hebdomadarum usque ad Christi Domini nativitatem, ut supra diximus (*Cap.* 3), tempora [i] cucurrerunt. Cujus indulgentia, etiam nunc animæ de captivitate sæculi [j] in compunctione cordis suppleta [k] mensura, gratia et misericordia liberantur. Jucundantur enim pro illis diebus quibus sunt humiliati, [l] annis quibus viderunt mala, donec aspiciat Dominus super servos suos et in opera sua (*Ps.* LXXXIX, 15 *et* 16). Serviamus igitur Domino in timore, et exsultemus ei cum tremore (*Ps.* II, 11), quousque reducamur ad civitatem quam Rex et Sacerdos noster restaurat Jerusalem cœlestem : ut in templo corporis ejus, quod triduo suscitavit, sacrificium laudis ei jugiter offeramus.

## CAPUT XXXVIII.

*In eodem, cum in figura Ecclesiæ parabolam panait.*

[m] Prædictio facta et figurata. In Esdra credita et visa.

86. Rex Babyloniæ Artaxerxes dum suos vellet exercere captivos, tres elegit prudentes Judæos, quorum sententias Esdras sacerdos scripsit (III *Esdr.* III, 4, *etc.*). Unus vinum omni rei prætulit; alius regem; tertius Zorobabel mulieres, ac super omnia veritatem. Qui cum suas sententias protulissent, sapientior omnibus judicatus est Zorobabel, qui mulieres, ac supra omne veritatem astruxerat. Et re vera quid muliere fortius, quæ primum Adam ita illexit virum (*Gen.* III, 6), ut Dei præcepta contemneret? Quid fortius muliere, cujus species omni se [n] cupiditati extollit? Quid fortius muliere, quæ et regiam fortitudinem emollit, et virum? Quid etiam in bono fortius muliere, quæ credidit integram se Christum parere veritatem (*Luc.* I, 45)? Quid fortius muliere, quæ, fugientibus discipulis, mysteria ipsius crucis intrepida ac plena fiducia [o] aspexit (*Joan.* XIX, 25)? Quid fortius muliere, quæ prima præ omnibus viris excurrens, videre meruit Dominum resurgentem (*Marc.* XVI, 9)? Quæ cum in typo Ecclesiæ hæc Esdras [p] scripserit, subsecuta est etiam actio figurata. Esther enim quæ a Mardochæo fuerat in filiam educata (*Esth.* II, 7), dum aulam regiam Mardochæus curaret, a Deo qui exaltat humiles ad regiam Esther perducta est dignitatem. Hæc cum populum suum, agente amico regis Aman causa Mardochæi, [q] donatum intelligeret morti (*Ibid.* VII, 3), gladiusque eorum cervicibus immineret, animam suam Esther pro suo populo ponens, invocato divino auxilio, penetralia regis ingressa est (*Esth.* V, 1, *etc.*), quo mulieri non vocatæ accedere non licebat. Quam cum rex indignatus aspiceret, illa quoque [r] pudore tabuisset : *Convertit*, ut dictum est, *cor ejus Deus in lenitatem* (*Ibid.* XV, 11); eique rex multa bona promittens, dum ejus salutem reparare contenderet, ad convivium cum Aman venturum se, ut regina poposcerat, non negavit. Illic narrans quæ secum et cum suo populo acta erant, Aman eo ligno crucifigi rex statuit, quo Mardochæum idem Aman suspendere sta-

[a] Hæc leguntur apud Augustinum epistola ad Volusianum, alias 3, nunc 137, cap. 2, pag. 405, novæ editionis. Et lib. V contra Julianum cap. 15, pag. 656, n. 57, item nov. edit.
[b] Editi, *regionis*.
[c] Recentiores edit., *dicebat*.
[d] Ms. Remig., *restaurare*.
[e] Editi, *tenenti*.
[f] Ms. Remig., *promittenti ac dicenti*. Editi, *promittente ac dicente*.
[g] Editi, *A Salomone autem... qui*.
[h] Editi, *priora*. Ms. Remigiànus, *tempora*.
[i] Editi, *concurrerunt*. Ms. Remig., *cucurrerunt*.
[j] Ms. Remig., *in compunctionem*.
[k] Ms. Remig., *mensura gratiæ liberantur*.
[l] Ms. Remig. addit vocem, *annis*; et paulo post, *restauret*, ut edit. recentiores.
[m] Ms. Remig., *Promissio*.
[n] Ms. Remig. Duac. et Colon., *cupiditate*.
[o] Ms. Remig. addit, *constanter*.
[p] Ms. Remig., *scripserat*.
[q] Ms. Remig., *donatum*; editi, *damnatum*.
[r] Editi, *tacuisset*. Ms. Remig., *pudore tabuisset*.

Digitized by Google

fuerat innocentem (*Ibid.* VII, 3, *etc.*) : [a] ut cogitanti nequissima, sicut ait Propheta, super ipsum volverentur.

87. Sic Ecclesia sancta ligno crucis perimit inimicos. Sic se pro suis, periculis [b] hujus mundi opponit. Sic datis in morte, suis laboribus vitam conferendo ministrat : utpote regina, quæ a suo Rege sponso et Domino admonetur, eique dicitur : *Libera eos qui ducuntur ad mortem, et redime eos qui occiduntur* (*Prov.* XXIV, 11). Cujus beneficiorum refugia, ipsi quoque ejus appetunt inimici. Nec impari etiam loco Judith sancta, ordine subsequente ponitur, quæ etiam ipsa figuram sanctæ Ecclesiæ personamque [c] suscipiat. Nam cum dux militiæ regis Babylonis Betulliam Holofernes obsidione cinxisset, sublatisque aquis siti totam affligeret civitatem, primores ejus in deditionem statuerunt tradere Holoferni (*Judith* VII, 10, *etc.*).

88. Hæc disponentibus Judith obstitit, paucorum dierum inducias poscens (*Judith* VIII, 1, *etc.*). Quibus jejuniis orationibusque supplex Regem regum et Dominum dominorum exoravit (*Ibid.* IX, 1, *etc.*). Exuta igitur veste viduali, sese omni ex parte, mente, corpore, moribusque componens, mirabilem cunctis exhibuit (*Ibid.*, X, 3, *etc.*); eo usa consilio quo, custode Deo, credebat pulchritudine captum hostem posse perimere, suam pudicitiam illo servante, qui dator et custos est castitatis. Quæ cum illæsa caput hostis afferret, quam viri non valuerant, femina patriæ reddidit libertatem (*Judith* XIII, 10). Nostram, ut diximus, cujus hæc figuram gestabat, si [d] agnoscas Ecclesiam, vides quemadmodum postea quam ejus vir Christus Dominus passus resurgensque ascendit in cœlum, omni mœstitia, ut veste viduali depulsa, sit induta pulchritudine ab eo de quo in Isaia propheta dicit : *Induit me vestimento* [e] *salutari, et stola jucunditatis circumdedit me, sicut sponsam ornatam monilibus suis* (*Isai.* LXI, 10). Missa est enim et hæc in vulnere capitis inimicorum, quoniam corpus illius est qui confregit caput draconis magni. Non pepercit et hæc animæ suæ sicut illa, quoniam ipsa est quæ dicit per Joannem apostolum : *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, ita et nos debemus pro fratribus* [f] *animas ponere* (I *Joan.* III, 16). Quod fecisse in sanctis martyribus constat, quæ est benedicta apud omnipotentem Deum.

## CAPUT XXXIX.

*In Tobia, ex pisce Christo, et dæmonia fugari, et illuminari cæcos.*

[g] Prædictio facta et figurata.

89. Tobias quoque captivus apud Niniven fuit, [h] ea religionis suæ patientia præditus, quia sciebat iram Domini æquo animo sustinendam (*Tob.* I, 1, *etc.*). Dignis operibus confessionibusque satisfaciens Deo, moribus quoque sanctis filium erudiit. Cui in mandatis dedit neque penuriam paupertatis (*Tob.* IV, 23), neque labores diuturni exsilii formidandos, si modo in mandatis Domini perseverans discederet ab omni iniquitate, et bene ageret. Et hæc, fulgente justitia interioris luminis, itinera dum cæcus corpore filio recta monstraret, Raphael archangelus missus a Deo (*Tob.* V, 1, *etc.*), non tantum captivis solatia, quantum etiam beneficia cœlestia orantibus ministravit : filio pro recipienda pecunia ducatum præstans, filiam Raguelis ei uxorem dedit (*Tob.* VI, 12), a qua Asmodeum dæmonium nequissimum expulit, qui illi jam septem occiderat viros (*Tob.* VIII, 3). [i] Reductus locuples cum uxore filius, ipsi quoque Tobiæ ex jecinoribus piscis quibus et dæmonium fugaverat (*Tob.* VI, 14), oculorum maculas auferens, pristinum reddidit visum (*Tob.* XI, 13). Eosque monuit semper glorificare Deum, et in bonis operibus permanere. Hic Tobias Christum Dominum inter cætera præconia suæ laudis prophetavit, dicens : *Nationes multæ de longinquo venient, habitatores a novissimis partibus terræ ad nomen Domini Dei, et munera sua in manibus habentes Regi cœlorum offerent cum lætitia* (*Tob.* XIII, 14) : quod nos nunc videmus impleri. Mysticum vero actionis hujus hoc est, quod ex interioribus piscis et dæmon fugatus est et Tobias illuminatus.

90. Hoc [j] egit piscis magnus ex passione sua Christus purgans Mariam, a qua expulit septem dæmonia (*Luc.* VIII, 2); animæ sic captæ desperationem tollens, quam septem spiritus nequiores dum vexaverint (*Matth.* XII, 45), purgari sanarique etiam talem necesse est per jecinora nostri piscis, si pœnitens reversa intelligat, quia ex illa spiritus maligni fugentur, eosque caveat inimicos. Nam spiritus malus, est spiritus superbiæ; nequior illo simulatio humilitatis. Spiritus malus, spiritus invidiæ; nequior illo simulatio charitatis. Spiritus malus, spiritus mendacii; nequior illo simulatio veritatis. Spiritus malus, spiritus luxuriæ; nequior illo simulatio castitatis. Spiritus malus, spiritus avaritiæ; nequior illo simulatio misericordiæ. Spiritus malus, spiritus intemperantiæ; nequior illo simulatio parcitatis. Spiritus malus, spiritus erroris; nequior illo simulatio religionis. His igitur possessa, cum sint posteriora ejus deteriora prioribus, piscis nostri liberatur medicina, quia *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* (*Rom.* V, 20). Qui tributum pro se et pro Petro (*Matth.* XVII, 26), et cæcato lumen reddidit Paulo (*Act.* IX, 18), satians ex se ipso in littore discipulos (*Joan.* XXI, 13), et toti se offerens mundo ἰχθὺν. Namque Latine piscem sacris litteris, majores nostri hoc interpretati sunt, ex Sibyllinis versibus colligentes, quod est, *Jesus Christus Filius Dei Salvator*, piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur et pascimur.

## CAPUT XL.

*In Machabæis, qui et martyria, et ipsum Christum regem natum susceperunt.*

[k] Prædictio facta et figurata. In Machabæis credita et visa.

91. Post redditam libertatem ex captivitate Babyloniæ, Machabæi ducatum Hebræo populo præbuerunt (I *Machab.* II, 1, *etc.*). Quorum virtus ita enituit, ut non tantum Macedones et Ptolomæus [*Lugd.* Ptolemæus] rex Ægypti, quantum eos ipsi Romani in amicitiarum fœdera convocarent (I *Machab.* X; *et* II *Machab.* XI). Illic apud Judæos in quadam parte quam Romani jam ceperant, Antiocho regnante, præclara illa femina Machabæorum mater, pro spe æternæ vitæ, legitimisque suis, ne vetitas carnes suillas filii sui tangerent, uno die septem martyres edidit Deo (II *Mach.* VII, 1, *etc.*), quos, terra contempta, non huic mundo, sed [l] ipsi peperit cœlo : suo exemplo nos admonens pereuntia contemnere, appetere sempiterna, velocius finienda finire, quo possent certantes atque vincentes illud apprehendere, quod non habet finem. Sic ipsa statim secutura (II

[a] Ita ms. Remig. ac editi, *ut qui cogitant in me nequissima, sicut ait Propheta, super ipsos volverentur.*

[b] Sic ms. Remig. At vero in editis, *hujusmodi.*

[c] Ms. Remig., *figuratam sanctam Ecclesiam, personamque suscipiat.* Colon. et recentiores, *figuram sanctæ Ecclesiæ, personamque significat.*

[d] Ms. Remig., *si agnoscis.*

[e] Ms. Remig., *salutaris, et stolam.*

[f] Ms. Remig., *animam.*

[g] Ms. Remig., *Promissio.*

[h] Ms. Remig., *ea religionis suæ potentia.* Colon. et recent., *ea religione sua patientia.*

[i] Ms. Remig., *Reductum locupletem... filium.*

[j] Editi, *agit.*

[k] Ms. Remig., *Promissio.*

[l] Ms. Remig., *ipsa.*

Digitized by Google

*Machab.* VII, 41), filios præmisit ad vitam, quam veram sciens, omnique metu carentem, sibi suisque filiis fideli testimonio acquisivit. Propter quam et alios in bello mortuos Judas Machabæus (II *Machab.* XII, 43) duodecim millia talentorum Jerosolymam misit offerre sacrificium pro mortuis, bene et optime de resurrectione cogitans. Hac exoratione sancta Ecclesia suos agit filios, quibus contemptum mortis inculcans, ad veram vitam Christum transire compellit, ut sit ipsa in regno Dei perfecta cum filiis, qui ei dicunt : *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius* (*Rom.* VIII, 35)?

92. Sane apud Machabæos ultimus dux et pontifex fuit Hircanus (I *Mach.* XVI, 24). Nam fratrem ejus Aristobolum Pompeius magistratus populi Romani, dum Jerosolymam expugnaret, vinctum cum liberis Romam misit, sicut Josephi narrat Historia. [a] Impleta tamen Jacob patriarchæ prophetia dicentis : *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui reposita sunt omnia, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX 10). [b] Intuemur quiescente ordine regum Juda et Israel, vel Levitico sacerdotio, cum Herodes rex alienigena Hebræo populo imperavit, cessante etiam unctione, quam Daniel propheta prædixerat cessaturam, ne unctos reges vel sacerdotes sequeretur ille populus, [c] præsente jam æterno A Rege et Sacerdote Christo, qui est *exspectatio gentium*. Herodes igitur (cujus patrem ex Idumæis, matrem vero ex Arabia fuisse idem Josephus [d] dicit) a Cæsare Augusto attributum sibi illius gentis, eo tempore sumpsit imperium quo Cæsar pacati orbis totius sub edicto descriptionem fieri præcepit (*Luc.* II, 1). Itaque eo anno professionis illius quæ facta est præside Syriæ Cirino, natus est Christus Dominus, in qua descriptione venit et Paulus. Sic enim intelligendum est quod tribuno Lysiæ dixit : *Ego autem natus sum* Romanus (*Act.* XXII, 28). Omnes enim pretio comparabant hujus nominis dignitatem ; hic vero Judæus cum dixit natum se esse Romanum, clarius ostendit in illa se descriptione venisse, nato jam [e] Joanne præcursore et præcone [f] veri Regis et Judicis, a quo tempus gratiæ sumpsit initium.

93. Hucusque, juvante Domino, sub Lege figuratas promissiones prædictaque ut datum est colligere valui. Secundum et hic tempus, velut secundum diem ex quatuor partibus mundi surgentem prophetarum B [g] patrum, orientali plaga migrante, Isaia, Jeremia, Ezechiele ac Daniele tribus in partibus constitutis ; duodenario et hic prophetarum minorum, tamquam horarum numero diem secundum, velut in vesperum concludens ; ut tempus tertium manifestatæ gratiæ simul cum ipso æterno die, ascriptis capitulis, tertia pars libri sumat initium. Amen.

[a] Rem fuse narrat Josephus libro XIV Antiquitatum, cap. octavo.
[b] Ms. Remig., *Intueamur quiescentium ordinem regum*.
[c] Ita ms. Remigianus. Editi vero, *præsertim veniente Rege*, etc.
[d] Lib. Antiquitatum XIV, capite duodecimo, in fine.
[e] Ms. Remig. addit hanc vocem, *Joanne*.
[f] Editi, *Domini, regis*.
[g] Ms. Remig., *procerum*.

---

# *PARS TERTIA.*

## TEMPUS GRATIÆ.

### PROLOGUS.

1. Quoniam Christi Domini gratia rutilante illustratus jam mundus eluxit, non reor adhuc, ut supra factum est, figuratas promissiones, seu prædicta discutiens, huic tertiæ parti prælatis capitulis consignare. Præsertim quia Lex omnis et prophetia Christum Dominum sonuit et Ecclesiam. Cujus cœlestis Regis et Judicis adventum, præconia omnium spirituum eo ordine nuntiarunt, quo per linguas etiam inimicorum suorum veritas clamitaret. Quia *et dæmones credunt et contremiscunt* (*Jac.* II, 19) [a] confessique sunt præsenti : *Scimus qui scis, quid venisti ante tempus torquere nos* (*Luc.* IV, 34). Quare, juvante Domino, placuit huic operi non tantum eorum vaticinia inserere, qui Dei Spiritu acti sunt, quantum et eorum qui errantium spirituum seductione decepti, *cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt* (*Rom.* I, 21). Pauca itaque de multis expendens, et quædam Sibyllæ, vel quorumcumque congrua de Christo Domino dicta subjungens, primo in loco Joannem præconem præcursoremque ipsius singularis Regis et veri Judicis introducam. Cui testimonium ipsa Veritas præbuit, quod *in natis mulierum nemo exsurrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11) ; in quo Lex omnis et prophetia cessavit (*Ibid.* 13).

### CAPUT PRIMUM.

*De Joanne Baptista, præcursore Christi.*

Promissio [b] credita et visa.

2. Isaias propheta : *Vox*, ait, *clamantis in eremo :* C *Parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri. Omnis rivus implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Et erunt tortuosa in directum, et aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Isa.* XL, 3, *etc.*). Firmat hæc Joannes evangelista, dicens : *Hoc testimonium est Joannis* de Christo, *quando ad eum miserunt* principes sacerdotum interrogantes, utrum ipse esset Christus. *Et confessus est, et non negavit, dicens : Quia non sum. Qui ei dixerunt : Elias es tu? et dixit, Non. Quis ergo es?* aiunt : *dic, ut habeamus renuntiare his qui nos miserunt ; quid de teipso dicis? Qui dixit : Ego sum vox clamantis in eremo. Parate viam Domino, sicut dicit Isaias propheta* (*Joan* I, 19, *etc.*). Testatur et Petrus in Actibus Apostolorum (*Act.* XIII, 24), dicens : *Cum impleretur cursus*, [c] *Joannes dicebat : Quem me suspicamini esse non sum ego, sed ecce venit post me, de cujus pedibus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Fatetur et [d] Sibylla Erythræa, dicens :

D Judicii signum : tellus sudore madescet.
Jam æquantur campis montes et cærula ponti.

Seque ipsam exponens, adjunxit :

Non erit in rebus hominum sublime, vel altum.

Quod impletum per Christum Dominum ipsi cognoscimus et videmus.

### CAPUT II.

[e] *De cœlo venturi Regis et Judicis Christi.*

Promissio credita et visa.

3. David propheta : *A summo cœlo*, ait, *egressio*

[a] Editi, *fassique... qui advenisti*.
[b] Hæc verba adduntur huic titulo et paucis sequentibus ex ms. Remigiano-Remensi. Absunt vero ab editis.
[c] Ms. Remig., *Joannis*.
[d] De Sibyllarum dictis citatis hic, et in capitulis sequentibus, legi poterit Augustinus, capite 23 libri decimi octavi de Civitate Dei.
[e] Ms. Remig., *E cœlo venturi judicis Regis Christi. Credita et visa.*

Digitized by Google

*ejus.* Et iterum : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum* (*Psal.* XVIII, 7; *et* CXLIV, 13). Item ipse : *Regnavit Dominus super omnes gentes* (*Ps.* XLVI, 9). Et Isaias : *Regem cum claritate videbitis.* Item : *Ecce Rex tuus,* ait, *venit sedens super nubem levem* (*Isa.* XXXIII, 17; *et* XIX, 1), carnem scilicet nullum pondus habentem peccati. Firmat hæc Evangelium Matthæi, dicens : *Magi ab Oriente venerunt dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæorum* (*Matth.* II, 1)? Testatur et Paulus : *Regi*, ait, *sæculorum.* Et iterum : *Ostendet beatus et solus potens Rex regum, et Dominus dominorum* (I *Tim.* I, 17; VI, 15). Fateturque Sibylla :

E cœlo rex adveniet per sæcla futurus.

## CAPUT III.

[a] *De Verbo Deo et homine.*

Promissio credita et visa.

4. David propheta : *Misit*, ait, *Verbum suum, et sanavit eos* (*Ps.* CVI, 20). Et Jeremias : *Hic Deus noster, et non est alius absque eo qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob* [b] *electo sibi : post hæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est* (*Baruch* III, 36, *etc.*). Et Habacuc propheta : *Ambulavit*, ait, *Verbum, et exiit in campos* (*Habac.* II, 3, *sec. LXX*). [c] Firmat hæc Joannes evangelista, dicens : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Testatur et Paulus : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est* [d] *esse æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Fateturque Sibylla :

Scilicet [e] in carne præsens ut judicet orbem

## CAPUT IV.

[f] *De nato Christo ex Virgine.*

Promissio credita et visa.

5. Isaias propheta : *Ecce*, ait, *Virgo in utero accipiet et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII, 14); quod [g] interpretatur, Nobiscum Deus. Firmat hoc Lucas evangelista, dicens (I, 26): *Missus est Gabriel angelus ad Virginem desponsatam, cui nomen erat Maria : qui et ingressus sic eam salutavit : Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Et paulo post : *Spiritus sanctus*, ait, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Ibid.*, 35). Testatur et Paulus dicens : *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere* (*Gal.* IV, 4); Hebræam locutionem sequens, quæ omnes feminas mulieres nominat. Fatetur et Sibylla :

Deum cernent (*inquit*) incredulus, atque fidelis.

Dicit Maro :

Jam nova progenies cœlo demittitur alto
Jam redit et virgo.

*Redit*, dixit, quia virgo adhuc Eva mortem intulit mundo, rediens virgo Maria [h] protulit Salvatorem.

## CAPUT V.

[i] *De Christo in præsepi posito.*

Promissio credita et visa.

6. Isaias propheta : *Agnovit*, ait, *bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* (*Isa.* I, 3). Et Habacuc : *In medio*, inquit, [j] *duum animalium cognosceris* (*Habac.* III, 2, *sec. LXX*). Firmat hæc Lucas evangelista, dicens : *Cum autem impleti sunt dies Mariæ, peperit filium, et pannis eum involvit, et posuit in præsepe, quoniam non erat locus in diversorio* (*Luc.* II, 6, 7). Et Angelus ad pastores : *Natus est* [k] *vobis*, ait, *Christus Dominus in civitate David; et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis obvolutum et positum in præsepe* (*Ibid.*, 11). Testatur et Paulus, dicens : *Pauper factus est, cum dives esset, ut ejus paupertate nos ditaremur* (II *Cor.* VIII, 9). Fatetur et Sibylla :

Cum jacet incultus densis [l] in vepribus orbis.

## CAPUT VI.

[m] *De stellæ signo.*

Promissio credita et visa.

7. Balaam propheta ex gentibus, *Orietur*, inquit, *stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israel, et confringet omnia regna terræ* (*Num.* XXIV, 17). Et Isaias propheta : *Gentium populus*, ait, *sedens in tenebris vidit* [n] *lucem magnam* (*Isa.* IX, 2). Et David dixit : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent* (*Ps.* LXXI, 10). Item Isaias : *Omnes a Saba venient, ferentes aurum, thus et lapidem pretiosum, salutare Domini bene nuntiabunt* (*Isa.* LX, 6). Firmat hæc Matthæus evangelista, dicens : *Ecce stella quam viderant Magi in Oriente, præibat eos, donec venit et stetit supra locum ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno. Ingressi itaque invenerunt puerum et matrem ejus. Apertisque thesauris obtulerunt ei munera : aurum*, ut Regi; *thus*, ut Sacerdoti; *et myrrham*, [o] ut morituro pro nobis (*Matth.* II, 9, *etc.*). Testatur et Paulus : *Deus*, inquit, *qui dixit de tenebris lumen clarescere, claruit in cordibus nostris : ad illuminationem gloriæ scientiæ ejus* [p] *in faciem Christi Jesu* (II *Cor.* IV, 6); fateturque Sibylla, dicens :

Exuret terras ignis, [q] pontumque polumque.

Dicit et Maro quædam congrua (*Æneid.* II, *v.* 694, 700):

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit :
[r] Muneribus cumulant, et sanctum sidus adorant.

## CAPUT VII.

[s] *De pace et salute Nativitatis ejus.*

Promissio credita et visa.

8. Per Isaiam prophetam : *Datus est*, ait, [t] *nobis*

[a] Ms. Remig., *Verbum Dei hominem suscepisse.* Lugd. et Lovan., *De Verbo Dei et homine.*

[b] Ms. Remig., *electo suo.*

[c] Ms. Remig. hic inserit ista : *Isaias etiam propheta dicit : Grave cor per omnia; et homo est, et quis cognoscet illum?* Quæ cum non legantur in Isaia, forte alludit ad Jeremiæ cap. XVII, vers. 9 : *Pravum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscet illud?*

[d] Ms. Remig., cum recentioribus edit., *esse se æqualem.*

[e] Ita legitur apud Augustinum loco supra citato. Lugdun., *scilicet ut carne præsens, et judicet orbem.* Lov., Duac., Colon., cum recentioribus, *scilicet in carnem præsens, et judicet orbem.* Ms. Remig., *scilicet ut carnem præsens, et judicet orbem.*

[f] Ms. Remig. habet tantum ista, *Ex Virgine natus.*

[g] Editi, *interpretatum;* forte, *est interpretatum*, ut Matth. I, 23.

[h] Ms. Remig., *vitam protulit.*

[i] Ms. Remig., *In præsepe positum.*

[j] Sic editiones veteres omnes. Ms. Remig. et posteriores, *duorum.*

[k] Ms. Remig., *nobis.*

[l] Ita ms. Remig. et August. liber de Civitate Dei. At editi, *cum vepribus.*

[m] Ms. Remig., *per stellam declarata*, etc.

[n] Ms. Remig., *lumen magnum.*

[o] Sic ms. Remig. At editi, *pro Dominica sepultura.*

[p] Hæc duo, *in faciem*, addimus ex ms. Remig.

[q] Corrigimus ex libro Augustini de Civitate Dei, et ejusdem versus lectione, infra, Promis. 14, in ms. Remig. Editiones omnes nostræ præferebant, *pontum populumque.*

[r] Prima pars hujus versus non reperitur in Virgilio.

[s] Ms. Remig. sic habet titulum hunc : *Promissio impleta conlatæ in nobis salutis et pacis*, etc

[t] Ms. Remig., *vobis.*

Digitized by Google

*filius* (*Isa.* IX, 6). Et paulo post : *Adducam pacem super principium ejus, pax et salus illi magna est, potestatis et pacis ejus non erit terminus* (*Ibid.*, 7). Firmat hæc Lucas evangelista, dicens : *Continuo facta est cum angelo multitudo exercitus cœlestis, laudantium et dicentium : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 13). Et ipse : *Pacem meam*, ait, *do vobis*, [a] *pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Testatur et Paulus apostolus, dicens : *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Fatetur et Maro (*Eclog.* 4, *v.* 17) :

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem

## CAPUT VIII.

[b] *De fuga in Ægyptum.*

Promissio credita et visa.

9. Per Oseam prophetam : *Ex Ægypto*, ait, *vocavi Filium meum* (*Osee* XI, 1). Hoc firmat evangelista Matthæus : *Angelus Domini*, ait, *apparuit Joseph in somnis, dicens : Surgens accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Quæsiturus est enim Herodes puerum, ut eum perdat* (*Matth.* II, 15). Ad hoc enim in Ægyptum Christus introductus est, ut, sicut apostolus Paulus dicit : *Ubi abundavit delictum* (*Rom.* V, 20), superabundaret gratia.

## CAPUT IX

*De parvulis pro Christo occisis.*

Promissio impleta.

10. In Jeremia propheta : *Vox*, inquit, *in Rama audita est, fletus et ululatus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt* (*Jerem.* XXXI, 15). Et per David, dicens : *Innocentes et recti adhæserunt mihi* (*Ps.* XXIV, 21). Item, [c] alibi : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Psal.* VIII, 3). Firmat hæc evangelista Matthæus. *Herodes vero*, [d] ait, *ut vidit quia illusus est a magis, iratus est valde, et misit, et occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus regionibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis* (*Matth.* II, 16). Testatur et Joannes in Apocalypsi : *Hi sunt*, dictum est, *qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni* (*Apoc.* VII, 14). Numerusque eorum ex omni tribu Israel ostensus est *centum quadraginta quatuor millia signati* (*Ibid.*, 4), quos etiam a nolente Jerusalem Christus suo numero sociavit; quia, sicut Paulus dicit : *Quos prædestinavit, illos et vocavit* (*Rom.* VIII, 30). Ad hæc Maro (*Æneid.* VI, *v.* 426) :

Infantumque animæ [e] flentes in limine primo.

Item (*Eclog.* 4, *v.* 23) :

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

## CAPUT X.

[f] *De puero Jesu, qui in templo seniores Judæorum ex Isaia propheta convicit.*

Promissio impleta.

11. Isaias propheta ex persona Christi Domini : *Spiritus Domini*, ait, *super me. Propter quod unxit me, bene evangelizare pauperibus misit me, curare contribulatos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum* (*Isai.* LXI, 1). Firmat hæc Evangelium Lucæ, dicens : *Venit Jesus in templum, et accepit librum Isaiæ* (*Luc.* IV, 16). Qui cum legisset ea quæ supra posita sunt, ait illis : *Amen dico vobis, quia hodie impleta est Scriptura ista in auribus vestris. Et mirabantur omnes qui erant in templo, dicentes : Quomodo hic legit, qui litteras non didicit* (*Joan.* VII, 15)? Testatur apostolus Petrus. *Non enim*, ait, *voluntate humana allata est umquam prophetia, sed Spiritu sancto acti locuti sunt homines Dei* (II *Petr.* II, 21). Dicit et Paulus : *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Jesu* (*Ephes.* II, 20).

## CAPUT XI.

[g] *De Christo uncto per columbam, posteaquam eum Joannes in Jordane baptizavit.*

Promissio impleta.

12. Isaias propheta : [h] *Exaltabuntur*, ait, *deserta Jordanis* (*Isa.* XXXV, 44, *sec. LXX*). Et sequitur : *Plebs mea videbit altitudinem Dei, et claritatem Domini.* Dicit et David : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Ps.* XLV, 5). Item, ipse : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis* (*Ps.* XLIV, 8). Firmat hæc Evangelium Matthæi, dicens : *Venit Jesus a Galilæa in Jordanem, ut baptizaretur a Joanne. Et prohibebat eum Joannes, dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me. Respondit ei Jesus : Sine modo, sic enim decet implere nos omnem justitiam. Tunc tinxit eum; et baptizato Jesu,* [i] *statim ascendit de aqua, et aperti sunt ei cœli; et vidit Spiritum sanctum descendentem de cœlo sicut columbam, et manentem super eum. Et vox facta est de cœlo, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui* (*Matth.* III, 13, *etc.*). Testatur in hoc Petrus apostolus, dicens : *Et hanc vocem audivimus de cœlo delatam, cum essemus cum illo in sancto monte* (II *Petr.* I, 18). Tertio enim hæc de cœlo sonuit vox, sicut norunt qui Evangelia [j] intente legunt, vel audiunt. Per columbam vero unctionem intelligit, qui novit post diluvium ramum oleæ columbam ad arcam portasse (*Gen.* VIII, 11).

## CAPUT XII.

[k] *De electione discipulorum.*

Promissio impleta.

13. Per Jeremiam prophetam : *Mittam*, inquit, *ad eos piscatores, et piscabuntur eos; et venatores, et venabuntur eos* (*Jer.* XVI, 16). Firmat hoc Evangelium Marci : *Invenit Jesus*, ait, *Simonem Petrum, et Andream fratrem ejus, juxta mare Galilææ, componentes retia, et ait illis : Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Marc.* I, 16). [l] Venantibus *dedit montes altissimos cervis ; petram refugium herinaciis* (*Ps.* CIII, 18), et leporibus; piscantibus vero, *Volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*Ps.* VIII, 9). Quod breviter exponit David, dicens : *Principes populorum convenerunt cum Deo Abraham* (*Ps.* XLVI, 10). Fatetur et Sibylla :

Celsum cum sanctis; ævi jam termino in ipso.

## CAPUT XIII.

[m] *De miraculis Christi.*

Promissio credita et visa.

14. Isaias propheta : *Exhortamini*, ait, *qui estis pusillanimes, confortamini, et jam nolite timere. Ecce enim Deus noster retribuet judicium, ipse veniet, et salvos nos faciet. Tunc aperientur oculi cæcorum, et*

[a] Ms. Remig., *pacem relinquo.*
[b] Ms. Remig., *qua in Ægypto ductus est parvulus.*
[c] Ms. Remig., *ibi.*
[d] Ms. Remig. et Lugd. addunt *ait.*
[e] Sic ms. Remig., conformiter textui Virgiliano. Editi nostri, *stantes.*
[f] Ms. Remig., *qua puer in templo.*
[g] Ms. Remig., *In Christum unctum*, etc.
[h] Alludere videtur auctor ad locum Isaiæ, XLIV, 26, secundum LXX, ubi tamen sermo est de desertis Idumeæ, non Jordanis. Vide Græca.
[i] Ms. Remig., *statim ut ascendit de aqua, aperti sunt.*
[j] Ms. Remig., *intente legunt*. Editi, *intelligunt.*
[k] Ms. Remig., *Qua discipulos Christus piscatores elegit.*
[l] Ms. Remig., *Venantibus*, cui respondet mox, *piscantibus vero.* Editi, *Venientibus.*
[m] Ms. Remig., *Mirabilium quæ fecit Jesus*, etc.

Digitized by Google

*aures surdorum audient. Tunc* [a] *saliet claudus sicut cervus, et plana erit lingua mutorum* (*Isa.* XXXV, 4, *etc.*). Firmat hoc Evangelium [b] Marci, dicens : *Venerunt discipuli Joannis missi ab eo ad Jesum, et dicunt ei : Hæc dicit magister : Tu es qui venisti, an alium exspectamus? Respondit eis Jesus : Ite, dicite Joanni quæ vidistis et audistis. Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, pauperes evangelizantur, et beatus qui non fuerit scandalizatus in me* (*Matth.* XI, 2, *etc.*). Testatur et Petrus in Actibus Apostolorum : *Jesus*, ait, *qui venit benefaciens et curans in plebe omnem infirmitatem, quia Deus erat in eo* (*Act.* X, 38). Dicit ad hæc et Maro (*Eadem Eclog.* IV, *v.* 15):

Ipse deum vitam accipiet.

## CAPUT XIV.

[c] *De Christo, quod mare pedibus ambulavit.*

Promissio credita et visa.

15. David propheta : *In mari est via tua, et semitæ tuæ in aquis multis* (*Ps.* LXXVI, 20). Dicit et Habacuc : *Dispergens aquas* [d] *itineris, dedit abyssus vocem suam* (*Habac.* III, 10). Firmat hæc Evangelium Matthæi, dicens : *Quarta autem noctis vigilia venit Jesus ad discipulos suos, ambulans supra mare. Videntes vero eum discipuli timuerunt, dicentes : Quia phantasma est. Accedens autem ad eos Jesus, dixit eis : Ego sum, nolite timere* (*Matth.* XIV, 25, *etc.*). Salomon etiam dicit : *Dedisti in mari viam et inter fluctus semitam firmissimam, ostendens quoniam potes etiam sine rate transeuntes mare servare* (*Sap.* XIV, 3). Quod etiam in Petro Jesus fecisse cognoscitur (*Matth.* XIV, 29). Testatur et Paulus in naufragio adstitisse sibi Jesum, dicentem : *Ne timeas, Paule; ecce enim donavit tibi Deus omnes qui tecum navigant* (*Act.* XXVII, 24). Ex quibus nullus hominum periit nisi navis tantum. Sibylla vero [e] supra dicta ad utrumque respondit :

Exuret terras ignis, pontumque [f] polumque.

## CAPUT XV.

[g] *De Jesu, quod mirabiliter populos pavit in deserto.*

Promissio credita et visa.

16. David propheta : *Satiavit*, ait, *animam inanem, et animam esurientem bonis replevit* (*Ps.* CVI, 9). Et Isaias dicit : [h] *Cibabit te in hæreditate patris tui Jacob* (*Isa.* LVIII, 14). [i] Firmant hæc evangelistæ : quod Jesus jussit discipulis suis quinquagenos in feno discumbere; et ex quinque panibus et duobus piscibus hominum quinque millia pavit in eremo, et ex reliquiis duodecim cophini repleti sunt. Testatur et Paulus : *Omnes*, ait, *enim de uno pane participamus* (I *Cor.* X, 17). Et iterum : *Sanctificantur omnia per verbum Dei et orationem* (I *Tim.* IV, 5). Et ad hoc signum supra dicta Sibylla resonat.

## CAPUT XVI.

[j] *De Jesu, quod portatus asello est.*

Promissio credita et visa.

17. Zacharias propheta : *Dicit*, ait, *filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi justus et* [k] *salvans; ipse mansuetus, sedens super subjugalem asinam et pullum novellum* (*Zach.* IX, 9). Hæc omnes evangelistæ confirmant, quod Jesus sederit in pullo asinæ, eique indumenta sua populus straverit (*Matth.* XXI, 5; *Marc.* XI, 7; *Luc.* XIX, 35; *Joan.* XII, 14). In hoc facto Jesus Cornelium ostendit ex gentibus venientem ad fidem, in quo sedit gratia vocantis (*Act.* X, 1, *etc.*). Quoniam in disco illo gentes mundatas Petro Dominus ostendit, credente Cornelio (*Ibid.*, 15).

## CAPUT XVII.

[l] *De Jesu, quod de templo Dei expulit mercatores* [Al. *peccatores*].

Promissio credita et visa.

18. Per David prophetam ipse dicit : *Comedit me zelus domus tuæ* (*Ps.* LXVIII, 10), *quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici mei* (*Ps.* CXVIII, 139). Item ibidem : *Quoniam non cognovi* [m] *negotiationem, introibo in potentiam Domini* (*Ps.* LXX, 15). Et hæc evangelistæ confirmant, Jesum Dominum ex flagello resticulæ pepulisse de templo ementes et vendentes columbas (*Matth.* XXI, 12; *Joan.* II, 15); et mensas nummulariorum evertit, dicens : *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum* (*Matth.* XXI, 13). Testatur et Paulus : *Si quis*, inquit, *templum Dei violaverit, violabit illum Deus* (II *Cor.* III, 17). Et iterum : *Scripta autem sunt hæc ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11). In quo etiam amatores pecuniæ notat inter cætera; et proditores, qui, ut columbas, innocentes prodendo distrahunt. Hinc est etiam illud Maronis (*Æneid.* VIII, *v.* 326) :

Paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies et amor successit habendi.

## CAPUT XVIII.

[n] *De Christo Domino, qui sui traditorem ostendit.*

Promissio credita et visa.

19. Per David prophetam ipse dicit : *Qui edebat panes meos*, [o] *amplificavit super me calcaneum* (*Ps.* XL, 10). Item ibi : *Egrediebatur*, ait, *foras, et loquebatur in eodem : adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mihi mala* (*Ibid.*, 7). Et iterum : *Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique ; et si is qui oderat me, super me magnum verbum dixisset, absconderem me utique ab eo. Tu autem homo, unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos* (*Ps.* LIV, 13). Et apertius : *Traditus sum*, ait, *et non egrediebar* (*Ps.* LXXXVII, 9). Dicit et per Zachariam : *Dederunt mercedem meam triginta argenteos* (*Zach.* XI, 12). Hæc omnes evangelistæ confirmant : quod Jesus Dominus discumbentibus discipulis dixerit : *Scitis quia unus ex vobis* [p] *tradet me* (*Matth.* XXVI, 21)? Cumque singuli dicerent : *Numquid ego sum, Rabbi?* ait : *Cui intinctam buccellam dedero, ipse est* (*Joan.* XIII, 26). Dicente vero Juda : *Numquid ego sum, Magister? ait illi Jesus : Tu dixisti. Et continuo cum accepisset buccellam, introiit in eum Satanas. Et abiit, et exiit foras, ut eum traderet Judæis. Et iterum abiit Judas, et retulit argentum principibus sacerdotum, dicens : Peccavi tradendo sanguinem justum* (*Marc.* XIV, 18; *Luc.* XXII, 21; *Matth.* XXVII, 4). Testatur et Paulus : *Dominus Jesus*, ait, *ea nocte qua tradebatur, accepit*

[a] Ms. Remig., *ascendit.*

[b] Fortasse legendum, *Evangelium Matthæi.* Hæc enim non leguntur in Marco, sed in Matthæo cap. XI, 2 et sequentibus. Quem errorem, nullo codice ms. aut edito juvante, emendare non tentavimus.

[c] Ms. Remig., *qua Christus mare*, etc.

[d] M. Remig., *incessu.*

[e] Edit. Lugdun, *supra dictum.*

[f] Ms. Remig., *pontumque polumque;* editi, *pontum populumque.* Vide supra notam in hunc eumdem versum, promis. 6

[g] Ms. Remig., *qua Jesus mirabiliter*, etc.

[h] Lugd., *Cibavit te.* Ms. Remig., *in hæreditatem.*

[i] Ms. Remig., *Firmat hæc Evangelista.*

[j] Ms. Remig., *Qua Jesus portatus asello est*, etc.

[k] Ms. Remig., *Salvator.*

[l] Ms. Remig., *Qua Jesus de templo.*

[m] Ms. Remig., *negotiationem.* Editi, *litteraturam.*

[n] Ms. Remig., *Qua Christus Dominus suum proditorem ostendit.*

[o] Ms. Remig., *ampliavit.*

[p] Ms. Remig. *tradit.*

Digitized by Google

*panem* (I *Cor.* XI, 23); et cætera quæ usque ad traditionem acta sunt. Faleturque Sibylla :

Tradetur, sontes [a] æternum flamma cremabit.

## CAPUT XIX.

[b] *De contumeliis in Jesum.*

Promissio impleta.

20. Per Isaiam prophetam : *Ipse dorsum meum*, ait, *posui ad flagella, maxillas vero meas ad palmas, faciem vero meam non averti a fœditate sputorum* (*Isa.* L, 6). Et Jeremias dicit : *Dabit percutienti se maxillam*, [c] *saturabitur opprobriis* (*Thren.* III, 30). Et hæc omnes evangelistæ confirmant, quod flagellatum Jesum eis Pilatus tradidit crucifigendum, eique palmas et colaphos dabant, dicentes : *Prophetiza nobis, Christe, quis te percussit* (*Matth.* XXVI, 68)? Testatur in his et Petrus apostolus, dicens : *Christus pro* [d] *nobis passus est, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Qui cum malediceretur, non remaledicebat; cum pateretur, non comminabatur; commendabat autem* [e] *judicanti se juste* (I *Petr.* II, 21 *seq.*). Fatetur Sibylla alia : « [f] In manus, inquit, impiorum postea veniet, dabunt Deo alapas manibus incestis, et impurato ore exspuent venenatos sputos. Dabit vero ipse ad verbera sanctum dorsum, et colaphos accipiens tacebit; ne quis agnoscat quod Verbum, vel unde veniat. » Quæ omnia impleta in Christo Domino, omnis jam mundus agnoscit.

## CAPUT XX.

[g] *De Christo spinis coronato.*

Promissio impleta.

21. Per David [h] ipse : *Conversus sum*, ait, *in ærumna, dum infigeretur spina* (*Ps.* XXXI, 4). Et hoc evangelistæ confirmant, quod spineam coronam [i] imposuerunt capiti ejus, et crucem suam portans exiit (*Matth.* XXVII, 29; *Marc.* XV, 17; *Joan.* XIX, 2). Hoc etiam aries ille signavit, qui in spinis cornibus detentus immolatus est pro Isaac (*Gen.* XXII, 13). Fatetur et Sibylla : « Ut inferis loquatur, et corona spinea coronetur (*Apud August. eod. c.* 22, lib. XVIII *de Civ.*). »

## CAPUT XXI.

[j] *De Christi cruce et vulneribus.*

Promissio impleta.

22. Isaias propheta : *Sicut ovis*, ait, *ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente* [k] *se, non aperuit os suum* (*Isa.* LIII, 7). Et iterum : *Pro iniquitate populi mei ductus est ad mortem* (*Ibid.*, 8). Dicit et per David : *Foderunt manus meas et pedes; dinumeraverunt omnia ossa mea* (*Ps.* XXI, 17). Jeremias etiam dicit : *Ante faciem nostram Christus Dominus comprehensus est in corruptionem eorum* (*Thren.* IV, 20). Item ipse : *Venite*, ait, *mittamus lignum in panem ejus* (*Jer.* XI, 19). Firmant hæc omnes evangelistæ,

A quod *venientes ad locum* [l] *qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus, ibi eum crucifixerunt* (*Matth.* XXVII, 33). Testatur in hæc Petrus apostolus, dicens : *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum* (I *Petr.* II, 24). Dicit et Paulus : *Etsi crucifixus est ex infirmitate : sed vivit in virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4).

## CAPUT XXII.

*Quod Christus in medio latronum sit crucifixus.*

Promissio impleta.

23. Isaias propheta : *Inter sceleratos*, inquit, *deputatus est, qui peccatum non fecit, cujus livore sanati sumus omnes* (*Isa.* LIII, 12 *et* 5; I *Cor.* XV, 3). Firmat hoc Evangelium Joannis dicens : *Cum eo alios duos hinc et inde latrones crucifixerunt, in medio autem Jesum* (*Joan.* XIX, 18). Dicit ad hæc Petrus apostolus: *Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus : si vero quasi Christianus, non erubescat, glorificet autem Dominum in hoc nomine* (I *Petr.*
B IV, 15, 16).

## CAPUT XXIII.

*Quod vestimenta ejus divisa, et sortem super tunicam ejus miserunt.*

Promissio impleta.

24. Per David prophetam : *Ipsi diviserunt sibi*, ait, *vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Ps.* XXI, 19). Firmat hæc Joannes evangelista. *Milites vero*, ait, *crucifigentes Jesum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes. Similiter et tunicam, quæ erat desuper contexta per totum, dixerunt : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit* (*Joan.* XIX, 23, 24). Hanc tunicam [m] unam esse Ecclesiam catholicam apostolus Paulus ostendit, dicens : *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ : ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*
C (*Ephes.* V, 25, etc.).

## CAPUT XXIV.

*De Christo*, [n] *qui felle et aceto potatus est.*

Promissio impleta.

25. Per David prophetam ipse : *Dederunt*, ait, *in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Ps.* LXVIII, 22). Et hæc omnes evangelistæ confirmant. *Sciens Jesus*, ait Joannes, *quia omnia consummata sunt, ut impleretur Scriptura*, *ait : Sitio. Vas positum erat aceto plenum, et* [o] *spongia plena aceto : hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum* plenum felle, *ait : Consummatum est, et inclinato capite, tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 28, *etc.*). Et per David hanc herbam non tacuit dicens : *Asperges me hyssopo, et mundabor* (*Ps.* L, 9). Fatetur et Sibylla : « Ad cibum autem, ait, fel, et ad sitim acetum dederunt, [p] inhospitalitatis hanc

[a] Emendamus ex libro Augustini de Civ. Dei XVIII c. 22. Codices nostri Prosperiani habebant, *æterna*, contra leges carminis.

[b] Ms. Remig., *Promissio facta et figurata, et impleta contumeliarum Jesu.*

[c] Ms. Remig., *satiabitur.*

[d] Ms. Remig., *pro vobis.*

[e] Ms. Remig., *judicanti juste*, quod melius respondet voci *commendabat*, et conforme est Græco textui; editi vero antiquiores : *commendabat autem judicanti se injuste*; pro quo recentior quædam editio, *commodabat autem judicanti se injuste.*

[f] Hæc eadem Sibyllæ verba fusius refert S. Augustinus citato libro XVIII de Civitate Dei cap. 22, num. 2, tamquam a se desumpta ex libro Lactantii primo cap. 6 : *Inserit etiam Lactantius* (ait sanctus doctor) *operi suo quædam de Christo vaticinia Sibyllæ, quamvis non exprimat cujus; sed quæ ipse singillatim posuit,*
D *ego arbitratus sum conjuncta esse ponenda, tamquam unum sit prolixum, quæ ille plura commemoravit et brevia.*

[g] Ms. Remig., *Quia spinis coronatus est Christus.*

[h] Editi, *ipsum.* Melius ms. Remig., *ipse*, scilicet Christus dicit; tum *configeretur.*

[i] Hæc verba, *imposuerunt capiti ejus*, desunt in Ms. Remigiano, nec male.

[j] Ms. Remig., *Crucis et vulnerum.*

[k] Ms. Remig., *coram tondente, sic non.*

[l] Ms. Remig. non habet *qui dicitur*, nec hanc vocem *locus.*

[m] Ms. Remig., *unicam esse.*

[n] Ms. Remig., *quod fel et acetum accepit.*

[o] Ita legimus in ms. Remig. In editis vero, *aceto plenum : spongiam plenam aceto, hyssopum circumponentes.*

[p] Ms. Remig., *inhospitalitatem hanc monstrabant.*

Digitized by Google

monstrabunt mensam (*Apud Augustin., ubi supra*). » [a] Ad hæc quoque Virgilianum illud respondet (*Eclog.* 4, *v.* 24) :

Occidet et serpens, et fallax herba veneni.

*Occidet :* tunc enim diabolus victus est.

## CAPUT XXV.

[b] *De Christo, quod lancea percussus, et ex latere ejus sanguis et aqua manavit.*

Promissio impleta.

26. Zacharias propheta : *Videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* XII, 10). Et iterum in lege dictum est : *Os non comminuetis ex eo* (*Exod.* XII, 46). Jeremias vero dicit : *Dabit in fossura os suum* (*Thren.* III, 29). Firmant hæc [c] evangelistæ, dicente Joanne : *Ad Jesum autem cum venissent* milites, *eumque vidissent mortuum, non fregerunt ejus crura*, ut latronum ; *sed unus e militibus lancea latus ejus aperuit, et continuo exiit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX, 33, *etc.*). Testatur in his Petrus apostolus : *Scientes*, ait, *quia non auro vel argento redempti estis a vana vestra conversatione paternæ* [d] *traditionis, sed pretioso sanguine Agni immaculati* (I *Petr.* I, 18). Dicit et Joannes apostolus : [e] *Tria sunt quæ testimonium dicunt, spiritus, sanguis et aqua* (I *Joan.* V, 8). Et sequitur : *Si testimonium hominum* [f] *acceperimus, testimonium Dei majus est* (*Ibid.*, 9). Fatetur et Sibylla (*Ubi supra*) increpans Judæam gentem : « Ipse enim insipiens, ait, tuum Deum non intellexisti ludentem mortalium [g] sensibus, et spinis coronasti, et horridum fel miscuisti. »

## CAPUT XXVI.

[h] *Quod in Christi passione sol lunaque obscurati sunt.*

Promissio impleta.

27. [i] Joel propheta : *Ante faciem ejus*, ait, *confundetur terra et movebitur cœlum, sol et luna contenebrescent, et sidera abscondent lumen suum* (*Joel* II, 10; *Isai.* XIII, 10). Et hæc evangelistæ dicentes confirmant : *Postquam crucifixus est Jesus, tenebræ factæ sunt per universam terram a sexta hora usque in nonam* (*Matth.* XXVII, 45). Et iterum : *Postquam emisit spiritum Jesus, velum templi scissum est in duas partes a summo usque ad deorsum* (*Ibid.*, 51). Dicit et Paulus apostolus : [j] *Cum conversi fuerint ad Christum, auferetur velamen* (II *Cor.* III, 16). Fatetur et Sibylla : « Templi vero velum, ait, scindetur, et medio die nox erit tenebrosa nimbis in tribus horis. »

## CAPUT XXVII.

*De sepultura Christi Domini.*

Promissio impleta.

28. Per David prophetam ipse : *Factus sum*, ait, *sicut homo sine adjutorio* [k] *in mortuis liber, et sicut vulnerati dormientes projecti* [l] *in monumentis* (*Psal.* LXXXVII, 5, 6). Item [m] in eodem : *Non derelinques*, ait, *animam meam apud inferos, neque dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Ps.* XV, 10). Hic etiam

A Matthæus et cæteri evangelistæ testantur, quod Joseph ab Arimathia, permittente Pilato, acceperit corpus Jesu, et linteaminibus [n] obvolutum posuerit in monumento novo (*Matth.* XXVII, 57; *Marc.* XV, 42; *Luc.* XXIII, 50; *Joan.* XIX, 38). Testatur et Paulus dicens Corinthiis : *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas* (I *Cor.* XV, 3). Fatetur et Sibylla (*Ubi supra*) : « Et morte morietur, ait, tribus diebus, somno suscepto. »

## CAPUT XXVIII.

[o] *Quod in morte Christi sanctorum corpora surrexerunt.*

Promissio impleta.

29. Isaias propheta dicit : *Exsurgent mortui, et* [p] *excitabuntur qui in monumentis sunt, et* [q] *exsultabunt omnes qui sunt in terra. Ros enim qui a te est, medicina illis est* (*Isai.* XXVI, 19). Hæc firmat Matthæus
B evangelista, dicens : *Terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum dormientium surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ipsius, venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis* (*Matth.* XXVII, 51, *etc.*). Dicit et Paulus : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Coloss.* III, 1). Testatur et Petrus apostolus dicens : *Ideo et mortuis evangelizatum est* (I *Petr.* IV, 6). Fatetur et Sibylla :

Tartareumque chaos monstravit terra dehiscens.
Inquirens tetri portas [r] infringet Averni,
Sanctorum sedenim cunctæ lux libera carni.

## CAPUT XXIX.

[s] *Quod tertia die a mortuis resurrexit.*

Promissio impleta.

30. Osee propheta dicit : *Post biduum* [t] *sanabit nos. Die tertia surgemus, et ante lucem paratum enim*
C *inveniemus* (*Osee* VI, 3). Dicit [u] et per David : *Ipse exsurgam ante lucem* (*Psal.* LXII, 2). Item ibi : *Exsurrexit tamquam dormiens Dominus quasi* [v] *potens crapulatus a vino* (*Ps.* LXXVII, 65). Hæc Matthæus et cæteri evangelistæ confirmant, quod *venientes principes sacerdotum dixerunt Pilato : Domine, rememorati sumus quod seductor ille* [x] *dixerit adhuc vivens : Post tertium diem resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum* (*Matth.* XXVII, 62, *etc.*). Dixerat enim eis : *Generatio hæc generatio nequam est ; signum quærit,* [y] *et signum non dabitur illi, nisi Jonæ prophetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus ; ita oportet et Filium hominis in corde terræ esse* [z] *tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 39, 40). *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene et alia Maria videre sepulcrum.* Et *ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, et* [aa] *accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. Fuit autem aspectus ejus* [bb] *metuendus, et vestimenta ejus velut nix : metu autem ejus*

[a] Ms. Remig., *Ad hæcque..... Occidit..... Occidit.*
D [b] Ms. Remig., *De percussione lateris ejus lancea.*
[c] Editi addunt vocem *omnes*. Ms. Remig. omittit. Solus Joannes e quatuor, latus Christi lancea apertum fuisse narrat.
[d] Ms. Remig., *traditionis vestræ*.
[e] Ms. Remig., *Tres sunt qui testimonium dant.*
[f] Ms. Remig., *accepimus*.
[g] In Augustino, *mentibus, sed et spinis*. Ms. Remig., *sed spinis*. Editi, *mortalium sensibus et spinis*.
[h] Ms. Remig., *De obscurato sole in passione.*
[i] Sic ms. Remig., et quidem melius quam editi, qui habent *Isaias*. Hic enim locus expressius et fusius habetur in Joele quam in Isaia.
[j] Ms. Remig., *Cum transieris.*
[k] Ms. Remig., *inter mortuos.*
[l] Ms. Remig., *in monumentis*. Editi, *in monumento.*

[m] Ms. Remig. addit hoc, *in eodem.*
[n] Ms. Remig., *linteaminibus novis.*
[o] Ms. Remig., *De corporibus sanctorum resuscitatis.*
[p] Ms. Remig., *suscitabuntur.*
[q] Ms. Remig., *et lætabuntur quæ super terram sunt.*
[r] Ms. Remig., *et frigida.*
[s] Ms. Remig., *De die Resurrectionis tertia.*
[t] Ms. Remig., *sanavit..... resurgemus.*
[u] Ms. Remig., *per prophetam David.*
[v] Ms. Remig., cum recentioribus edd., *potens*. Antiquiores edit., *potans*.
[x] Editi, *dixerat*.
[y] Ms. Remig., *et non dabitur illis, nisi signum Jonæ.*
[z] Hæc verba, *tribus diebus et tribus noctibus*, absunt a ms. Remigiano.
[aa] Ms. Remig., *et accessit.... et sedit.*
[bb] Ms. Remig., *gloriosus.*

Digitized by Google

*expaverunt custodes et facti sunt veluti mortui. Dixit autem angelus mulieribus : Nolite timere vos, scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis : non est hic; surrexit enim, sicut dixit* (*Matth.* XXVIII, 1 *seq.*). Testatur et Paulus Timotheo : *Memor esto*, ait, *Christum Jesum resurrexisse a mortuis secundum Evangelium meum* (II *Tim.* II, 8). Et Corinthiis : *Christus*, ait, *resurrexit a mortuis primitiæ dormientium* (I *Cor.* XV, 20). Quæritur hic quomodo primitiæ dicatur, cum et ipse suscitaverit mortuos, et Elias atque Eliszeus a mortuis [a] excitaverunt. Respondetur quod hi qui suscitati sunt, denuo mortui, cum sic dormientibus hodieque requiescunt : Christum autem Paulus apostolus dicit ideo primitias dormientium, quia *surgens ex mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Fatetur et Sibylla : « Tunc ab inferis regressus, ad lucem veniet primus; resurrectionis principio revocatis ostenso. »

## CAPUT XXX.

[b] *De Incredulis discipulis increpatis.*

Promissio impleta.

31. Osee propheta dicit : *Sicut leo ructavit Dominus, quia ipse rugiet et obstupescent filii aquilarum* (*Osee* XI, 10). Juxta illud dictum Jacob : *Ascendisti recumbens, dormisti ut leo* (*Gen.* XLIX, 9). Firmat hoc Evangelium Marci : *Discumbentibus illis* [c] *undecim*, ait, *apparuit illis Jesus, et increpavit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia eis qui viderant eum* [d] *resurrexisse non crediderunt* (*Marc.* XVI, 14). Et Thomæ in Joanne dixit : *Injice huc digitum tuum, et vide manus meas; et manum tuam mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan.* XX, 27). Testatur et Joannes in Epistola sua, dicens : *Quod audivimus, quod vidimus nostris oculis, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita palam facta est nobis* (I *Joan.* I, 1). Et Paulus dicit : *Apparuit Cephæ, postea undecim. Deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent usque adhuc* (I *Cor.* XV, 5 *et seq.*). Item : *Si Christus* C *prædicatur quia resurrexit a mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quia resurrectio mortuorum non est* (*Ibid.*, 12)? Dicit et Maro (*Eclog.* IV, *v.* 13, 14) :

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

## CAPUT XXXI.

[e] *De Ascensione Christi in cœlum, et donis Spiritus sancti.*

Promissio impleta.

32. David propheta dicit : *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ps.* LXVII, 19). [f] Item ipse : *Ascendit super Cherubin et volavit, volavit super pennas ventorum* (*Ps.* XVII, 11). Et iterum : *Domini est* [g] *assumptio et Sancti Israel regni nostri* (*Ps.* LXXXVIII, 19). Item dicit : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Ps.* CIII, 30). Firmant hæc evangelistæ, dicente A ipso in Marco : *Signa autem credentes hæc subsequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis* (*Marc.* XVI, 17). Et alibi : *Ego*, inquit, [h] *promissum Patris mei mittam vobis, vos autem, sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). *Et postquam hæc locutus est, ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Dei* (*Marc.* XVI, 19, ). Testantur et Actus apostolorum : *Nubes*, ait, *suscepit eum, et* [i] *sublatus est a discipulis. Et quomodo contemplantes erant, cum iret in cœlum, duo viri astiterunt eis in albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis, sic veniet quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum* (*Act.* I, 9, 10, 11). Et iterum : *Die autem Pentecostes fuerunt omnes discipuli eadem* [j] *animatione simul in unum. Et factus est de cœlo subito sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et implevit totum illum locum in quo erant* [k] *sedentes. Et visæ sunt illis linguæ divisæ quasi ignis, et insedit in unumquemque eorum, et loquebantur variis linguis, prout Spiritus dabat eis pronuntiare* (*Act.* II, 1 *et seqq.*). B Et iterum : *Spiritu sancto*, ait, *misso de cœlo, quem ditissime effudit super nos, et super omnes credentes* (I *Petr.* I, 12; *Tit.* III, 6).

## CAPUT XXXII.

*De exortu Ecclesiæ.*

Promissio impleta.

33. David propheta dicit : *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem* (*Ps.* CXII, 9). Et Isaias : *Lætare*, ait, *sterilis, quæ non paris, erumpe et exclama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV, 1; *Gal.* IV, 27). Et quomodo hæc pariat, in Evangelio [l] Marci ipse Dominus ostendit : *Ite*, ait discipulis, [m] *baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). [n] Item ait : *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum Dei* (*Joan.* III, 5). Et in Actibus Apostolorum : *Eritis*, inquit, *mihi testes* [o] *in totam Judæam et Samariam, et usque in fines terræ* (*Act.* I, 8). Dicit et Petrus : *Sicut modo geniti infantes* [p] *rationale et sine dolo lac* [q] *concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (I *Petr.* II, 2). Testatur et Paulus : *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. In Christo enim Jesu per Evangelium vos genui* (I *Cor.* IV, 15).

## CAPUT XXXIII.

[r] *De Testamento novo, cantico novo, homine novo.*

Promissio impleta.

34. Jeremias propheta : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda Testamentum novum*, [s] *non secundum Testamentum quod dedi patribus eorum* (*Jer.* XXXI, 31; *Hebr.* VIII, 8). [t] Et paulo post : *Hoc est Testamentum quod dispono ad eos, dans leges meas in mentibus eorum, et in cordibus eorum* [u] *superscribam*

[a] Ms. Remig., *resuscitaverint*. Editi, *excitaverunt*, forte, *excitaverint*.

[b] Ms. Remig., *Qua incredulos discipulos increpat*.

[c] Ms. Remig. addit hic *undecim*.

[d] Ms. Remig., *resurrexisse a mortuis non crediderunt*.

[e] Ms. Remig. hoc habet dumtaxat, *Ascensionis Domini*.

[f] Ms. Remig., *Item : Ipse ascendit*, ut et recentiores distinxerant.

[g] Ms. Remig., *assumptio nostra, et Sancti Israel Regis nostri*.

[h] Ms. Remig., *promissionem... virtutem... et sedit*.

[i] Ms. Remig., *sublevatus est a discedentibus*.

[j] Ms. Remig., *admiratione;* tum editi, *in uno*.

[k] Sic Ms. Remig. At editi, *credentes*.

[l] Hæc verba Christi, baptismi formam discipulis præscribentia leguntur in Matthæo, non vero in D Marco; unde vero acciderit hic error, an ex amanuensium vitio, an eo quod auctor ipse ibi memoria sit lapsus, plurium manuscriptorum defectu judicare nobis non licuit.

[m] Ms. Remig., *baptizate omnes gentes*. Editi, *baptizantes in nomine*, etc.

[n] Ms. Remig., *Et illud*.

[o] Ms. Remig., *in tota Judæa*.

[p] Ms. Remig., *rationabiles*.

[q] Edit. Duac., Colon. et recentiores, *concupiscentes*. Ms. Remig., cum Lugd. et Lovan., *concupiscite*

[r] Ms. Remig., *In testamento*, etc., ut in editis.

[s] Hæc verba, *non secundum testamentum*, supplet ms. Remigianus.

[t] Ms. Remig., *Et Paulus apostolus*. Hunc prophetæ locum ex parte recitat Apostolus, Hebr. X, 16.

[u] Ms. Remig., *scient*.

*eas : et non docebit unusquisque fratrem suum dicens : Cognosce Dominum. Quia omnes cognoscent me a majore usque ad minorem eorum* (*Jer.* XXXI, 33, 34). Et per Isaiam : *Ecce ego nova facio, quæ nunc orientur* (*Isa.* XLIII, 19). Et iterum : *His vero qui mihi serviunt, nomen nominabitur novum* (*Isa.* LXII, 2). Intelligitur utique Christianum, quod nomen terras obtinuit. Dicit et David : *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra* (*Psal.* XCV, 1). Quis hæc nisi cæcus corde, impleta non videat? Firmat [a] hæc Dominus in Evangelio Matthæi. *Omnis*, ait, *scriba eruditus in regno Dei, similis est viro proferenti de* [b] *thesauris suis nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52). Et iterum : *Quod nascitur* [c] *de Spiritu, spiritus est* (*Joan.* III, 6). Testatur et Paulus : *Primus*, ait, *homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo* [d] *cœlestis. Quomodo portavimus imaginem terreni, induamus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* XV, 47, 49). Et iterum : *Renovamini*, ait, *spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem,* [e] *eum qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV, 23). Item : *Si qua*, ait, *in Christo nova creatura, vetera transierunt, et ecce facta sunt nova* (II *Cor.* V, 17). Dicit et Maro (*Eclog.* IV, *v.* 8, 9) :

Quo ferrea primum
Desinit, ac toto surgit gens aurea mundo.

## CAPUT XXXIV.

[f] *De Martyribus.*

Promissio impleta.

35. Per David prophetam dicunt : *Propter te morte afficimur tota die, deputati sumus ut oves occisionis* (*Ps.* XLIII, 22). Et iterum : *Dedisti nos tamquam oves ad escam* (*Ibid.*, 12). Item ibi : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Ps.* CXV, 6) Firmat hæc ipse in Evangelio, dicens : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* X, 16). Et iterum : *Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam conservabit illam* (*Ibid.*, 39). Item : *Tradемini autem a fratribus, cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis; et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit usque in finem, hic salvus erit* (*Luc.* XXI, 16). Et in Joanne : *Nisi*, ait, *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII, 24). Testatur et Joannes apostolus, dicens : *Sicut Christus pro nobis animam posuit, sic et nos debemus pro fratribus animas ponere* (I *Joan.* III, 16). Dicit et Paulus : *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli,* [g] *neque principatus, neque præsentia, neque futura* (et concludit), *neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 38, 39).

Ad hæc illud Maronis (*Eclog.* IV, 15, 16) :

[h] Permixtosque (*ait*) videbit
Heroas divis, et ipse videbitur illis.

36. Decem sane persecutiones a Nerone usque ad Diocletianum et Maximianum fuisse Orosius historiographus, veluti decem plagas Ægyptias, scripsit. Alias sane quamplures, beatæ memoriæ Augustinus [i] scriptis suis inseruit. [j] Quas haud procul a nobis et sensit et vidit, nobisque memorias sui martyrii consecratas tradidit venerandas, credens et ipse augmenta Ecclesiæ, quæ nos videmus impleri. Sane nostris temporibus apud Persas persecutionem factam novimus, imperante Arcadio [k] religioso et Christiano principe; qui, ne traderet ad se confugientes Armenios, bellum cum Persis confecit. Eo signo, antequam potitus victoria, jam coeuntibus in prælium militibus, aeriæ cruces in vestibus paruere. Unde etiam victor auream monetam eodem cum signo crucis fieri præcepit, [l] quæ in usu totius orbis et maxime Asiæ hodieque persistit.

## CAPUT XXXV.

[m] *De Vocatione Gentium.*

Promissio impleta.

B 37. David propheta dixit : *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. A solis ortu usque ad occasum* (*Ps.* XLIX, 1, 2). Et Isaias : *Mirabuntur gentes multæ super eum, et continebunt os suum reges. Quibus non est nuntiatum* [n] *de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent* (*Isa.* LII, 14, 15). Item : *Virtutes ejus in insulis pronuntiabunt* (*Isa.* XLII, 12). Item [o] Isaias dicit : *Gentes quæ non noverunt te, invocabunt te, et populi qui ignorabant te, ad te confugient* (*Isai.* LV, 5). Item ipse de apostolis : *Qui sunt hi, qui ut nubes volabunt, adducere filios tuos de terra longinqua* (*Isai.* LX, 8, 9)? Et iterum : *Ecce hi de longinquo veniunt; hi autem ab Aquilone et mari; hi autem de terra Persarum* (*Isai.* XLIX, 12). Et per David dicitur : *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in obauditu auris obaudivit mihi* (*Ps.* XVII, 45). Firmat hæc Dominus in Evangelio : *Multi*, ait, *ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno Patris* [p] *sui* (*Matth.* VIII, 11). Testatur et Petrus : *Qui aliquando*, ait, *non populus, nunc autem populus Dei* (I *Petr.* II, 10). Dicit et Paulus : *Vobis dico gentibus : Quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum* [q] *glorificabo, si quo modo ad æmulationem provocare potero carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis* (*Rom.* XI, 13). Et iterum : *Cæcitas*, ait, *ex parte Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus* [r] *fieret* (*Ibid.*, 25). *Omnis*, dicit, *qui scriptus est in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi* (*Apoc.* XIII, 8).

## CAPUT XXXVI.

[s] *Quod reges Christum in Ecclesia persequentes, ad eam humiles adducentur.*

Promissio impleta.

38. In David propheta : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi* (*Ps.* LXXI, 11). Et Isaias propheta : *Gentes*, ait, *et reges qui tibi non servierint, peribunt* (*Isa.* LX, 12). Et iterum : *Ecce*, ait Dominus, *tollo in gentes manum meam, et in insulas tollam signum meum; et adducent filios tuos in gre-*

[a] Ms. Remigianus, *autem et Dominus*

[b] Ms. Remig., *de thesauro suo.*

[c] Ms. Remigianus his interserit, *ex carne caro est, quod nascitur*; quæ ab editis omnibus omittuntur.

[d] Hæc vox legitur in ms. Remig. et recentioribus editis, non vero in antiquioribus, Lugd., Lovan., Duac. et Colon.

[e] Ms. Remigianus caret hac voce, *eum.*

[f] Ms. Remig., *In Martyres.*

[g] Editi, *angelus.*

[h] Apud Virgilium,

Divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis.

[i] Legatur cap. 52 libri decimi octavi de Civitate Dei, ubi ex professo disserit sanctus Augustinus an impletis decem persecutionibus quæ præcesserunt, nulla supersit, præter eam quæ in ipso Antichristi tempore est futura.

[j] Ms. Remig., *quas ut procul aliis populus sentit, nobisque memoriæ suæ.*

[k] Ms. Remig., *glorioso.*

[l] Ms. Remig., *qui usus.*

[m] Ms. Remig., *Advocationis gentium.*

[n] Editi, *a Deo.*

[o] Ms. Remig., *ipse.*

[p] Ms. Remig., *Patris mei.*

[q] Ms. Remig., *honorificabo, si quando*

[r] Editi, *fiet.*

[s] Ms. Remig., *Qua Reges... adducuntur.*

*mio, filias autem tuas super humeros* [a] *tollent. Et erunt reges nutritores tui, et principes feminæ eorum psaltrices tuæ. Et super faciem terræ adorabunt te, et pulverem tuorum pedum lingent* (*Isa.* XLIX, 22, *etc.*). Firmat hæc Dominus in Evangelio, dicens : *Regina Austri exsurget* [b] *in judicio cum generatione hac, et condemnabit eam. Venit enim a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic* (*Matth.* XII, 42; *Luc.* XI, 31), Ideo *plus hic*, quia ad illum una, ad istum omnia regna venerunt. Sicut nunc nos, [c] qui tanta credidimus et credimus, hæc impleri et cernimus et vidimus. Fatetur et Sibylla, dicens (*Apud August. ubi supra*) :

Et coram hoc Domino reges sistentur ad unum.

## CAPUT XXXVII.

*Jugum legis Christi etiam reges suscepisse.*

Promissio impleta.

39. David propheta dicit : *Nunc, reges, intelligite,* [d] *erudimini, omnes qui judicatis terram. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Continete* [e] *disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Psal.* II, 10, *etc.*). Et iterum : *In conveniendo populos in unum,* [f] *et reges ut serviant Domino* (*Ps.* CI, 23), [g] Dicit et Salomon : *Diligite justitiam, qui judicatis terram* (*Sap.* I, 1). Firmat hæc Dominus in Evangelio, dicens : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Et iterum : *In qua mensura mensi fueritis, in ea remittetur vobis* (*Matth.* VII, 2). Testatur in hæc Jacobus apostolus : *Judicium,* [h] inquit, *sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam. Superexaltat enim misericordia judicio* (*Jacob.* II, 13). Paulus etiam orandum *pro regibus* [i] censet, *et pro his qui in sublimitatibus sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus* (I *Tim.* II, 2). Ad hæc Maro ait (*Æneid.* VI, *v.* 620) :

Discite justitiam moniti, et non temnere divos.

## CAPUT XXXVIII.

[j] *De subversione idolorum atque templorum.*

Promissio impleta.

40. In lege sua Dominus per Moysem dicit : *Aras eorum subvertetis, et lucos eorum* [k] *succidetis, et sculptilia eorum igni concremabitis* (*Deut.* VII, 5, *et* XII, 3). Et Isaias propheta : *Fugient omnia manufacta Ægypti* (*Isai.* XIX, 1). Item ipse : *Abscondent deos suos in speluncis et cavernis petrarum,* [l] *neque ibi celabunt eos* (*Isai* II, 19, *sec. LXX*). Jeremias etiam dicit : *Dii qui cœlum et terram non fecerunt, pereant* [m] *de sub cœlo et terra* (*Jer.* X, 11). Et per Zachariam Dominus dicit : *Perdam nomina idolorum de terra* (*Zach.* XIII, 2). David quoque dicit : *Omnes dii* [n] *gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5). Hæc Dominus in Evangelio Lucæ firmat, dicens : *Omne regnum divisum in semetipsum desolabitur* [o]. *Quod si et Satanas in se-*

A *metipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub ejicere me dæmonia. Quod si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo expellunt? Propterea ipsi judices erunt vestri* (*Matth.* XII, 25). Testatur et Paulus dicens : *Scimus quia nihil est idolum* [p] *in hoc mundo, et quia nullus Deus, nisi unus* (I *Cor.* VIII, 4). Fatetur et Sibylla (*Ubi sup.*) :

Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam.

41. Multa igitur hæc, quæ de Christo dicta, [q] et in Christo acta sunt, nos credimus, quæ ante nos populus videns ista credidit, quæ nos videmus impleri. Namque, ut de nostris temporibus aliquid dicamus : Constantino Christiano imperatore regnante, et schisma Donatianum confutatum est [r] ejus judicio, et Arius est divina auctoritate punitus. Theodosii vero religiosi principis imperio, per Jovium et Gaudentium comites [s] templa omnia clausa, exspoliataque vana figmenta, quis nostrum permittitur ignorare?
B Cui Symmachus ille, mirabili eloquio et scientia præditus, tamen paganus, [t] præconio laudum in consistorio recitato, subtili arte qua valuit, aram Victoriæ in senatu restitui, Christiano, ut noverat, principi intimavit. Quem statim a suis aspectibus pulsum, in centesimo lapide, rhedæ non stratæ impositum ea die, manere præcepit. Eutropius quoque, præpotens [u] patricius, et animo ac mente paganus, cum in contumeliam Ecclesiæ edictum obreptitie ab Arcadio Christiano imperatore exsculperet, ut si quis ad eam confugeret, etiam ab altari sublatus pœnas lueret ampliores, divino judicio suæ sententiæ prior ipse propinatus est. Offensam quippe prædicti regis incurrens, ad ejus refugium quam oderat convolavit. Quem sancta mater pietatis gremio suum excepit inimicum. Cui per venerabilem sacerdotem Joannem impetrans veniam, [v] osori et superbo vitam contulit et salutem : ejus exemplo cunctos admonens inimicos, *vanum eis esse contra stimulum calcitrare* (*Act.* IX, 5). Honorius etiam Theodosii minor filius Chri-
C stiana religione ac devotione præditus, templa omnia cum suis adjacentibus spatiis, Ecclesiis contulit simulque eorum simulacra confringenda in potestatem dedit.

42. Quæ [x] vero eodem imperante in hac Dei promissione acta sint, quantum memoriam gratia divina juverit, duo vel tria loca, [y] memoriter ac breviter excurram. Apud Alexandriam in templo Serapis hoc argumentum dæmonis fuit. Quadriga ferrea nulla basi suffulta, nullis uncis infixis parietibus colligata, in aere pendens, cunctis stuporem, ac velut divinum subsidium oculis mortalium exhibebat. Quam tamen lapis magnes, qui ferrum sibimet [z] attributum suspendit, eo loco cameræ affixus, totam illam machinam sustentabat. Itaque cum quidam Dei servus inspiratus intellexisset, magnetem lapidem statim ut cameræ substraxit, omne illud ostentum cadens confractum comminutumque, ostendit divinum non esse, quod mortalis homo [aa] firmaverat.

[a] Ms. Remig., *portabunt.*
[b] Ms. Remig. addit *in judicio.*
[c] Ms. Remig., *qui tanta credimus impleri, et cernimus et videmus.*
[d] Ms. Remig. supplet verbum *erudimini.*
[e] Ms. Remig., *et doctrinam.*
[f] Editi antiquiores, *et regna.* Ms. Remig. cum recentioribus, *et reges.*
[g] Ms. Remig., *Item et Salomon.*
[h] Ms. Remig., *facit... judicium.*
[i] Ms. Remig., *censuit.*
[j] Ms. Remig., *In subversione.*
[k] Ms. Remig., *succendetis.*
[l] Hic locus Isaiæ secundum versionem LXX interpretum ita refertur, ut pars posterior, *neque ibi*, etc., ejusdem versionis sensum magis quam verba exprimat.

D [m] Ms. Remig., *de cœlo.*
[n] Ms. Remig. addit, *gentium.* Aberat ab editis.
[o] Ita Ms. Remig. At editi, cum distinctione. *Etsi Satanas.*
[p] Ms. Remig., *in mundo.*
[q] Sic ms. Remig. Editi vero, *et de Christo.*
[r] Sic ms. Remig. At editi, *ex judicio.*
[s] Restituimus ex ms. Remig. Antea editi, *omnia templa exspoliata*, *quæ vana figmenta.*
[t] Ms. Remig., *præconia... recitans.*
[u] Sic ms. Remig. Editi, *plurimum, anima et mente.*
[v] Ms. Remigianus, *illusori.*
[x] Ms. Remig., *viro eodem.*
[y] Ms. Remig., *memorans.*
[z] Editiones posteriores, *attritum.*
[aa] Ms. Remig., *formaverat.*

Digitized by Google

43. Apud urbem Romam specus quidam fuit in quo draco miræ magnitudinis mechanica arte formatus, gladium ore gestans, oculis rutilantibus gemmis, metuendus ac terribilis apparebat. Huic annuæ devotæ virgines floribus exornatæ, eo modo [a] in sacrificio dabantur, quatenus insciæ munera deferentes gradum scalæ, [b] quo certe ille arte diaboli draco pendebat, contengentes, impetus venientis gladii perimeret, ut sanguinem funderet innocentem. Et hunc quidam monachus bene ob meritum cognitus Stiliconi tunc patricio, eo modo subvertit. Baculo, manu singulos gradus palpando, inspiciens, statim ut illum tangens fraudem diabolicam [c] reperit, eo trangresso descendens, draconem scidit, misitque in partes; ostendens et hic deos non esse qui manu fiunt.

44. Apud Africam Carthagini Cœlestis inesse ferebant templum nimis amplum, omnium deorum suorum ædibus vallatum. Cujus platea [d] lithostrata, pavimento ac pretiosis columnis et mœnibus decorata, prope in duobus fere millibus passuum protendebatur. Cum diutius clausum incuria, spinosa virgulta circumsepta obruerent, velletque populus Christianus usui veræ religionis vindicare, [e] dracones aspidesque illic esse ob custodiam templi, gentilis populus clamitabat. Quo magis [f] Christiani fervore succensi, ea facilitate omnia amoverunt illæsi, qua templum suo vero cœlesti Regi et Domino consecrarent. Nam cum sancta Paschæ solemnis ageretur festivitas, collecta illic, et undique omni curiositate etiam adveniens multitudo sacerdotum multorum, pater et dignæ memoriæ nominandus antistes Aurelius, cœlestis jam patriæ civis, cathedram illic loco Cœlestis et habuit, et sedit. Ipse tunc aderam cum sociis et amicis; atque (ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curiosi singula quæque pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam et incredibile nostro se ingessit aspectui: titulus æneis grandioribusque litteris in frontispicio templi conscriptus: AURELIUS PONTIFEX DEDICAVIT. Hunc legentes populi mirabantur. Præsago tunc spiritu acta, quæ præscius Dei ordo certo isto fine concluserat. Cumque a quodam pagano falsum vaticinium, velut ejusdem Cœlestis, proferretur, quod rursus et via, et templa prisco sacrorum ritui redderentur: Ille, ille, inquam, verus Deus, cujus prophetica vaticinia nesciunt omnino mentiri nec fallere, sub Constantio et Augusta Placidia, quorum nunc filius [g] Valentinianus pius et Christianus imperat, Urso insistente tribuno, omnia illa templa ad solum usque perducta, agrum reliquit in sepulturam scilicet mortuorum, ipsamque viam sine memoria sui nunc Vandalica manus evertit.

45. Novi quoque ipse in quadam parte Mauritaniæ provinciæ de spelæis et cavernis ita antiqua producta simulacra, quæ fuerant absconsa, ut omnis illa cum clericis in sacrilegio perjurii civitas teneretur. Quid vero per cæteras provincias in re hac actum sit, et omnibus notum est, et exitus ipsi demonstrant. Doluit hæc futura Hermes ille Trismegistus; et mœrens inter cætera scripsit, dicens: « Tunc terra ista, sanctissima sedes delubrorum atque templorum, mortuorum erit cadaverumque plenissima futura. » At Spiritus Dei ante prædixit: spiritus etiam dæmonum confitendo tacere nequiverunt, et maxime qui ipsi dixerant Domino: *Quid venisti ante tempus* [h] *perdere nos* (*Marc.* I, 24)? Hic tanta peorum illa turba certorum atque incertorum quos Varro prodit; illi etiam proceres et electi dii cum ipso rege suo Jove fulmina vibrante, consilio potentiaque (ut eorum cultores ferunt) metuendi, armisque terribiles, hic hic aliquid, si non pro mundo, saltem pro se [i] oportebat agere, ne scilicet unus eos perderet Crucifixus. Periisse vero et nos novimus, et David propheta confirmat dicens: *Periit memoria eorum cum strepitu, et Dominus in æternum manet* (*Psal.* IX, 8).

## CAPUT XXXIX.

*Reges, mediocres,* [j] *et pauperes ad unam Christi mensam pariter conventuros.*

Promissio impleta.

46. Isaias propheta: *Tunc*, ait, *una pascent simul lupus cum agno, et pardus adquiescet hœdo, et bos et leo et agnus simul manducabunt paleas, et puer pusillus pascet eos* (*Isa.* XI, 6). Et David dicit: *Quoniam ecce reges terræ collecti sunt et convenerunt in unum, ipsi videntes ita admirati sunt* (*Ps.* XLVII, 5 *et* 6). Item ipse: *Quis est*, ait, *qualis Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit? Qui erigit a terra inopem, et de stercore exaltat pauperem. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui* (*Ps.* CXII, 5 *et seq.*)? Dicit et Salomon: *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi pro omnibus* (*Sap.* VI, 8). Et iterum: *Sapientia*, ait, *fabricavit sibi domum et subdidit columnas septem, mactavit* [k] *suas hostias, miscuit in cratere vinum suum, et paravit suam mensam, misit servos suos convocans et dicens: Venite, edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov.* IX, 1 *et seqq.*). Firmat hæc Dominus in Evangelio, in cœna illa quam dives ipse magnus paravit filio suo. *Misit*, ait, *servos, ut venirent invitati, et excusaverunt hoc modo. Unus dixit: Villam emi, eo* [l] *videre illam, habe me excusatum. Alius dixit: Quinque juga boum emi. Alius dixit: Uxorem duxi* (*Luc.* XIV, 16 *et seqq.*). In his tribus excusationibus *concupiscentia carnis* est, *et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I *Joan.* II, 16); quibus detenti Judæi, vocati ad cœnam Christi venire noluerunt. *Ite*, ait paterfamilias, *circa plateas et vicos, et quos inveneritis adducite* (*Matth.* XXII, 9). Ex his adductæ sunt gentes. *Adhuc*, inquit, *locus vacuus est. Ite*, ait, *circa sepes ac vias, et quos inveneritis, cogite intrare* (*Luc.* XIV, 22, 23). Et ex his divites, reges, et quosdam hæreticos (quos habet extra ovile suum) coactos [m] adducit ille qui dicit: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Etiam venientibus dicit: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, et ego suscitabo illum in novissimo die* (*Ibid.*, 55). Qui vero isti sunt, Paulus apostolus ostendit: *Non est*, inquit, *Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus et femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Gal.* III, 28). Huic etiam capitulo, quæ supra posuimus verba Sibyllæ conveniunt dicentis (*Apud Augustin. ubi supra*):

> [n] Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
> Non erit in rebus hominum sublime, vel altum.

Cui consonans Maro dicit (*Ecloga* IV, *v.* 22):

> Nec magnos metuent armenta leones.

[a] Colon. et recentiores edit., *in sacrificium.*

[b] Sic ms. Remig. Editi, *quo tota illa diaboli arte pendebat.*

[c] Editi, *respexit.*

[d] Ms. Remig., *lithostrato pavimento.*

[e] Ms. Remig., *draconem... ad custodiam.*

[f] Ms. Remig., *Christiano... templum suum.*

[g] Emendamus ex ms. Remig. Antea legebatur, *Valentinus* in omnibus editis.

[h] Ms. Remig., *torquere nos.*

[i] Ms. Remig., *agerent.*

[j] Ms. Remig. addit *et pauperes.*

[k] Ms. Remig., *suis hostias.*

[l] Ms. Remig., *et ideo non possum venire, et alias.*

[m] Ms. Remig., *adducet.*

[n] Apud Augustinum, et in ms. Remig., *dejiciet.* In editis vero, *dejecit.*

Digitized by Google

### CAPUT XL.

*Quod cum omnes crediderint gentes, veniet finis.*

Promissio impleta.

47. [a] Isaias propheta : *Adorabunt*, inquit, *eum de locis suis omnes insulæ gentium* (*Sophon.* II, 11). Et per Malachiam prophetam : *A solis ortu usque ad occasum, clarum erit nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* [b] *Et sacrificium mundum inferetur nomini meo in omni loco* (*Malac.* I, 11). Item Isaias : *Quia repleta est terra ut cognoscat Deum, quasi aqua multa tegens mare* (*Isa.* XI, 9). Firmat hæc Dominus in Evangelio Matthæi, dicens : *Et prædicabitur Evangelium hoc in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis* (*Matth.* XXIV, 14). De fine mundi per Aggeum prophetam hæc signa data sunt : [c] *Ecce ego, dicit Dominus, semel adhuc commovebo cœlum ac terram, et ponam orbem terræ desertum, et civitates ita ut non habitentur* (*Agg.* II, 7, *sec. LXX; Isa.* XIII, 9). Et Habacuc dicit : *Consummatio in impios veniet* (*Habac.* I, 9, *sec. LXX*). Et iterum : *Ficus*, ait, [d] *non dabunt fructum suum, et non erunt nascentia in vineis. Mentietur opus olivæ et campi non afferent escas. Deficient ab esca oves, non erunt in præsepibus boves. Ego* A *autem*, ait, *exsultabo in Domino* (*Habac.* XIII, 17 *et seqq.*). Ipsi quoque sapientes mundi in hæc attestati sunt, ut est illud Sallustii : « Necesse est ut omnia orta occidant, et aucta senescant (*Sallustius Præfat. in bellum Jugurt. circa initium*). » Academici etiam novi, omnia vergentia [e] in interitum incerta esse putaverunt. Et Plato : « Si initium mundo dedit, dedit et finem. » Unde [f] et alius dicit : « Quid est hoc ? istud in quo est aliquid extremum. » Quæ Dominus ipse rerum omnium dans signa confirmat. *Cum videritis*, [g] ait, *hæc omnia fieri, scitote quoniam in proximo est finis* (*Matth.* XXIV, 33). Dicit et Joannes apostolus : *Mundus transibit et concupiscentia ejus* (I *Joan.* II, 17). Extrema autem futura, dimidium temporis quod subsequitur, [h] annexis capitulis demonstrabit : ut hoc tertium tempus, tamquam tertium diem, ex quatuor evangelistis, velut cardinibus mundi, surgentem, orientali radio migrante Joanne evangelista, Matthæo, Marco, Luca, tribus in partibus constitutis, et in duodenario [i] discipulorum B horarum numero, vesperum quo passus est Dominus, concludamus. Ut ipse dies qui a mortuis resurrexit, cum æternus venerit in majestate, æternos nos faciat secum [j] vivere, semperque Deum donet sine fine laudare.

[a] Si auctor ipse citavit Isaiam, lapsus memoriæ est. Ipsa verba sunt Sophoniæ II, 11, secundum LXX. Ms. Remig., *et David sacrificium.*

[c] Ms. Remigianus, *Zachariam*. At vero prima pars, *Ecce ego...... terram*, verba continet Aggæi II, 11, juxta LXX. Secunda pars, *et ponam*, etc., est Isaiæ XIII, 9.

[d] Sic ms. Remigianus. Editi, *non dabit .... nascentia in eis.*

[e] Hæc duo verba, *in interitum*, absunt ab editionibus antiquis, nec legimus in ms. Remigiano; habentur autem in recentioribus, nec male : optandum tamen ut alicujus codicis antiquioris auctoritate fulciantur.

[f] Ms. Remig., *et Tullius*. Cicero quidem lib. de Senectute n. 69 ait : *Quid est in hominis vita diu ? Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum.*

[g] Ita legitur in ms. Remig. In editis omittuntur hæc duo, *ait... fieri.*

[h] Editi, *connexis.*

[i] Ms. Remig. addit hic, *etiam.*

[j] Ms. Remig. *invenire*, forte, *inveniri.*

---

# *PARS QUARTA.*

[a] DIMIDIUM TEMPORIS AD CUJUS FINEM IMPLENDÆ SUNT VISIONES IN SCRIPTURIS SANCTIS FACTÆ DE ANTICHRISTO.

### PROLOGUS

1. In hoc dimidium temporis, finem mundi, et signa quæ [b] futura sunt, ipsiusque Antichristi facta, superbiam ejus, brevisque temporis potestatem, Domino donante, et operante ejus gratia, ascriptis capitulis ex divinis testimoniis probanda suscepimus, ostendentes sane prius ac demonstrantes quid fuerit qui nunc diabolus dicitur, qualisve ab auctore bonorum omnium formatus sit, tum etiam lapsus ejus ruinam et finem, ex omni prophetiæ vel novi Testamenti auctoritate breviter [c] intimabo : ne sint fastidio, si cuncta fuerint huic operi ascripta.

### CAPUT PRIMUM.

*Quomodo creatus est angelus qui per superbiam diabolus factus est.*

[d] Prædictio impleta.

2. Per Ezechielem dicit de eo Dominus : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in paradiso Dei tui fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, in medio lapidum igneorum* C *ambulasti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas tua* (*Ezech.* XXVIII, 12, *etc.*). Et Isaias : *Quomodo*, ait, *cecidit Lucifer, qui mane oriebatur* (*Isa.* XIV, 12)? Firmat hæc Dominus in Evangelio : *Vos*, ait Judæis, *a patre diabolo estis. Ille enim homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44). In veritate [e] factus est in qua non stetit, quia subditus Creatori esse noluit, cujus potentiam nec malus evasit.

### CAPUT II.

*Qua elatione ceciderit diabolus.*

Prædictio impleta.

3. Isaias propheta de eo : [f] *Dicebas*, ait, *in corde tuo : In cœlum ascendam super astra Dei, exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 13 *et* 14). Et [g] in Ezechiele : *Levatum est*, ait, *cor tuum in decore tuo,* D *perdidisti* [h] *omnem sapientiam* (*Ezech.* XXVIII, 17). [i] Firmat hæc Dominus in Evangelio : *Nunc*, ait, *ju-*

[a] In ms. Remig. sequens opus sic summatur : *Incipit sub gratia dimidium temporis, in signis Antichristi.*

[b] Ms. Remig., *ventura sunt.*

[c] Ms. Remig., *intimanda.*

[d] In ms. Remig., *Prædictio impleta, qua creatus est*, *et*, ut in editis; et ita in cæteris capitibus tituli disponuntur.

[e] Ms. Remig. addit hic, *a veritate.*

[f] Ita ms. Remig. At editi, *Dicebat . . . suo.*

[g] Ms. Remig., *et Ezechiel.*

[h] Ms. Remig., *sapientiam tuam.*

[i] Hæc verba : *Firmat hæc Dominus in Evangelio,* quæ exciderant ab editis, restituimus ope ms. Remig.

Digitized by Google

*dicium est mundi, nunc princeps hujus mundi missus est deorsum* (*Joan.* XII, 31). Testatur et Petrus apostolus in Epistola sua ad gentes : *Deus enim*, ait, *angelis peccantibus non pepercit* ( II *Petr.* II, 4 ). Parcit tamen peccantibus hominibus, quia homo, diabolo seducente; peccavit, ille vero seipsum peccando seduxit.

## CAPUT III.

*Quo fuerit præcipitatus diabolus.*

Prædictio impleta [a].

4. Isaias propheta : *Verumtamen*, ait, *in infernum demergeris, in profundum laci* ( *Isa.* XIV, 15 ). Et paulo post : *Tu autem projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis* [b] (*Ibid.*, 19). Et per Ezechielem Dominus de eo : *In terram projeci te, ante faciem regum dedi te, ut cernerent te, et multitudinem iniquitatum tuarum. Et iniquitate negotiationis tuæ perdidisti sanctificationem tuam* (*Ezech.* XXVIII, 17 *et* 18). Firmat hæc Dominus in Evangelio dicens : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X, 18). Tunc enim amplius cecidit, quando se ab eo Jesus [c] tentari permisit, ostendens nequitias seductionis ejus, et docens suos quemadmodum debeant resistere tentatori ( *Matth.* IV, 1 ). Dicit et Petrus apostolus : *Carceribus caliginis inferi retrudens, tradidit in judicio puniendos servari* (II *Petr.* II, 4). Et in Apocalypsi Joannis dicitur : *Missus est draco ille magnus, ille serpens antiquus qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit totum orbem terræ; et præcipitatus est in terram, et angeli ejus cum eo missi sunt* (*Apoc.* XII, 9 *et seqq.*), ruinosam ejus superbiam sequentes. *Væ* dictum est *terræ et mari : quoniam descendit diabolus ad vos, iram magnam habens, sciens quia breve tempus habet in* [d] *negotiatione seductionis suæ (Ibid.*, 12). Quæ egerit decipiendo [e] elatos et cupidos, superiores partes hujus libri continent. Nunc vero in brevi, id est in fine temporis, quæ futuræ sint ejus fallaciæ, signis, ut dictum est, præcurrentibus exsequamur.

## CAPUT IV.

*De diabolo ligato, et misso in abyssum.*

Prædictio impleta [f].

5. David propheta dicit : *Draconem quem finxisti ad illudendum ei* ( *Ps.* CIII, 26 ). Et iterum : *Tu contrivisti capita draconum super aquas, tu confregisti caput draconis magni, et dedisti eum in escam populis Æthiopibus* (*Ps.* LXXIII, 13 *et* 14). Et in libro Job dicitur : *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ut illudatur ab angelis ejus* ( *Job* XL, 14 ). Firmat hæc [g] Evangelista dicens : *Rogabant Jesum dæmonia ne eos mitteret in abyssum* ( *Luc.* VIII, 31 ). Et alibi dixit Jesus discipulis suis : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, et* [h] *non vobis nocebunt* (*Luc.* X, 19). Item Dominus : *Nemo*, ait, *intrat in domum fortis, ut vasa domus ejus diripiat, nisi prius alligaverit fortem* (*Matth.* XII, 29). Super hæc testatur Apocalypsis Joannis : *Vidi*, ait, *angelum descendentem de cœlo habentem* [i] *catenam magnam in manu sua; et apprehendit draconem illum magnum, illum serpentem antiquum, qui vocatur diabolus et Satanas, et alligavit eum mille annis, et misit in abyssum. Et clausit, et signavit super eum, ne ultra seduceret nationes, donec finiantur mille anni : post hæc oportet eum solvi in brevi tempore* ( *Apoc.* XX, 1 *et seqq.* ). Hic exposuit quod in eodem libro [j] dictum est Gog et Magog ( *Ibid.*, 7 ), verba Hebræa ( quæ Latine *tectum* et *detectum* dicuntur), ut sic accipiamus *tectum*, quod in abyssum missus sit diabolus clausam signatamque super eum; *detectum* vero, *quia oportet eum solvi* et produci *in brevi tempore.*

6. Mille vero anni, aut a parte totum accipiendi sunt ( ut Petrus dicit apostolus ( II *Epist.* III, 8 ) : *Unus dies enim Domino, sicut mille anni, et mille anni, sicut dies unus*), aut *ab exitu sermonis*, quando a Daniele *septuaginta hebdomadæ* taxatæ sunt futuræ *usque ad Christum ducem* ( *Dan.* IX, 24 ). Nam tunc esse bellum factum, ut Michael et angeli ejus pugnarent cum dracone, et Danieli angelus ostendit dicens, missum se esse ut pugnaret cum principe regni Persarum : *Et non est*, ait, *qui me adjuvet, nisi Michael princeps vester* (*Dan.* X, 13). In quo bello diabolus victus, [k] præcipitatus et vinctus est, [l] sicut eidem prophetæ in initio, ita Joanni in fine temporis ostensum est. Ut illi quadringenti nonaginta anni, et isti qui excurrunt ab adventu Salvatoris usque in [m] solutionem ejusdem diaboli, [n] concludunt mille annos, in quibus ligatus est diabolus, ne ultra seduceret nationes, quas antea possederat in idololatriis. Quanta autem virtute, ut ait beatæ memoriæ Augustinus (*De Civit. Dei l.* XX, *c.* 7, *n.* 2), pollebunt tunc sancti qui luctaturi sunt cum diabolo soluto, cum quo ligato tantis periculis dimicatur? *Jam enim*, ut Paulus dicit, *mysterium iniquitatis operatur* ( II *Thess.* II, 7 ). Sed quæ sint ejus mysteria, juvante Domino, subter annexis capitulis continebitur.

## CAPUT V.

[o] *Quomodo per omnes suos diabolus mysteria iniquitatis operatur.*

Prædictio impleta.

7. Apocalypsis Joannis dicit : *Apprehensa est bestia, cum illo pseudopropheta qui fecerat signa, quibus signis seduxit eos qui acceperunt scriptionem bestiæ in fronte et in manu sua* ( *Apoc.* XIX, 20; XIV, 9 ). Inscriptio in fronte et in manu hæc est, non tantum diaboli facta imitari, quantum et gloriari in ejus malis operibus, ut sub figura Christi, Antichristi facta exerceant. Quos etiam Dominus Jesus in Evangelio testatus est, dicens : *Multi venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus, et multos seducent; nolite ire post eos* (*Marc.* XIII, 6). Et apostolus Joannes : *Audistis*, ait, *quia Antichristus venit : nunc multi Antichristi facti sunt* (I *Joan.* II, 18), Et qui isti sint ostendit. *Ex nobis*, inquit, *exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* ( *Ibid.*, 19 ). Hæreticos omnes ostendit, et maxime Arianos, quos nunc

[a] Ms. Remig. subjungit his, *credita tantum.*

[b] Ms. Remig. addit hæc, *pollutus et obvolutus*, nec plura loci prophetici.

[c] Editi omnes, *tentare;* at errore manifesto, cui emendando non succurrit ms. Remig.

[d] Ms. Remig., *in negotiatione sua.*

[e] Ms. Remig., *elatus et cupidus.*

[f] Ms. Remig. addit hic, *credita tantum;* omittitque hæc, *et misso in abyssum.*

[g] Ms. Remig. addit hic, *Joannes.* At quæ hic citantur, leguntur in Luca, nullibi in Joanne.

[h] Ms. Remig., *non vos.*

[i] Emendamus ex ms. Remig. Editi, *cathedram.*

[j] Ms. Remig., *scriptum est.*

[k] Ita legimus in ms. Remig., quæ lectio textui sacro superius allato conformior nobis visa est, quam quod editi habebant, *victus est et principatus ejus.*

[l] Ms. Remig., *sicut prophetæ initio.*

[m] Editi antiquiores uno consensu, *solitudinem.* Ms. Remig. et recentiores, *solutionem.* Et quidem melius, cum hoc referatur ad id quod legitur supra ex Apocalypsis cap. XX, 3 : *Post hæc oportet eum solvi in brevi tempore.*

[n] Ms. Remig., *concluduntur mille anni . . . antea deceperat.*

[o] Ms. Remig., *Promissio impleta, qua per omnes suos diabolus mysteria operatur : a nobis credita et visa.*

Digitized by Google

videmus multos seducere, aut potentia temporali, A aut industria [a] mali ingenii, aut certe abstinentia parcitatis, vel quorumlibet signorum deceptione, dicente Apostolo: *Ipse enim Satanas transfigurat se velut angelum lucis. Non ergo magnum, si ministri ejus transfigurantur, sicut ministri justitiæ: quorum finis secundum operationem ipsorum* (II *Cor.* XI, 14 *et* 15); cum eis dixerit Dominus jactantibus se in mirabilibus: *Non novi vos. Discedite a me, omnes qui operati estis iniquitatem* (*Matth.* VII, 23; *Psal.* VI, 9). [b] Iniquitas enim est scindere unitatem, tamquam [c] vestem Christi, tamquam retia piscantium apostolorum lacerantes. A quorum consortio alieni inveniuntur omnes hæretici, qui, relicta pace communionis et panis [d] Dei et apostolorum, in suis non ecclesiis, sed plateis prædicant, et eorum memoriis non communicant, separati a toto catholicum sibi nomen asciscunt; cum in ipsa Jerusalem Jacobus et Stephanus primus martyr, Joannes apud Ephesum, Andreas et cæteri per totam Asiam, Petrus et Paulus apostoli in urbe Roma gentium B Ecclesiam (in qua Christi Domini doctrinam erudierunt) pacatam unamque posteris tradentes, sanguine memoriisque suis ex dominica passione sacrarunt. Huic generali Ecclesiæ communicans Christianus, est [e] catholicus. Ab hac segregatus hæreticus est, et Antichristus; qui cum palam manifestatus fuerit, ampliora signa eum esse facturum, sequentia demonstrabunt.

## CAPUT VI.

### *De signis Antichristi.*

### Prædictio impleta [f].

8. In libro Job de Antichristo dicitur: *Virtus ejus in lumbis est, et potentia ejus super umbilicum ventris* (*Job* XL, 11). Et iterum: *Non est*, ait, *super terram potestas quæ comparetur ei qui sic factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ* (*Job* XLI, 24 *et* 25). Dicit et Paulus apostolus: *Secundum operationem* C *Satanæ in omni virtute, signis et prodigiis mendacii, et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt* (II *Thess.* II, 9 *et* 10). Et Dominus in Evangelio: *Exsurgent*, inquit, *pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna, et prodigia, in quibus seducantur, si dici potest, etiam ipsi electi. Ecce*, ait, *prædixi vobis* (*Matth.* XXIV, 24 *et* 25). Quamquam apostolus Paulus aliquos tacite memoret *cauteriatam habentes conscientiam* (I *Tim.* IV, 2), alios aperte, ut Hymenæum et Philetum, Demam, Hermogenem, et Alexandrum ærarium, quorum errores, doctrinasque varias et multa mala commemorat (II *Tim.* II, 17; IV, 9; I, 15; *et* IV, 14; *Act.* XX, 29). Nec defuturos post suum abscessum lupos graves, ipsumque qui *etiam nunc operatur in filiis diffidentiæ*, ipse testatur (*Ephes.* II, 2).

9. Nostris quoque temporibus, [g] Aspero VI cos. Carthagini constituto, hoc signum diabolicum monstrosumque, quod illic accidit, quis illius patriæ civis ignorat? Quædam juvencula Araba natione, ancillæ, Dei habitum gestans, [h] cum in balneo lavans simulacrum quoddam Veneris impudice respiceret et seipsam, eique se consimilans, domicilium se diabolo præbuit. Statim ille leo qui rugiens circuit (I *Petr.* V, 8), quem quærebat, invenit. Meatus igitur gutturis ipsius occupans, nullum cibum, nullumque potum trajiciens per septuaginta ferme dies totidemque noctes, jejunium sibi diabolus ex [i] capto possessoque vase exhibuit. Hoc monstrum parentes puellæ per tot dierum spatia auferri posse sperantes, dum juge malum ulterius tolerare non possent, simul cum filia sese ingesserunt sacerdoti, quæ acta erant fideliter intimantes. Hoc tantum puella fatebatur, avem quamdam noctis medio apparere, quæ sibi ore nescio quid infunderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam nullis indiciis [j] diuturni jejunii fœdatam, nullo pallore seu tabe, vel debilitate confectam; quin potius robustam succo viscerum, mole membrorum. Cumque incredibilia viderentur quæ dicebantur, habito consilio, in monasterio puellarum, in quo reliquiæ sancti Stephani sitæ sunt, sacerdos puellam [k] simul et præposito commendavit. Illic prima tantum die apparuisse illam avem asseruit, sibique increpasse quod neque fame neque siti compulsa illum appeteret locum, quo sibi accedere non liceret. Per duas sane hebdomadas nihil cibi vel poculi sumens in monasterio mansit.

10. Accidit autem ut quintus decimus dominicus illucesceret dies. Ascendente nobiscum sacerdote, ut matutinum illic sacrificium solito offerretur, puellam præpositus ad altare perduxit, eo incessu et habitu quo solent rubore perfusæ ex epulis poculisque mulieres advenire. Sed ut se illa prostravit altari, clamore fletus sui cunctis astantibus gemitus lacrymasque [l] induxit, quibus tantum malum auferendum præsens plebs Dominum exorabat. Erat enim jam indecens murmur in populo. Peracto itaque sacrificio, cum eadem inter cæteras brevem particulam corporis Domini tinctam a sacerdote perciperet, semihora mandens trajicere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit Apostolus: *Quæ consonantia Christi ad Belial* (II *Cor.* VI, 15)? Et iterum: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participare, et mensæ dæmoniorum* (I *Cor.* X, 20, 21). Manu igitur faciem ejus sustentante sacerdote, ne sanctum projiceret, a quodam diacono suggestum est, ut calicem salutarem gutturi ejus pontifex applicaret. Quod ut factum est, statim ut locum illum quem diabolus obsederat, Salvatoris imperio reliquit, sacramentum quod ore gestabat cum laude Redemptoris transglutisse puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quod post [m] octoginta et quinque dies, diabolo expulso, puella de potestate fuerit eruta inimici. Oblatio itaque rursum gratiarum actionis pro ea fit, sacrificiique percipiens certam partem, prisco est red-

[a] Recentiores, *mala*. Veteres, *mali*. Ms. Remig., *mali ingenii*.

[b] Hæc verba, *Iniquitas enim est scindere unitatem*, supplemus ex ms. Remig. Aberant ab editis omnibus.

[c] In editione Lugdunensi hoc in margine notatum legitur: *Vestem supra posuit pro Ecclesia, ut hic: retia vero hic μεταφορικῶς, pro doctrina evangelica ponit, qua homines veluti piscantur apostoli.*

[d] Ms. Remig., *dicta apostolorum*.

[e] Ms. Remig., *et catholicus*.

[f] Ms. Remigianus, *Signorum Antichristi, nobis credita et visa*.

[g] Ex hoc textu, quo designatur factum Aspare VI consule Carthagini constituto accidisse, pronum est credere Aspari sexies consulatum obtigisse, quod tamen Fastis Consularibus repugnare contendit vir doctissimus. Unde merito suspicatur legendum po- D situs V. C., *Viro Clarissimo*, aut V. I. cons., *Viro Illustri consule*, quod in annum cadet 434. Quamquam ægre concedi posse putet tunc temporis fuisse Asparem Carthagini.

[h] Ms. Remig., *quæ cum in balneo lavans, simulacrum quoddam Veneris in puero respiciens... ut domicilium se diabolo præbuit, statim ille*, etc.

[i] Edit. Lugd., Lovan., Duac. et Colon., *ex capta possessoque vase*. Recentiores, *ex capto*. Ms. Remig., *ex appetito possessoque*.

[j] Ms. Remig., *diuturno jejunio*.

[k] Supplendam hic credimus vocem, *inclusit*, aut aliquam ejusdem sensus.

[l] Ms. Remig., *indixit*.

[m] Hunc numerum designat ms. Remig., qui ex septuaginta et quindecim diebus jejunii puellæ illius supra notatis exsurgit. Editi omnes, *Octoginta et duos*, nec difficile fuit LXXXII ex LXXXV fieri a librariis.



Digitized by Google

dita usui. Tunc etiam dum hæc aguntur, Spiritu divino actus diaconus ejusdem tituli statuam illam sublatam confregit in pulverem, omnemque insidiantis astutiam superavit divina majestas.

11. Novimus etiam advenisse illuc quemdam sub specie monachi, qui quædam signa curationum se operari fatebatur. Cumque circa cæcos et claudos phantasticos quosdam ageret lusus, eosque oleo, nescio cujus mortui [a] osse infuso, liniret; ut sibi visus gressusque redditos æstimabant, [b] discedentes in illis quibus antea tenebantur infirmitatibus permanebant. Sed in his proditum sese cognoscens seductor ille aufugit.

12. In Asia vero sive ipsum, sive alium talia fecisse quidam Christianus religiosus [c] et nobilis enarravit. In Italia quoque, nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis et apostolico honore nominandus papa Leo Manichæos subverteret, et contereret Pelagianos, et maxime Julianum: ambiens tum quidam Florus nomine, spiritu seductionis arreptus, virtutem et meritum sibi sancti Sosii martyris assignans, cum haud procul a Neapolitana civitate in subversionem animarum quædam promitteret faceretque illicita, a germano venerabilis Nostriani episcopi, et Herio presbytero, simul cum clericis prædictæ Ecclesiæ detentus et coercitus, [d] sic a præfatæ provinciæ [e] liminibus pulsus est. Multa sane per diversas terras agit ille, qui suæ perditionis socios quærit. Ideoque pauca ipsius in hoc opere intimanda credidi, ut qui post nos futuri sunt, legendo cognoscant qua cautela, Deo juvante, superare valeant inimicum.

## CAPUT VII.

*De muliere et bestia a qua portatur.*

Prædictio implenda.

13. In Apocalypsi Joannes Apostolus dicit: *Venit unus ex septem angelis sanctis, et locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi judicium meretricis magnæ sedentis super aquas multas. Et duxit me in spiritu, et vidi mulierem sedentem super bestiam habentem capita septem et cornua decem, ferentem poculum in manu sua, plenum exsecrationibus immunditiæ et fornicatione totius terræ* (*Apoc.* XVII, 1, etc.). Et paulo post: *Vidi mulierem illam ebriam sanctorum sanguine, et sanguine martyrum Christi Jesu* (*Ibid.*, 6). Hæc est [f] Babylon illa magna per mundum exspolianda trophæis; ejusque filia est misera, quæcumque facta ejus et superbiam imitatur. Nec eam uno in loco existimes civitatem, quæ tota est sparsa in orbe. De qua dicit et propheta David: *Filia Babylonis misera, beatus*, ait, *qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis* (*Ps.* CXXXVI, 8). Et in Apocalypsi Joannis dicitur: *Reddite ei sicut et ipsa reddidit vobis: in poculo, quo miscuit vobis, miscete ei duplum. Et in quantum se clarificavit et* [g] *potestatis habuit, in tantum date ei cruciatus et luctus. Quia dicit: Sedeo regina, et vidua non sum, nec luctus visura sum. Ideoque una hora plagæ ejus advenerunt, mors, fames et luctus.* [h] *Et ipsa igni cremabitur, quoniam fortis est Dominus qui eam judicabit* (*Apoc.* XVIII, 6 *et seqq.*).

14. Quis autem non intelligat, quam dicat ferentem poculum plenum exsecrationibus immunditiæ, et [i] fornicationis totius terræ? Æterna cum [j] dicitur A quæ temporalis est, utique nomen et blasphemiæ: cum mortales, licet reges, [k] in ea dicantur divi, eisque supplices dicunt, Numini vestro, altaribus vestris, perennitati vestræ, et cætera; quæ vanitas, non veritas [l] tradit, atque exsecrabilia sunt. Hæc enim æterno Deo debentur. Sane in sacris sacrilegis, et mollibus tunc sacerdotibus, ad fornicationem idololatriæ omnes gentes invitans, seipsam in subditis contaminavit. De quibus sacer insonat psalmus: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (*Ps.* LXXII, 27). Verumtamen quia sunt in ea cives supernæ patriæ Jerusalem, qui dicunt: *Mihi autem adjungi Deo bonum est* (*Ibid.*, 28), dicitur eis: *Exi de ea, populus meus, ne particeps sis delictorum ejus, et ne perstringaris plagis ejus* (*Apoc.* XVIII, 4). Exeunt enim hi qui non [m] fastus ejus, sed humilem viam Christum sequuntur; qui non rapinam, sed misericordiam diligunt, *pacem et sanctificationem* custodiunt, *sine qua nemo poterit videre Deum* (*Hebr.* XII, 14), qui gemunt et dolent ob iniquitates quæ fiunt in medio eorum (*Ezech.* B IX, 4), nec sunt jugum ducentes cum infidelibus (II *Cor.* VI, 14). Quos etiam Dominus in Evangelio, suo exhortatur alloquio, dicens inter cætera: *Beati mites, quia ipsi possidebunt terram. Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Beati pacifici, quia ipsi filii Dei vocabuntur. Beati lugentes, quia ipsi consolabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* V, 4 *et seq.*). Testatur et Paulus dicens: *Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat; et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit in illuminatione præsentiæ suæ* (II *Thess.* II, 7, 8; *Isa.* XI, 4).

## CAPUT VIII.

*De decem regibus, quos Antichristus inveniet.*

Promissio [n] implenda.

15. In Apocalypsi Joannes, *Dixit*, ait, *mihi Ange-* C *lus: Propter quid admiratus es? Ego dicam tibi sacramentum hujus mulieris, et bestiæ qua portatur. Bestia quam vidisti, fuit, et non est; sed ascensura est ex abysso et itura in interitum. Illa septem capita ejus, septem montes sunt, supra quos mulier sedit; et reges septem sunt; unde quinque ceciderunt, unus superest, alius nondum venit, et cum venerit, oportet* [o] *brevi tempore illum manere. Bestia quæ fuit et non est, et ipsa octavo loco est, cum sit ex septem, et in perditionem ibit. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt: hi regnum nondum acceperunt, sed potestatem regni una hora accipient post bestiam* (*Apoc.* XVII, 7, 8, 9 *et seq.*). Hoc a Daniele ostensum est, bestia quarta, quæ grandior omnibus bestiis fuit, tot cornua habens (*Dan.* VII, 7).

16. Sed quod ibi dicit, cornu minus surrexisse, [p] et tria cornua exclusisse ante se (*Ibid.*, 8), hic septem reges nominat, illis tribus expulsis; ipsum autem octavum Antichristum esse, cum sit ex septem. D Ergo, in quantum datur existimatio, aut priores reges memorat, qui truculentiores fuerunt [q] in religionem Christianam; aut ex decem, tribus exstinctis, septem futuros, qui et ipsi sæviant in Ecclesiam. Omnes sane hæreticos Arianos vult intelligi, cum dicit: *Hi adversus Agnum pugnabunt, et Agnus vin-*

[a] Sic ms. Remig. Editi, *ossis liniret.*
[b] Ms. Remig., *discedentibus illis.*
[c] Sic ms. Remig. Editi, *et nobis.*
[d] Ms. Remig., *coercitus digne.*
[e] Ms. Remig., *hominibus.*
[f] Editi antiquiores et ms. Remig., *Babylonia*; recentiores, *Babylon.*
[g] Ms. Remig., *potestates... luctum.*
[h] Ms. Remig., *Et ipsam igni cremabunt... qui eam judicavit.*
[i] Ms. Remig., *fornicatione.*
[j] Ms. Remig., *diceretur.*
[k] Ms. Remig., *in hoc dicuntur.*
[l] Editio Lugd., *tradidit, atque.* Ms. Remig., *tradidit, utique.* Cæteri codices, *tradit.*
[m] Ms. Remig., *fastus eos.*
[n] Ms. Remig., *implenda.* Editi, *impleta.*
[o] Ms. Remig., *breve tempus.*
[p] Hæc verba, *et tria cornua exclusisse*, desumuntur ex ms. Remig.
[q] Edit. antiq., *in religione Christiana*, nec emendantur a ms. Remig. Sed recentiores casum accusandi posuere.

Digitized by Google

cet eos (*Apoc.* XVII, 14). Pugnant enim exsufflando et rebaptizando membra Agni, quæ jam Christus suo sanguine sacraverat. *Sed nemo periit*, ait Dominus, *nisi filius perditionis* (*Joan.* XVII, 12). Octavum igitur [a] regem, quem dicit Antichristum, quidam Neronem intelligi volunt : ut ipse sit bestia, *quæ fuit et non est, et iterum venturus est*. Sed sive ipsius formam et speciem corporis sumat, et in ea appareat (sicut e contrario angelus sanctus in Tobiæ libro (*Tob.* V, 8), speciem et similitudinem Azariæ, Ananiæ magni suscepit), sive in alterius speciem appareat Antichristus; ipsius tamen Neronis luxuriem et spurcitiam sævitiamque morum habiturum, Daniel propheta testatur, quæ in sequenti capitulo demonstranda sunt.

## CAPUT IX.

### *De moribus Antichristi.*

### Prædictio implenda.

17. Daniel propheta dicit angelum dixisse sibi : *Filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem* (*Dan.* XI, 14). Et paulo post : *Stabit, ait, in loco regis vilissimus et indignus decore regio, et in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio. Et faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem Deum, et adversus Deum deorum loquetur magnifica, et diriget, donec compleatur iracundia : perpetrata est quippe definitio. Et Deum patrum suorum non reputabit, et erit in concupiscentiis feminarum, et Deum quem ignoraverunt patres ejus colet, et Deum Moazi in loco suo statuet* (*Ibid.*, 20, etc.) Hic ostenditur quod ex Judæis de tribu Dan, quæ hodieque in Perside est, veniat Antichristus, juxta propheticam benedictionem Jacob patriarchæ dicentis : *Dan judicabit populum, sicut aliæ tribus. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro* (*Genes.* XLIX, 16 *et* 17). Statimque verum Christum Dominum venturum ostendit, dicens : *Salutare tuum exspectabo, Domine* (*Ibid.*, 18). Hoc etiam in Evangelio quod supra posuimus, testatus est Dominus Judæis dicens : *Veni ego in nomine Patris mei, et non credidistis mihi; alius* [b] *veniet in nomine suo, et ipsi credetis* (*Joan.* V, 43). Quos prævaricatores legis Paulus redarguens, ostendit Antichristo credituros. *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non* [c] *crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (II *Thess.* II, 10 *et* 11). Notandum sane, post bestiam hæc omnia esse ventura : id est, sublato regno in quo mulier [d] sedet ebria sanctorum sanguine, quæ nos credentes, posteris videnda relinquimus.

## CAPUT X.

### *De persecutionibus Antichristi.*

### Prædictio implenda.

18. In visione Danielis angelus de Antichristo : *Cor ejus*, ait, *adversus testamentum sanctum*. Item ibi : *Brachia ex eo exsurgent, et polluent sanctuarium fortitudinis, et auferent juge sacrificium, et dabunt abominationem in desolatione, et impii in testamentum simulabunt fraudulenter*. Et hic Arianos signat præcursores Antichristi. *Populus autem*, ait, *sciens Deum suum obtinebit*, [f] *et docti in populo plurimi. Et erunt in gladio, et in flamma, et in captivitate, et in rapina dierum. Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio modico, et applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent, ut conflentur et eligantur et dealbentur sancti usque ad tempus præfinitum* (*Dan.* XI, 30, 31 *seqq.*). Item ibi *In tempore illo*, dictum est, *consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui : et veniet tempus quale non fuit ab initio ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ* (*Dan.* XII, 1, etc.). Firmat hæc Dominus in Evangelio : *Cum videritis*, ait, *vastationem desolationis, quæ dicta est in Daniele propheta, qui legit intelligat* (*Matth.* XXIV, 15; *Dan.* IX, 27). Et iterum : *In diebus autem illis erit tribulatio et angustia, qualis non fuit ab initio. Et nisi breviasset Deus dies illos, non remansisset omnis caro : sed propter electos breviabuntur dies illi* (*Matth.* XXIV, 21, 22). Testatur et Joannes in Apocalypsi. *Data est*, ait, *potestas bestiæ loquendi magna, et aperuit os suum in blasphemia adversus Deum, blasphemare nomen ejus et tabernaculum ejus. Et data est ei potestas faciendi bellum cum sanctis, et vincere, et occidere eos. Et data est ei potestas in omni tribu, et lingua et gente, et adorabunt eam omnes, qui non sunt scripti in libro vitæ Agni* [g] *qui occisus est ab origine sæculi* (*Apoc.* XIII, 5, etc.). Hic etiam martyria Christi Domini refulgent, ut sicut primus ejus adventus millia infantium, ita secundus electorum suppleat [h] numerum.

## CAPUT XI.

### *De superbia Antichristi.*

### [i] Prædictio implenda.

19. Ezechiel propheta : *Elevatum est*, ait, *cor tuum, et dixisti, Deus ego sum, et in cathedra Dei sedeo in corde maris : cum sis homo et non Deus. Et dedisti cor tuum quasi cor Dei* (*Ezech.* XXVIII, 2). Dicit et Paulus apostolus : *Cum venerit refuga primum, et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui superextollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostentans se tamquam sit Deus* (II *Thess.* II, 3 *et* 4). Et Dominus in Evangelio : *Cum vobis dixerint, Ecce hic est Christus, ecce illic*, [j] *nolite credere* (*Marc.* XIII, 21). Et in Apocalypsi Joannis : *Vidi*, ait, *bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo Agni similia, et loquebatur sicut draco* (*Apoc.* XIII, 11). Et paulo post : *Et fecit signa magna, ita ut ignem faceret de cœlo descendere in terram sub oculis hominum, et seduxit eos, qui habitant terram, propter signa quæ data sunt ei facere* (*Ibid.* 13 *et* 14). Hic metuant curiosi, et maxime Judæi. Qui *Judæi signa petunt*, ut Apostolus dicit, *et Græci sapientiam quærunt* (I *Cor.* I, 22). Unde quidam conjiciunt in templum Salomonis Antichristum esse sessurum, vel se efferre signis quibus Christus esse credatur. Nam et præcones mendacii sui habiturum ostensum est, cum dictum sit duo cornua habiturum Agni similia. Dicit etiam Joannes in Apocalypsi : *Vidi*, inquit, *ex ore draconis et ex ore bestiæ, et ex ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos exeuntes velut ranas; sunt enim spiritus dæmoniorum, facientes signa. Exibunt ad reges totius orbis terræ congregare illos in pugnam, ad diem illum magnum Omnipotentis* (*Apoc.* XVI, 13 *et* 14). Quod enim in Daniele dictum est : [k] *Examina ex eo exsurgent* (*Dan.* XI, 31), hic aperte dictum est, exire velut præcones ejus spiritus tres immundos, tamquam in tres partes

[a] Ms. Remig., *regem*. Lugdun. et Colon., *regnum*. Lovan. et Duac., *regum*.
[b] Ms. Remig., *venit... et ipsi creditis*.
[c] Ms. Remig., *credunt*.
[d] Ms. Remig., *sedit*.
[e] Ms. Remig., *Ad persecutionem*.
[f] Ms. Remig., *et docebunt plurimos*.
[g] Ms. Remig., *qui est ab origine*.
[h] Editi, *numerus*. Ms. Remig. melius, *numerum*.
[i] Editi, *promissio*. Ms. Remig., *Prædictio*.
[j] Ms. Remigianus, *nolite credere*. Editi, *nolite ire post eos*.
[k] Sic editi cum ms. Remig. At vero in textu Græco LXX, quem sequitur auctor noster, legitur *semina*, σπέρματα : quæ vox facile ab amanuensi minus cauto mutari potuit in aliam vocem, *examina*

Digitized by Google

orbis, id est, Asiæ, Europæ et Africæ; qui et signis persuadeant Antichristum ipsum esse Christum. Sed eum non esse, sequentia demonstrabunt.

## CAPUT XII.

*De Antichristo convincendo, quod Christus non sit.*

Prædictio implenda.

20. Antichristus in qua superbia sit venturus, superius dicta declarant. Non ergo erit humilis ejus adventus, sicut de Christo omnis resonat prophetia, Isaia dicente : *In humilitate judicium ejus sublatum est,* [a] *generationem autem ejus quis enarrabit? quia tolletur a terra vita ejus* (*Isa.* LIII, 8). Non ducetur sicut ovis ad victimam (*Ibid.* 7), id est, ad passionem, ut Christum ductum Evangelia testantur et prophetiæ. Non dabit percutienti se maxillam; nec sputa et colaphos accipiens tacebit (*Thren.* III, 30) : quæ in Christo facta ita credimus, ut ea omnis prædicit prophetia. Non ponet dorsum suum ad flagella, nec satiabitur opprobriis (*Ibidem*) : quod Christum implesse, omne Evangelium prædicat et prophetia. Non dividentur vestimenta ejus, et in tunicam sortem nemo missurus est : quod in Christi veste factum [b] Evangelia testantur et prophetiæ (*Joan.* XIX, 23; *Ps.* XXI, 19). Non crucifigetur, nec fel [c] et acetum accipiet : quod Christum percepisse et Evangelia dicunt et prophetiæ (*Matth.* XXVII, 34 ; *Ps.* LXVIII, 22). Non suscipiet latus ejus lanceam, et vulnera clavorum in eo non erunt : quæ in Christo etiam post resurrectionem fuisse, et Evangelia testantur et prophetiæ (*Joan.* XIX, 34 : *Ps.* XXXIII, 21). Sanguine suo non redimet mundum : quod in Christo omnis prædicat prophetia. Non morietur, et tertia die resurget : quod Christum fecisse et Evangelia testantur; apostolicæ quoque litteræ et prophetiæ (*Matth.* XXVII, 50, *et* XXVIII, 6; I *Cor.* XV, 3 *et* 4; *Ose.* VI, 3). Non ascendet in cœlum, nec Spiritum sanctum in linguis igneis super discipulos effundet : quod Christum implesse, omne Evangelium sonat et prophetia. Super hæc mundus ipse jam testis est totus.

21. Quare, his examinatis atque perspectis, [d] intelligant qui post nos futuri sunt, Antichristum non esse Christum. Cujus finem Apocalypsis ipsa demonstrat. *Venit*, ait, *angelus et apprehendit draconem, et bestiam, et pseudoprophetas. Isti vivi simul missi sunt in stagnum ardens igne et sulphure, et cruciabuntur illic in sæcula sæculorum* (*Apoc.* XX, 2 *et* 10). Hic finis erit diaboli, et angelorum ejus, et eorum hominum qui sub nota et signo, [e] ad ejus societatem transierunt. Sicut etiam Daniel et Ezechiel prophetæ de ejus fine testantur. In his autem quæ dicta sunt, bene facient qui tunc fuerint intendere prophetiæ, *sicut lucernæ in obscuro loco, donec* ipse *dies* qui venturus est, *clarescat in cordibus* credentium ( II *Petr.* I, 19). Alia vero signa ultima, quæ futura sunt, sequentia demonstrabunt.

## CAPUT XIII.

[f] *De missione Eliæ et Enoch.*

Promissio implenda.

22. In Malachia propheta : *Ecce*, ait, *dicit Dominus : mittam vobis Eliam Thesbitem, prius quam veniat dies Domini magnus et manifestus, qui restituet cor patris ad filium, et cor hominis ad proximum suum, ne veniens percutiam terram funditus* (*Mal.* IV, 5 *et* 6). Sic enim isti prophetæ convertent corda patrum ad filios, ut ostendant quæ patriarchæ vel prophetæ dixerunt de Christo in humilitate venturo, convincentes Antichristum non esse Christum. Hoc [g] evidentius Apocalypsis Joannis ostendit. *Dabo*, ait Dominus, *duobus martyribus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra consistentia in conspectu Domini terræ* (*Apoc.* XI, 3 *et* 4). Et paulo post : *Hi* [h] *habent potestatem claudendi cœlum, ne imbrem pluat per dies prophetiæ eorum. Et potestatem habent omnium aquarum convertendi eas in sanguinem, percutere terram in omni plaga, quotiescumque voluerint* (*Ibid.* 6). Ecce et hic tripartita etiam testium divisio. Contra Pharaonem duo testes Dei missi sunt, Moyses et Aaron; et duo magi Pharaonis, Jamnes et Mambres resistentes Moysi (*Exod.* VII, 11; II *Tim.* III, 8), qui simul cum suo rege perierunt; et contra Neronem duo, Petrus et Paulus apostoli; at e contrario, Simon Magus, qui et se perdidit, et Neronem decepit; et contra Antichristum duo, Enoch et Elias prophetæ, adversus quos tres pseudoprophetæ Antichristi consurgent (*Apocal.* XVI, 13). Ideo hic plus unus, quia supra unus minus : ut senarius numerus ex utrisque partibus suppleatur, propter sex dies creaturæ in principio dispositos, et sex angelos canentes tubis, totidemque plagas mundo inferentes (*Apoc.* VIII, 6, *et* V, 1 *et seqq.*); ut septimus finem laborum, requiemque sanctorum significet, tamquam septimus dies, qui mane tantum, [i] et vesperum non habebit. Quam requiem sabbati omni præcepto divinitas ipsa servandam commendat, ut vacantes ab omni opere malo mane astemus (*Psal.* V, 5) : ut contemplemur eum *qui coronat in miseratione et misericordia omnes* (*Ps.* CII, 4), juste judicans, et inique neminem damnans. Sed de his Tyconius multa conscripsit. Consummationem vero perfectionemque temporum trium annorum et sex mensium, qui dicti sunt dies mille ducenti sexaginta, et menses faciunt quadraginta et duos, non tantum Apocalypsis Joannis (*Apoc.* XII, 6), quantum et Daniel propheta commendat (*Dan.* XII, 11, XI, 2) : quibus civitatem sanctam calcari [j] ut existimatur ab hæreticis, et maxime Arianis, qui tunc plurimum poterant : Gog et Magog (*Ezech.* XXXIX, 1 *et* 6), ut quidam dixerunt, Gothos et Mauros, Getas et Massagetas, [k] per quorum sævitiam ipse jam diabolus Ecclesiam vastat, et tunc amplius [l] persequentur. Cessare etiam facient juge sacrificium, propter quod admonet Dominus, dicens : *Venio cito. Beatus qui vigilat, et servat vestimenta sua, ne nudus ambulet* (*Apoc.* XVI, 15). Quæ autem sint vestimenta servanda, sequens capitulum demonstrabit.

## CAPUT XIV.

*De veste servanda Christianis.*

[m] Prædictio implenda.

23. Paulus apostolus dicit : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27). Et Dominus in Evangelio : *Qui semel*, ait, *lotus est, non opus habet lavare nisi pedes tantum, quia est mundus totus* (*Joan.* XIII, 10). Omnis itaque ab hæreticis rebaptizatus, aut voluntarie vestem suam Christum amisit, aut in persecutione deficiens indumentum

[a] Ms. Remig., *nativitatem. . . quis enarravit? quia tollitur*, etc.
[b] Ms. Remig., *et Evangelium testatur.*
[c] Ms. Remig., *vel acetum.*
[d] Editi, *intelligunt.* Ms. Remig., *intelligant.*
[e] Ms. Remig., *ejus societatis.*
[f] Ms. Remig., *In missione.*
[g] Ms. Remig., *evidenter.*
[h] Editi, *habebunt*; et postea ms. Remig., *claudere.*
[i] Ms. Remig., *nam vesperum.*

[j] Sic Lugdun. et Lovan., qui tamen habent, *poterunt*, non *poterant*. Ms. Remig., *ut æstimatur . . . poterunt*. Colon. et recentiores, *ut existimatum . . . qui plurimum poterant*. Intelligendum videtur, quo tempore de his Tyconius scribebat.
[k] Videri potest hac de re S. Augustinus, libro XX de Civitate Dei cap. 11.
[l] Ms. Remig., *persequitur*; forte, *persequetur*.
[m] Ms. Remig., *Promissio implenda in veste servanda.*

Digitized by Google

quod habuit, [a] perdit. Dum igitur tempus est, recurrat exspoliatus et nudus pœnitendo ad pium Patrem, qui redeunti perdito filio, et primam stolam reddi jubet, simul et annulum dignitatis (*Luc.* XV, 22). Qui adhuc [b] tortuosis hæreticorum disputationibus, velut siliquis porcorum pasci desiderat (*Ibid.* 15), panis recordetur et patris, fugiat latrones exspoliatores suos, [c] pudeat Dei filium Antichristi factum esse mancipium. Sponte vel compunctus redeat, ut vestiatur, ne nudus exhibitus judicetur. [d] Hæc illi cum perditis filiis acturi sunt Dei testes. In his Elias et Enoch suum martyrium consummabunt (*Apoc.* XI, 5 *et* 10), sicut capituli sequentis narrat auctoritas.

## CAPUT XV.

*De passione Eliæ et Enoch.*

Prædictio implenda.

24. In Apocalypsi Joannis dicitur : *Cum finierint martyrium suum, bestia quæ* [f] *ascendet de abysso, faciet cum his bellum, et vincet eos, et occidet eos, et corpora eorum jacebunt in platea civitatis illius magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est* (*Apoc.* XI, 7 *et* 8). Hæc platea conscientia est omnium impiorum, in mundo plaudentium in morte sanctorum, quod acerrimis quasi caruerint inimicis. Propter quod *corpora eorum non sinent poni* [g] *in sepulcris, quia hi videlicet duo prophetæ cruciaverunt eos qui habitant terras* (*Ibid.* 9 *et* 10), quibus occisis, *Cum dixerint, Pax et securitas, tunc illis adveniet repentinus interitus, sicut dolor partus* [h] *habenti in utero, et non effugient. Quia dies Domini* (ut Paulus dicit apostolus) *sicut fur ita in nocte veniet* (I *Thess.* v, 2, 3, 4).

## CAPUT XVI.

*De resurrectione Eliæ et Enoch.*

[i] Promissio implenda.

25. Apocalypsis Joannis dicit : *Post tres et dimidium diem spiritus vitæ a Deo intravit in illos, et steterunt super pedes suos* (*Apoc.* XI, 11). De his arbitror apostolum dixisse Paulum : *Et mortui in Christo resurgent primi* (I *Thess.* IV, 15). Tres igitur et dimidius dies, tribus annis et sex mensibus respondent, quibus potestas erit Antichristo : eisque suppletis, coram oculis inimicorum Elias et Enoch ascendentes in cœlum, ibunt in occursum Christo vero Regi et Judici venienti (*Apoc.* XI, 12); qui Antichristum omnesque ejus *interficiet spiritu oris sui* (II *Thess.* II, 8), *ut regnet in domo Jacob* ipse, de quo dictum est : *Regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 32 *et* 33 ; *Mich.* IV, 7).

## CAPUT XVII.

[j] *De adventu claritatis Filii Dei et hominis.*

Promissio implenda.

26. David propheta dicit : *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis ante eum ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Ps.* XLIX, 3). Dicit et propheta Malachias : *Væ desiderantibus diem Domini, et ut quid vobis illam* (*Amos* v, 18) ? Item : *Ipse subito veniet in templum suum Dominus, quem vos ignoratis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce veniet, dicit Dominus. Et quis sustinebit introitum ejus, aut quis* [k] *resistet in aspectu ejus, quia ipse introibit sicut ignis conflatorii* (*Malac.* III, 1, etc.)? Dicit et Isaias : *Ecce dies Domini sicut ignis veniet, et sicut procella currus ejus, reddere in ira vindictam, et retributionem in flamma ignis* (*Isa.* LXVI, 15). Dicit et Dominus in Evangelio : *Sicut enim fulgur exiens ab Oriente pergit in Occidentem, sic erit et adventus Filii hominis* (*Matth.* XXIV, 27). Et iterum : *Sol tenebrabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ de cœlo erunt decidentes, et virtutes cœlorum movebuntur : et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute magna et gloria* (*Ibid.* 29 *et* 30).

27. Testatur et Apocalypsis Joannis dicens : *Sol factus est niger ut saccus cilicinus, et luna sanguinea facta est, et stellæ ceciderunt, eo modo quo ficus vento magno agitata amittit acerbos fructus suos. Et cœlum recessit, ut liber cum evolvitur ; et omnis mons et insulæ* [l] *de locis suis motæ sunt, et reges terræ maximique tribuni, et divites, et nobiles, et servi absconderunt se in speluncis et petris montium, dicentes montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a conspectu Patris sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ illorum. Et quis poterit stare* (*Apoc.* VI, 12, etc.)? Dicit et Paulus apostolus: *Ipse Dominus in jussu, in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo* (I *Thess.* IV, 15). Fatetur et Sibylla inter cætera dicens ( *Apud August. lib.* XVIII *de Civit. c.* 22) :

Eripitur solis jubar, et chorus interit astris :
Volvetur cœlum : [m] lunaris splendor obibit.
Sed tuba tum sonitum tristem [n] demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum variosque labores.
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.

28. Multa per singula capita etiam necessaria testimonia prætermisi, suscepti operis modum cogitans. Quare adventus Filii Dei, sicut bonis lætitiam infert, ita malis exitium. Nunc enim cum vivimus, et tempus est corrigendi, actus moresque mutemus. Sequitur autem resurrectio mortuorum.

## CAPUT XVIII.

[o] *De resurrectione carnis.*

Promissio implenda.

29. Ezechiel propheta : *Dixit mihi Dominus : Fili hominis, prophetiza super ossa hæc, et dic : Hæc dicit Dominus : Ecce ejiciam vos de monumentis vestris, et* [p] *inducam super vos nervos, et imponam carnes, et extendam cutem. Et dabo spiritum meum in vos, et vivetis, et scietis quia ego sum Dominus* (*Ezech.* XXXVII, 4 *et seqq.*). Et Isaias : *Exsurgent mortui, et excitabuntur qui in monumentis sunt* (*Isa.* XXVI, 19). Et ipse in Evangelio : *Veniet*, inquit, *hora quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v, 25). Testatur et Paulus hæc in *ictu oculi* fieri, *in novissima tuba :* [q] *Canit enim*, ait, *tuba et mortui resurgunt incorrupti, et nos immutabimur* (I *Cor.* XV, 52). Et Apocalypsis, *Exhibuit*, ait, *mare quos penes se habebat mortuos, similiter et mors, et infernus* (*Apoc.* XX, 13). Hic illa absolvenda sese ingerit quæstio, quæ insipientium

[a] Editi, *perdidit.* Ms. Remig., *perdit.*

[b] Ms. Remig., *tortoriosis*, quod nomen si Latine dicatur, a torquendo ductum credetur.

[c] Ms. Remig. addit hic : *Pudeat Christum* (forte, *Christianum*) *nudatum.*

[d] Ms. Remig., *Hæc illis.*

[e] Ms. Remig., *In passione.*

[f] Ms. Remig., *ascendit.*

[g] Ms. Remig., *in sepulcris.* Editi, *in sepulcro.*

[h] Editi, *habentis.*

[i] Ms. Remig., *Promissio*, *in eorum resurrectione Eliæ et Enoch.*

[j] Ms. Remig., *In adventu*, etc.

[k] Ms. Remig., *resistit.*

[l] Ms. Remig., *de loco suo.*

[m] Editiones nostræ, *luminaris*, contra leges versuum. Correximus ex Augustini lib. XVIII de Civit. Dei, cap. 23.

[n] Editi Prosperiani, *dimittit ;* et infra, *monstravit* Emendamus ex libro Augustini mox citato.

[o] Ms. Remig., *Resurrectionis.*

[p] Ms. Remig., *induam.*

[q] Ms. Remig., *Canet . . . et mortui resurgant.*

Digitized by Google

gentiliumque ore profertur. Quomodo resurgant ii quorum cadavera belluæ bestiæque comederint, ipsæque ab aliis bestiis, avibus, canibusque consumptæ sint. Ignorantes omnia quæ ex terra creata sunt, [a] in eamdem materiam resoluta recidere; ac facile esse potentiæ Creatoris, ex ea rursum reparare quæ fuerant, qui potuit inter cætera primum ex illa hominem formare qui non erat. [b] Si quem vero movet, quod scriptum est in primo psalmo quod non resurgunt *impii in judicio* (*Psal.* I, 5), intelligat non eos ad judicium, sed ad pœnam resurgere, juxta illam Domini sententiam : *Qui non credit*, ait, *jam judicatus est* (*Joan.* III, 18). Fatetur et Sibylla (*Ubi supra*) :

Sic [c] animæ cum carne aderunt, quas judicat ipse.

Resurgentibus cunctis, judicium sequitur.

## CAPUT XIX.

### [d] *De judicio Christi Domini.*

### Promissio implenda.

30. David propheta dicit : *Annuntiabunt cœli justitiam, quoniam Deus judex est* (*Ps.* XLIX, 6). Item : *Advocavit cœlum sursum, et terram; ut discerneret populum suum* (*Ibid.*, 4). Item : *Ipse judicabit orbem terræ in æquitate* (*Psal.* XCV, 13). Firmat hæc Dominus in Evangelio : *Cum venerit*, ait, *Filius hominis in claritate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut separat pastor oves ab hædis. Oves ponet a dextris, hædos autem a sinistris. Tunc dicet his qui a dextris sunt : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 31, etc.), et cætera quæ pertinent ad opera misericordiæ, in quibus est sacrificium magnum purgans omne peccatum, ipso dicente Domino : *Misericordiam volo* [e] *magis quam sacrificium* (*Matth.* IX, 13). Sinistris autem dicturus est : *Ite in ignem æternum quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim*, ait, *et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 41 *et* 42); et cætera similiter quæ ad crudelitatis exitia pertinent, *quæ mergunt hominem in interitum et perditionem* (I *Tim.* VI, 9), dum avari non pascunt Christum esurientem in paupere, qui dicit : *Quamdiu uni ex minimis meis non fecistis, neque mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 45). Sequiturque inter partes lata sententia judicantis. *Ibunt*, dictum est, *impii in combustionem æternam* (*Ibid.*, 46).

31. Testatur et in hæc Paulus apostolus. *Omnes*, ait, *astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* (II *Cor.* V, 10). Et Apocalypsis Joannis dicit : *Vidi mortuos tam magnos quam minimos, stantes in conspectu throni Dei. Dehinc aperti sunt libri, et alius liber apertus est, qui est vitæ* uniuscujusque hominum : *et judicati sunt mortui ex ipsis scripturis librorum, secundum facta sua* (*Apoc.* XX, 12 *et* 13). Libri aperti,

A conscientiæ singulorum. Alius liber qui omnium continet actus, justitia Dei est cuncta producens in lucem; [f] de qua dicit Paulus : *Donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* IV, 5). Concludit Joannis Apocalypsis : *Mors et infernus missi sunt in stagnum ignis, et qui non sunt inventi in libro vitæ, missi sunt in stagnum ignis* (*Apoc.* XX, 14 *et* 15), in quo *cruciabuntur in sæcula sæculorum* (*Ibid.*, 10). Sicut dicit et Isaias [g] : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur et erunt* [h] *usque ad satietatem visionis universæ carni* (*Isa.* LXVI, 24). [i] Fatetur et Sibylla (*Ubi supra*) :

Occultos actus retegens tunc quisque loquetur.
Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.

Et paulo post :

Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.
Recidet e cœlis ignisque et sulphuris amnis.

B Post hæc sequitur, per ignem purificatorium, quosdam fideles homines ipsaque elementa purgari.

## CAPUT XX.

### *De igne purificatorio* [*Ms. Rem.* purgatorio].

### Promissio implenda.

32. David propheta : *Omnia sicut* [j] *vestimentum veterascent; et sicut opertorium mutabis ea, et mutabuntur, tu autem ipse idem es* (*Ps.* CI, 27 *et* 28). Item ipse : [k] *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum* (*Ps.* LXV, 10). Et iterum : *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* (*Ibid.*, 12). Et Malachias propheta : *Ipse* [l] *introiit*, ait, *sicut ignis conflatorii, et sedebit conflans, et purgans sicut argentum et aurum,* [m] *et purgavit filios Levi* (*Malach.* III, 2 *et seq.*). Et in Evangelio Matthæus hæc de Domino confirmat dicens : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto et igni, ferens ventilabrum in manu sua, et purgabit aream suam. Frumenta recondet* [n] *in horreo, paleas comburet* C *igni inexstinguibili* (*Matth.* III, 11 *et* 12). Et iterum ipse Dominus dicit : *Prius quam cœlum et terra transeat, iota unum, aut unus apex non cadet ex lege,* [o] *qui non impleatur* (*Matth.* V, 18). Et Petrus Apostolus : *Qui autem nunc sunt cœli, eodem verbo repositi sunt, igni reservandi in diem judicii* (II *Petr.* III, 7). Et paulo post : *Properantes*, ait, *ad præsentiam Domini, per quam cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore decoquentur* (*Ibid.*, 12). Dicit et Paulus : *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute* [p] *corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 21). Fatetur et Sibylla dicens (*Ubi supra*) :

Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.

His igitur peractis, cum respicientes impii justos dixerint : *Hi sunt quos habuimus aliquando* [q] *in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum*

[a] Ms. Remig., *in eadem materia resoluta recedere.* D

[b] Ms. Remig., *Ex quo quem movet.* Hæc vero quæ sequuntur, *quod scriptum est in primo psalmo*, ex eodem ms. codice supplentur. In editis hoc solum legebatur : *Si quem vero movet quod impii in judicio non resurgunt, intelligat*, etc.

[c] Ms. Remig., *animæ a carne.* Apud Augustinum postea, *quas judicet ipse.*

[d] Ms. Remig., *In judico.*

[e] Ms. Remig., *plusquam.*

[f] Editi, *De quo.*

[g] Ms. Remig., *Vermes eorum non morientur, et ignis eorum non exstinguitur.*

[h] Ms. Remig., *et erunt ad visionem universæ carni.*

[i] Hunc locum restituimus ex libro Augustini sæpe citato. In editis nostris legebatur : *Fatetur et Sibylla, occultos actus tunc detegens. Quis loquetur secreta?*

Atque Deus reseravit pectora luci;

Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.

Et paulo post

Et coram hoc Domino reges sistentur ad unum.
Decidet e cœlo ignis et sulphuris amnis.

Ubi auctori libri hujus tribuebatur quod Sibylla fuerat ab eo citatum, et leges metri infringebantur.

[j] Ms. Remig., *sicut vestimenta . . . . et sicut opertoria.*

[k] Ms. Remig., *Ignisti nos, sicut ignitur argentum.*

[l] Recentiores editiones, *introibit.*

[m] Editi, *purgabit.* Ms. Remig., *purgavit.*

[n] Ms. Remig., *in horrea.*

[o] Ms. Remig., *donec omnia impleantur.*

[p] Ms. Remig., *interitus in libertate.*

[q] Ms. Remig., *in risu et in similitudine.*

Digitized by Google

*sine honore : quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est* (*Sap.* v, 3 *seqq.*)? infructuosam tunc agentes pœnitentiam, cum scriptum sit: *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* vi, 6)? redactisque malis in tenebris exterioribus, in quibus A nulla lux, nullusque dies erit, ac vox illa terribilis et metuenda sonuerit : *Auferatur impius, et non videat claritatem Domini sanctorum* (*Isa.* xxvi, 10); tunc [a] sequetur eminens illustrisque gloria, quæ aliis est intimanda capitulis.

[a] Ms. Remig., *sequitur . . . quæ aliis est intimanda capitulis.* Editi, *alio est intimanda capitulo.*

# *PARS QUINTA.*

## DE GLORIA REGNOQUE SANCTORUM.

### CAPUT PRIMUM.

*De cœlo novo et de terra nova.*

[a] Promissio implenda, credendaque.

1. Apocalypsis Joannis dicit : *Vidi cœlum novum et terram novam* (*Apoc.* xxi, 1). Testatur et Petrus : *Novos vero cœlos et novam terram, secundum ipsius promissa, exspectamus, in quibus justitia inhabitat* B (II *Petr.* iii, 13). Et David dicit : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Ps.* xxvi, 13). Hæc impii non videbunt.

### CAPUT II.

*De commutatione sanctorum.*

Promissio implenda, atque primo credenda.

2. Paulus dicit apostolus : *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* iv, 13). In quam sancti, omnis ætas, et uterque sexus, cum hac gloria ad tricennalem juventutem (in qua Christus Dominus passus) transeant cum ipso Rege suo, quem impii non videbunt.

### CAPUT III.

*De nova Jerusalem.*

Promissio implenda, et credenda prius.

3. Apocalypsis dicit : *Jerusalem novam vidi a Deo descendentem, aptatam et exornatam,* [b] *ut sponsa marito* (*Apoc.* xxi, 2). Dicit et Paulus : *Quæ sursum est* C *Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra* (*Gal.* iv, 26). In hac civitate *non erit nox, nec lumen lucernæ opus erit, non luctus, neque mors, neque clamor, sed nec dolor* [c] *ullus, quia priora abierunt* (*Apoc.* xxii, 5; xxi, 2...). Et hujus patriæ gloriam impii non videbunt.

### CAPUT IV.

*De eo quod sancti fulgebunt ut sol.*

Promissio implenda et credenda.

4. Dominus in Evangelio : *Tunc,* ait, *justi fulgebunt sicut sol in conspectu Patris sui* (*Matth.* xiii, 43); quoniam *erunt æquales angelis Domini* (*Luc.* xx, 36). Et hanc gloriam impii non videbunt.

### CAPUT V.

*De sanctorum, sicut stellarum in gloria differentia.*

Promissio implenda, et credenda.

5. Paulus apostolus dicit : *Stella a stella differt in* D *gloria, sic et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* xv, 41 *et* 42). Quomodo alii pro [d] confessione martyrii, alii pro integritate virginali, alii pro continentia viduali, alii pro pudicitia conjugali, diversis honoribus sine invidia fulgeant, impii non videbunt.

### CAPUT VI.

*De virginitate sanctorum.*

Promissio implenda, et credenda.

6. Apocalypsis Joannis dicit : *Hi sunt qui cum mulieribus se non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt. Hi sunt qui sequuntur Agnum quocumque ierit* (*Apoc.* xiv, 4). Quo sequantur virgines, quo eum sequi nequeant non virgines, impii non videbunt.

### CAPUT VII.

*De inexplicabili dono sanctorum.*

Promissio implenda et credenda.

7. Paulus dicit apostolus : *Quod oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* ii, 9). Sancti cum hæc acceperint, impii non videbunt.

### CAPUT VIII.

*De facie ad faciem videndo Deum.*

Promissio implenda.

8. Paulus dicit Apostolus : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* xiii, 12). Quemadmodum sancti videant Deum Trinitatem, Patrem in Filio, Filium in Patre, Spiritum sanctum et in Patre et in Filio, impii non videbunt.

### CAPUT IX.

*De revelata facie sanctorum.*

Promissio implenda.

9. Paulus dicit apostolus : *Nos,* ait, *revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam tanquam a Domini spiritu* (II *Cor.* iii, 18). Et hæc impii non videbunt.

### CAPUT X.

*De eo quod tradat Filius regnum Deo et Patri.*

Promissio implenda.

10. Quomodo [e] tradat Filius regnum Deo et Patri, sicut Paulus dicit apostolus (I *Cor.* xv, 24), impii non videbunt.

### CAPUT XI.

*De jugi cantico* Alleluia.

Promissio implenda.

11. Quomodo jugi cantico, ut Apocalypsis dicit, sancti canent *Alleluia* sine defectu, sine fine (*Apoc.* xix, 1, 3, 4, 6); impii nec audient, nec videbunt.

### CAPUT XII.

*De innovatione omnium.*

Promissio implenda.

12. Quomodo innoventur omnia, ut Isaias propheta et Apocalypsis dicunt, permaneantque in æternum (*Isa.* xliii, 19; *Apoc.* xxi, 5); et quomodo ex ligno vitæ sive corruptione cibum sancti capiant, et de fonte Christo (*Apoc.* xxii, 14), non necessitate, sed potestate bibant, impii non videbunt.

[a] Omnes tituli 13 capitum sequentium in ms. Remigiano, his duabus vocibus continentur, *Promissio implenda.*

[b] Edit. posteriores, *ut sponsam.*

[c] Editi omnes, *dolus.*

[d] Sic ms. Remig. At vero editi, *pro consensione.*

[e] Editi, *tradidit.* Ms. Remig., *tradat.*

Digitized by Google

## CAPUT XIII.

*Quod Deus sit omnia in omnibus.*

Promissio implenda.

13. Quomodo erit *Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* xv, 28), ut Paulus dicit apostolus, impii non videbunt: quia soli sancti et redempti his voluptatibus et deliciis cœlestibus perfruentur. Hæc est civitas, virtus et salvatio nostra. Hæc est Jerusalem cœlestis perpetua. His in ea positis sanctis verus Deus Rex.

Nec metas rerum, nec tempora ponit,
Imperium sine fine dedit.
(*Æneid.* I, *vers.* 278 *et* 287).

14. Hi sunt qui regnant cum rege Christo, de quo dicit Daniel: *Regnum ejus alteri populo non derelinquetur* (*Dan.* II, 44, *et* III, 100), quoniam regnabit in infinita sæcula, *et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 33).

## CAPUT XIV.

*Peroratio* [a] *sancti Prosperi, et conclusio hujus fidelissimi utilissimique libri sui.*

15. [b] Juvante gratia Dei, hunc conclusi librum, tribus ejus primis partibus quadragena capitula annotando, velut quadragenos dies, quibus in hujus vitæ curriculis Moyses, Elias et Dominus Jesus jejunia celebrarunt. Ter enim quadragies ducta centum viginti faciunt. Accedunt alia viginti, in dimidia parte finis mundi, et sunt centum quadraginta. Tredecim quoque in gloria sanctorum superadduntur, et perficiunt centum quinquaginta tria. In quo numero sacrati illi pisces reti veritatis incorrupto, post resurrectionem Domini jussione capti sunt (*Joan.* XXI, 11), millia sanctorum significantes, quos Dominus ex omni genere, tribu, et lingua, per omne tempus congregans, nobis infinitum sibi cognitum numerum consecravit. Habes primam piscandi voluptatem, si hujus rei amator es, lector spiritalis: præsertim quia in hoc libro, ut existimo, omnes [c] voluptates, omnesque affectiones invenies. Ingredere ergo huc, *adolescens, et huc avocare, hic lude, et age conceptiones tuas* (*Eccli.* XXXII, 15). Nam si te fortassis tabulæ lusus invitat, [d] in asse uno duo et tria, quina et sena habes quibus numeris mensuræ arcæ consurgunt (*Gen.* VI, 15), trinæ unitatis tesseras volvens; calculos movens etiam in bonis operibus candidos, in passione purpureos, [e] spectante illo qui dicit: *Vincenti dabo calculum, et per calculum nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit* (*Apoc.* II, 17). In calculis eburneis nomina proconsulum conscripta Carthagini in foro coram populo a præsenti judice sub certis vocabulis citabantur, et erat solemnis dies albi citatio. Hi qui avaritiam superantes rempublicam fideliter egerant [f] absque flagitiis favoribusque, etiam absentes honorabantur. Eos vero quos rapacitas vicerat, populus conviciis sibilisque notabat.

16. Habes igitur quid vincas, qui rempublicam gubernando ludis in sæculo. Avaritiam vince, quæ *radix est omnium malorum* (I *Tim.* VI, 10); nec jam terrenæ, quæ quocumque modo labuntur, sed cœlestes æternæque [g] alliciant potestates. Si venandi est affectio, habes montes altissimos, cervos velociter apostolorum prophetarumque dicta percurrentes. Habes et in campis *petram, refugium ericiis et leporibus* (*Ps.* CIII, 18), quos in simplicitate cordis Christus Dominus per suos canes venatur, ut spinis careant delictorum. Si spectandi voluptas est, habes hic aurigam spiritalem Christum Eliam, qui curru igneo usque ad metas pervectus est cœli (IV *Reg.* II, 11), currusque Pharaonis demersos in profundo (*Exod.* XIV, 25). In munere habes Danielem sanctum, leonem non ferro, sed oratione vincentem (*Dan.* VI, 22), ursosque vexantes eos qui Elisæum prophetam contumeliis lacesserant (IV *Reg.* II, 24). Habes quoque in sancto spectaculo non mimicas turpitudines, sed Christo sacratas virgines. Habes [h] Caballistarum loco, Rebeccæ geminos mystice ludentes (*Gen.* XXV, 22). Habes David coram arca saltantem (II *Reg.* VI, 5), et nudatum in passione Christum, coram servis et ancillis suis, illa ipsa sua historia exhibentem. Habes postremo fletus planctusque Jeremiæ decantatos, non arte tragica, sed prophetica.

17. Ædificandi si est [i] affectus, habes fabricam mundi, mensuras arcæ (*Gen.* VI, 14), ambitum tabernaculi (*Exod.* XXVI, 1, etc.), fastigium templi Salomonis (III *Reg.* VI, 1, etc.), [j] ipsius per mundum membra Ecclesiæ, quam illa omnia figurabant. Epulandi si est delectatio; habes hic Sapientiæ paratam mensam (*Prov.* IX, 1, 2), in qua est panis angelicus, et vitulus saginatus, sobrieque inebrians poculum salutare. Neque flores sancti desunt huic convivio, lilia virginum, [k] continentium violæ, et roseæ coronæ martyrum. Restat, ut arbitror, musicorum voluptas; habes organum ex diversis fistulis sanctorum apostolorum, doctorumque omnium Ecclesiarum, aptatum quibusdam accentibus, gravi, acuto et circumflexo, [l] quod musicus ille Dei Spiritus, per Verbum tangit, implet et resonat; habes *clavem David, qui claudit, et nemo aperit; aperit et nemo claudit* (*Apoc.* III, 7): chrismatis oleo et aqua baptismi cuncta consecrans ac decorans. Ad hujus organi suavissimas et dulcissimas voces pervenerunt *principes conjuncti psallentibus, in medio adolescentularum tympanistriarum* (*Ps.* LXVII, 26). Et quæ sint hæc sequitur: *In ecclesiis benedicite Dominum.* Hæ adolescentulæ ecclesiæ dum tympanum tangunt, id est, pellem mortui animantis extensam in ligno, scilicet Christum prædicant crucifixum. Hujus tympani tam magnus sonus totius mundi jam mulcet auditus.

18. Nec decem chordarum psalterium (*Ps.* CXLIII, 9) huic deest convivio, dum [m] in conclusione centum quinquaginta psalmorum laudant sancti Dominum *in sono tubæ, in psalterio et cithara, in tympano et choro, in chordis et organo, in cymbalis bene sonantibus, in cymbalis jubilationis,* quoniam *omnis spiritus laudat Dominum* (*Psal.* CL, 3 *seqq.*). Hæc in templo Dei mei prospiciens in quo omnis quisque dicit, Gloria (*Psal.* XXVIII, 9): quoniam adhuc passiones, quæ per legem sunt, operantur in membris nostris (*Rom.* VII, 5), ut fructum ferant morti, multisque vitiis implicati tenemur in hac vita quæ tota tentatio est (*Job* VII, 1). Sacrificium ex adipibus vitulorum, patriarcharum et prophetarum, caprarum pinguium et arietum, apostolorum ducum gregis, pro peccato animæ meæ, ac mundatione totius hominis mei in hoc libro et con-

[a] De Prospero nulla hic mentio in codice ms. Remigiano-Remensi, sed in editis tantum. An vero cuidam hujusce nominis tribui possit, etsi Prospero Aquitano omnino non debeat tribui hoc opus, vide in admonitione prævia huic libro.

[b] Ms. Remig., *Jubente gratia Dei in* 150 *capitulis conclusi.*

[c] Ms. Remig., *voluntates.*

[d] Ita Lugd. et Lovan. cum ms. Remig., Duac. et Colon., *in esse uno;* sed minus bene, ut videtur.

[e] Ms. Remig., *exspectante,* melius ms. Remig., *spectante.*

[f] Ms. Remig., *absque suffragiis.*

[g] Ms. Remig., *illuceant.*

[h] Lugd. et Lovan., *Cadalistarum:* sed melius legitur, *Caballistarum* ex ms. Remig. et Duaci Coloniensique editionibus. *Caballistarum* vero nomine intelligi credimus ab auctore eos qui equorum agitatione et cursu in arena contendebant.

[i] Ms. Remig., *affectio.*

[j] Ms. Remig. *ipsiusque.*

[k] Editi, *continentiæ.* Ms. Remig., *continentium.*

[l] Editi, *quos;* melius ms. Remig., *quod,* scilicet organum.

[m] Sic ms. Remig. At editi, *inclusione.*

Digitized by Google

fessionem vovi, et in ara contriti cordis immolavi holocausta, non sine incenso orationum omnium sanctorum (*Apoc.* VIII, 4), quibus me ab omni peccato expiari posse confido. Quiescat invidus lector, ne sicut Cain ferro (*Gen.* IV, 8), iste dente vel lingua percutiat. *Filii* enim *hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Ps.* LVI, 5). Si quid autem displicet, si pius est, emendet in misericordia, et arguat in lenitate (*Ps.* CXL, 5), oretque pro nobis, ut simul in arca inter munda animalia reperti, in cubito perfectionis ejus pariter annexi, charitatem Domini, trinæ majestatis unitatem [a] supereminentem viam (I *Cor.* XII, 31), duce gratia, sequamur omnes; eodem manente in nobis, et nobis in illo: *A quo omnia, per quem omnia, qui est Deus benedictus in* [b] *sæcula. Amen* (*Rom.* I, 25; XI, 36).

[a] Emendamus ex ms. Remig. Editi, *per eminentem.*

[b] Ms. Remig., *in sæcula sæculorum. Amen.*

## ADMONITIO IN CHRONICON SEQUENS.

Præter Chronicon illud sancti Prosperi, quod ad calcem genuinorum ejus operum exhibuimus, quodque Prospero Aquitano sancti Augustini discipulo omnes, si perpaucos exceperis, libenter tribuunt, prodiit etiam Chronicon aliud, sub nomine Tironis Prosperi a viro eruditissimo Petro Pithœo e manuscripto codice bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis primo in lucem editum. Quod quidem, sicut ordinarium sancti Prosperi Chronicon, ab anno 379 incipiens, ad annum usque 455 protenditur. Auctori operis istius nomen Prosperi indidit Pithœus (*Duchesn. tom.* I *Hist. Gall. p.* 196), motus auctoritate manuscriptorum Sigeberti et Mariani: sed de suo addit, illud ipsum esse verum Prosperi Chronicon, cujus ita ingenium referre contendit, ut non immerito sibi videatur membrum esse amplioris ejus quod ipsius nomine ab orbe condito ad captam a Wandalis Romam Gennadius Massiliensis presbyter se legisse testatur; mireturque unde factum sit, ut aliud Chronicon (scilicet antea vulgatum) per consules digestum, hactenus in omnibus Hieronymiani Chronici editionibus Prosperi titulo subjungeretur: quod etsi cum isto non pauca habet communia, utpote ad ejusdem ætatis historiam pertinentia, alterius tamen genii esse facile intelliget, qui utrumque attentius legerit.

Equidem non ægre fatebimur Pithœo, utrumque hoc Chronicon unius ejusdemque auctoris fetum dici non posse. Alias, ut ait Bucherius (*Cycl. p.* 212; *Noris. Hist. Pelag. l.* II, *cap.* 15, *p.* 218), concedendum esset, ab uno eodemque ore calidum frigidumque (ut aiunt) flamen simul posse prodire. Sed mirum omnino talem virum eam in opinionem venisse, quod istud Chronicon, etsi valde confusum perturbatumque (quod ipse lubens agnoscit), licet mendis in rectam chronologiæ rationem refertum; in quo vix aliquid delibatur de Pelagianis; in quo id unum de Augustino observatur, quod plurima libris innumeris disseruerit; in quo demum ex Augustino orta dicitur Prædestinatorum hæresis, sancto Prospero certo certius ignota, cum talem nullibi impugnasse aut retulisse legatur: mirum, inquam, quod tale opus Prospero dignius haberi debeat, ejusque ingenium magis referre, quam alterum illud Chronicon, quod profecto et clarius est, et majori ordine digestum; ex quo lux maxima aspergitur in omnem sancti Augustini et Pelagianæ hæreseos historiam, et in quo denique cum maxima venerationis testificatione laudantur sanctus Augustinus, sanctusque Leo, qui ambo sancti Prosperi magistri jure merito possunt appellari. Unde in hoc a Pithœi opinione dissentit omnino Jacobus Sirmondus (*Prædest. c.* 5, *p.* 31); novumque hoc Chronicon magni Prosperi libris accenseri non patitur.

Pithœus vero, cui contrarium pro persuaso erat, Chronici sui auctorem Tironis Prosperi nomine designaverat; etsi solum Prosperi nomen præferrent illi codices manu exarati, unde opusculum istud hauserat. Quod quidem immerito ab illo factum agnovit Sirmondus (*Ibidem*). Hinc est quod hoc Tironis nomen sortitum fuisse non legatur in editionibus a Duchesnio vel Scaligero procuratis. Cum autem hoc Prosperi nomen sine alio addito, videatur sanctissimo gratiæ Christi defensori designando consecratum, vulgo auctor Chronici Pithœani sub hoc nomine Tironis Prosperi solet notari, ne cum altero Prospero confundi putetur.

At vero in hoc maxime lapsus est Pithœus, quod præstitit, cum de Prædestinatianis actum est. Etsi enim eo loci legebatur in duobus, quos in manibus habuit, manuscriptis: *Prædestinatorum hæresis, quæ* AB AUGUSTINO *accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa* (*a*); et in altero tantum horum pro diversa lectione appositum fuerat, AB AUGUSTINI LIBRIS MALE INTELLECTIS; eademque in Chronico Sigeberti habebantur: quo unico argumento satis evincebatur, auctorem operis non Prosperum agnosci debere, sed quemdam sancti Augustini adversarium; et omni fide indignum esse, qui hæresim aliquam ab Augustino ortum habuisse dixerit: Pithœus tamen, neglectis manuscriptis, lectionem Sigeberti substituit; quæ licet minus odii scriptori conciliet, tamen nec ipsa a sancto Prospero prodire ullatenus potuit. Unde etiam Sirmondus, cujus intererat Pithœi patrocinium suscipere, ut ejus quem hæresis Prædestinatianæ testem primarium assumpserat, fidem sartamtectam tueretur, Pithœum hac in re culpare coactus, confessusque est, ab illo in Chronico suo scribi debuisse, *Ab Augustino:* ut postea a Philippo Labbeo editum habetur, in Bibliotheca nova manuscriptorum (*Lab. Bibl. nov. t.* I, *p.* 58 *et* 59; *idem de Script. Eccl. t.* II, *pag.* 260); etsi ille (quod non facile credat, nisi qui legerit) dubitet adhuc numquid tale Chronicon pro Prosperiano non sit agnoscendum.

Nec desunt qui hoc operis Prosperiano nomini suppositum putent (*Maug. t.* II, *p.* 519), ut inde tum ipse, tum sanctus Augustinus in contemptum et invidiam venirent. Quæ conjectura nec solidis fundamentis, nec probationibus debitis inniti videtur. Hincmarus enim, quem observant de hoc Chronico tacuisse, aut illud fortasse non noverat, aut certe eo uti aliis de causis noluit. Igitur magis pronum est credere, aut illud a Prospero quodam sancti Prosperi gratiæ vindicis æmulo concinnatum; aut, cum in primis exemplaribus cujusvis auctoris nomine careret, impositum ei postea fuisse nomen sancti Prosperi, qui Chronicon ejusdem ætatis scripsisse palam noscebatur; aut denique a Semipelagiano quodam e Provincia, penes quem erat germanum sancti Prosperi Chronicon, illud pro libito mutatum, diminutum, aut interpolatum fuisse: licet forte is homo de illo umquam in lucem emittendo non cogitaret. In hanc ultimam sententiam descenderunt tum Jos. Antelmius dissertatione octava de veris Operibus sanctorum Patrum Leonis et Prosperi, tum doctissimus

(*a*) Sic legitur etiam in manuscripto codice annorum forte 500, qui fuerat V. C. Claudii Joli præcentoris et canonici ecclesiæ metropolitanæ Parisiensis; postea vero ex ejus dono factus est venerabilis capituli ejusdem ecclesiæ. In hoc enim a prima manu habetur, *ab Augustino;* a posteriori vero, et charactere recentiori substitutum est, *ab Augustini libris male intellectis.* Idipsum quoque quasi pro correctione notatum in margine ms. sancti Victoris per nos visi; et similiter a manu recentiori substitutum in codice Oyselliano notat Ph. Labbeus, in Bibl. nov. mss.

Digitized by Google

auctor Bibliothecæ auctorum ecclesiasticorum (*Dupin.*) tomo IV, in Prospero; quorum judicio adhærendum nos quoque facile credimus.

# CHRONICON ALTERUM

## SUB TIRONIS PROSPERI NOMINE VULGATUM,

### Quod a quibusdam vocatur

## PSEUDOCHRONICON.

***A morte Valentis imperatoris ad captam a Genserico Urbem, longe aliud ab eo quod hactenus B. Hieronymi Chronico subjunctum est; ex edit. Pithœi.***

I. [a] Igitur Valente a Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano regnat annos sex. Hic parvulum fratrem habens, regni consortem, probatæ ætatis virum Theodosium in societatem regni asciscit. Hic Gratianus valde religioni favens et Ecclesiis per omnia promptus fuit.

Martinus, Turonensium episcopus, apostolicis virtutibus insignis habetur.

II. Theodosius in Orientis partibus lassam rempublicam reparavit.

III. Maximus tyrannus in Britannia a militibus imperator constituitur.

IV. Incursantes Pictos et Scotos Maximus strenue superavit.

Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.

V. Ambrosius libros contra Arianorum perfidiam luculentissimos ad Gratianum Augustum scribit.

VI. Maximus in Gallias transfretavit et conflictu contra Gratianum habito, eumdem fugitantem Lugduni interfecit.

*Theodosius annis* XI.

I. Maximus timens Orientalis imperii principem Theodosium cum Valentiniano fœdus iniit.

Apud Treveros Manichæi deprehensi, summo Maximi studio exterminati.

II. Justina mater Valentiniani Arianis favens, in Ambrosium et omnem Mediolanensem Ecclesiam diversa injuriarum genera congerit.

Reliquiæ Gervasii et Prothasii [b] martyrum, ab Ambrosio primum Mediolani repertæ.

Hymni Ambrosii compositi, qui numquam ante in Ecclesiis Latinis modulis canebantur.

III. Maximus indignum ducens contra Ecclesiæ statum agi, locum irrumpendi quod cum Valentiniano junxerat fœdus, invenit. Valentinianus veritus imminentem jam cervicibus suis tyrannum, ad Theodosium confugit.

[c] [Honorius et Arcadius XXXII, CCCC.

Theodosius et Joannes XXV et XXII.

Valentinianus et Martianus III, CCCC, XXV].

Augustinus Mediolani rhetoricam apprime docens, omissis scholis, ad fidem rectam convertitur, cum ante Manichæus fuisset.

IV. Theodosius cum exercitu ad Italiam transgrediens, Maximum interfecit, et Valentinianum proprio regno reddidit.

Justina, quæ Ecclesias vexaverat, ne regnum cum filio reciperet, morte præventa est.

Immane Thessalonicæ gestum facinus exstincti

A populi, egregio pœnitentiæ exemplo imperator religiosus eluit.

V. Hæresis Apollinaristarum ab Apollinare cœpta.

Ariani, qui totum pene Orientem [d] atque Occidentem commaculaverant, edicto gloriosi principis Ecclesiis spoliantur, quæ catholicis deputatæ sunt.

VI. Joannes Ægyptius monachus, qui ob vitæ puritatem prophetiæ gratiam a Domino meruit, insignis habetur.

Post Damasum Romanæ Ecclesiæ regimen XXXVI, Syricius [e] suscipit.

VII. Apud Alexandriam, defuncto Petro, Timotheus, et post hunc Theophilus episcopi constituuntur.

Jerosolymis post Cyrillum Joannes Ecclesiam recipit.

Apud Antiochiam, defuncto Meletio, substituitur Flavianus.

Ingens inter nostros contentio oborta, quod scilicet episcopi qui ab hæreticis depulsi fuerant nollent, B his ab imperatore dejectis, alios quam se substitui sacerdotes.

Terribile in cœlo signum columnæ per omnia simile apparuit.

VIII. Apud Alexandriam templa destructa, in quibus Serapis antiquissimum et notissimum templum, quod quasi quædam columna ruentem sustinebat idololatriam.

IX. X. Valentinianus Viennæ ab Arbogaste comite suo extinguitur, in cujus locum tyrannidem Eugenius invadit.

XI. Ad vindicandum Valentiniani interitum, et opprimendam Eugenii tyrannidem, Theodosius in Italiam transgreditur, aperto Dei favore conspirantibus in idipsum elementis.

Eugenio superato, Theodosius XI regni sui anno [f] diem obit.

*Arcadius et Honorius* XXXII *annis*.

C I. Constantinopolis eminentem iram Dei, igne super nubem terribiliter fulgente formidans, toto ad pœnitentiam animo conversa subterfugit.

Rufinus Bosphoritanus cum ad summam militiæ pervenisset, præferri sibi Stiliconem non ferens, ab eodem interficitur, Hunnorum, quo fulciebatur, præsidio [g] superato.

II. Claudianus poeta admiratione dignus habetur.

[h] Gildo Africanus in rebellione commota consueta Romanis stipendia subtraxit.

Prudentius lyricus poeta noster, [i] Hispanus genere illustri, ingenii sui robur exercet.

[a] In ms. Joliensi, hæc præfixa leguntur : *Hucusque Hieronymus presbyter ordinem præcedentium digessit annorum. Quæ sequuntur Prosper digessit.*

[b] Aberat vox hæc, *martyrum*, ab edit. Pithœana.

[c] Hæc uncinis inclusa putantur translata ex margine.

[d] Desunt in ms. Victor. hæc verba, *atque Occidentem.*

[e] Uterque ms. Victor. et Jol., *suscepit.*

[f] Ms. Victor., *diem obiit.*

[g] Sic restituimus ex mss. Victor. et Jol. Antea legebatur apud Pithœum, *superatur.*

[h] In Biblioth. mss. Phil. Labbei non legitur, *Gildo Africanus*, sed *Africa.*

D [i] In ms. Jol., *Hispanum genere, illustre ingenii sui*, etc. Sic et Bibl. Labbei.

Digitized by Google

III. Stilico magister militiæ Gildonem Mauritaniæ interfecit, Africa ad pristinum jus redacta.

Romanæ Ecclesiæ cathedram XXXVII Innocentius tenet.

IV. Toto orbe Romano antiquæ superstitionis templa destructa.

Paulinus, Nolanus postmodum episcopus, admirabili exemplo, venditis omnibus, cum esset dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus elegit.

V. Joannes Constantinopolites episcopus dictis factisque clarescit.

Martinus post egregie actam vitam, corpore exuitur.

VI. Pelagius vesanus doctrina exsecrabili Ecclesias commaculare conatur.

VII. Contentio ex doctrina Origenis synodum apud Alexandriam movit, cujus exstitit sententia, ut extra Ecclesiam fieret, quicumque supradicti viri opera probavisset.

VIII. Solis facta defectio.

Augustinus plurima libris [a] innumeris disserit.

IX. Severus ex disciplina S. Martini ejus vitam tribus explicat libris.

X. Sæva Italiæ barbarici motus tempestas incubuit. Si quidem Radagaius rex Gothorum Italiæ limitem vastaturus transgreditur. Ex hoc Ariani, qui Romano procul [b] fuerant orbe fugati, barbararum nationum, ad quas se contulere, præsidio erigi cœpere.

XI. Multis ante vastatis urbibus, Radagaius occubuit: cujus in tres partes per diversos principes divisus exercitus aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Insigni triumpho exercitum tertiæ partis hostium, circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico usque ad internecionem delevit.

XII. Arcadius Orientis imperium gubernans vitam explet, parvum admodum Theodosium filium imperii successorem relinquens.

Cœlestinus XXXVIII Romanam Ecclesiam gubernavit.

XIII. Diversarum gentium rabies Gallias dilacerare exorsa, immissu quam maxime Stiliconis, indigne ferentis filio suo regnum negatum.

XIV. Uticæ in foro Trajani terra diebus septem mugitum dedit.

Inter alia multum reipublicæ Stiliconis morte consultum est, qui saluti imperatoris tendebat insidias.

Nestorius Constantinopolites episcopus ad hæresim quæ in Christo Deum ab homine separat, vertitur.

Joannes comes Africæ occisus est a populo.

XV. Proculus Massiliensis episcopus clarus habetur, quo annuente magna de suspecto adulterio Remedii episcopi quæstio agitatur.

Hac tempestate præ [c] valetudine Romanorum, vires funditus attenuatæ Britanniæ.

XVI. Saxonum incursione devastatam Galliarum partem Wandali atque Alani vastavere: quod reliquum fuerat Constantinus tyrannus obsidebat.

Hispaniarum partem maximam Suevi occupavere.

Ipsa denique orbis caput Roma deprædationi Gothorum fœdissime patuit.

XVII. Constantinus tyrannus occiditur.

XVIII. Rursum alia prædatio Galliarum, Gothis, qui Alarico duce Romam ceperant, Alpes transgredientibus.

XIX. Jovinus tyrannidem post Constantinum invadit, [d] industria viri strenui, qui solus tyranno non cessit, [e] Dardani.

Ataulfus, qui post Alaricum Gothis imperitabat, a societate Jovini avertitur.

Salustius quoque et Sebastianus occisi.

Valentia nobilissima Galliarum civitas a Gothis effringitur, ad quam se fugiens Jovinus contulerat.

XX. Ingens in Galliis fames.

Aquitania Gothis tradita.

Patroclus, Arelatensis episcopus, infami mercatu sacerdotia venditare ausus.

Heraclianus, comes Africæ, qui in Romanæ urbis reparationem strenuum exhibuerat ministerium, nova quædam molitus interimitur.

XXI. Placidia, soror imperatoris, diu captiva, postea etiam regis uxor, rege fraude sublato, [f] Constantis connubio copulatur.

XXII. Gothi cum se iterum, Atauulfo perempto, movissent, Constantis repelluntur occursu.

XXIII. Prædestinatorum hæresis, quæ ab [g] Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa.

XXIV. Tricesimus nonus Xistus Romanam Ecclesiam regit.

XXV. Solis hoc anno facta defectio.

XXVI. Faramundus regnat in Francia.

XXVII. Signum in cœlo mirabile apparuit.

Maximus tyrannus Hispaniarum dominatum vi obtinet.

XXVIII. Honoratus, Minervius, Castor, Jovianus singulorum monasteriorum Patres in Galliis florent.

XXIX. Constantio dignitas imperii ab Honorio sponte delata, qua vix octo mensibus usus interiit, Valentiniano [h] octo annorum filio derelicto.

XXX. Maximus tyrannus de regno dejicitur, ac Ravennam perductus sublimem spectaculorum pompam tricennalibus Honorii præbuit.

XXXI. Placidia, cum insidias fratri tenderet, deprehensa est, et [i] Romam exsilio relegata.

XXXII. Honorius Ravennæ defunctus.

Nullo jure debitum Joannes ex primicerio notariorum regnum sumit, qui vulneratum multis cladibus reliquit imperium.

*Thodosius annos* XXVII.

I. Placidia ad Theodosium auxilium precatum mittit.

Sigisvultdeus ad Africam contra Bonifacium properavit.

II. In Galliis Exuperantius præfectus a militibus interficitur.

Muro Carthago circumdata, quæ ex tempore quo vetus illa destructa est, sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari.

Joanne ab exercitu Orientis victo et perempto, Ravenna deprædatione vastata est.

Aetius, Gaudentii comitis a militibus in Galliis occisi filius, cum Chunnis Joanni opem laturus Italiam ingreditur.

III. Valentinianus Romæ imperator factus.

IV. Arelas a Gothis per Aetium liberatur.

V. Placidia tandem illata optato regno.

Clodius regnat in Francia.

VI. Cassianus compertas in Ægypto [j] vitas Pa-

[a] Duo mss. Victor. et Jol., *innumerabilibus*.

[b] In editione Pithœana aberat hæc vox, *fuerant*.

[c] Ms. *viribus*. Forte, *invaletudine*.

[d] In Biblioth. mss. Labbei statim a linea habetur: *Industria viri strenui, qui solus tyranno non cessit, Dardani, Ataulfus, qui post*, etc.

[e] Consule notas Ph. Labbei ad Olympiodorum.

[f] Biblioth. mss. Labbei hic et articulo sequenti, *Constantii*.

[g] Pro his verbis, *ab Augustino*, Pithœus scripserat, *ab Augustini libris male intellectis*: qua de re vide admonitionem præviam huic opusculo.

[h] Labb. in marg., *non octo*.

[i] Bibl. nov. mss Labb., *Roma in exsilium*.

[j] Ita ms. Victor. Editio Pithœana vero *vias Patrum.... exponit*.

Digitized by Google

trum, doctrinasque et regulas, libris ad plurimos datis expromit.

VII. Aetius Ihutungorum gentem [a] delere intendit.

VIII. Viginti ferme millia militum in Hispaniis contra Wandalos pugnantium cæsa : Wandali in Africam transfretantes, ingentem, lacerata omni provincia, Romanis cladem dedere.

IX. Consulatu Aetius edito, [b] Bonifacium, qui ab Regina accitus ex Africa fuerat declinans, ad munitiora ascendit.

Asperitas nimii frigoris etiam saluti plurimorum pernicies exstitit.

Bonifacius contra Aetium certamine habito [c] perculsus, victor quidem, sed moriturus abscedit.

X. Cum ad Chunnorum gentem, cui tunc Rugila præerat, post prælium se Aetius contulisset, impetrato auxilio ad Romanum solum [d] regreditur.

Gothi ad ferendum auxilium a Romanis acciti.

Germanus episcopus Antissiodori virtutibus et vitæ districtione clarescit.

XI. Aetius in gratiam receptus.

Rugila rex Chunnorum, cum quo pax firmata, moritur, cui Bleda succedit.

XII. Gallia ulterior Tibatonem principem rebellionis secuta, a Romana societate discedit, a quo tracto initio, omnia pene Galliarum servitia in Bagaudam conspiravere.

XIII. Bellum contra Burgundiorum gentem memorabile exarsit, quo universa pene gens cum rege [e] Peretio deleta.

XIV. Capto Tibatone, et cæteris seditionis partim principibus vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquiescit.

XV. Theodosianus liber, omnium legum legitimorum principum in unum collatarum, hoc primum anno editus.

Silvius turbatæ admodum mentis, post militiæ in palatio [f] exacta munera, aliqua de religione conscripsit.

XVI. Ecclesiæ Romanæ XL Leo suscepit principatum.

XVII. Pacatis motibus Galliarum, Aetius ad Italiam regreditur.

Deserta Valentinæ urbis rura Alanis, quibus Sambida præerat, partienda traduntur.

XVIII. Britanniæ usque ad hoc tempus variis cladibus, eventibusque laceratæ, in ditionem Saxonum rediguntur.

XIX. Alani, quibus terræ Galliæ ulterioris cum incolis dividendæ a patritio Aetio traditæ fuerant, resistentes armis subigunt, et expulsis dominis terræ, possessionem vi adipiscuntur.

XX. Sabaudia Burgundionum reliquiis datur, cum indigenis dividenda.

XXI. Carthago a Wandalis capta cum omni simul Africa lacrymabili clade et damno imperii Romani potentiam dejecit. Ex hoc quippe a Wandalis possidetur.

XXII. Thracia Hunnorum incursione concutitur.

XXIII. Bleda Chunnorum rex Attilæ fratris fraude percutitur. Cui ipse succedit.

XXIV. Nova iterum Orienti consurgit ruina, qua septuaginta non minus civitates Chunnorum deprædatione vastatæ, cum nulla ab Occidentalibus ferrentur auxilia.

XXV. Meroveus regnat in Francia.

Eudoxius arte medicus, pravi sed exercitati ingenii, in Bagauda id temporis mota delatus, ad Chunnos confugit.

XXVI. Eucherius Lugdunensis episcopus, et [g] Hilarius Arelatensis egregiam vitam morte consummant.

XXVII. Hæresis nefaria a quodam archimandrita commota, cui favorem præbens Theodosius obiit, septem super viginti annis in imperio exactis. Cui Martianus substituitur.

Placidia quoque post irreprehensibilem [h] conversationem hoc anno vitam explevit, filio vicesimum quintum annum [i] in imperio consummante.

*Valentinianus et Martianus.*

I. Hac tempestate valde miserabilis reipublicæ status apparuit, cum ne una quidem sit absque barbaro cultore provincia; et infanda Arianorum hæresis, quæ se nationibus barbaris miscuit, catholicæ nomen fidei, [j] toto orbe diffusa, præsumat.

Attila Gallias ingressus, quasi jure debitam poscit uxorem; ubi gravi clade inflicta et accepta, ad propria recedit.

II. Plurima hoc anno signa apparuerunt.

[k] In sperata in Galliis clade accepta, furiatus Attila Italiam petit, quam incolæ metu solo territi præsidio nudavere.

III. Synodus Chalcedonensis, ubi Eutyche Dioscoroque damnatis, omnes qui se ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata universaliter fide, quæ de incarnatione Verbi, secundum evangelicam et apostolicam doctrinam per sanctum papam Leonem prædicabatur.

Attila in sedibus suis mortuo, magna primum inter filios ipsius certamina de obtinendo regno exorta, deinde aliquot gentium, quæ Hunnis parebant, defectus secuti, causas et occasiones bellis dederunt, quibus ferocissimi populi mutuis incursibus contererentur.

IV. Inter Valentinianum Augustum et Aetium patricium, post promissæ invicem fidei sacramenta, post pactum de conjunctione filiorum, diræ inimicitiæ convaluerunt : et unde fuit gratia charitatis augenda, inde exarsit fomes odiorum; incentore, ut creditum est, Heraclio spadone, qui ita sibi imperatoris animum in sincero famulatu astrinxerat, ut eum facile in quæ vellet impelleret. Cum ergo Aetius placita instantius repetit, et causam filii [l] communis agit, imperatoris manu et circumstantium gladiis crudeliter confectus est, Boetio præfecto prætorii simul perempto, qui ei multa amicitia [m] copulatus erat.

V. Mortem Aetii mors Valentiniani non longo post tempore consecuta est, tam imprudenter non declinata, ut interfecti Aetii amicos armigerosque ejus sibimet sociaret. Qui concepti facinoris opportunitatem dissimulanter aucupantes, egressum extra Urbem principem, et ludo gestationis intentum inopinatis ictibus confoderunt, Heraclio simul, ut erat proximus, interempto, et nullo ex multitudine regia ad ultionem tanti sceleris accenso.

Ut autem hoc parricidium perpetratum est, Maximus vir gemini consulatus et patriciæ dignitatis sumpsit imperium. Qui cum periclitanti reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non sero documento quid animi haberet probavit : sic quidem, ut

[a] Ms. Victor., *deleri intendit.*

[b] Mss. Vict. et Jol. hic et aliis in locis, *Bonifacium.* Iidemque postea, *conscendit.*

[c] Ms. Jol. et Bibl. Labb., *percussus.*

[d] Ita mss. Vict. et Jol. Editi, *revertitur.*

[e] Biblioth. ms. Labbei, *per Ætium.*

[f] Ms. Jol., *exactæ munera.* Sic et Labb. in Bibl. mss.

[g] Vox hæc, *Hilarius*, desideratur in edit. Pithœana.

[h] Ms. Jol., *conversionem.*

[i] Edit. Pith., *in ipso.*

[j] Ms. Jol., *toto orbe diffusæ.* Idem notatur a Labb. in margine Bibl. mss.

[k] Editio Pithœana, *Insperata Galliis.*

[l] Ms. Jol., *cominus agit.* Labbeus in marg. Bibl. ms., *cominus*, alias, *commotius.*

[m] Ms. Vict., *copulatus fuerat.*

Digitized by Google

interfectores Valentiniani non solum [a] non plecteret, A sed etiam in amicitiam reciperet, uxoremque ejus Augusti amissionem viri lugere prohibitam, intra paucissimos dies in conjugium suum transire cogeret. Sed hac incontinentia non diu potitus est. Nam post alterum mensem, nuntiato ex Africa Genserici regis adventu, multisque nobilibus ac popularibus ex urbe fugientibus, cum ipse quoque, data cunctis abeundi licentia, trepide vellet abscedere, a famulis reginæ dilaniatus et membratim dejectus in Tiberim, sepultura quoque caruit.

Post hunc Maximi exitum, confestim secuta est multis digna lacrymis [b] Romana captivitas, et Urbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra portas sancto Leone episcopo : cujus supplicatio ita eum, Deo agente, lenivit, ut cum omnia in potestate ipsius essent, tradita sibi civitate, ab igne tamen et cæde atque suppliciis abstineret. Per quatuordecim igitur dies secura et libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est; multaque millia captivorum, [c] prout quique aut ætate, aut arte, placuerunt, cum regina et filiabus ejus Carthaginem [d] abducta sunt [e].

[a] Abest ab edit. Pithœana particula *non*, sed errore manifesto.

[b] Ms. Victor. et edit. Pith., *Romana captivitas*. Jol. ms., *Romæ captivitas*.

[c] Hæc verba, *prout quique aut ætate, aut arte placuerunt*, non leguntur in ms. Victorino.

[d] Ms. Victor., *abducti sunt*.

[e] In ms. Joliensi in fine hujus operis subjungitur, sive ab ipso auctore, sive a scriba amanuensi, rubro charactere : *Hucusque Prosperi Chronographia, in qua Dominicæ Incarnationis annos non annotavimus, quia in subsequenti Chronographia, eadem pene, et eo amplius, quæ a Prospero, a Sigeberto monacho sub annis Domini recitantur a* CCCLXXXI *Dominicæ Incarnationis incœpta, quo Jeronymus presbyter Chronicorum suorum finem fecerat*. In utroque vero manuscripto, Joliensi et Victorino, sequitur Chronicon Sigeberti, monachi Gemblacensis.

# SYLLABUS CODICUM

## TAM EDITORUM QUAM MANUSCRIPTORUM.

## Ad quos de novo recognita et emendata fuerunt Opera sancti Prosperi Aquitani, tam certa quam dubia, aut eidem hactenus supposita.

*Epistola S. Prosperi ad S. Augustinum de reliquiis Pelagianæ hæreseos in Gallia subolescentibus, deque hujusmodi hominum querelis adversus prædestinationis et gratiæ doctrinam, Augustini opusculis, præsertim libro de Correptione et Gratia explicatam.*

Recognita et emendata est hac nova editione ad editiones Lov. seu Lovan., id est, Lovaniensem anni 1565, opera Joannis Sotelli Lovaniensis procuratam; — Duac., id est, Duacensem, curis Joannis Olivarii auctam et castigatam anno 1577; — Col. seu Colon., id est, Coloniensem, scilicet, Coloniæ Agrippinæ iterum excusam ad instar Duacensis editionis anno 1630.

Consuluimus etiam editionem Parisiensem Operum S. Augustini a RR. PP. Monachis ordinis sancti Benedicti e Congregatione S. Mauri, ab anno 1679 ad annum 1690 procuratam : ubi eadem epistola exhibetur, tam in tomo secundo quam in decimo.

Item mss. duos bibliothecæ regis Christianissimi, et alterum ms. bibliothecæ Colbertinæ.

*S. Prosperi Epistola ad Rufinum de Gratia et Libero Arbitrio.*

Emendata est ad editionem Ven. seu Venet., id est, Venetiis factam anno 1538, aliquot S. Prosperi opusculorum de gratia et libero arbitrio.

Item ad editionem Lugd. seu Lugdun., id est, Lugdunensem, omnium quæ integræ prodierunt Prosperi editionum antiquissimam, typis et cura Sebastiani Gryphii typographi Lugdunensis anno 1539.

Item ad editiones Lovaniensem, Duacensem, et Coloniensem, ac novissimam Operum S. Augustini, ubi hæc epistola legitur in appendice tomi decimi.

Item ad ms. codicem Remig., id est, Remigiano-Remensem, abbatiæ videlicet sancti Remigii apud Remos ordinis sancti Benedicti : unde ad nos pro sua humanitate variantes lectiones ejusdem misit unus ex piissimis et doctissimis hujusce cœnobii incolis.

Item ad ms. Jol. seu Joliens., id est, qui alias fuerat viri clarissimi et eruditissimi Claudii Joli præcentoris et canonici ecclesiæ metropolitanæ Parisiensis : postea vero ex ejus legato factus est venerabilis capituli ejusdem ecclesiæ : cujus a capite ad calcem legendi et conferendi facta nobis est copia per fide- B lissimum ipsiusmet bibliothecæ ecclesiæ Parisiensi custodem.

*S. Prosperi de Ingratis carmen cum præfatione ejusdem.*

Castigatum, quantum fieri potuit, ad supra recensitas editiones Lugdunensem, Lovaniensem, Duacensem et Coloniensem.

Ad eam quoque qua Parisiis anno 1646 idem Carmen prodiit in linguam Gallicanam, tam versibus quam oratione soluta translatum.

Insuper collatum est ad illud quod Lovanii exhibuit Martinus Steyaert doctor Lovaniensis cum notis miscellaneis, tomo tertio opusculorum suorum anno 1703 editorum.

*In obtrectatorem S. Augustini epigramma utrumque ac epitaphium Nestorianæ et Pelagianæ hæreseon.*

Ad eosdem libros recensuimus, ad quos supradictum Carmen de Ingratis.

C *S. Prosperi pro Augustino responsiones ad capitula objectionum Gallorum calumniantium.*

His castigandis, præter editiones Lugdunensem, Lovaniensem, Duacensem, et Coloniensem, ac editionem appendicis tomi decimi Operum S. Augustini novæ editionis, consuluimus ms. Regium unum, ms. Joliensem, et ms. Remigiano-Remensis variantes lectiones.

*S. Prosperi pro Augustini doctrina responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum.*

Emendavimus juxta editiones præcedenti articulo notatas. Tum etiam ad ms. Joliensem, ac ms. Remigiano-Remensis lectiones variantes.

*Pro Augustino responsiones ad excerpta quæ de Genuensi civitate sunt missa.*

Contulimus cum editione Veneta anni 1538, quorumdam S. Prosperi opusculorum, Lugdunensi, Lovaniensi, Duacensi, et Coloniensi supra dictis, ac ms. D Joliensi et Remigiano-Remensis ms. lectionibus.

*Præteritorum sedis apostolicæ episcoporum auctoritates de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio.*

Recensuimus juxta supradictas editiones Venetam

Digitized by Google

Lovaniensem, Duacensem, Coloniensem et Moguntinam anni 1524.

Item juxta appendicem tomi decimi Operum eorumdem S. Augustini novæ editionis. Ac novissimam Operum S. Leonis a Quesnellio emendatorum et illustratorum Parisiis anno 1675.

*De Gratia Dei et Libero Arbitrio liber contra Collatorem.*

Recensitus est ad editiones ejusdem libri Moguntinam anni 1524, Venetam anni 1538, Lugdunensem, Lovaniensem, Duacensem et Coloniensem Operum S. Prosperi.

Item ad editionem ejusdem libri in appendice tomi decimi Operum S. Augustini.

Subsidio fuerunt etiam ms. Joliensis per nos collatus, et ms. Remigiano-Remensis variantes ad nos transmissæ.

*Psalmorum a centesimo ad CL expositio.*

Emendata est, quatenus licuit, ex fide codicum Lugdunensis, Lovaniensis, Duacensis et Coloniensis.

Deficientibus nos manuscriptis, conjecturas aliquot in locis, ex ipso S. Augustini opere, quod præ oculis habuerat Auctor noster, exposuimus.

*Sententiarum ex operibus S. Augustini delibatarum liber unus.*

Exactus est ad editionem Coloniensem anni 1531, Lugdunensem, Lovaniensem, Duacensem et Coloniensem anni 1630. Præterea ad eumdem librum, ut jacet in appendice tomi decimi Operum S. Augustini novæ editionis.

Nec omisimus ms. Joliensem et ms. Remigiano-Remensis variantes lectiones.

*Ex sententiis S. Augustini Epigrammatum liber unus.*

A nobis collatus est cum editionibus Veneta quorumdam opusculorum S. Prosperi anni 1538. Omnium Operum ejusdem Lugdunensi, Lovaniensi, Duacensi, et Coloniensi anni 1630.

Consuluimus pariter ms. Regium unum; ms. Colbertinos tres: ms. Joliensem, et ms. Theodoricensis (sic notati Theodor. seu Theodoric.), id est, monasterii S. Theodorici prope Remos, lectiones variantes, hinc ad nos missas beneficio unius ex ejusdem cœnobii monachis, et cum editione Duacensi anni 1577, ab eodem collati.

*S. Prosperi Chronicum integrum, in duas partes distributum.*

Edidimus ex tomo primo Bibliothecæ novæ mss. R. P. Philippi Labbei Soc. Jesu. Collato cum eodem ut habetur in tomo VIII bibliothecæ SS. Patrum Lugdunensi anni 1677, ac editione Chronicorum Eusebii, Hieronymi et Prosperi ab illustrissimo Arnaldo Pontaco episcopo Vasatensi emendata et notis illustrata anno 1604.

Necnon cum mss. quinque bibliothecæ Colbertinæ: in quorum duobus, Chronicis Eusebii et Hieronymi subtexitur Chronicum verum S. Prosperi, quale edidimus in hoc opere; in tribus aliis annectitur iisdem Chronicum adulterinum, quod sub Pseudo-Chronici titulo damus in appendice.

*Confessio quæ dicitur Prosperi Aquitani.*

Edita est ex tomo VIII Bibliothecæ SS. Patrum Lugdunensis, collataque ad ms. Joliensem.

*Poema Conjugis ad Uxorem.*

Excusum est ut legitur in editionibus Veneta opusculorum quorumdam S. Prosperi anni 1538, Lugdunensi, Lovaniensi, Duacensi et Coloniensi, cum iisdemque mss. comparatum qui Epigrammata exhibent, quibus ante hac poema istud ubique annectebatur.

*De Providentia divina incerti auctoris carmen.*

Huic recensendo adjumentum præbuerunt, mss. deficientibus, editiones Lugdunensis, Lovaniensis, Duacensis et Coloniensis anni 1630.

*De Vocatione omnium Gentium ignoti auctoris libri duo.*

Emendati ope editionum Lovaniensis, Duacensis et Coloniensis Prosperi Operum, ac novæ editionis Operum S. Leonis papæ, quæ cura P. Quesnellii prodiit.

Additus est ms. Joliensis, non neglectis omnino variantibus lectionibus quas in margine apposuerunt editores Duacenses, et qui hos secuti sunt, atque Quesnellius in Leone, ex ms. Camberonensi et Thuaneo.

*Concilium Arausicanum II de Gratia et Libero Arbitrio.*

Collatum est cum editionibus Lovaniensi, Duacensi et Coloniensi, ac appendice tomi decimi novæ editionis Operum S. Augustini.

*Liber incerti auctoris de Promissionibus et Prædictionibus Dei.*

Emendati fuere juxta editiones Lugdunensem, Lovaniensem, Duacensem et Coloniensem Prosperi Operum, junctis variantibus lectionibus quas ad nos perhumaniter transmisit vir religiosissimus e cœnobio S. Remigii Remensis: quas ille excerpserat e ms. quem testatus est 800 annos excedere: cum scriptus videatur nono sæculo opera Leutberti et Adeloldi monachorum.

*Chronicum alterum, quod et Pseudochronicon nuncupatur.*

Exhibetur quale habetur in editione Pithœana tomo VIII bibliothecæ Patrum Lugdunensi 1677, et apud Labbeum tomo I Bibliothecæ novæ mss. p. 56 et sequentibus.

Nec neglexímus consulere ms. Victorinum, unde hauserat Pithœus, et ms. Joliensem.

Digitized by Google

ANNO DOMINI CCCCLX.

# IDATIUS*,

## EPISCOPUS AQUÆFLAVIENSIS.

(Ex Gallandii Bibl. Max. Vett. Patr. tom. X.)

# PROLEGOMENA.

Idatium Lemicæ provinciæ Gallæciæ urbe fuisse A natum, ex ipso erudimur auctore (*a*). Ejus ortum an. circiter 388 illigat Floresius (*b*), qui gesta Idatiana satis diligenter digessit in erudito opere, quod inscriptum *Espanna sagrada* quatuorque voluminibus distinctum, ann. 1744-1749, Madriti evulgavit. In Orientem profectus Idatius *adhuc infantulus*, ibidem inter alios præstantes viros doctorem maximum se vidisse testatur (*c*) ad annum tertium olympiadis 216, Christi 407. Legationem autem ad Aetium ducem pro Gallæcis suscepit jam episcopus (*d*) olympiadis 302 anno tertio, Christi 431, ut propterea fuerit ad hanc dignitatem evectus circa annum 427 aut 428. Et *in Lemicam* quidem *civitate summi præsul creatus officii* fuerit Idatius, ut ipsemet in procemio innuere videtur (*e*) : sed non ideo ex eo loco episcopus Lemicensis ille statuendus cum Sigeberto Gemblacensi (*f*) et Trithemio (*g*) aliisque recentioribus utrumque scriptorem secutis, Miræo, inquam (*h*), Vossio(*i*), Pagio (*j*), Ruinartio (*k*), Fabricio (*l*), cæteris. Nam ipse auctor olympiadis 310 anno secundo, Christi B 462, se *in Aquæflaviensi Ecclesia captum* a Gothis VII *kal. Augusti, ac tribus mensibus captivitatis expletis, mense Novembri rediisse ad Flavia* tradit (*m*). Hinc igitur Idatius ejusdem Ecclesiæ Aquæflaviensis episcopus fuisse jure intelligitur. Atque in hanc sententiam abiere Caveus (*n*), Floresius (*o*) et postremi Operum S. Leonis editores (*p*). His itaque positis, plane respuendum Basnagii commentum (*q*), inquientis de Idatii episcopatu dubitari apud eruditos, quia sedem suam non indicat ipse. Quibus addas velim, Idatii nostri episcopi meminisse sanctum Leonem sub finem epistolæ ad Turribium præsulem Asturicensem (*r*) : ex qua viri docti arguunt (*s*) non solum antistitem Turribio antiquiorem fuisse Idatium, qui propterea ad annum 445 Turribio se ipsum præponit (*t*), verum etiam magno in pretio fuisse habitum ad eodem Leone pontifice, qui nimirum dignum eum duxerit qui Turribio juniori episcopo efficaciorem utilioremque operam adjungeret, ut in Gallæciæ provincia synodus adversus Priscillianistas cogeretur. Hæc porro de præcipuis Idatii gestis. Quo autem anno posthac e vivis excesserit, haud est omnino exploratum. Anonymus auctor libelli *de XII Scriptoribus Ecclesiasticis* qui Isidoro et Ildefonso subjici solet (*u*) : *Decessit*, inquit, *sub Leone principe, ultima jam pene senectute; sicut etiam præfationis suæ demonstrat indicio*. Qua de re Cangii sententiam ex Fastis Idatianis desumptam in medium adducere libet. Sic autem ille (*v*) « Procedunt, ait, hi Fasti ad secundum usque Anthemii consulatum, id est, ad ea tempora quibus vixit Idatius, cum decessisse legatur Leone M. imperatore, in quæ cadit secundus Anthemii consulatus, qui est annus Christi vulgaris 468, quo etiam, vel certe sequenti, ejusdem Idatii Chronicon finitur. » Hactenus Cangius ; cui Floresius quam proxime accedit (*x*) ; at Pagius ex iis quæ scribit Idatius (*y*) de Aspare degradato ejusque filio occiso, cum ea contigerint anno 471, concludit, eadem hoc ipso anno vel forsan tardius auctori nuntiata, fuisse ab eo deinceps suo Chronico addita (*z*) ; adeoque ulterius eum vitam produxisse, secus atque alii existimarunt.

II. Ad Idatii Chronicon quod attinet, illud primum contexere statuerat auctor ab anno primo Theodosii, ad annum tertium Valentiniani Placidiæ reginæ filii, ut ex eodem intelligimus (*aa*) : quod postea fuisse ab eo perductum usque ad annum Leonis imperatoris octavum, sive ex ipso Idatio (*bb*), sive ab anonymo scriptore cujus modo meminimus, erudimur (*cc*).

(*a*) Idat. præfat. ad Chronic. infra.
(*b*) Flores. Espan. sagr. vol. IV, pag. 300.
(*c*) Idat. præfat. ad Chronic. infra.
(*d*) Id. in Chron. infra.
(*e*) Id. loc. cit. infra.
(*f*) Sigeb. Gembl. de Scriptor. Eccl. cap. 18.
(*g*) Trithem. de Scriptor. Eccl. cap. 140.
(*h*) Mir. Auctar. de Scriptor. Eccl. cap. 97.
(*i*) Voss. de Hist. Lat. lib. II, cap. 17, pag. 230, apud quem pag. 225, perperam dicitur in inscriptione, *Idacius Lemovicensis*.
(*j*) Pagi. ad ann. 431, § 61.
(*k*) Ruinart. ad Victor. Vitens. Hist. persecut. Vandal. part. II. cap. 2, pag. 413, edit. Paris. 1694.
(*l*) Fabric. Bibl. Eccl. ad incert. auct. libell. pag. 70, et Bibl. Med. Latin. tom. IV, pag. 79, edit. Hamb.
(*m*) Idat. Chron. infra.
(*n*) Cav. Hist. Litter. tom. I, pag. 438.
C (*o*) Flores. l. c. pag. 306.
(*p*) Ballerin. tom. II, pag. 1366, edit. Opp S. Leon.
(*q*) Basnag. ad Thes. Canis. tom. II, pag. 150, § 4.
(*r*) Leon. epist. 15, tom. I, pag. 711, edit. Ballerin.
(*s*) Ballerin. ad tom. I, edit. Leon. pag. 1475.
(*t*) Idat. Chron. infra.
(*u*) Anonym. de XII Script. Eccl. cap. 8, apud Fabric. Bibl. Eccl. pag. 69.
(*v*) Cang. præfat. ad Chronic. Pasch. §. 40 pag. 31.
(*x*) Flores. l. c. pag. 305.
(*y*) Idat. Chron. infra.
(*z*) Pagi. ad ann. 469, § 5, et ad ann. 470, § 2.
(*aa*) Idat. præfat. ad Chronic. infra.
(*bb*) Id. Chron. infra.
(*cc*) Anon. de XII Script. Eccl. cap 8.

* Peractis jam S. Prosperi operibus, cum aliquot tantum quaterniones complendo deessent volumini, Idatium et Marcellinum paucis annis suum prævertere ordinem voluimus, veniam peccati chronologici inde facile sperantes quod ex illorum Patrum opusculis non solum hic tomus ad justam mensuram coalesceret, sed etiam Prosperi Chronico nova, ut ita dicam, accederet appendix. EDIT.

Digitized by Google

Neque enim audiendus Sigebertus, qui præsulem nostrum hujusmodi opusculum perduxisse usque ad annum Christi 490 litteris tradidit (*a*), ut post Sirmondum (*b*) Vossius (*c*) et Pagius (*d*) observarunt. De hujus autem Idatiani Chronici pretio sic edisserit Sirmondus (*e*):

« Quanti merito, inquit, esse debeat hic libellus, tute, lector, statim agnosces. Intelliges enim, non solum ab hoc fonte hausta ea esse quæ de Gothorum, Suevorum aliarumque gentium rebus in Hispania Galliaque per ea tempora gestis, apud Isidorum et alios scriptores, non aliis ferme quam Chronici hujus verbis contexta leguntur; sed alia præterea tum ad sacram, tum ad civilem historiam plurima hic doceri; quæ ut cæteris omnibus intacta qui exstant, ipsi nos etiam, nisi ab Idatio prodita essent, ignorare cogeremur. » Et jure quidem hæc Sirmondus ad res quod pertinet: at de computo Idatiano secus censet Pagius (*f*); de quo etiam plura disserit Cointius (*g*), quem propterea consulere juverit.

III. Chronicon excipiunt Fasti consulares, de quibus Sirmondus (*h*): « Fastos consulares, inquit, quos Chronico adjecimus, Idatianos jam alibi nominavimus: non tam quod in codice Metensi quo usi sumus in Chronico edendo, eidem Chronico subjiciebantur, quam quod rerum et verborum in utroque opere affinitas et cognatio, epocharumque et temporum par observatio, eumdem utriusque auctorem fuisse satis ostendant, tametsi auctoris nomen nullum præferat inscriptio, quæ his verbis ibi concepta est, *Descriptio consulum ex quo primum ordinati sunt*. Etsi porro in exemplari nostro procedebant hi Fasti ad secundum usque Anthemii consulatum, hoc est, ad ea tempora in quibus Idatii Chronicon desinit, atque a primis orsi consulibus, omnia exinde ad eum usque annum paria consulum percensebant, nobis tamen, dum aliud consilium dies proferat, satius in præsens visum est, eam dumtaxat partem edi quæ et ab antiquariis minus fuerat depravata, et memorabilium rerum varietate atque fructu lectoribus acceptior jucundiorque fore videbatur. » Huc usque Sirmondus.

IV. « Quod vero, subdit Labbeus (*i*), summus ille vir usque ad obitum renuit, hoc ego plurimorum pulsatus precibus ac prope conviciis, publicare aggressus sum, integrosque Fastos Idatianos capite pedibusque truncos, lectoribus ex eodem nostro codice ms. representavi, additis ad oram utriusque columnæ annis ab Urbe condita ex Varroniana supputatione, et castigatis plerisque antiquariorum sive exscriptorum erroribus. Addidi quoque, sed diverso a cæteris charactere, omissos, interdum eorumdem antiquariorum potius quam Idatii culpa consules geminos, quia id a me postulare videbatur et argumenti ratio et lectorum major opportunitas. » Hæc ille. Quibus addit Baunius Sirmondianorum editor (*j*): « Ut autem a nobis iidem Fasti aliquanto etiam ornatiores exirent, præter illa quæ Labbeus omissa suppleverat, præterque adjectas ab ipso sive emendationes, sive variantes lectiones, alia insuper generis ejusdem non pauca ex Ciceronis libris aliisque veterum monumentis conquisita similiter ad utriusque columnæ oram ascripsimus, nec non breves aliquot animadversiones intexuimus, quibus aliqua Idatianæ descriptionis errata notaremus: præsertim cum id jam alii accurate præstiterint, atque inter cæteros Emmanuel Schelestratius et Antonius Pagi, a quibus haud pridem eruditæ de ea re tota dissertationes prodiere. » Hactenus cl. Baunius; cujus recensitam Idatii cum Chronici, tum Fastorum editionem Sirmondianam secuti sumus, aliquot in locis ad paginarum limbum pauculis nostris observationibus auctam.

V. Verum illud hic haud prætereundum, Floresium nimirum quem superius memoravimus, Idatium Fastorum auctorem non agnoscere (*k*), secus atque certatim censuere post Sirmondum eruditi viri quos inter cl. Cangius (*l*); qui præterea eosdem Fastos denuo contulit cum ipso codice quo usus est Labbeus, et quamplura ex eo emendavit quæ antea parum fida vel accurata manu fuerant descripta: quam quidem Fastorum editionem sic restitutam inter *selecta quædam ad illustrationem Chronici Paschalis* evulgavit (*m*). Nonnulla vero in iisdem Fastis Idatianis castigata reperias apud Dodwellum (*n*). Illud insuper monendum ducimus, laudatum Floresium ex codice ms. qui Joannis Marianæ fuit, cum Complutensi ac Toletano collato, in lucem emisisse Idatii Chronicon minus, hactenus ineditum (*o*).

VI. At vero hic demum operæ pretium fuerit Sirmondi observationem in medium proferre *de Numerorum notis quæ Chronici et Fastorum marginibus affixæ sunt*. Sic igitur ille (*p*): « In Chronico Idatii, ait, præter olympiadas et singulorum imperatorum annos qui ordine digeruntur, duo præcipue numeri annotantur. Unus major cujus initium ducitur ab Abrahamo, hoc est ab exordio Chronici Eusebiani. Nam cum Eusebii Chronicon continuaret Idatius, consequens erat ut illius etiam epochas sectaretur. Hic igitur prior numerus est Eusebianus. Alter est æræ Hispanicæ, quam in Fastis quoque ut Hispanis usitatam et familiarem adjecit. Hæc vero Christi natalem 38 annis tantum antecedit, cum numerus Eusebianus præcedat annis 2015. Quare, si assignata æra, Christi annum indagari placet, deducendi ab æra sunt anni 38. Verbi gratia, barbarorum in Hispanias ingressum in Chronico (*q*) et in Fastis (*r*) contigisse notat æra 447; deduc annos 38, reliqui fiunt 409. Is ergo Christi annus fuit, cum barbari in Hispanias penetrarunt. Quod sane confirmant reliqui etiam characteres qui una ibidem comparantur. Olympias enim 297, et consules Honorius VIII, et Theodosius III, et feria tertia IV kal. Octobris, omnia congruunt anno Christi 409. Rursus prodigia quædam in Gallæcia VI nonas Martias visa, eamque feriam sextam fuisse narrat in Chronico (*s*), æra quingentesima. Si de quingentis tollantur 38, restant 462. Annus ergo Christi fuit 462, in quem et feria item illa quadrat, et Severi Augusti qui Majoriano successit, annus secundus cui hæc ascripta sunt. Atque in hunc modum ratiocinari in cæteris licebit, nisi si quando numeri suis locis antiquariorum culpa moti, scrutantium industriam et conatum eludent. » Hæc ille. Cæterum de æræ Hispanicæ ratione et origine Joannem Marianam consulere præstat (*t*). Sed manum de tabula.

(*a*) Sigeb. Chronic. ad ann. 490.
(*b*) Sirmond. præfat. ad Idat. in Vet. Testim.
(*c*) Voss. l. c. pag. 230.
(*d*) Pagi. ad ann. 469, § 6.
(*e*) Sirmond. l. c.
(*f*) Pagi. ad ann. 463, § 6.
(*g*) Coint. Annal. Eccl. Francor. ad ann. 468, § 1, tom. I, pag. 103.
(*h*) Sirmond. præfat. ad Idat.
(*i*) Labb. Syllab. Scriptor. tom. I Nov. Biblioth. mss. libror. pag. 2.
(*j*) Baun. præfat. ad tom. II Opp. Sirmond., § 2.
(*k*) Flores. l. c. pag. 434.
(*l*) Cang. præfat. ad Chron. Pasch. § 40, pag. 31.
(*m*) Id. ad Chron. Pasch. § 12, pag. 344 seqq.
(*n*) Dodw. ad Opp. post. Pears. in Dissert. singul. cap. 7, § 10, pag. 101 seq.
(*o*) Flores. l. c. pag. 403.
(*p*) Sirmond. præfat. ad Idat.
(*q*) Idat. Chron. infra.
(*r*) Id. Fast. infra.
(*s*) Id. Chron. infra.
(*t*) Marian. Hist. de Reb. Hisp. lib. III, cap. 23, tom. I, pag. 101 seqq. edit. Hagæ-Comit. 1733.

Digitized by Google

# IDATII
EPISCOPI
# CHRONICON.

## Praefatio.

**Idatius servus Domini nostri Jesu Christi universis fidelibus in Domino Jesu Christo, et servientibus ei in veritate salutem.**

Probatissimorum in omnibus virorum studia, quos A præcipue in fide catholica et conversatione perfecta testes veritatis divini cultus docet assertio, ut ornantur decore dictorum, ita et commendantur honore meritorum, ut miram in omni opere suo obtineant firmitatem. Verum Idatius provinciæ Gallæciæ natus in Lemica civitate, mage divino munere, quam proprio merito, summi præsul creatus officii, ut extremus plagæ, ita extremus et vitæ, perexiguum informatus studio sæculari, multo minus docilis sanctæ lectionis volumine salutari; sanctorum eruditissimorum Patrum in præcedenti opere suo, pro capacitate proprii sensus aut verbi, ostensum ab his secutus exemplar. Quorum primus Eusebius Cæsariensis episcopus, qui ecclesiasticas sui numeri libris scripsit historias, ab initio Nini regnantis Assyriis, B et sancti Abrahæ patriarchæ Hebræis, et reliquorum contemporales his annos regum, in vicesimum Constantini augusti quo imperabat annum, Græci sermonis chronographiæ concludit historia. Post hunc successor syngrapheus perfectus universis factorum dictorumque monimentis, Hieronymus presbyter, idem Eusebius cognomento, de Græco in Latinum scripturæ hujus interpres, a vicesimo anno supra dicti imperatoris in quartum decimum Valentis augusti annum subditam texit historiam. Esto ut in sanctis quibus deguit Hierosolymorum locis, a memorato Valentis anno in tempus quo in præsenti vita duravit, forte quamplurima de his quæ sunt insecuta subjecerit: quia haud umquam, dum valuit, a diverso styli opere cessavit. Quem quodam C tempore propriæ peregrinationis in supra dictis regionibus adhuc infantulus vidisse me certus sum. Qui post aliquot annos beato ut erat mansit in corpore. Si tunc proprio operi quod subdidit aliqua subjunxerit, apud eos ad quos scriptorum ejus omne opus vel summa pervenit, certa et plena cognitio est. Sed quoniam in cujusdam studii sui scriptura dixisse eum constat, debacchantibus jam in Romano solo barbaris, omnia haberi permixta atque confusa, opinamur ex hujus indicio sermonis, in hoc per se annorum volumine subdito de successione temporum ab ipso nihil adjectum. Tamen quia ad nostri temporis cursum, ut superior lectio docet, descriptio defluxit annorum, cum membrana hujus historiæ curam contigisset expertis, mentem monuit imperiti, ut de cognitis, etsi in omnibus impari gressu, vel vestigiis se substerneret præcessorum. Quæ fideli suscipiens cordis intuitu, partim ex studio scriptorum, partim ex certo aliquantorum relatu, partim ex cognitione quam jam lacrymabile propriæ vitæ tempus ostendit, quæ subsequuntur adjecimus. Quorum continentiam gestorum et temporum, qui legis ita discernes: Ab anno primo Theodosii augusti in annum tertium Valentiniani augusti, Placidiæ reginæ filii, ex supra dicto a nobis conscripta sunt studio, vel ex scriptorum stylo, vel ex relationibus indicantum. Exin immerito allectus ad episcopatus officium, non ignarus omnium miserabilis temporis ærumnarum, et conclusi in angustias imperii Romani metas subdidimus ruituras, et quod est luctuosius, intra extremam universi orbis Gallæciam deformem ecclesiastici ordinis statum, creationibus indiscretis honestæ libertatis interitum, et universæ propemodum in divina disciplina religionis occasum ex furentium dominantem permixta iniquarum perturbatione nationum. Hæc jam quidem inserta: sed posteris in temporibus quibus offenderint, reliquimus consummanda.

## CHRONICON.

Romanorum XXXIX, Theodosius per Gratianum in consortium regni assumptus, cum ipso, et Valentiniano juniore regnat annis XVII.

I. Theodosius natione Hispanus, de provincia Gallæcia, civitate Cauca, a Gratiano augustus appellatur.

Inter Romanos et Gothos multa certamina conseruntur.

II. Theodosius Constantinopolim ingreditur in primo consulatu suo, quem cum Gratiano agebat augusto.

Alexandriæ XXI habetur episcopus Theophilus vir eruditissimus, insignis qui a primo consulatu Theodosii augusti Laterculum per centum annos digestum de paschæ observatione conscripsit.

III. (*Olymp.* CCXC.) Athanaricus, rex Gothorum, apud Constantinopolim decimo quinto die ex quo a Theodosio fuerat susceptus, interiit.



Digitized by Google

IV. (*Ær. Hisp.* CDXC.) Gothi infida Romanis pace A se tradunt.

Ambrosius in Italia Mediolani episcopus, Martinus in Galliis Turonis episcopus, et vitæ meritis et patratis miraculis virtutum habentur insignes.

V. Theodosius Arcadium filium suum augustum appellans, regni facit sibi esse consortem.

VI. (*Eus.* MMCD.) Honorius nascitur filius Theodosii.

Legati Persarum ad Theodosium Constantinopolim veniunt.

VII. (*Olymp.* CCXCI.) Greothingorum gens a Theodosio superatur.

Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum, per episcopos quos sibi in eadem pravitate collegerat, Abulæ episcopus ordinatur : qui aliquot B episcoporum conciliis auditus, Italiam petit et Romam. Ubi ne ad conspectum quidem sanctorum episcoporum Damasi et Ambrosii receptus, cum his cum quibus iverat, redit ad Gallias. Inibi similiter a sancto Martino episcopo, et ab aliis episcopis hæreticus judicatus, appellat ad Cæsarem quia in Galliis his [*Ms.* hisdem] diebus potestatem tyrannus Maximus obtinebat imperii.

VIII. Arcadii quinquennalia celebrantur.

Romanæ Ecclesiæ XXXVI habetur episcopus SIRICIUS.

IX. Priscillianus propter supra dictam hæresem ab episcopatu depulsus, et cum ipso Latronianus laicus, aliquantique sectatores ejus apud Trevirim sub tyranno Maximo cæduntur. Exin in Gallæciam C Priscillianistarum hæresis invasit.

X. Maximus tyrannus occiditur per Theodosium tertio lapide ab Aquileia quinto kalendas Augustas : et eodem tempore vel ipso anno in Galliis per Arbogastem [ *Ms.* Arvagastem ] comitem filius Maximi nomine Victor exstinctus est.

Cynegius Theodosii præfectus habetur illustris, qui factis insignibus præditus et usque ad Ægyptum penetrans gentium simulacra subvertit.

XI. (*Olymp.* CCXCII.) Theodosius cum Honorio filio suo Romam ingressus est.

XII.

XIII.

XIV. Valentinianus junior apud Viennam scelere comitis Arbogasti [*Ms.* Arvagasti] occiditur, et Eu- D genius tyrannus efficitur.

XV. (*Olymp.* CCXCIII. *Ær. Hisp.* CDXXX.)

XVI. (*Eus.* MMCDX.) Eugenius a Theodosio augusto superatus occiditur.

XVII. Theodosius invaletudine hydropis apud Mediolanum defunctus est anno regni sui XVII. Et iste annus, qui Theodosii XVII ipse Arcadii et Honorii in initio regni eorum primus est : quod ideo indicatur ne olympiadem quinque annorum turbet adjectio, in hoc loco tantum propter regnantum inserta [a] principium.

Romanorum XL, ARCADIUS et HONORIUS Theodosii filii defuncto patre regnant annis XXX.

I.

II. (*Olymp.* CCXCIV.)

III. [*Romanæ Ecclesiæ XXXVII habetur episcopus* ANASTASIUS.]

IV.

V. In provincia Carthaginiensi in civitate Toleto synodus episcoporum contrahitur, in qua quod gestis continetur, Symphosius et Dictinius, et alii cum his Gallæciæ provinciæ episcopi, Priscilliani sectatores hæresem ejus blasphemissimam cum assertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant. Statuuntur quædam etiam observanda de Ecclesiæ disciplina, communicante in eodem concilio Ortigio episcopo qui Cælenis fuerat ordinatus, sed agentibus Priscillianistis pro fide catholica pulsus factionibus exsulabat.

VI. (*Olymp.* CCXCV.)

VII.

VIII. Solis facta defectio tertio idus Novembris feria secunda.

Romanæ Ecclesiæ XXXVIII [*Ms.* XXXVII] habetur episcopus INNOCENTIUS.

IX. (*Eus.* MMCCCCXX.) Theodosius Arcadii filius nascitur.

X. (*Olymp.* CCXCVI.) Constantinopoli Joannes episcopus prædicatur insignis, qui ob fidem catholicam Eudoxiam Arcadii uxorem infestissimam patitur Arianam.

XI.

XII. Hierosolymis Joannes, Cæsarea Eulogius, Cypro Epiphanius, Alexandria Theophilus qui supra, episcopi habentur insignes.

Hieronymus presbyterio præditus, in Bethleem Judæ vicina consistens, præcipuus habetur in cunctis.

XIII. Post supra scriptos sane Arianos, qui Hierosolymis ante Joannem episcopi fuerint, Idatius qui hæc scribit, scire non potuit. Hunc vero sanctum cum sanctis Eulogio, Theophilo et Hieronymo vidit, et infantulus et pupillus.

XIV. (*Olymp.* CCXCVII.)

XV. Alani, et Wandali, et Suevi Hispanias ingressi æra CCCCXLVII, alii quarto kalendas, alii tertio idus Octobris memorant die, tertia feria, Honorio VIII et Theodosio Arcadii filio III consulibus.

Alaricus, rex Gothorum, Romam ingressus, cum intra et extra urbem cædes agerentur, omnibus indultum est qui ad sanctorum limina confugerunt.

Placidia Theodosii filia, Honorii imperatoris soror, a Gothis in urbe capta.

Alaricus moritur, cui Ataulfus succedit in regno.

Barbari qui in Hispanias ingressi fuerant, cæde deprædantur hostili. Pestilentia suas partes non segnius operatur.

XVI. Debacchantibus per Hispanias barbaris, et sæviente nihilominus pestilentiæ malo, opes et con-

[a] *Principium*. Cangius in præfatione ad Chronicon paschale pag. 29, § 27, legit item *principium* ex cod. ms., non *principum*, ut est in edit.

Digitized by Google

ditam in urbibus substantiam tyrannicus exactor diripit, et miles exhaurit [*Ms.* milites] : fames dira grassatur, adeo ut humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint devoratæ : matres quoque necatis vel coctis per se natorum suorum sint pastæ corporibus. Bestiæ occisorum gladio, fame, pestilentia, cadaveribus assuetæ, quosque hominum fortiores interimunt, eorumque carnibus pastæ passim in humani generis efferantur interitum. Et ita quatuor plagis ferri, famis, pestilentiæ, bestiarum, ubique in toto orbe sævientibus, prædictæ a Domino per prophetas suos annuntiationes implentur.

XVII. Subversis memorata plagarum grassatione Hispaniæ provinciis, barbari ad pacem ineundam, Domino miserante conversi, sorte ad inhabitandum sibi provinciarum dividunt regiones. Gallæciam Wandali occupant et Suevi, sitam in extremitate Oceani maris occidua. Alani Lusitaniam et Carthaginiensem provincias, et Wandali cognomine Silingi Bæticam sortiuntur. Hispani per civitates et castella residui a plagis, barbarorum per provincias dominantium se subjiciunt servituti.

Constantinus post triennium invasæ tyrannidis ab Honorio duce Constantio intra Gallias occiditur.

XVIII. (*Olymp.* CCXCVIII.) Jovinus et Sebastianus fratres intra Galliam, et in Africa Heraclianus pari tyrannidis inflantur insania.

Augustinus Hipponeregiensis episcopus habetur insignis, inter cujus studia magnifica, Donatistas ab eo Dei adjutorio superatos, probata fides demonstrat auctorum.

XIX. (*Eus.* MMCCCCXXX.) Jovinus et Sebastianus oppressi ab Honorii ducibus Narbona interfecti sunt.

Gothi Narbonam ingressi vindemiæ tempore.

Heraclianus movens exercitum de Africa adversus Honorium, Utriculo in Italia in conflictu superatus effugit in Africam, cæsis in loco supra dicto L millibus armatorum. Ipse post Carthagine in æde Memoriæ per Honorium percussoribus missis occiditur.

XX. Ataulfus apud Narbonam Placidiam duxit uxorem, in quo prophetia Danielis putatur impleta, qui ait filiam regis Austri sociandam regi Aquilonis, nullo tamen ejus ex ea semine subsistente.

XXI. Hierosolymis Joanne quo supra episcopo præsidente, sanctus et primus [*Ms.*, præsidente sancto et primus] post Christum Dominum martyr Stephanus revelatur.

Hieronymus, qui supra præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritissimus Hebræorum, in lege Domini, quod scriptum est, diurna nocturnaque meditatione continuus, studia operis sui reliquit innumera. Ad ultimum Pelagianorum [*Ms.*, Pelagiani] sectam cum ejusdem auctore adamantino veritatis malleo contrivit. Adversum hos et adversum alios hæreticos exstant ejus probatissima monimenta.

XXII. (*Olymp.* CCXCIX.) Ataulfus a patricio Constantio pulsatus, ut relicta Narbona Hispanias peteret, per quemdam Gothum apud Barcinonam [*Ms.* Barcelonam] inter familiares fabulas jugulatur. Cui succedens Wallia in regno, cum patricio Constantio pace mox facta, Alanis et Wandalis Silingis, in Lusitania et Bætica sedentibus adversatur.

Alexandrinæ Ecclesiæ post Theophilum quis præsederit, ignoravi hæc scribens.

Constantius Placidiam accepit uxorem.

(*Fredibalum, regem gentis Wandalorum, sine ullo certamine ingeniose captum ad imperatorem Honorium destinat.*)

XXIII. Wallia, rex Gothorum, Romani nominis causa intra Hispanias cædes magnas efficit barbarorum.

XXIV. Solis facta defectio die decimo quarto kal. Augusti, qui fuit quinta feria.

Romanæ Ecclesiæ XXXIX præsidet episcopus Zosimus [*Ms.*, Eulalius].

Durante episcopo quo supra, gravissimo terræmotu sancta in Hierosolymis loca quassantur et cætera, de quibus in gestis ejusdem episcopi scripta declarant.

Wandali Silingi in Bætica per Walliam regem omnes exstincti.

Alani qui Wandalis et Suevis potentabantur, adeo cæsi sunt a Gothis, ut exstincto Atace [Addace] rege ipsorum, pauci qui superfuerant, abolito regni nomine, Gunderici, regis Wandalorum, qui in Gallæcia resederat, se patrocinio subjugarent.

Gothi intermisso certamine quod agebant, per Constantium ad Gallias revocati, sedes in Aquitanica a Tolosa usque ad Oceanum acceperunt.

Wallia eorum rege defuncto, Theodoricus succedit in regno.

XXV. Inter Gundericum Vandalorum, et Hermericum Suevorum reges certamine orto, Suevi in Nervasi [*Ms.*, Nerbasis] montibus obsidentur a Wandalis.

Valentinianus Constantii et Placidiæ filius nascitur.

In Gallicana regione, in civitate Biterris, multa signa effecta terrifica, Paulini episcopi ejusdem civitatis epistola enarrat ubique directa.

XXVI. (*Olymp.* CCC.) Wandali Suevorum obsidione dimissa, instante Asterio Hispaniarum comite, sub vicario Maurocello, aliquantis Bracaræ in exitu suo occisis, relicta Gallæcia ad Bæticam transierunt.

[*Romanæ Ecclesiæ XL præsidet episcopus* Bonifacius.]

Honorius apud Ravennam Constantium consortem sibi facit in regno.

XXVII. Constantius, imperator Ravennæ, moritur in suo tertio consulatu.

XXVIII. Castinus magister militum cum magna manu et auxiliis Gothorum, bellum in Bætica Wandalis infert: quos cum ad inopiam vi obsidionis arctaret, adeo ut se tradere jam pararent, inconsulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus ad Tarraconam [*Ms.*, Terraconam] victus effugit.

Bonifacius palatium deserens Africam invadit.

XXIX. (*Eus.* MMCCCCXL.)

Digitized by Google

XXX. (*Olymp.* CCCI.) Honorius actis tricennalibus suis Ravennæ obiit.

Paulinus nobilissimus et eloquentissimus, dudum conversione ad Deum nobilior factus, vir apostolicus, Nola Campaniæ episcopus habetur insignis : cui Therasia de conjuge facta soror, testimonio vitæ beatæ æquatur et merito. Exstant operis ipsius egregii studia prædicanda.

Romanorum XLI, THEODOSIUS Arcadii filius, ante aliquot annos regnans in partibus Orientis defuncto patre, post obitum Honorii patrui, monarchiam tenet imperii, cum esset annorum viginti sex.

Joannes arripit tyrannidem.

I. Theodosius Valentinianum, amitæ suæ Placidiæ filium, Constantinopoli Cæsarem facit, et contra Joannem mittit: sub quo a ducibus qui cum eo per Theodosium missi fuerant, apud Ravennam primo anno invasæ tyrannidis occiditur, et Felix patricius ordinatur ex magistro militum [*Ms.*, et magister militum].

Valentinianus qui erat Cæsar, Romæ Augustus appellatur.

Wandali Balearicas insulas deprædantur : deinde Carthagine Spartaria, et Hispali eversa et Hispaniis deprædatis, Mauritaniam invadunt.

II. Romanæ Ecclesiæ XLI [*Ms.* XL] præsidet episcopus CŒLESTINUS.

III.

IV. (*Olymp.* CCCII.) Gundericus, rex Wandalorum, capta Hispali, cum impie elatus manus in ecclesiam civitatis ipsius extendisset, mox Dei judicio dæmone correptus interiit. Cui Gaisericus frater succedit in regno. Qui ut aliquorum relatio habet, effectus apostata de fide catholica in Arianam dictus est transisse perfidiam.

V. Gaisericus, rex de Bæticæ provinciæ littore, cum Wandalis omnibus, eorumque familiis, mense Maio ad Mauritaniam, et Africam relictis transit Hispaniis. Qui prius quam pertransiret, admonitus Hermigarium Suevum vicinas in transitu suo provincias deprædari, recursu cum aliquantis suis facto, prædantem in Lusitania consequitur. Qui haud procul de Emerita, quam cum sanctæ martyris Eulaliæ injuria spreverat multis per Gaisericum cæsis, ex his quos secum habebat, arrepto, ut putavit, Euro velocius fugæ subsidio, in flumine Ana divino brachio præcipitatus interiit. Quo ita exstincto, mox quo cœperat Gaisericus enavigavit.

IV. Suevi sub Hermerico rege medias partes Gallæciæ deprædantes, per plebem quæ castella tutiora retinebat, acta suorum partim cæde, partim captivitate, pacem quam ruperant, familiarum quæ tenebantur, redhibitione restaurant.

Per Aetium comitem haud procul de Arelate quædam Gothorum manus exstinguitur, Anaolfo optimate eorum capto. Juthungi per eum similiter debellantur et Nori.

Felix qui dicebatur Patricius Ravennæ tumultu occiditur militari.

VII. Aetius, dux utriusque militiæ, Noros edomat rebellantes. Rursum Suevi initam cum Gallæcis pacem libata sibi occasione conturbant. Ob quorum deprædationem Idatius episcopus ad Aetium ducem qui expeditionem agebat in Galliis, suscipit legationem. Vetto, qui de Gothis dolose ad Gallæciam venerat, sine aliquo effectu redit ad Gothos.

VIII. (*Olymp.* CCCIII.) Superatis per Aetium in certamine Francis et in pace susceptis, Censorius comes legatus mittitur ad Suevos, supra dicto secum Idatio redeunte.

Bonifacius in æmulationem Aetii de Africa per Placidiam evocatus in Italiam ad palatium redit. Qui depulso Aetio in locum ejus succedens, paucis post mensibus, inito adversum Aetium conflictu, de vulnere quo fuerat percussus interiit. Cui Sebastianus gener substitutus per Aetium de palatio superatus expellitur.

IX. (*Eus.* MMCCCCL.) Regresso Censorio ad palatium, Hermericus pacem cum Gallæcis quos prædabatur assidue, sub interventu episcopali datis sibi reformat obsidibus.

Symphosius episcopus per eum ad comitatum legatus missus, rebus in cassum frustratur arreptis.

In conventu Lucensi contra voluntatem Agrestii, Lucensis episcopi, Pastor et Syagrius episcopi ordinantur.

Aetius, dux utriusque militiæ, Patricius appellatur.

X. Sebastianus exsul et profugus effectus, navigat ad palatium Orientis.

Romanæ Ecclesiæ XLII [*Ms.* XLI] habetur episcopus XYSTUS.

XI. Hierosolymis Juvenalem episcopum præsidere, Germani presbyteri Arabicæ regionis exinde ad Gallæciam venientis, et aliorum Græcorum relatione comperimus, adjicientibus Constantinopolim eum cum aliis, et Palæstinæ provinciæ et Orientis episcopis evocatum, sub præsentia Theodosii augusti, contracto episcoporum interfuisse concilio ad destruendam Hebionitarum hæresim, quam Nestorius [*Ms.*, Atticus] ejusdem urbis episcopus pravo stultissimæ sectæ resuscitabat ingenio.

Quo vero tempore sancti Joannes, Hieronymus et alii quos supra diximus, obierint, vel quis Joanni ante Juvenalem successerit, sicut et fecisse cognitum est in brevi seniorem quemdam, referentum sermo non edidit.

XII. (*Olymp.* CCCIV.) Narbona obsideri cœpta per Gothos.

Burgundiones qui rebellaverant, a Romanis duce Aetio debellantur.

Uno eodemque tempore Alexandriæ Cyrillum episcopum præsidere, et Constantinopoli Nestorium hæreticum Hebionæum, Cyrilli ipsius ad eumdem epistola, et hæresim destruentis et regulam fidei exponentis ostendit. Hæc cum aliis habentur allata.

XIII. Narbona obsidione liberatur Aetio duce et magistro militum. Burgundionum cæsa viginti millia.

Digitized by Google

Rursus Censorius et Fretimundus legati mittuntur A ad Suevos.

XIV. Gothorum cæsa octo millia sub Aetio duce.

Suevi cum parte plebis Gallæciæ cui adversabantur, pacis jura confirmant.

Hermericus rex morbo oppressus Rechilam filium suum substituit in regnum: qui Andevotum cum sua quam habebat manu ad Singillionem Bæticæ fluvium aperto marte prostravit, magnis ejus auri et argenti opibus occupatis.

XV. Carthagine fraude decepta die decimo quarto kalen. Novembris omnem Africam rex Gaisericus invadit.

Bello Gothico sub Theodorico rege apud Tolosam, Litorius Romanus dux inconsultius cum auxiliari Hunorum manu irruens, cæsis his, ipse vulneratus ca- B pitur, et post dies paucos occiditur.

Inter Romanos et Gothos pax efficitur.

Gaisericus elatus impie, episcopum clerumque Carthaginis depellit ex ea, et juxta prophetiam Danielis, demutatis ministeriis sanctorum, ecclesias catholicas tradit [*Ms.*, tradidit] Arianis.

Rechila, rex Suevorum, Emeritam ingreditur.

XVI. (*Olymp.* CCCV.) Gaisericus, Siciliam deprædatus, Panormum diu obsedit: qui damnati a catholicis episcopis Maximini, apud Siciliam Arianorum ducis, adversum catholicos præcipitatur instinctu, ut eos quoquo pacto in impietatem cogeret Arianam: nonnullis declinantibus, aliquanti durantes in catholica fide consummavere martyrium.

Censorius comes qui legatus missus fuerat ad Sue- C vos, residens Mirtyli [Martyli], obsessus a Rechila in pace se tradidit.

XVII. Rex Suevorum, diuturno per annos septem morbo afflictus, moritur Hermericus.

Rex Rechila Hispali obtenta, Bæticam et Carthaginiensem provincias in suam redigit potestatem.

[*Romanæ Ecclesiæ XLIII præsidet episcopus* LEO.]

Sabino episcopo de Hispali factione depulso, in locum ejus Epiphanius ordinatur fraude, non jure.

Asturius, dux utriusque militiæ, ad Hispanias missus, Tarraconensium cædit multitudinem Bacaudarum.

XVIII. Cometæ sidus apparere incipit mense Decembri; quod per menses aliquot visum, subsequentis in pestilentia plagæ quæ fere in toto orbe diffusa D est, præmisit ostentum.

Constantinopolitanæ ecclesiæ depulso Nestorio præsidet episcopus Flavianus.

XIX. (*Eus.* MMCCCCLX.) Asturio magistro utriusque militiæ, gener ipsius successor ipsi mittitur; Merobaudis, natu nobilis et eloquentiæ merito, vel maxime in poematis studio veteribus comparandus, testimonio etiam provehitur statuarum. Brevi tempore potestatis suæ Aracellitanorum frangit insolentiam Bacaudarum. Mox nonnullorum invidia perurgente, ad urbem Romam sacra præceptione revocatur.

XX. (*Olymp.* CCCVI.) Sebastianus illic quo confugerat, deprehensus sibi adversa moliri, e Constantinopoli fugit admonitus, et ad Theodorem regem Gothorum veniens, conquæsitam sibi, qua potuit, Barcinonam hostis factus ingreditur.

XXI. In Asturicensi urbe Gallæciæ, quidam ante aliquot annos latentes Manichæi gestis episcopalibus deteguntur; quæ ab Idatio et Turibio episcopis qui eos audierant; ad Antoninum Emeritensem episcopum directa sunt.

Wandali navibus Turonio in littore Gallæciæ repente advecti, familias capiunt plurimorum.

Sebastianus de Barcilone fugatus migrat ad Wandalos.

Per episcopum Romæ tunc præsidentem gesta de Manichæis per provincias diriguntur.

XXII. Vitus magister utriusque militiæ factus, ad Hispanias missus, non exiguæ manus fultus auxilio, cum Carthaginienses vexaret et Bæticos, succedentibus cum rege suo illic Suevis, superatis etiam in congressione qui ei ad deprædandum in adjutorium venerant, Gothis, territus miserabili timore diffugit. Suevi exin illas provincias magna deprædatione subvertunt.

XXIII. Romanæ Ecclesiæ XLIII [*Ms.* XLII] præsidet episcopus Leo: hujus scripta per episcopi Turibii diaconem Pervincum contra Priscillianistas ad Hispanienses episcopos deferuntur. Inter quæ ad episcopum Turibium de observatione catholicæ fidei et de hæresum blasphemiis disputatio plena dirigitur, quæ ab aliquibus Gallæcis subdolo probatur arbitrio.

Solis facta defectio die nono kal. Januarias, qui fuit tertia feria.

XXIV. (*Olymp.* CCCVII.) Rechila, rex Suevorum, Emeritæ gentilis moritur mense Augusto: cui mox filius suus catholicus Rechiarius succedit in regnum, nonnullis quidem sibi de gente sua æmulis, sed latenter: obtento tamen regno, sine mora ulteriores regiones invadit ad prædam.

Pascentium quemdam urbis Romæ qui de Asturica diffugerat, Manichæum Antoninus episcopus Emeritæ comprehendit, auditumque etiam de provincia Lusitania facit expelli.

Per Agiulfum Hispali Censorius jugulatur.

XXV. Rechiarius accepta in conjugium Theodoris regis filia, auspicatus initium regni, Vasconias deprædatur mense Februario.

Basilius ob testimonium egregii ausus sui congregatis Bacaudis in ecclesia Tyriassone fœderatos occidit: ubi et Leo ejusdem ecclesiæ episcopus, ab eisdem qui cum Basilio aderant, in eo loco obiit vulneratus.

Rechiarius mense Julio ad Theodorem socerum profectus, Cæsaraugustanam regionem cum Basilio in reditu deprædatur. Irrupta per dolum Ilerdensi urbe, acta est non parva captivitas.

XXVI. Asturius vir illustris ad honorem provehitur consulatus.

Sebastianus exsul factus ad perniciosam sibi, sicut post exitus docuit, Gaiserici confugit potestatem:

Digitized by Google

parvo post tempore quam venerat per eum jubetur occidi.

De Galliis epistolæ deferuntur Flaviani episcopi ad Leonem episcopum missæ, cum scriptis Cyrilli episcopi Alexandrini ad Nestorium Constantinopolitanum de Eutychete Hebionita hæretico, et Leonis episcopi ad eumdem responsa, quæ cum aliorum episcoporum et gestis et scriptis per ecclesias diriguntur.

XXVII. Theodosius imperator moritur Constantinopoli anno ætatis suæ quadragesimo octavo.

Post quem XLIII statim apud Constantinopolim MARCIANUS a militibus et ab exercitu, instante sorore Theodosii Pulcheria regina, efficitur imperator. Qua sibi in conjugium assumpta, regnat in partibus Orientis.

XXVIII. (*Olymp.* CCCVIII.) Valentiniani imperatoris mater Placidia moritur apud Romam.

In Gallæcia terræmotus assidui, signa in cœlo plurima ostenduntur. Nam pridie nonas Aprilis tertia feria, post solis occasum, ab Aquilonis plaga cœlum rubens sicut ignis aut sanguis efficitur, intermixtis per igneum ruborem lineis clarioribus in speciem hastarum rutilantium deformatis : a die clauso usque in horam noctis fere tertiam signi durat ostensio, quæ mox ingenti exitu perdocetur.

Gens Hunnorum pace rupta deprædatur provincias Galliarum : plurimæ civitates effractæ, in campis Catalaunicis, haud longe de civitate quam effregerant, Mertis, Aetio duci et regi Theodori, quibus erat in pace societas, aperto marte confligens, divino cæsa superatur auxilio : bellum nox intempesta diremit. Rex illic Theodores prostratus occubuit : CCC ferme millia hominum in eo certamine cecidisse memorantur.

Multa anno signa procedunt. Quinto kal. Octobris a parte Orientis luna fuscatur. In diebus sequentis paschæ visa quædam in cœlo regionibus Galliarum, epistola de his Eufronii Augustodunensis episcopi ad Agrippinum comitem facta evidenter ostendit. Stella cometes a decimo quarto kal. Julias apparere incipit, quæ III kal. diluculo ab Oriente visa, post occasum solis ab occidua parte mox cernitur. Kalendis Augusti a parte occidentis apparet.

Occiso Theodore Thorismo filius ejus succedit in regno.

Hunni cum rege suo Attila, relictis Galliis post certamen, Italiam petunt.

XXIX. (*Eus.* MMCCCCLXI.) Secundo regni anno principis Marciani, Hunni qui Italiam prædabantur, aliquantis etiam civitatibus irruptis, divinitus partim fame, partim morbo quodam plagis cœlestibus feriuntur : missis etiam per Marcianum principem Aetio duce cæduntur auxiliis; pariterque in sedibus suis et cœlestibus plagis, et per Marciani subiguntur exercitum : et ita subacti, pace facta cum Romanis proprias universi repetunt sedes, ad quas rex eorum Attila mox reversus interiit.

Ad Suevos Mansuetus comes Hispaniarum, et Fronto similiter comes, legati pro pace mittuntur et obtinent conditiones injunctas.

Thorismo, rex Gothorum, spirans hostilia a Theodorico et Frederico fratribus jugulatur : cui Theodericus succedit in regno.

XXX. Tertio regni anno principis Marciani regina moritur Pulcheria mense Julio.

Per Fredericum Theudorici regis fratrem Bacaudæ Tarraconenses cæduntur ex auctoritate Romana.

In Gallæcia terræmotus, et in sole signum in ortu, quasi altero secum concertante monstratur.

Aetius dux et patricius fraudulenter singularis accitus intra palatium manu ipsius Valentiniani imperatoris occiditur. Et cum ipso per spatarium ejus aliqui singulariter intromissi jugulantur honorati.

His gestis legatos Valentinianus mittit ad gentes, ex quibus ad Suevos venit Justinianus.

XXXI. Quarto regni anno principis Marciani per duos barbaros Aetii familiares Valentinianus Romæ imperator occiditur in campo, exercitu circumstante, anno ætatis suæ XXXVI, et regni XXXI. Post quem mox Maximus ex consulibus XLIII Romæ Augustus appellatur : qui cum imperator factus relictam Valentiniani sibi duxisset uxorem, et filio suo ex priore conjuge Palladio quem Cæsarem fecerat, Valentiniani filiam in conjugium tradidisset, magnorum motuum quos verebatur, perturbatione distortus, et quia in occisorum per Valentinianum, et in ipsius interitum Valentiniani, ambitu regni consilia scelesta patrata contulerat, cum imperium deserere vellet et Romam, vix quatuor regni sui mensibus expletis, in ipsa urbe tumultu populi et seditione occiditur militari.

Ipso anno in Galliis Avitus Gallus civis ab exercitu Gallicano et ab honoratis, primum Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus, Romam pergit et suscipitur.

Usque ad Valentinianum Theodosii generatio tenuit principatum.

Romanorum XLIII, MARCIANUS quarto jam regni sui anno obtinet monarchiam.

I. (*Olymp.* CCCIX.) Per Avitum, qui a Romanis et evocatus et susceptus fuerat imperator, legati ad Marcianum pro unanimitate mittuntur imperii.

Gaisericus sollicitatus a relicta Valentiniani, ut malum fama dispergit, prius quam Avitus augustus fieret, Romam ingreditur, direptisque opibus Romanorum Carthaginem redit, relictam Valentiniani et filias duas, et Aetii filium Gaudentium nomine, secum ducens.

Suevi Carthaginienses regiones quas Romanis reddiderant, deprædantur.

Marcianus et Avitus concordes principatu Romani utuntur imperii.

Per augustum Avitum Fronto comes legatus mittitur ad Suevos. Similiter et a rege Gothorum Theodorico; quia fidus Romano esset imperio, legati ad eosdem mittuntur, ut tam secum quam cum Romano

imperio, quia uno essent pacis fœdere copulati, jurati fœderis promissa servarent. Remissis legatis utriusque partis atque omni juris ratione violata, Suevi Tarraconensem provinciam quæ Romano imperio deserviebat, invadunt.

De Erulorum gente septem navibus in Lucensi littore aliquanti advecti, viri ferme cccc expediti, superventu multitudinis congregatæ duobus tantum ex suo numero effugantur occisis, qui ad sedes proprias redeuntes, Cantabriarum et Vardulliarum loca maritima crudelissime deprædati sunt.

Legati Gothorum rursum veniunt ad Suevos : post quorum adventum rex Suevorum Rechiarius cum magna suorum multitudine regiones provinciæ Tarraconensis invadit, acta illic deprædatione, et grandi ad Gallæciam captivitate deducta.

Mox Hispanias rex Gothorum Theudoricus cum ingenti exercitu suo, et cum voluntate et ordinatione Aviti imperatoris ingreditur. Cui cum multitudine Suevorum rex Rechiarius occurrens duodecimo de Asturicensi urbe milliario, ad fluvium nomine Urbicum, tertio nonas Octobris die, sexta feria inito mox certamine superatur : cæsis suorum agminibus, aliquantis captis, plurimisque fugatis, ipse ad extremas sedes Gallæciæ plagatus vix evadit ac profugus.

Theudorico rege cum exercitu ad Bracaram extremam civitatem Gallæciæ pertendente, quinto kal. Novemb. die dominico, etsi incruenta, fit tamen satis mœsta et lacrymabilis ejusdem direptio civitatis. Romanorum magna agitur captivitas captivorum, sanctorum basilicæ effractæ, altaria sublata atque confracta, virgines Dei exin quidem adductæ, sed integritate servata, clerus usque ad nuditatem pudoris exutus, promiscui sexus cum parvulis, de locis refugii sanctis populus omnis abstractus, jumentorum, pecorum, camelorumque horrore locus sacer impletus, scripta super Jerusalem ex parte cœlestis iræ revocavit exempla.

II. Rechiarius ad locum qui Portucale appellatur, profugus regi Theudorico captivus adducitur : quo in custodiam redacto, cæteris qui de priore certamine superfuerant, tradentibus se Suevis, aliquantis nihilominus interfectis, regnum destructum et finitum est Suevorum.

Iisdem diebus Rechimeris comitis circumventione, magna multitudo Wandalorum, quæ se de Carthagine cum LX navibus ad Gallias vel ad Italiam moverat, regi Theudorico nuntiatur occisa per Avitum.

Hesychius tribunus legatus ad Theudoricum cum sacris muneribus missus ad Gallæciam venit, nuntians ei id quod supra, in Corsica cæsam multitudinem Wandalorum, et Avitum de Italia ad Gallias Arelate successisse. Orientalium naves Hispalim venientes per Marciani exercitum cæsas nuntiat.

Occiso Rechiario mense Decembri, rex Theudoricus de Gallæcia ad Lusitaniam succedit.

In conventus parte Bracarensis latrocinantum deprædatio perpetratur.

Aiulfus deserens Gothos in Gallæcia residet.

Suevi qui remanserant in extrema parte Gallæciæ, Massiliæ filium nomine Maldram sibi regem constituunt.

Theudoricus Emeritam deprædari volens, beatæ Eulaliæ martyris terretur ostentis.

III. Avitus tertio anno postea quam a Gallis et a Gothis factus fuerat imperator, caret imperio, Gothorum promisso destitutus auxilio, caret et vita.

In Orientis partibus septimo anno imperii sui moritur Marcianus.

Romanorum XLIV, MAJORIANUS in Italia, et Constantinopoli LEO augusti appellantur.

I. Theudoricus adversis sibi nuntiis territus, mox post dies paschæ, quod fuit quinto kal. Aprilis, de Emerita egreditur, et Gallias repetens partem ex ea quam habebat multitudine variæ nationis, cum ducibus suis ad campos Gallæciæ dirigit : qui dolis et perjuriis instructi, sicut eis fuerat imperatum, Asturicam quam jam prædones ipsius sub specie Romanæ ordinationis intraverant, mentientes ad Suevos qui remanserant, jussam sibi expeditionem, ingrediuntur pace fucata solitæ arte perfidiæ. Nec mora promiscui generis reperta illic cæditur multitudo, sanctæ effringuntur ecclesiæ, altaribus direptis et demolitis, sacer omnibus ornatus et usus aufertur. Duo illic episcopi inventi cum omni clero abducuntur in captivitatem : invalidior promiscui sexus agitur miseranda captivitas; residuis et vacuis civitatis domibus datis incendio, camporum loca vastantur. Palentina civitas simili quo Asturica, per Gothos perit exitio. Unum Coviacense castrum tricesimo de Asturica milliario a Gothis diutino certamine fatigatum, auxilio Dei, hostibus et obsistit et prævalet : quam plurimis ex eorum manu interfectis, reliqui revertuntur ad Gallias.

Aiulfus dum regnum Suevorum spirat, Portucale moritur mense Junio.

Suevi in partes divisi pacem ambiunt Gallæciarum : e quibus pars Frantanem, pars Maldram regem appellat. Solito more perfidiæ Lusitaniam deprædatur pars Suevorum Maldram sequens : acta illic Romanorum cæde, prædisque contractis, civitas Ulyxippona sub specie pacis intratur.

Frantanes moritur per Pascha et Pentecosten. Jubente Maldra Suevi in solitam perfidiam versi, regionem Gallæciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Quinto idus Junias die, quarta feria, ab hora quarta in horam sextam, ad speciem lunæ quintæ vel sextæ, sol de lumine orbis sui minoratus apparuit.

II. (*Olymp.* CCCX.) Gothicus exercitus duce suo Cyrila a Theudorico rege ad Hispanias missus mense Julio succedit ad Bæticam. Legati Gothorum et Wandalorum pariter ad Suevos veniunt, et revertuntur.

III. Theudoricus cum duce suo Sunierico exercitus sui aliquantam ad Bæticam dirigit manum : Cyrila revocatur ad Gallias. Suevi nihilominus Lusitaniæ

Digitized by Google

partes cum Maldra, alii cum Rechimundo Gallæciam A deprædantur.

Eruli maritima conventus Lucensis loca nonnulla crudelissime invadunt ad Bæticam pertendentes.

Maldras germanum suum fratrem interficit, et Portucale castrum idem hostis invadit.

Inter Suevos et Gallæcos interfectis aliquantis honestis natu, malum hostile miscetur.

Legati a Nepotiano magistro militiæ, et a Sunierico comite missi veniunt ad Gallæcios, nuntiantes Majorianum augustum et Theudoricum regem firmissima inter se pacis jura sanxisse, Gothis in quodam certamine superatis.

IV. (*Eus.* MMCCCCLXXX.) Maldras in fine mensis Februarii jugulatus merito perit interitu.

Per Suevos Luco habitantes, in diebus paschæ, B Romani aliquanti cum rectore suo honesto natu repentino securi de reverentia dierum occiduntur incursu.

Mense Maio Majorianus Hispanias ingreditur imperator : quo Carthaginiensem provinciam pertendente, aliquantas naves quas sibi ad transitum adversum Wandalos præparabat, de littore Carthaginiensi commoniti Wandali per proditores abripiunt. Majorianus ita sua ordinatione frustratus ad Italiam revertitur.

Pars Gothici exercitus a Sunierico et Nepotiano comitibus ad Gallæciam directa, Suevos apud Lucum deprædantur : quæ Dictinio [*Ms.* Suevos apud Lucum deprædatur habitantes, quæ Dictinio], Spinione et Ascanio delatoribus, spargentibusque ad C terrorem propriæ venena perfidiæ, indicata recurrit ad suos : ac mox iisdem delatoribus quibus supra, Frumarius cum manu Suevorum quam habebat impulsus, capto Idatio episcopo septimo kalend. Augusti in Aquæflaviensi ecclesia, eumdem conventum grandi evertit excidio.

Rechimundus vicina sibi pariter Auregensium loca, et Lucensis conventus maritima populatur.

Inter Frumarium et Rechimundum oritur de regni potestate dissensio.

Gallæciorum et Suevorum pacis quædam umbra conseritur.

A Theudorico legati ad Suevos veniunt et recurrunt.

Sunierícus Scallabim cui adversabatur, obtinet D civitatem.

Idatius qui supra, tribus mensibus captivitatis impletis, mense Novembri, miserantis Dei gratia, contra votum et ordinationem supra dictorum delatorum redit ad Flavias.

De rege Theudorico legati gentis perfidæ revertuntur.

Gaisericus rex a Majoriano imperatore per legatos postulat pacem.

V. Majorianum de Galliis Romam redeuntem, et Romano imperio vel nomini res necessarias ordinantem, Rechimer livore percitus et invidorum consilio fultus, fraude interficit circumventum.

Romanorum XLV, SEVERUS a senatu Romæ augustus appellatur anno imperii Leonis quinto.

VI. I.(*Olymp.* CCCXI.) Sunierícus redit ad Gallias. Nepotianus Theudorico ordinante Arborium accipit successorem.

In provincia Gallæcia prodigiorum videntur signa diversa. Æra D, VI nonas Martias pullorum cantu, ab occasu solis luna in sanguinem plena convertitur. Idem dies sexta feria fuit.

Antiochia major Isauriæ [*Forte*, majoris Syriæ] inobediens monitis salutaribus, terra dehiscente demergitur, tantum ipsius civitatis aliquantis qui eum obaudientes timori Domini sunt secuti, de interitu liberatis, turrium etiam solis cacuminibus exstantibus super terram.

Gaisericus Valentiniani relictam Constantinopolim remittit. Filiæ ipsius, una Gentoni Gaiserici filio, alia Olybrio senatori urbis Romæ jure matrimonii copulantur.

Agrippinus Gallus et comes et civis, Ægidio comiti viro insigni inimicus, ut Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico.

Adversus Ægidium comitem utriusque militiæ, virum, ut fama commendat, Deo bonis operibus complacentem, in Armoricana provincia Fretiricus frater Theuderici regis insurgens, cum his cum quibus fuerat, superatus occiditur.

Cum Palegorio viro nobili Gallæciæ, qui ad supra dictum fuerat regem Cyrila legatus, ad Gallæciam veniens, euntes ad eumdem regem legatos obviat Rechimundi : qui regressi in celeri, revertentem Cyrilam in Lucensi urbe suscipiunt. Post cujus mox egressum de Gallæcia, Suevi promissionum suarum ut semper fallaces et perfidi, diversa loca infelicis Gallæciæ solito deprædantur.

Per Theudoricum ad Suevos Remismundus et Cyrila cum aliquantis Gothis qui prius venerant, remittuntur. Cyrila in Gallæcia remanente, Remismundo mox recurrente ad regem, inter Gallæcos et Suevos indisciplinata perturbatio dominatur.

Romanæ Ecclesiæ XLIV [*Ms.* XLIII] præsidet episcopus HILARUS.

VII. II. Nepotianus recedit e corpore.

Frumario mortuo, Rechimundus omnibus Suevis in suam ditionem regali jure revocatis, pacem reformat elapsam.

Mense Maio supra dicti viri Ægidii legati per Oceanum ad Vandalos transeunt, qui eodem cursu Septembri mense revertuntur ad suos.

Decimo tertio kalend. Augusti die, secunda feria, in speciem lunæ quintæ sol de lumine suo ab hora tertia in horam sextam cernitur minoratus.

Legatos Remismundus mittit ad Theudoricum; qui similiter suos ad Remismundum remittit, cum armorum adjectione vel munerum, directa et conjuge quam haberet.

Vandali per Marcellinum in Sicilia cæsi effugantur ex ea.

Ægidius moritur, alii dicunt insidiis, alii veneno

deceptus. Quo desistente, mox Gothi regiones invadunt quas Romano nomini tuebatur.

Suevi Conimbricam dolose ingressi, familiam nobilem Cantabri spoliant, et captivam abducunt matrem cum filiis.

Legati eodem anno duabus vicibus a rege Suevorum mittuntur ad regem Theudoricum, ad quem et Arborius proficiscitur evocatus.

[VIII. III.] Reversi legati Suevorum obiisse nuntiant Severum imperii sui anno quarto, qui supra remittuntur ad Conimbricam.

Ajax natione Galata, effectus apostata et senior Arianus, inter Suevos regis sui auxilio hostis catholicæ fidei et divinæ Trinitatis emergit. Ad Gallicanam Gothorum habitationem hoc pestiferum inimici hominis virus advectum.

Suevi adversum Aunonensem sæviunt plebem: qua de causa legati a Theuderico ad Remismundum mittuntur incassum, spretique ab eo mox redeunt.

De Constantinopoli a Leone augusto Anthemius frater Procopii cum Marcellino, aliisque comitibus viris electis, et cum ingenti multitudine exercitus copiosi, ad Italiam Deo ordinante directus ascendit.

Romanorum XLVI, Anthemius octavo milliario de Roma Augustus appellatur, anno Leonis imperii octavo, mense Augusto.

IX. I. Expeditio ad Africam adversus Wandalos ordinata metabularum commutatione et navigationis inopportunitate revocatur.

Per Theudericum Salla legatus mittitur ad Remismundum regem Suevorum, qui reversus ad Gallias eum a fratre suo Eurico [*In ms.* Euverico] reperit interfectum.

Euricus pari scelere quo frater, succedit in regnum: qui honore provectus et crimine, legatos ad regem dirigit Suevorum, quibus sine mora a Remismundo remissis, ejusdem regis legati ad imperatorem, alii ad Wandalos, alii diriguntur ad Gothos.

De Aunonensi plebe cui Suevorum adversabatur hostilitas, Opilio cum viris secum a rege profectis, et cum aliquantis qui cum ipso missi fuerant, revertitur.

Gothi qui ad Wandalos missi fuerant, supra dictæ expeditionis rumore perterriti revertuntur in celeri: pariter et Suevi, qui post legatos, more solito per diversa loca in prædam dispersi fuerant, revocantur: sed paucis post mensibus ipse rex Suevorum ad Lusitaniam transit.

II. (*Olymp.* CCCXII.) Conimbrica in pace decepta diripitur: domus destruuntur cum aliqua parte murorum, habitatoribusque captis atque dispersis, et regio desolatur et civitas.

460 Magno et Apollonio.

461 Severiano et [Dagalaipho] qui de Oriente.

His conss. Majorianus occiditur, et Severus efficitur imperator.

462 (*Ær. Hisp.* 500.) Severo et Leone Augustis.

463 Basilio et Gadaipho [*Al.* Viviano].

464 Dn. Olybrio [*Al.* et Rustico].

Severus Augustus obiit. Anthemius Romæ imperator factus est. Adversum Vandalos grandis exercitus cum Marcellino duce dirigitur.

468 Augusto Anthemio II consule.

# MARCELLINUS

## COMES V. C.

(Ex Gallandii Bibl. Max. Vett. Patr. tom. X.)

## PROLEGOMENA.

I. Pauca sunt admodum quæ de Marcellini Comitis v. c. gestis in promptu exstant. Eum fuisse *natione Romanum* tradit Anonymus Mellicensis (*a*). Comitem autem Illyricianum egisse, ac Justiniani adhuc patricii cancellarium, ex Cassiodorio erudimur (*b*). Sæculo VI ineunte variis litterarum monimentis inclaruit, quorum unus inter veteres meminit idem Cassiodorius his verbis (*c*) : *Marcellinus*, inquit, *quatuor libros de temporum qualitatibus et positionibus locorum pulcherrima proprietate conficiens, itineris sui tramitem*

(*a*) Anonym. Mellic. de Script. Eccl. cap. 56.
(*b*) Cassiod. de Instit. Divin. Litter. cap. 17.
(*c*) Id. ibid.

Digitized by Google

*laudabiliter percurrit.* Et alibi (*a*): *Marcellinus*, ait, *pari cura legendum est, qui Constantinopolitanam civitatem et urbem Hierosolymorum minutissima narratione descripsit.* Verum utrumque Comitis nostri memoratum opus vel prorsus intercidit, vel etiamnum alicubi delitescit. Pergit porro Senator (*b*): *Chronica quæ sunt imagines historiarum brevissimæque commemorationes, scripsit Græce Eusebius, quem transtulit Hieronymus in Latinum, et usque ad tempora sua deduxit eximie. Hunc subsecutus est supra scriptus Marcellinus Illyricianus, qui adhuc patricii Justiniani fertur egisse cancellos; sed meliore conditione devotus, a tempore Theodosii principis usque ad fores imperii triumphalis augusti Justiniani opus suum Domino juvante perduxit*: id est, ab anno Theodosii senioris primo usque ad quartum Justiniani consulatum, qui est imperii ejus annus octavus, Christi 434, annorum nimirum 156 periodum perficiens, ut ipsemet auctor in sua præfatione testatur (*c*).

II. Porro Marcellini Chronicon quod post primam Antonii Schonhovii canonici Brugensis editionem pluries prodiit, castigatissime omnium Parisiis evulgavit Sirmondus anno 1619, qui de eo hæc habet (*d*): « De Chronici hujus auctore necessario monendus es, lector, non omnino Marcellini esse quæ in illo continentur. Testatur enim præfatione sua Marcellinus se opus suum ab initio principis Theodosii ad Magni usque consulatum per annos 140 perduxisse; tum deinde alios tantum 16 annos adjecisse, a primo Justini ad quartum usque Justiniani Augusti consulatum, hoc est, ad annum Christi 534. Ultra hunc annum igitur non processerat Marcellinus, nec plura sane his fuerant in editione Antonii Schonhovii, qui Chronicon hoc in lucem primus dedit. Quæ deinceps sequuntur ad finem usque principis Justiniani, ab alio postea quopiam adjecta sunt, et a Panvinio primum, deinde ab aliis nullo discrimine pro Marcellinianis edita. Nos ex vetustissimo Tilianæ bibliothecæ codice, tum Marcellini omnia multo quam hactenus emendatiora, tum appendicem quæ et ipsa perantiqui scriptoris est, multis partibus auctiorem damus: integram daturi, nisi nos lacerum exemplar in septimo post Basilii consulatum anno destituisset. Quo facto in reliquis ad finem usque Panvinianam editionem sequi necesse fuerit, demptis annorum ad calcem epilogismis; quos idcirco prætermittendos censuimus, quia nihil illos neque ad Marcellini Chronicon, neque ad ejus Appendicem pertinere constabat. » Hucusque Sirmondus.

III. Interesse autem putamus his modo relatis ea subdere quæ de eodem opere in litteras retulit Sirmondianorum editor Baunius. Sic igitur ille (*e*): « Chronicon Marcellini Comitis rursum contulimus cum mss. duobus, uno collegii nostri Parisiensis, altero bibliothecæ Victorinæ; atque ex iis lectiones aliquot variantes annotavimus, ac nonnullas item ex schedis viri docti atque in recensendis veterum scriptis exercitatissimi, Petri Francisci Chiffletii, qui Sirmondianam Chronici Marcellini editionem cum veteri codice Brugensi comparaverat. Præter istas porro aliasque quas suis locis indicavimus, lectiones novas, postmodum et aliæ nobis Chronici ejusdem in Chiffletii schedis occurrerunt, quarum indiculum statim dabimus. » Has vero posteriores lectiones, quas sero detectas editioni suæ Sirmondianæ Baunius subjicere haud valuit, nos suis quasque locis apposuimus. Verum cum alias in idem Chronicon observationes longiores ediderit in sua præfatione laudatus Baunius, eas hic opportunius, et aptiori quidem ordine digestas, proferendas duximus. Sic autem se habent:

IV. « Quod annus 381 inscribitur *Eucherio* (sive Euchario) *et Evagrio coss.*, mendosum id esse, ac pro *Evagrio* scribendum esse *Syagrio* satis constat tum ex Idatii Fastis, tum ex aliis antiquis scriptoribus. Sed nimirum similitudine scripturæ factum est, ut primo apud Socratem (*f*) Εὐάγριος pro Συάγριος, ac deinde apud Marcellinum *Evagrio* pro *Syagrio* scriberetur, sicut notavit vir eruditissimus Joannes Harduinus (*g*).

« Anno 397, *Cæsario et Attico coss.*, ubi *Flaccilla Archadio nata* legitur; itemque anno 431, *Antiocho et Basso coss.*, ubi *Flaccilla* Theodosii Augusti filia vocatur; *Placillam* utroque in loco scribi debere contendit Petrus Lambecius (*h*): pariterque emendari vult S. Ambrosii, Claudiani, Pauli Diaconi et Prosperi locos, ubi videlicet pro *Placilla* nominari *Flaccillam* putat: quippe Theodosii quidem filiam haud dubie *Placillam* dictam fuisse de nomine Placidiæ, sive *Placillæ*, Antonii filiæ, primæ uxoris Theodosii; ac deinde ad filiam quoque Arcadii, Theodosii neptem, illud nomen transiisse. Socrates quidem primam Theodosii uxorem nominat Πλακίδαν, filiam autem Theodosii et Gallæ Πλακιδίαν (*i*); ac priorem Sozomenus Πλακίλλαν. At Henricus Valesius notat hanc ab Epiphanio Scholastico *Flaccillam* dici, et quidem rectius: sic enim in veteribus nummis appellari. Tum hæc adjicit (*j*): *Sed mirum est Græcos in hoc nomine fere hallucinari: supra enim observavimus* Πλάκιτον *dici a Socrate pro Flaccillo, qui fuit Antiochensis episcopus.* Demum Joannes Harduinus scite admodum monet, utcumque Græci scripserint, de Latinæ reginæ nomine fidem haberi potius Ambrosio aliisque Latinis debere, qui uxorem Theodosii senioris *Flaccillam* vocant.

« Ad annum 525, *Philoxeno et Probo coss.*, ubi sic legitur: *Joannes R. E. papa* LI, *anno a Petro... 475*, Chiffletius ponit 485, codicem tamen nullum citans. Ac postea Schelestratius in *Dissertationibus* quibus

(*a*) Cassiod. de Instit. Divin. Litt. cap. 25.
(*b*) Id. ibid. cap. 17.
(*c*) Marcell. præfat. ad Chron. infra.
(*d*) Sirmond. præfat. ad Chron. Marcell.
(*e*) Baun. præfat. ad tom. II Opp. Sirmond. § 5.

(*f*) Socrat. Hist. Eccl. lib. v, cap. 8.
(*g*) Harduin. in notis ad orat. 16 Themistii.
(*h*) Lamb. Bibl. Cæs. lib. II, pag. 585.
(*i*) Socrat. lib. IV, cap. 31.
(*j*) Vales. Adnot. ad Socrat. lib. IV, cap. 31.

Digitized by Google

*Ecclesiæ antiquitatem* illustravit, sic ad annum illum A *Præsentale accepit magisterium.* Atque id Petrus quoscripsit: *Petrus pontificatum Romanum iniit, juxta nostram chronologiam, anno post mortem Christi duodecimo: a quo usque ad prædictum consulatum sunt anni* 485, *unde decem anni desiderantur apud Marcellinum; forsan tabellariorum incuria, qui* 475 *pro* 485 *scripserunt.*

« Postremo ad annum 547, *post consulatum Basilii* vi, monet Chiffletius, in codice regio 1690, Marcellini Chronicon ibi desinere, post illa scilicet verba, *Præsentale accepit magisterium.* Atque id Petrus quoque Lambecius testatur (*a*) de veteri codice Cæsareo, qui olim Matthiæ Corvini Hungariæ regis fuit; in eoque post verba modo memorata, in morem inscriptionis subjici, *Collectio omnium annorum;* tum infra: *Istius Chronicæ colliguntur omnes anni usque ad consulatum Valentis sextum*, etc. » Hactenus cl. Baunius, cujus Sirmondianam editionem recensitam typis expressimus. At de his satis.

(*a*) Lamb. Bibl. Cæs. lib. ii, pag. 874.

# MARCELLINI
## COMITIS V. C.
# CHRONICON.

### Praefatio.

Post mirandum opus quod a mundi fabrica usque B in Constantinum principem Eusebius Cæsariensis, hujus sæculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium, et variarum artium repertores, omniumque pene provinciarum monumenta commemorans, Græco edidit stylo, noster Hieronymus cuncta transtulit in Latinum, et usque in Valentem Cæsarem Romano adjecit eloquio. Igitur uterque hujus operis auctor mmmmm et dlxxix annorum hunc mundum tunc fore miro computavit ingenio. Ego vero, simplici dumtaxat computatione Orientale tantum secutus imperium, per indictiones perque consules infra scriptos, centum et xl annos, a septima videlicet indictione et a consulatu Ausonii et Olybrii (quibus etiam consulibus Theodosius Magnus creatus est imperator) enumerans, et usque in consulatum Magni indictionis undecimæ colligens, eorumdem auctorum operi subrogavi: itemque alios xvi annos, a consulatu Justini Augusti primo usque in consulatum Justiniani Augusti iv suffeci: id sunt simul anni clvi, et meum rusticum opus supposui.

## INCIPIT CHRONICON.

(A. C. 379.) *Indictione* vii, *Ausonio et Olybrio coss.*

Theodosius Hispanus Italicæ divi Trajani civitatis, a Gratiano Augusto apud Sirmium XXXIX post Valentis interitum imperator creatus est, xiv kalendas Februarias, Orientalem dumtaxat rempublicam recturus, vir admodum religiosus et catholicæ Ecclesiæ propagator, omnibusque Orientalibus principibus præponendus, nisi quod Marcianum, tertium post se principem, imitatorem habuerit. Alanos, Hunos, Gothos, gentes Scythicas magnis multisque præliis vicit.

(A. C. 380.) *Ind.* viii, *Gratiano Aug.* v *et Theodosio Aug. coss.*

Gregorius Nazianzenus facundissimus Christi sacerdos, et Hieronymi nostri præceptor, ecclesia nostra apud Byzantium capta ab Arianis, plebem catholicam in beatæ Anastasiæ oratorio catholica quotidie allocutione continuit. Sæpe namque pravorum conviciis insectatus est: sed gratia Christi præditus, usque ad id tempus quo eadem ecclesia sui præsentia nostris est reddita, perfidis obstitit Arianis. Nam his coss. Theodosius Magnus postquam de Scythicis gentibus triumphavit, expulsis continuo ab orthodoxorum ecclesia Arianis, qui eam per xl ferme annos sub Arianis imperatoribus tenuerant, nostris catholicis orthodoxus restituit imperator mense Decembri.

(A. C. 381.) *Ind.* ix, *Eucherio et Evagrio* [Forte *Syagrio*] *coss.*

C Sanctis cl Patribus urbe Augusta congregatis adversus Macedonium in Spiritum sanctum naufragantem, ab iisdem episcopis sancta synodus confirmata est: Damaso videlicet sedem beati Petri tenente, Constantinopoli vero per Timotheum Alexandrinum, perque Meletium Antiochenum et Cyrillum Hierosolymitanum episcopos, Nectario ex pagano protinus baptizato, et in præfata synodo pontifice ordinato. Athanaricus rex Gothorum cum quo Theodosius imp. fœdus pepigerat, Constantinopolim mense Januario venit, eodemque mense morbo periit.

(A. C. 382.) *Ind.* x, *Antonio et Syagrio coss.*

Divi Valentiniani magni cadaver [*Al.* cadavere] Theodosius princeps ab Italia reportatum [*Al.* reportato], apud Comitatum regio in sepulcro recondidit. D Eodem anno universa gens Gothorum, Athanarico rege suo defuncto, Romano sese imperio dedit mense Octobrio. Damasus Romanæ Ecclesiæ, exceptis Li-

Digitized by Google

berio et Felice, XXXV episcopus, anno pontificatus sui XVIII, in Domino requievit.

(A. C. 383.) *Ind.* XI, *Merobaude* II *et Saturnino coss.*

Romanæ Ecclesiæ Siricius XXXVI antistes factus, vixit annos XV. Archadius patri suo Theodosio Aug. consors imperii septimo ab Urbe milliario coronatus est. Gratianus imp. Maximi tyranni dolo apud Lugdunum occisus est VIII kal. Septembris.

(A. C. 384.) *Ind.* XII, *Richomere et Clearcho coss.*

Legati Persarum Constantinopolim advenerunt, pacem a Theodosio principe [*Al.* Theodosii principis] postulantes. Eodem tempore Honorius alter Theodosio natus est filius mense Septembri.

(A. C. 385.) *Ind.* XIII, *Archadio et Bautone coss.*

Theodosius imp. aliquantas Eoas [*Al.* sævas] nationes per legatos suos suo utpote imperio subdidit.

(A. C. 386.) *Ind.* XIV, *Honorio Cæsare et Evodio coss.*

Invasam princeps Theodosius ab hostibus Thraciam vindicavit, victorque cum Archadio filio suo Urbem ingressus est. Galla Theodosii regis altera uxor his consulibus Constantinopolim venit.

(A. C. 387.) *Ind.* XV, *Valentiniano* III *et Eutropio coss.*

Archadius Cæsar cum patre suo Theodosio sua quinquennalia celebravit. Theodosius Magnus Italiam contra Maximum tyrannum pugnaturus accessit.

(A. C. 388.) *Ind.* I, *Theodosio Aug.* II *et Cynegio coss.*

Valentinianus Gratiani frater et Theodosius imp. Maximum tyrannum et Victorem filium ejus apud Aquileiam rebellantem vicerunt. Andragathius comes morte Maximi cognita præcipitem sese e navi in undas dedit ac suffocatus est.

(A. C. 389.) *Ind.* II, *Timasio et Promoto coss.*

Theodosius imp. cum Honorio filio suo Romam mense Junio introivit, congiarium Romano populo tribuit, Urbeque egressus est kal. Septembris. Per idem tempus grando crepitans per biduum continuum pro pluvia cecidit, pecorum arborumque pernicies. Stella a septentrione gallicinio surgens, et in modum Luciferi ardens potius quam splendens apparuit, vicesimo tertio die [*Al.* vicesimo die] esse desiit. Templum Serapidis apud Alexandriam Theodosii imp. edicto solutum est.

(A. C. 390.) *Ind.* III, *Valentiniano Aug.* IV *et Neoterio coss.*

Signum in cœlo quasi columna pendens ardensque per dies XXX apparuit. Galla Theodosii uxor ab Archadio privigno suo ejecta est. Obeliscus in circo positus est: columna haud longe ab ecclesia constituta est, quæ argenteam Theodosii Magni statuam ferens hactenus contemplatur.

(A. C. 391.) *Ind.* IV, *Tatiano et Symmacho coss.*

Theodosius imp. Italia decedens Constantinopolim remeavit. Valentinianus imp. apud Viennam dolo Arbogastis strangulatus interiit idib. Martiis. Eugenius Arbogastis favore confisus imperium sibimet usurpavit.

(A. C. 392.) *Ind.* V, *Archadio* II *et Rufino coss.*

Arbogastes Valentiniano imp. exstincto, et Eugenio Cæsare facto, innumeras invictasque copias undique in Gallias contraxit, Occidentale sibi imperium utpote vindicaturus, vir barbarus, animo, consilio, manu, audacia, potentiaque nimius. Contraxit autem undique innumeras copias, vel Romanorum præsidiis, vel Barbarorum auxiliis, alibi potestate, alibi cognatione subnixus. Usque hunc XIX Theodosii imperii annum, beatus Hieronymus post ascensionem D. N. Jesu Christi, a Petro apostolo incipiens, et in semetipsum desinens, CXXXV virorum illustrium ecclesiastica volumina descripsit, apud Bethleem oppidum degens; ubi et monasterium sibi condidit, et alia multa ecclesiastica litteris quoque Hebraicis edoctus scripsit, finemque vitæ suæ admodum senex fecit, ibique sepultus est; catholicis quidem inexpugnabilis ecclesiæ turris, hæreticis autem omnibus infatigabilis hostis, tam proposito vitæ suæ, quam librorum a se editorum assertionibus depugnans.

(A. C. 393.) *Ind.* VI, *Theodosio* III *et Abundantio coss.*

Honorium pater suus Theodosius in eodem loco quo fratrem ejus Archadium, Cæsarem fecit, id est septimo ab urbe regia milliario. Tunc quippe hora diei tertia tenebræ factæ sunt.

(A. C. 394.) *Ind.* VII, *Archadio* III *et Honorio* II *coss.*

Theodosius Augustus assumpto Honorio Cæsare, eodemque filio, contra Arbogastem qui Eugenium tyrannum imperatorem facere ausus est, iterum properavit: bello commisso Eugenius victus atque captus interfectus est; Arbogastes sua se manu perculit. Terræmotu a mense Septembrio in Novembrium continuo imminente, aliquantæ Europæ regiones quassatæ sunt. Thermæ Archadianæ ex conditoris sui nomine nomen acceperunt.

(A. C. 395.) *Ind.* VIII, *Olybrio et Probino coss.*

Theodosius Magnus apud Mediolanum vita decessit. Imperavit annos XVII. Corpus ejus eodem anno Constantinopolim allatum, atque sepultum. Archadius et Honorius germani, utrumque imperium divisis tantum sedibus tenere cœperunt. Rufinus patricius Archadio principi insidias tendens, Alaricum Gothorum regem, missis ei clam pecuniis, infestum reipublicæ fecit, et in Græciam misit. Porro detecto dolo suo Rufinus ab Italicis militibus, olim [*Al. deest* olim] cum Gaina comite Archadio missis, ante portas urbis merito trucidatus est. Caput ejus manusque dextra per totam Constantinopolim demonstrata.

(A. C. 396.) *Ind.* IX, *Arcadio* IV *et Honorio* III *coss.*

Rufini uxor et filia exsulant. Eutropius sacri palatii cubicularius omnes opes abripuit, avaritiamque transgressus est. Terræmotus per dies plurimos fuit, cœlumque ardere visum est.

(A. C. 397.) *Ind.* X, *Cæsario et Attico coss.*

His consulibus Flaccilla Archadio nata est filia.

(A. C. 398.) *Ind.* XI, *Honorio* IV *et Eutychiano coss.*

Romanæ Ecclesiæ Anastasius XXXVII episcopus

Digitized by Google

ordinatus vixit annos quatuor. Ambrosius Mediolanensis, virtutum episcopus, arx fidei, orator catholicus, ad Christum Dominum commigravit. Joannes Antiochiæ natus, ibique a Meletio ejusdem civitatis episcopo, eodemque confessore, lector ecclesiæ ordinatus, per singulos officii gradus ascendit. Ubi per quinquennium continuum diaconus multos divinosque edidit libros; presbyter quoque factus per XII annos plures confecit. Tanta dehinc opinione ubique merito propagatus, Constantinopoli in locum Nectarii pontifex suffectus est: ubi plurima dulciaque divinarum Scripturarum volumina suo operi catholico [*Al.* catholicis] addidit, hosque episcopos habuit inimicos, Theophilum Alexandrinum, Epiphanium Cyprium, Acacium Beroensem, Antiochum Ptolomensem, Severianum Gabalensem et Severum Chalcedonensem. Gildo comes, idemque paganus, qui mortuo Theodosio principe Africæ præerat, dum Archadio et Honorio adhuc pueris regnantibus invidet, Africamque nititur obtinere, frater ejus Mascezel, cognita ejus vesania, relictisque duobus apud Africam filiis, in Italiam remeat: Gildo utrumque fratris filium dolo trucidat. Mascezel, fratris scelere cognito, cum quinque millibus suorum contra Gildonem cum LXX millibus armatorum sibimet obviantem infestus accedit, Gildonemque parricidam jejuniis et orationibus suis [*Al. deest* suis], immo beati Ambrosii in somnis admonitu auxiliantibus, fugavit. Gildo fugiens propria se manu strangulavit; sicque Mascezel sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam.

(A. C. 399.) *Ind.* XII, *Theodoro et Eutropio eunucho coss.*

Hic Eutropius omnium spadonum primus atque ultimus consul fuit, de quo Claudianus poeta:

> Omnia cesserunt Eunucho consule monstra.

Pulcheria Arcadio altera filia nata est. Gaina comes apud Constantinopolim ad præparandum civile bellum barbaros suos occulte admonet; ipse valetudinem simulans urbe digreditur: cœpto adversus Byzantios prælio plurimi hostium cadunt, cæteri fugientes ecclesiæ nostræ succedunt, ibique retecto [*Al.* detecto] ecclesiæ culmine jactisque desuper lapidibus obruuntur.

(A. C. 400.) *Ind.* XIII, *Stilicone et Aureliano coss.*

Bellum navale contra Gainam tyrannum inter Chersonesum et Hellespontum gestum est: multa millia Gothorum cæsa, vel demersa sunt. Gaina comes de hoc bello fugiens evasit; ipso tamen anno occisus est mense Februario [*Forte* Decembrio].

(A. C. 401.) *Ind.* XIV, *Vincentio et Fravita* [Chiffl. *Fravito*] *coss.*

Caput Gainæ hastili præfixum Constantinopolim allatum est. Maris Pontici superficies ita gelu frenata est, ut per triginta dies soluta tandem glacies instar montium per Propontidem superne portata decurreret. Theodosius junior patre Archadio natus est III [*Al.* IV] idus Apriles.

(A. C. 402.) *Ind.* XV, *Archadio* V *et Honorio* V *coss.*

Romanæ Ecclesiæ Innocentius XXXVIII creatus antistes, vixit annos XV. Theodosius junior in loco quo pater patruusque suus, Cæsar creatus est. Constantinopoli ingens terræmotus fuit.

(A. C. 403.) *Ind.* I, *Theodosio juniore et Rumorido coss.*

Marina patre Archadio nata III idus Febr. Eudoxiæ Archadii uxoris super porphyreticam columnam argentea statua juxta ecclesiam posita hactenus sistit. Joannem Constantinopolitanæ civitatis episcopum, cui supra dicti sex antistites incassum æmuli fuere, aliosque triginta sibimet episcopos conscivere, nolente Archadio principe, in Cucusum Armeniæ oppidum exsulem miserunt, eumque post annum unum in villam quæ Comana in regione Pontica dicitur, de exsilio in exsilium relegarunt. Hunc ibidem mortuum religiosa orthodoxorum plebs in atrio Basilisci episcopi sancti, idemque martyris, ab eodem martyre in somnis admonita, in novum moxque repertum sepulcrum recondidit.

(A. C. 404.) *Ind.* II, *Honorio* VI *et Aristæneto coss.*

Ecclesiam Constantinopolitanam flamma ignis quæ de beati Joannis throno quondam episcopi nata fuit, subito conflagravit, vicinamque ecclesiæ urbis faciem serpens nihilominus exussit. Eudoxia uxor Archadii diem obiit.

(A. C. 405.) *Ind.* III, *Stilicone* II *et Anthemio coss.*

Isauri per montem Tauri discursantes ingens dispendium reipublicæ importarunt, quibus Narbazaicus legatus majus continuo rependit incommodum.

(A. C. 406.) *Ind.* IV, *Archadio* VI *et Probo coss.*

Theodosius junior quinquennalia dedit. Radagaisus paganus et Scytha cum ducentis millibus suorum totam Italiam inundavit. Huldin et Sarus [*Chiffl.* Saurus] Hunnorum Gothorumque reges Radagaisum continuo devicerunt, ipsius capite amputato, captivos ejus singulis aureis distrahentes.

(A. C. 407.) *Ind.* V, *Honorio* VII *et Theodosio juniore* II *coss.*

Cisterna maxima juxta porphyreticam Constantini imperatoris columnam in foro ejus sub plateæ transitum constructa est.

(A. C. 408.) *Ind.* VI, *Basso et Philippo coss.*

Stilicho comes, cujus duæ filiæ Maria et Thermantia singulæ uxores Honorii principis fuere, utraque tamen virgo defuncta, spreto Honorio, regnumque ejus inhians, Alanorum, Suevorum, Wandalorumque gentes donis pecuniisque illectas contra regnum Honorii excitavit, Eucherium filium suum paganum et adversum Christianos insidias molientem cupiens Cæsarem ordinare. Qui cum eodem Eucherio dolo suo detecto occisus est. Romæ in foro pacis per dies septem terra mugitum dedit. Archadius imp. vitæ finem fecit: regnavit post obitum patris sui Theodosii annos XIII.

Digitized by Google

(A. C. 409.) *Ind.* VII, *Honorio* VIII *et Theodosio juniore* III *coss.*

Apud Constantinopolim magna exarsit populi seditio, panis scilicet penuria sibimet ingruente.

(A. C. 410.) *Ind.* VIII, *Varane solo cos.*

Alaricus trepidam urbem Romam invasit, partemque ejus cremavit incendio, sextoque die quam ingressus fuerat, deprædata urbe egressus est, Placidia Honorii principis sorore abducta, quam postea Ataulfo propinquo suo tradidit uxorem.

(A. C. 411.) *Ind.* IX, *Honorio* IX *et Theodosio* IV *coss.* [Al. *Theodos.* IV *solo*].

Theodosius junior decennalia, Honorius Romæ vicennalia dedit. Constantinus apud Gallias invasit imperium, filiumque suum ex monacho Cæsarem fecit : ipse apud Arelatum civitatem occiditur : Constans filius apud Viennam capite plectitur.

(A. C. 412.) *Ind.* X, *Theodosio imp.* V *solo cos.* [Al. *Honorio* IX *et Theodosio* V].

Jovinus ac Sebastianus in Galliis tyrannidem molientes occisi sunt. Attalus in mari captus, atque Honorio exhibitus, truncata manu vitæ relictus est.

(A. C. 413.) *Ind.* XI, *Lucio solo coss.*

Heraclianus [*Chiffl.* Heraclius] Africæ comes cum septingentis navibus et tribus militum millibus ad urbem tendens, mox ad urbem Romam egressus est : occursu Marini comitis territus et in fugam versus, arrepta nave solus Carthaginem rediit, ibique illico interfectus est.

(A. C. 414.) *Ind.* XII, *Constantino et Constante coss.*

Pulcheria Theodosii soror Augusta appellata est. Valia rex Gothorum, facta cum Honorio principe pace, Placidiam sororem ejus eidem viduam reddidit.

(A. C. 415.) *Ind.* XIII, *Honorio* X *et Theodosio* VI *coss.*

Ecclesia Constantinopolitana dudum igni cremata, his coss. restaurata dedicataque est, Attico episcopo tamdem regente ecclesiam. Lucianus presbyter vir sanctus, cui revelavit, Deus his consulibus, locum sepulcri et reliquiarum corporis sancti Stephani primi martyris, scripsit ipsam revelationem in Græco sermone ad omnium Ecclesiarum personas.

(A. C. 416.) *Ind.* XIV, *Theodosio* VII *et Palladio coss.*

Orosius presbyter Hispanici generis septem libros Historiarum descripsit. Missus ab Augustino episcopo idem Orosius pro discenda animæ ratione ad Hieronymum presbyterum, reliquias beati Stephani tunc nuper inventas rediens primus intulit Occidenti. Atticus Constantinopolitanus episcopus scripsit ad reginas, Archadii imp. filias, de Fide et Virginitate librum valde egregium, in quo præveniens Nestorianum dogma impugnat.

(A. C. 417.) *Ind.* XV, *Honorio* XI *et Constantio* II *coss.*

Tenebræ in die factæ sunt. Cybera Asiæ civitas, aliquantaque prædia terræmotu demersa. Romanæ Ecclesiæ Zosimus XXXIX episcopus ordinatus vixit annis III.

(A. C. 418.) *Ind.* I, *Honorio* XII *et Theodosio* VIII *coss.*

Plinta comes, idemque rebellium apud Palæstinam provinciam auctor deletus est. Solis defectio facta est. Stella ab Oriente per septem menses surgens ardensque apparuit.

(A. C. 419.) *Ind.* II, *Monaxio et Plinta coss.*

Valentinianus junior apud Ravennam patre Constantio et Placidia matre, V nonas Julias natus est. Multæ Palæstinæ civitates villæque terræmotu collapsæ. Dominus noster Jesus Christus semper ubique præsens [*Al.* totus], et super montem Oliveti Hierosolymæ vicinum sese de nube manifestavit. Multæ tunc utriusque sexus vicinarum gentium nationes, tam visu quam auditu perterritæ atque credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumque baptizatorum in tunicis crux Christi salvatoris, divinitatis nutu, extemplo impressa refulsit.

(A. C. 420.) *Ind.* III, *Theodosio* IX *et Constantio* III *coss.*

Romanæ Ecclesiæ Bonifacius XL episcopus ordinatus, vixit annis tribus. In Oriente tumultum milites excitarunt, ductoremque suum Maximinum nomine exstinxerunt. In Perside in Christianos persecutio desævit.

(A. C. 421.) *Ind.* IV, *Eustathio et Agricola coss.*

Theodosius imp. Eudoxiam Achivam duxit uxorem. Archadio patri suo in foro ejus, super immanem columnam, ingentem statuam idem Theodosius dedicavit. Cisterna Aetii constructa est. Romani cum Persis conflixere.

(A. C. 422.) *Ind.* V, *Honorio* XIII *et Theodosio* X *coss.*

Theodosius imp. Eudoxiam filiam genuit. In tricennalia Honorii, Maximus tyrannus et Jovinus ferro victi, adducti de Hispaniis atque interfecti sunt. Hunni Thraciam vastaverunt. Persæ cum Romanis pacem pepigere.

(A. C. 423.) *Ind.* VI, *Asclepiodoto et Mariniano coss.*

Cœlestinus Romanæ Ecclesiæ XLI antistes creatus est : vixit annos IX. Evagrius scripsit Altercationem Judæi Simonis et Theophili Christiani, quæ pene omnibus nota est. Terræmotus multis in locis fuit, et frugum inedia subsecuta. Philippus et Sallustius philosophi morbo perierunt. Stella sæpe ardente crinita Honorius imp. fatale munus implevit.

(A. C. 424.) *Ind.* VII, *Victore et Castino coss.*

Placidia mater Valentiniani Augusta nuncupata est. Valentinianus Cæsar creatus Theodosii imp. Eudoxiam filiam sibimet desponsavit. Joannes regnum Occidentale Honorio defuncto invasit.

(A. C. 425.) *Ind.* VIII, *Theodosio* XI *et Valentiniano Cæsare coss.*

Supra fatus Joannes dolo potius Ardaburis et Aspa-

Digitized by Google

ris quam virtute occiditur. Valentinianus junior apud Ravennam factus est imperator.

(A. C. 426.) *Ind.* IX, *Theodosio* XII *et Valentiniano* II *coss.*

Sisinnius vir sanctæ simplicitatis et simplicis sanctitatis, Constantinopolitanus episcopus factus est.

(A. C. 427.) *Ind.* X, *Hierio et Ardabure coss.*

Pannoniæ, quæ per quinquaginta [*Chiffl.* sexaginta] annos ab Hunnis retinebantur, a Romanis receptæ sunt. Thermæ Theodosianæ dedicatæ.

(A. C. 428.) *Ind.* XI, *Felice et Tauro coss.*

Nestorius Antiochia natus, vir satis quidem eloquentiæ, sapientiæ vero parum habens, Constantinopolitanis admodum adnitentibus, ex presbytero episcopus ordinatus est. Beatissimi Joannis episcopi, dudum malorum episcoporum invidia exsulati, apud comitatum cœpit memoria celebrari mense Septembrio die XXVI [*Chiffl.* XXV].

(A. C. 429.) *Ind.* XII, *Florentino et Dionysio coss.*

Orthodoxi nostri Macedonianorum ecclesiam extra muros urbis positam abstulerunt, quoniam iidem Macedoniani Antoninum Germis catholicum episcopum interfecerunt. Beatissimus Augustinus Hipponensis Ecclesiæ elegantissimus Christi sacerdos, doctorque præcipuus, morte placida quievit.

(A. C. 430.) *Ind.* XIII, *Theodosio* XIII *et Valentiniano* III *coss.*

Theodosius imp. tricennalia gessit. Felix apud Ravennam occiditur. Cœlestinus Romanæ arcis pontifex, Nestorio pravitatis episcopo per epistolam suam, datis eidem X dierum induciis, vel pœnitenti veniam, vel dissentienti damnationem denuntiat. Idem Nestorius Ecclesiæ Constantinopolitanæ perfidus antistes, a quo et Nestoriana perfidia pullulavit, apud Ephesum ducentorum sanctorum Patrum sententia in synodo condemnatus est, Cœlestino Cyrillum Alexandrinæ civitatis episcopum pro tempore vicarium denuntiante : in locum Nestorii Maximianus episcopus est subrogatus.

(A. C. 431.) *Ind.* XIV, *Antiocho et Basso coss.*

Flacilla Theodosii Augusti filia extremum spiritum fudit. Barbari urbe augusta enutriti ad ecclesiam nostram hostili ritu confluunt : ignem in ecclesiam ad comburendum altare dum infesti jaciunt, invicem sese, resistente Deo, trucidant. Hoc tempore dum ad horrea publica Theodosius processum celebrat, tritici in plebe ingruente penuria, imperator ab esuriente populo lapidibus impetitur.

(A. C. 432.) *Ind.* XV, *Valerio et Aetio coss.*

Romanæ Ecclesiæ Xystus XLII episcopus ordinatus, vixit annis VIII. Placidiæ matris Valentiniani imp. instinctu, ingens bellum inter Bonifacium et Aetium patricios gestum est. Aetius longiore Bonifacii telo pridie sibimet præparato, Bonifacium congredientem vulneravit illæsus; tertioque mense Bonifacius vulnere quo sauciatus fuerat emoritur, Pelagiam uxorem suam valde locupletem, nulli alteri nisi Aetio ut nuberet exhortans.

A (A. C. 433.) *Ind.* I, *Theodosio* XIV *et Maximo coss.*

Maxima urbis regiæ pars septentrionalis per tres dies continuos incensa, collapsaque est mense Augusto.

(A. C. 434.) *Ind.* II, *Ariobindo et Aspare coss.*

Honoria Valentiniani imp. soror ab Eugenio procuratore suo stuprata concepit, palatioque expulsa, Theodosio principi de Italia transmissa, Attilanem contra occidentalem rempublicam concitabat [*Aliqui codd.* transmissa, male enim contra occ. remp. cogitabat].

(A. C. 435.) *Ind.* III, *Theodosio* XV *et Valentiniano* IV *coss.*

B Forum Theodosii imp. in loco qui Helianæ dicitur ædificatum est. Sebastianus Bonifacii quondam patricii gener urbe Augusta fugit, atque in Africa interemptus est.

(A. C. 436.) *Ind.* IV, *Isidoro et Senatore coss.*

Theodosius imp. Cyzicum civitatem navibus petit, multaque eidem civitati munificentia præstita, urbem Augustam renavigavit.

(A. C. 437.) *Ind.* V, *Aetio* II *et Sigisvuldo coss.*

Valentinianus imp. Roma digressus, ad copulandam sibi in matrimonium Eudoxiam Theodosii principis filiam quam dudum desponsaverat, Constantinopolim advenit, eaque sibi nupta, apud Thessalonicam Italiam repetens hiemavit.

(A. C. 438.) *Ind.* VI, *Theodosio* XVI *et Fausto coss.*

C Cotradis [*Chiffl.* Contradis] prædo cum piratis suisque comitibus captus interfectusque est. Reliquiæ beatissimi Joannis, Augustæ urbis quondam episcopi, eidem redditæ civitati ibique sepultæ, mense Januario die XXVIII. Valentinianus imp. cum Eudoxia uxore Ravennam ingressus est.

(A. C. 439.) *Ind.* VII, *Theodosio* XVII *et Festo coss.*

Theodosius imp. octava quinquennalia edidit. Eudoxia uxor Theodosii principis ab Hierosolymis urbem regiam remeavit, beatissimi Stephani primi martyris reliquias quæ in basilica sancti Laurentii positæ venerantur, secum deferens. Hoc tempore Gensericus rex Wandalorum Africæ civitates, Carthaginemque metropolim cum suis satellitibus occupavit X kalend. Novembris.

D (A. C. 440.) *Ind.* VIII, *Valentiniano* V *et Anatolio coss.*

Paulinus magister officiorum in Cæsarea Cappadociæ, jubente Theodosio principe, interemptus est. Romanæ Ecclesiæ Leo XLIII papa creatus, vixit annos XXI.

(A. C. 441.) *Ind.* IX, *Cyro solo cos.*

Persæ, Sarraceni, Zanni [*Al.* Tzanni], Isauri, Hunni, finibus suis egressi, Romanorum sola vastarunt. Missi sunt contra hos Anatolius et Aspar magistri militiæ, pacemque cum eis unius anni fecerunt. Joannes natione Wandalus, magisterque militiæ, Arnegiscli [*Al.* Arnitiscli. *Corb.* Argenisli] fraude in Thracia interemptus est. Hunnorum reges nume-

Digitized by Google

rosis suorum cum millibus in Illyricum irruerunt : Naisum, Singidinum, aliasque civitates, oppidaque Illyrici plurima exciderunt.

(A. C. 442.) *Ind.* x, *Eudoxio et Dioscoro coss.*

Stella quæ crinita dicitur, per plurimum tempus ardens apparuit. Bleda et Attila, fratres, multarumque gentium reges, Illyricum Thraciamque depopulati sunt.

(A. C. 443.) *Ind.* xi *Maximo* ii *et Paterio* [Seu *Paterno*] *coss.*

His consulibus tanta nix cecidit, ut per sex menses vix liquescere potuerit : multa hominum et animalium millia frigoris rigore confecta perierunt. Theodosius imp. ex Asiana expeditione in urbem redit. Thermarum quæ Achilleæ dicuntur, encæniæ factæ.

(A. C. 444.) *Ind.* xii, *Theodosio* xviii *et Alberto coss.*

Theodosius princeps nona quinquennalia dedit. Archadia soror Theodosii vivendi finem fecit. Aliquanta Bithyniæ oppida atque prædia continuarum vi longa pluviarum, et fluviorum inundatione crescentium, sublapsa dissolutaque perierunt. Severum presbyterum et Joannem diaconum Eudoxiæ reginæ apud Æliam urbem ministrantes, missus ab imp. Theodosio Saturninus comes domesticorum occidit. Eudoxia nescio quo excita dolore Saturninum protinus obtruncavit : statimque mariti imp. nutu, regiis spoliata ministris apud Æliam civitatem moritura remansit.

(A. C. 445.) *Ind.* xiii, *Valentiniano* vi *et Nomo* [Vel *Nonio*] *coss.*

Bleda rex Hunnorum Attilæ fratris sui insidiis interimitur. Apud Byzantium populari orta in circo seditione multi sese invicem occiderunt, multaque intrinsecus [*Chiffl.* extrinsecus] hominum pecudumque morbo corpora perierunt.

(A. C. 446.) *Ind.* xiv, *Aetio* iii *et Symmacho* [Al. *Valentiniano* vii *et Aetio* iii] *coss.*

His consulibus magna fames Constantinopolim invasit, pestisque illico subsecuta. Templum regiæ civitatis igne crematum.

(A. C. 447.) *Ind.* xv, *Ardabure et Callepio* [Al. *Calipio*] *coss.*

Ingenti terræmotu per loca varia imminente plurimi urbis augustæ muri recenti adhuc reædificatione constructi, cum lvii turribus corruerunt. Saxa quoque ingentia in foro Tauri dudum super sese in ædificio posita, statuæque plurimæ sine ullius videlicet læsione collapsæ sunt, plurimis nihilominus civitatibus collapsis : fames et aerum pestifer odor multa millia hominum jumentorumque delevit. Ingens bellum et priore majus per Attilam regem nostris inflictum, pene totam Europam, excisis invasisque civitatibus atque castellis, conrasit. Eodem anno, urbis augustæ muri olim terræmotu collapsi, intra tres menses, Constantino præfecto prætorio operam dante, reædificati sunt. Attila rex usque ad Thermopolim infestus advenit. Arnegisclus [*Chiffl.* Argenisclus] magister militiæ in ripense Dacia, juxta Utum amnem, ab Attila rege, viriliter pugnans, plurimis hostium interemptis, occisus est.

(A. C. 448.) *Ind.* i, *Zenone et Postumiano coss.*

Provincia India Theodosio principi pro munere tigrim domitam misit. Utramque porticum Troadensem, turresque portarum utrasque ignis subitus exussit : quarum ruina continuo repurgata, Antiochus præfectus prætorio in pristinam erexit speciem, legatis Attilæ a Theodosio despectas [*Al.* depactas] olim pecunias flagitantibus.

(A. C. 449.) *Ind.* ii, *Protogene et Asturio coss.*

Marina Theodosii regis soror fati munus implevit. Flavianus episcopus in secunda apud Ephesum synodo, vi Dioscori Alexandrini episcopi et Saturnini spadonis in Epipam [*Chiffl.* etiam] exsulatus est. Areobinda et Taurus patricii communi vita defuncti sunt.

(A. C. 450.) *Ind.* iii, *Valentiniano* vii *et Abieno coss.*

Theodosius imp. vivendi finem fecit : regnavit post mortem Archadii patris sui annos xlii. Loco [*Al.* Locum] ejus Marcianus imperium [*Al.* imperator] adeptus est. Crysaphius eunuchus, Pulcheriæ Theodosii sororis nutu, sua cum avaritia interemptus est.

(A. C. 451.) *Ind.* iv, *Marciano Aug. et Adelfio coss.*

Leone pontifice sedem beati Petri regente, dcxxx Patrum sancta et universalis synodus contra Eutychetem nefandissimorum præsulem monachorum, apud Chalcedonam in basilica sanctæ Euphemiæ firmata est : solus Dioscorus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus dissensit, statimque ab iisdem catholicis Patribus sacerdotio abdicatus est.

(A. C. 452.) *Ind.* v, *Sporacio et Herculano coss.*

Marcianus Aug. suis statuit decretis ut hi qui consules fieri cupiebant, nihil æris in populum spargerent, sed statutam pecuniam ad reparandum Urbis aquæ ductum dependerent. Hoc tempore tres magni lapides e cœlo in Thracia ceciderunt. Aquileia civitas ab Attila Hunnorum rege excisa est.

(A. C. 453.) *Ind.* vi, *Vincomalo et Opilione coss.*

Joannes præcursor Domini et baptista, caput suum quod olim Herodias impia nefandaque postulatione ab humeris amputatum et in disco positum accepit, proculque a truncato ejus corpore sepelivit, duobus Orientalibus monachis ob adorandam apud Hierosolymam Christi Domini resurrectionem introeuntibus revelavit, ut ad Herodis quondam regis habitaculum accedentes admoniti requirerent, fideliterque humo extollerent. Hoc ergo caput fide [*Chiffl.* fidei] repertum, suaque hispida in mantica conditum, dum ad propria remeantes habitacula pervehunt, quidam Emisenæ figulus civitatis, diutinam imminentemque sibi fugiens paupertatem, sese his exhibuit comitem : quique dum nescius peram sibi creditam cum sacro capite portat, ab eo cujus caput vehebat, noctu admonitus, utrumque comitem fugiens dereliquit, statimque Emisenam urbem cum sancto levique onere

Digitized by Google

introgressus est. Ibique dum advixit, præcursoris Christi veneratus est caput, moriensque sorori suæ rerum nesciæ signatum in vasculo tradidit recolendum [*Fort.* colendum]. Illa vero successori suo repositum, signatumque ut erat dereliquit. Porro Eustochius, quidam occultus Arianæ perfidiæ presbyter, talem tantumque thesaurum indignus obtinuit, gratiamque quam Christus Dominus per Joannem baptistam infirmo populo tribuebat, is eam, ac si suam dumtaxat, in vulgo disseminabat. Hinc pravitate sua detecta, Emisena civitate expulsus est. Hoc deinde antrum in quo beatissimi Joannis caput in urnam missum, sub terraque reconditum erat, quidam monachi pro habitaculo habere cœperunt. Marcellus demum presbyter, totiusque monasterii præsul, dum in eodem specu vita irreprehensibili habitat, idem B. Joannes Christique præcursor sese eidem suumque ostendit caput, ibidemque sepultum multis præfulgens virtutibus patefecit. Hoc igitur venerabile caput sub Uranio memoratæ episcopo civitatis, per præfatum Marcellum presbyterum constat inventum Vincomalo et Opilione coss. mense Februario, die XXIV, media jejuniorum paschalium septimana, imperatoribus vero Valentiniano et Marciano regnantibus. Pulcheria Augusta, Marciani principis uxor, beati Laurentii atrium inimitabili opere consummavit, beatumque vivendi finem fecit.

(A. C. 454.) *Ind.* VII, *Aetio et Studio coss.*

Attila rex Hunnorum Europæ orbator provinciæ noctu mulieris manu cultroque confoditur. Quidam vero sanguinis rejectione necatum perhibent. Aetius patricius, magna Occidentalis reipublicæ salus, et regis Attilæ terror, a Valentiniano imp. cum Boetio amico in palatio trucidatur : atque cum ipso Hesperium cecidit regnum, nec hactenus valuit relevari.

(A. C. 455.) *Ind.* VIII, *Valentiniano* VIII *et Anthemio coss.*

Valentinianus princeps, dolo Maximi patricii, cujus etiam fraude Aetius perierat, in campo Martio per Optilam [*Chiffl.* Ostilam] et Traustilam Aetii satellites, jam percusso Heraclio spadone, truncatus est. Idem Maximus invasit imperium, tertioque tyrannidis suæ mense membratim Romæ a Romanis tractus discerptusque est [*Al.* discerptus est]. Gensericus rex Wandalorum, ab Eudoxia Valentiniani uxore epistolis invitatus, ex Africa Romam ingressus est, eaque urbe rebus omnibus spoliata, eamdem Eudoxiam cum duabus filiabus secum rediens abduxit.

(A. C. 456. *Ind.* IX, *Varane et Joanne coss.*

His consulibus innumera locustarum agmina fructum Phrygiæ vastaverunt. Eucherius Lugdunensis Ecclesiæ pontifex multa scripsit, tam ecclesiasticis quam monasticis studiis necessaria.

(A. C. 457.) *Ind.* X, *Constantino et Rufo coss.*

Marcianus imp. bonis principibus comparandus vitæ spiritum amisit : imperavit annos VI, menses VI. Leo eidem defuncto successit, cujus voluntate Majorianus apud Ravennam Cæsar est ordinatus.

(A. C. 458.) *Ind.* XI, *Leone Aug. et Majoriano* [Al. add. *Aug.*] *coss.*

Leo imp. pro tomo Chalcedonense per universum orbem singulis orthodoxorum episcopis, singulas consonantesque misit epistolas, quo sibi quid de eodem tomo sentirent cuncti suis rescriptionibus indicarent. Horum omnium episcoporum ita conspirantes suscepit epistolas, ut eas putares uno tempore unius viri eloquio fuisse dictatas.

(A. C. 459.) *Ind.* XII, *Patricio et Ricimere coss.*

Isaac Antiochenæ Ecclesiæ presbyter scripsit Syro sermone multa, præcipueque adversus Nestorianos et Eutychianos. Ruinam enim Antiochiæ elego carmine planxit, quemadmodum Ephrem diaconus Nicomediæ lapsum.

(A. C. 460.) *Ind.* XIII, *Apollonio et Magno coss.*

Cyzicus civitas terræmotu concussa, murorumque suorum ambitu interrupto, sese suosque diu deplanxit.

(A. C. 461.) *Ind.* XIV, *Dagalaifo et Severino coss.*

Romanæ Ecclesiæ Hilarus XLIV pontifex factus, vixit annos VI. Majorianus Cæsar apud Dertonam, juxta fluvium qui Hyra dicitur, interemptus est. Locum ejus Severus invasit.

(A. C. 462.) *Ind.* XV, *Leone Aug.* II *solo* [Cassiod. *et Severo Aug.*] *cos.*

Jacobus natione Achivus, religione paganus, medicinæ artis peritia, tam ingenio quam litteratura perclaruit. Hic ob medendum Leonem Aug. febre defatigatum, sacrum palatii cubiculum vocatus intravit, statimque in sella juxta torum imperialem posita, sine ullo Augusti nutu consedit, sicque medicas adhibuit manus. Porro meridie ad eumdem sacrum pulvinar reversus, sublatum sui propter solium in quo matutinus resederat protinus intellexit, spondamque tori regiam intrepidus supersedit, veterumque studii sui repertorum præceptionibus monitum id sese gessisse, non temere præsumpsisse, ægrotantem docuit principem.

(A. C. 463.) *Ind.* I, *Viviano et Felice coss.*

Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus et assertionibus nervosus, multa composuisse dicitur. Epistolæ quoque papæ Leonis adversus Eutychem de vera Christi Incarnatione datæ, ab isto dictatæ creduntur.

(A. C. 464.) *Ind.* II, *Rusticio et Olybrio coss.*

Beorgor rex Alanorum a Ricimere rege occiditur.

(A. C. 465.) *Ind.* III, *Basilisco et Herminerico coss.*

Constantinopolis magno invasa incendio, facieque fœdata deplanxit. Severus, qui Occidentis arripuit principatum, Romæ interiit.

(A. C. 466.) *Ind.* IV, *Leone Aug.* III *solo cos.*

Theodoritus episcopus Cyri civitatis scripsit de Incarnatione Domini adversus Eutychem presbyte-

rum et Dioscorum Alexandrinæ Ecclesiæ episcopum, qui humanam in Christo carnem fuisse denegant.

(A. C. 467.) *Ind.* v, *Puseo et Joanne coss.*

Leo imp. Anthemium patricium Romam misit, imperatoremque constituit. Romanæ Ecclesiæ Simplicius XLV pontifex creatus, vixit annos xv. Ravennam civitatem terræmotus deterruit.

(A. C. 468.) *Ind.* vi, *Anthemio Aug.* ii *solo cos.*

Marcellinus Occidentis patricius, idemque paganus, dum Romanis contra Wandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliumque fert, ab iisdem dolo confoditur pro quibus palam venerat pugnaturus.

(A. C. 469.) *Ind.* vii, *Zenone et Marciano coss.*

His coss. caput Denzicis Hunnorum regis Attilæ filii Constantinopolim allatum est.

(A. C. 470.) *Ind.* viii, *Jordane et Severo coss.*

Gennadius Constantinopolitanæ Ecclesiæ pontifex Danielem prophetam ex integro ad verbum commentatus est, et homilias multas composuit, et Pauli Epistolas omnes exposuit.

(A. C. 471.) *Ind.* ix, *Leone Aug.* iv *et Probiano coss.*

Aspar primus patriciorum cum Ardabure et Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem Cæsare generoque Leonis principis appellato, Arianus cum Ariana prole, spadonum ensibus in palatio vulneratus interiit.

(A. C. 472.) *Ind.* x, *Marciano et Festo coss.*

Vesuvius mons Campaniæ torridus intestinis ignibus æstuans exusta evomuit viscera, nocturnisque in die tenebris incumbentibus, omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Byzantii annue celebrant viii idus Novemb. Anthemius imp. Romæ a Ricimere genero suo occiditur. Loco ejus Olybrius substitutus, septimo mense imperii sui vita defunctus est. In Asia aliquantæ civitates vel oppida terræmotu collapsa sunt.

(A. C. 473.) *Ind.* xi, *Leone Aug.* v *solo cos.*

Glycerius apud Ravennam plus præsumptione quam electione Cæsar factus est. Constantinopoli seditione in circo orta, multi Isaurorum a populo interempti sunt.

(A. C. 474.) *Ind.* xii, *Leone juniore solo cos.*

Leo senior imp., Leone juniore a se jam Cæsare constituto, morbo periit, tam sui imperii annis quam hujus Leonis regni mensibus computatis, anno xvii, mense vi. Zenonem Leo junior, idemque filius imperator principem regni constituit. Glycerius Cæsar Romæ imperium tenens, a Nepote, Marcellini quondam patricii sororis filio, imperio expulsus, in portu urbis Romæ ex Cæsare episcopus ordinatus est, et obiit.

(A. C. 475.) *Ind.* xiii, *Zenone Aug.* ii *solo cos.*

Zeno imp. Verinæ socrus suæ et Basilisci fratris ejus A insidiis circumventus, cum Ariadne uxore sua profugus in Isauriam tendit. Regnum Zenoni Basiliscus tyrannus invasit. Nepos, qui Glycerium regno pepulerat, Romæ elevatus est imperator. Nepote Oreste protinus effugato, Augustulum filium suum in imperium collocavit.

(A. C. 476.) *Ind.* xiv, *Basilisco et Armato coss.*

Basiliscus tyrannus Marco filio suo Cæsare facto, dum contra fidem catholicam Nestoriana [*Potius* Eutychiana] perfidia intumescens conatur assurgere, ante inflatus crepuit quam pœnitens stare potuerit. Basiliscus cum filio et Zenonida uxore sua, jam Zenone pristinum ad imperium remeante, in exsilium missus est, atque in oppidulum quod Le-
B minis in provincia Cappadociæ dicitur, trusus fame extabuit. Odoacer rex Gothorum Romam obtinuit; Orestem Odoacer illico trucidavit; Augustulum filium Orestis Odoacer in Lucullano Campaniæ castello exsilii pœna damnavit. Hesperium Romanæ gentis imperium, quod septingentesimo nono [*Chifl.* septing. octavo] Urbis conditæ anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum regni imperatorum dxxii, Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.

(A. C. 477.) *Ind.* xv, *sine consulibus.*

Bracilam comitem Odoacer rex apud Ravennam occidit.

(A. C. 478.) *Ind.* i, *Illo solo cos.*

C Theodulus presbyter in Cœlesyria multa conscripsit, clarusque habetur.

(A. C. 479.) *Ind.* ii, *Zenone Aug.* iii *cos.*

Sabinianus magnus Illyricianæ utriusque militiæ ductor creatus, curiam fragilem, conlapsumque justum reipublicæ censum, vel præpaventem fovit, vel dependentem tutatus est. Disciplinæ præterea militaris ita optimus institutor coercitorque fuit, ut priscis Romanorum ductoribus compararetur. Theodoricum idem Sabinianus regem apud Græciam debacchantem ingenio magis quam virtute deterruit.

(A. C. 480.) *Ind.* iii, *Basilio* [Scil. *juniore*] *solo cos.*

D Urbs regia per xl continuos dies assiduo terræmotu quassata magnopere sese afflicta deplanxit. Ambæ Troadenses porticus corruerunt: aliquantæ ecclesiæ vel scissæ sunt vel collapsæ. Statua Theodosii Magni in foro Tauri super cochlidem columnam posita corruit, duobus fornicibus ejusdem collapsis. Hunc formidolosum diem Byzantii celebrant viii kalend. Octobris. His coss., Nepos, quem dudum Orestes imperio abdicaverat, Viatoris et Ovidæ [*Chifl.* Ovilæ] comitum suorum insidiis, haud longe a Salonis, sua in villa occisus est.

(A. C. 481.) *Ind.* iv, *Placido solo cos.*

Theodoricus Triarii filius rex Gothorum, ascitis suis usque ad Anaplum, quarto Urbis milliario arma-

Digitized by Google

tus advenit; nulli tamen Romanorum noxius continuo reversus est. Porro in Illyricum properans, dum inter suorum moventia plaustra progreditur, jacentis super carpentum teli acumine, et pavescentis equi sui impulsione, fixus transverberatusque interiit. Sabinianum Magnum mors quæ huic peccanti mundo merito imminet, ante eum ademit quam integrum defatigatæ reipublicæ subsidium foret.

(A. C. 482.) *Ind.* v, *Trocondo et Severino* [Scil. *juniore*] *coss.*

Romanæ Ecclesiæ Felix XLVI episcopus ordinatus, vixit annis xii. Theodoricus cognomento Valamer utramque Macedoniam Thessaliamque depopulatus est, Larissam quoque metropolim deprædatus.

(A. C. 483.) *Ind.* vi, *Fausto solo cos.*

Idem Theodoricus rex Gothorum Zenonis Aug. munificentiis pene pacatus, magisterque præsentis militiæ factus, consul quoque designatus, creditam sibi ripensis Daciæ partem Mœsiæque inferioris, cum suis satellitibus pro tempore tenuit.

(A. C. 484.) *Ind.* vii, *Theodorico et Venantio coss.*

Illus natione Isaurus, dignitate magister officiorum, amputata apud comitatum auricula, Orientem Zenoni infestus invasit. Porro cum Leontio tyrannidem arripuit. Totam namque per Africam crudelis Hunerici Wandalorum regis in nostros catholicos persecutio importata est. Nam exsulatis diffugatisque plus quam cccxxxiiii [*Chiffl.* cccxxxiii] orthodoxorum episcopis, ecclesiisque eorum clausis, plebs fidelium variis subacta suppliciis, beatum consummavit agonem. Nempe tunc idem rex Hunericus, unius catholici adolescentis vitam a nativitate sua sine ullo sermone ducentis, linguam præcepit excidi, idemque mutus quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox præcisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suæ exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos viros præcisis linguis, manibus truncatis, apud Byzantium integra voce conspexi loquentes. Hæc Arianorum crudelitas in religiosos Christi cultores supra scriptis coss. mense Februario cœpit infligi.

(A. C. 485.) *Ind.* viii, *Symmacho solo cos.*

Longinus Zenonis frater Augusti, post decennalem custodiam quam eidem Illus apud Isauriam inflixerat, ad germanum suum Constantinopolim advenit.

(A. C. 486.) *Ind.* ix, *Longino solo cos.* [Al. *et Decio coss.*]

Joannes Antiochenæ parœciæ ex grammatico presbyter, scripsit adversum eos qui in una tantum substantia adorandum asserunt Christum, nec acquiescunt duas in Christo confitendas esse naturas.

(A. C. 487.) *Ind.* x, *Boetio solo cos.*

Theodoricus rex Gothorum Zenonis Augusti numquam, beneficiis satiatus magna suorum manu usque ad regiam civitatem et Melentiadam oppidum infestus A accessit, plurimisque locis igne crematis, ad Novensem Mœsiæ civitatem, unde advenerat, remeavit.

(A. C. 488.) *Ind.* xi, *Dinamio et Sifidio coss.*

Leontius interea rex et Illus tyrannus, in Papyrio Isauriæ castello capti, decollatique sunt. Capita eorum Constantinopolim allata præfixa hastilibus tabuere. Eodem anno Theodoricus rex omnium suorum multitudine assumpta Gothorum in Italiam tendit.

(A. C. 489.) *Ind.* xii, *Eusebio et Probino coss.*

Idem Theodoricus rex Gothorum optatam occupavit Italiam. Odoacer itidem rex Gothorum metu Theodorici perterritus, Ravennam ingressus est: porro ab eodem Theodorico perjuriis illectus, interfectus-B que est.

(A. C. 490.) *Ind.* xiii, *Longino* ii *et Fausto coss.*

Zeno imp. Pelagii gulam in insula quæ Panormum dicitur, laqueo frangi præcepit.

(A. C. 491.) *Ind.* xiv, *Olybrio solo cos.*

Zeno Augustus vita decessit, tam sui imperii annis quam Basilisci tyrannidis mensibus computatis, annos xvii, menses vi. Anastasius ex silentiario imperator creatus est. Bellum plebeium inter Byzantios ortum, parsque urbis plurima atque circi igne combusta.

(A. C. 492.) *Ind.* xv, *Anastasio Aug. et Rufo coss.*

Dum bellum paratur Isauricum, dumque Isauri imperium sibi vindicare nituntur, in Phrygia juxta C Cotiæum civitatem undique confluunt; ibique Lilingis, segnis quidem pedes, sed eques in bello acerrimus, a Romanis primus in prælio trucidatur, omnesque simul Isauri fugæ dediti, per montana asperaque loca Isauriam repetunt. Hoc bellum Isauricum per sex annos tractum est.

(A. C. 493.) *Ind.* i, *Eusebio* ii *et Albino coss.*

Bella civilia adversus Anastasii regnum apud Constantinopolim gesta sunt: statuæ regis reginæque funibus ligatæ, atque per urbem tractæ. Julianus magister militiæ nocturno prælio pugnans, Scythico ferro in Thracia confossus interiit.

(A. C. 494.) *Ind.* ii, *Asterio et Præsidio coss.*

D Anastasius imp. contra orthodoxorum fidei majestatem intestina cœpit prælia commovere: piaculi sui perfidiam prius in Eufemium urbis episcopum, sibi pro orthodoxorum fide viriliter resultantem, profano manifestavit ingenio. Laodicea, Hierapolis et Tripolis, atque Agathicum uno tempore unoque terræmotu collapsæ sunt. Romanæ Ecclesiæ XLVII Gelasius episcopus ordinatus vixit annos iv [*Chiffl.* iii].

(A. C. 495.) *Ind.* iii, *Viatore solo cos.*

Eufemius Augustæ civitatis antistes de quo superius fecimus mentionem, falso ab Anastasio principe accusatus atque damnatus, in exsilium ductus est. Locum Eufemii Macedonius tenuit.

Digitized by Google

(A. C. 496.) *Ind.* IV, *Paulo solo cos.*

Augustatico suo dudum Anastasius militibus præstito, donativum quoque hoc fratre consule tribuit. India Anastasio principi elephantem, quem Plautus poeta noster Lucabum [*Id est* Lucam bovem] nomine dicit, duasque camelopardalas pro munere misit.

(A. C. 497.) *Ind.* V, *Anastasio Aug.* [Al. II] *solo cos.*

Solis defectus apparuit : bellumque Isauricum hoc sexto anno sedatum. Athenodorus Isaurorum primus in Isauria captus decollatusque est. Caput ejus Tarsum civitatem allatum pro portis hastili fixum extabuit.

(A. C. 498.) *Ind.* VI, *Joanne Scytha et Paulino coss.*

Romanæ Ecclesiæ XLVIII Anastasius pontifex ordinatus, vixit annos II. Longinus Isaurus cognomento B Selinunteus, apud Antiochiam Isauriæ civitatem a Prisco comite captus, Constantinopolim missus est, catenatusque per agentem circumductus Anastasio principi, et populo ingens spectaculum fuit : variisque deinde cruciatibus apud Nicæam Bithyniæ civitatem expensus est. Nummis quos Romani Terentianos [*Forte* Teruntios *aut* Teruntianos] vocant, Græci follares, Anastasius princeps suo nomine figuratis, placibilem [*Al.* placabilem] plebi commutationem distraxit.

(A. C. 499.) *Ind.* VII, *Joanne Gibbo solo cos.*

Aristus Illyricianæ ductor militiæ cum XV millibus armatorum, et cum DXX plaustris armis ad præliandum necessariis oneratis, contra Bulgares Thraciam C devastantes profectus est. Bellum juxta Zurtam fluvium consertum, ubi plus quam IV millia nostrorum, aut in fuga, aut in præcipitio ripæ fluminis interempta sunt. Ibique Illyriciana virtus militum periit, Nicostrato, Innocentio et Aquilino comitibus interfectis. Hoc anno ingens terræmotus Ponticam concussit provinciam.

(A. C. 500.) *Ind.* VIII, *Patricio et Hypatio coss.*

Romanæ Ecclesiæ XLIX Symmachus episcopus factus, vixit annos XV. Anastasius imp. donativum Illyricianis militibus per Paulum tribunum notariorum erogandum misit.

(A. C. 501.) *Ind.* IX, *Pompeio et Avieno coss.*

Constantio præfecto urbis ludos theatrales meridiano tempore spectante, pars in eodem spectaculo D Cerealis parti diversæ [*Sirm. prave*, cerealis parti diverso] cæruleæ occultas præparavit insidias. Nam enses saxaque in vasis inclusa fictilibus, eademque arma diversis pomis desuper cumulata, sub theatri porticu ritu vendentium statuit. Dum residente Constantio ex more civium concrepant voces, ante visa quam audita arma excutiuntur, saxaque in incautos et cives instar imbrium jaciuntur, ensesque vibrantes in amicorum inque vicinorum sanguine obliti, suis cum percussoribus debacchantur : nutat et congemiscit theatri cavea, et refugientium huc atque illuc suorum pedibus conculcata, occisorumque fœdata cruore deplangit. Plus enim quam tria millia civium saxis,

A gladiisque, compressionibus et aquis proscenis amissos urbs Augusta deflevit.

(A. C. 502.) *Ind.* X, *Probo et Avieno coss.*

Consueta gens Bulgarorum deprædatam sæpe Thraciam, nullo Romanorum milite resistente, iterum devastavit. Amidam opulentissimam civitatem, monachorum ejus astu proditam, Choadis rex Persarum, quinto mense quam expugnare eam cœperat, irrupit, proditoresque ejus monachos obtruncavit.

(A. C. 503.) *Ind.* XI, *Dexicrate et Volusiano coss.*

Tres Romanorum ductores, Patricius, Hypatius et Areobinda, qui cum XV millibus armatorum olim in Persas missi fuerant pugnaturi, juxta Syficum castellum cum iisdem Persis sine audacia confixerunt, multis tunc militum ductoribus de prælio fugientibus cæsis. Immenso dehinc auri pondere hostibus dato, captam rebusque vacuam Amidam civitatem, iidem nostri redemere ductores, jam Celere magistro officiorum sibi cum duobus millibus bellatorum in subsidium destinato.

(A. C. 504.) *Ind.* XII, *Cethego solo cos.*

Interea Celer magister officiorum per Callinicum Mesopotamiæ civitatem armatum ducens militem, ad devastanda Persarum rura discurrit, plurimos agrestes rusticis intentos laboribus more pecudum trucidat, pastores diversorum pecorum cum numerosis jumentis abducit, castella latere lutoque constructa invadit, usque ad Pontem Ferreum sic nomine dictum, cuncta vastando progreditur, omnique præda potitus ad communia castra ditato milite remeat, aliquanta dehinc ob percutiendum fœdus cum Persis deliberat, misso ad se pro pepigendo fœdere Armonio a secretis.

(A. C. 505.) *Ind.* XIII, *Sabiniano et Theodoro coss.*

Idem Sabinianus Sabiniani Magni filius, ductorque militiæ, delegatus contra Mundonem Getam arma construxit, X millia armatorum sibimet ascitorum plaustraque armis atque commeatibus onerata secum trahens, pugnaturus accessit : commissoque ad Horreo Margo [*Fort.* Horrea Margi] prælio, multis suorum militibus in hoc conflictu perditis, et in Margo flumine enecatis, amissis præterea plaustris, in castellum quod Nato dicitur cum paucis fugit : tanta in hoc lamentabili bello spes militum cecidit, ut quantum apud mortales nequaquam potuerit reparari.

(A. C. 506.) *Ind.* XIV, *Areobinda et Messala coss.*

His coss. Anastasii principis statua, in eodem loco quo dudum Theodosii Magni steterat, super immanem columnam in foro Tauri statuta est.

(A. C. 507.) *Ind.* XV, *Anastasio Aug.* III [*Cassiod. et Venantio*] *cos.*

Seditio popularis in circo facta est ; miles et armatus obstitit. Gradus circi septentrionalis sua cum forma incensi collapsique sunt, Anastasio Cæsare in processibus commorante.

(A. C. 508.) *Ind.* I, *Celere et Venantio coss.*

Romanus comes domesticorum et Rusticus comes

Digitized by Google

scholariorum, cum centum armatis navibus, totidemque dromonibus, octo millia militum armatorum secum ferentibus, ad devastanda Italiæ littora processerunt, et usque ad Tarentum antiquissimam civitatem aggressi sunt, remensoque mari inhonestam victoriam quam piratico ausu Romani ex Romanis rapuerunt, Anastasio Cæsari reportarunt.

(A. C. 509.) *Ind.* II, *Opportuno* [Sive *Importuno*] *solo cos.*

Orto augusta urbe incendio utramque porticum a foro Constantini usque ad Perdiccæ tenuissimam statuam ignis in pulverem redegit. Portus Juliani, undis suis rotalibus machinis prius exhaustus, cœnoque effosso, purgatus est.

(A. C. 510.) *Ind.* III, *Boetio solo cos.*

Simulacrum æneum in foro Strategii super fornicem residens, et cornu copiæ fortunæ retinens incendio proflammatum est, combustumque amisit brachium, quod tamen statuarii continuo solidarunt. Appius patricius exsulatus est. Constantinus olim magister militiæ episcopus Laodiceæ ordinatus.

(A. C. 511.) *Ind.* IV, *Secundino et Felice coss.*

Macedonius Augustæ urbis episcopus, licet olim Anastasii imperatoris dolis fallaciisque circumventus, pravorumque testimoniis eidem Cæsari accusatus, quoniam tomum sanctorum Patrum apud Calchedonam sancta dudum subscriptione roboratum eidem principi dare distulit, ab eodem Euchaita in exsilium deputatus est. Locum Macedonii Timotheus meridiano tempore ab Anastasio Cæsare episcopus ordinatus invasit.

(A. C. 512.) *Ind.* V, *Paulo et Musciano coss.*

Sæpe cœlum a septemtrionali plaga ardere visum est. Die dominico, dum jubente Anastasio Cæsare per Marinum perque Platonem in ecclesiæ pulpito consistentes, in hymnum Trinitatis Deipassianorum quaternitas additur, multi orthodoxorum pristina voce psallentes, perfidosque præcones clamoribus objurgantes, in ejusdem ecclesiæ gremio cæsi sunt, ductique in carceres perierunt : altera nihilominus die in atrio sancti Theodori [*Chiffl.* Theodosii] majori cæde catholici pro fide unica perculsi sunt. Quapropter commota orthodoxorum agmina die sequenti, id est, VIII idus Novemb. (in quo die memoria cineris dudum totam Europam tegentis apud Byzantios celebratur) in forum Constantini undique confluunt : quorum alii quidem, cæteris die noctuque hymnum Trinitatis Christo Deo psallentibus, totam peragrant civitatem, et Anastasii Cæsaris monastico habitu assentatores ferro flammisque interimunt : alii claves portarum omniaque signa militaria, ad forum quo religionis castra metati fuerant, deferunt: ibique Anastasio Cæsare in processibus degente, Areobindam sibi imperatorem fieri clamitant. Imaginibus deinde statuisque Anastasii in terram dejectis, Celerem et Patricium senatores, ad se supplicandi sibi vel satisfaciendi gratia missos, jactis pluviæ instar lapidibus repulerunt. Domibus Marini et A Pompeii succensis, in circum ad Anastasium venientes, et ante suum solium consistentes, hymnum Trinitatis juxta morem catholicorum concinentes, coruscansque evangelium cruceinque Christi ferentes, e foro plurimi convenerunt, Marinum Platonemque pravitatis ejus auctores feris subjici conclamantes. Hos cives idem Anastasius Cæsar solitis perjuriis simulatisque vocibus, sese facturum cuncta promittens, tertio die quam in forum advenerant, sine ullo rerum effectu ad sua fecit habitacula repedare. Porro redintegrata Anastasius pravitate, infamem et irridendam synodum apud Sidonem civitatem, cujus de nomine in ridiculis nomina præponuntur, LXXX ferme perfidorum episcopis congregatis, adversum orthodoxorum episcopum [*Al.* episcopos], fieri imperavit. B Flavianus Antiochiæ catholicus patriarcha, et Joannes Paltensium oppidi pontifex, quoniam hunc cœtum sacrilegum refellerant, in castellum quod Petra dicitur, exsules missi sunt. Ibi Flavianus confessor Christi in Domino requievit : Joannem Justinus Aug. mox imperator factus, revocavit. Iisdem ferme temporibus solis defectus contigit. Gens Erulorum in terras atque civitates Romanorum jussu Anastasii Cæsaris introducta.

(A. C. 513.) *Ind.* VI, *Clementino et Probo coss.*

Severus Eutychetis perfidiæ cultor, Anastasio Cæsare volente, sedem Flaviani antistitis ex monacho factus episcopus occupavit. Dorotheus Ancyræ civitatis venerandus antistes, Anastasio principi propter unicam orthodoxorum fidem jugiter adversarius, C finem vivendi quem sibimet misso contra se a Cæsare magistriano ipse prædixerat, in dicto tempore fecit.

(A. C. 514.) *Ind.* VII, *Senatore solo cos.*

Vitalianus Scytha, assumptis Romanorum equitum peditumque plusquam LX millibus armatorum in triduo congregatorum, in locum qui Septimius dicitur, advenit, ibique castra metatus est ; dispositisque a mari in mare suorum ordinibus, ipse ad usque portam quæ Aurea dicitur, sine ullius accessit dispendio; scilicet pro orthodoxorum se fide, proque Macedonio urbis episcopo, incassum ab Anastasio principe exsulato, Constantinopolim accessisse asserens. Porro Anastasii simulationibus atque perjuriis per Theo- D dorum internuntium illectus atque illusus, octavo die quam urbem accesserat, remeavit. Hinc Odyssum Mœsiæ civitatem Vitalianus pernoctans astu ingressus est. Cyrillum lenocinantem magis quam strenuum militiæ ductorem, inter duas pellices Vitalianus reperit dormientem, eumque abstractum mox cultro Getico jugulavit, hostemque se Anastasio Cæsari palam aperteque exhibuit.

(A. C. 515.) *Ind.* VIII, *Anthemio et Florentio coss.*

Romanæ Ecclesiæ L Hormisda episcopus ordinatus, vixit annos IX. Idem Vitalianus eidem Anastasio imp. immanior factus est inimicus : præmissis quippe suorum equitibus, armatisque naviculis sinistro sibi littore decurrentibus, ipse peditum armis stipa-

tus Systhenense prædium ingressus est, totiusque A loci palatium habuit mansionem. Missi sunt ad Vitalianum a Cæsare senatores, qui pacis cum eo leges componerent: nonaginta auri pondo, exceptis regalibus muneribus, pro pretio tunc accepit Hypatii, jam mille centum auri libris cum Uranio captivo sibi a suis in Sozopoli oblatis. Magister militum Vitalianus per Thraciam factus, Hypatium quem captivum catenatumque apud Acres castellum tenebat, reversus suo remisit avunculo. Ea tempestate Hunni, Armenia transmissa, totam Cappadociam devastantes, usque Lycaoniam perrexerunt: Ariadne Augusta LX annis in palatio exactis vita decessit.

(A. C. 516.) *Ind.* IX, *Petro solo cos.*

Mutata fide Anastasius imp. Vitaliano succedit, B eidemque Rufinum destinat successorem. Helias Hierosolymitanæ urbis episcopus in villa quæ Haila dicitur, ab eodem principe relegatus emoritur. Laurentium præterea Lychnidensem, Domnionem Serdicensem, Alcissum Nicopolitanum, Gaianum Naissitanum et Evangelum Pautaliensem, catholicos Illyrici sacerdotes, suis Anastasius præsentari jussit obtutibus. Alcissus et Gaianus episcopi apud Byzantium vita defuncti sunt, unoque sepulcro reconditi. Domnione et Evangelo ad sedes proprias, ob metum Illyriciani catholici militis, extemplo remissis, solus Laurentius Anastasium imp. in palatio pro fide catholica sæpe convincens, apud comitatum, ac si in exsilio relegatus, retentus est, mobiliorque deinde corpore, quam Constantinopolim advenerat, C effectus. Nam septimo infirmitatis suæ anno idem Laurentius fide sua, sed [*Onuphr.* et] Christi gratia, in atrio Cosmæ et Damiani sanatus est, pedibusque sistere propriis gressibusque meruit confirmari, suæque deiu patriæ incolumis reddi, ubi major octogenario requiescit.

(A. C. 517.) *Ind.* X, *Anastasio et Agapito coss.*

Olla illa quæ in Jeremia vate ab aquilone adversum nos nostraque delicta sæpe succenditur, tela ignita fabricavit, maximamque partem Illyrici iisdem jaculis vulneravit. Duæ tunc Macedoniæ, Thessaliaque vastata est, et usque Thermopylas veteremque Epirum Getæ equites deprædati sunt. Mille tunc librarum auri denarios per Paulum Anastasius imperator pro redimendis Romanorum captivis, Joanni D præfecto Illyrici misit: deficiente pretio, vel inclusi suis cum domunculis captivi Romani tenti sunt, vel pro muris clausarum urbium trucidati.

(A. C. 518.) *Ind.* XI, *Magno solo* [Al. *et Florentio.* Al. *et Agapeto* II] *cos.*

In provincia Dardania assiduo terræ motu XXIV castella uno momento collapsa sunt. Quorum duo suis cum habitatoribus demersa, quatuor dimidia ædificiorum suorum hominumque amissa parte destructa, undecim tertia domorum totidemque populi clade dejecta, septem quarta tectorum suorum, tantaque plebis parte depressa, vicina vero metu [*Onuphr.* vicinarum metu] ruinarum despecta sunt. Scupus namque metropolis, licet sine civium suorum hostem fugientium clade, funditus tamen corruit. Uno in castello regionis Canisæ quod Sarmunto dicitur, ruptis tunc terra venis, et ad instar torridæ fornacis exæstuans, diutinum altrinsecus ferventemque imbrem evomuit. Plurimi totius provinciæ montes hoc terræmotu scissi sunt, saxaque suis evulsa compagibus, devolutaque arborum crepido per XXX passuum millia patens, et in XII pedum latitudinem dehiscens, profundam aliquantis voraginem civibus, castellorum saxorumque ruinas, vel adhuc hostium incursiones fugientibus, jussa paravit. Anastasius imp. subita morte præventus major octogenario periit: regnavit annos XXVII menses II dies XXIX.

(A. C. 519.) *Ind.* XII, *Justino Aug. et Eutharico coss.*

Justinus a senatu electus imperator continuo ordinatus est. Amantius palatii præpositus, Andreas, Misael et Ardabur cubicularii, Manichæorum fautores, et Justini Augusti deprehensi sunt proditores. Quorum duo, Amantius et Andreas, ferro trucidati sunt: Misael et Ardabur Serdicam in exsilium missi. Theocritus Amantii satelles, quem idem Amantius præpositus ad regnandum clam præparaverat, comprehensus, et in carcere saxis contusus ingentibus periit, salsoque in gurgite jacuit, sepultura quoque cum imperio cui inhiarat caruit. Vitalianus Scytha Justini principis pietate ad rempublicam revocatus, Constantinopolim ingressus est, septimoque receptionis suæ die magister militiæ ordinatus.

(A. C. 520). *Ind.* XIII, *Vitaliano et Rustico coss.*

Vitalianus consul VII, mense consulatus sui XVI, vulneribus confossus, in palatio cum Celeriano et Paulo satellitibus suis interemptus est.

(A. C. 521.) *Ind.* XIV, *Justiniano et Valerio coss.*

Famosissimum hunc consulatum Justinianus consul omnium Orientalium consulatu profecto munificentior his liberalitatibus edidit. Nam CCLXXXVIII millia solidorum in populum, inque spectacula sive in spectaculorum machinam distributa, XX leones, XXX pardos, exceptis aliis feris, in amphitheatro simul exhibuit. Numerosos præterea phaleratosque in circo caballos jam donatis quoque impertivit aurigis, una dumtaxat ultimaque mappa insanienti populo denegata.

(A. C. 522.) *Ind.* XV, *Symmacho et Boetio coss.*

(A. C. 523.) *Ind.* I, *Maximo solo cos.*

Plerique lapidatorum, percussorum, urbisque depopulatorum, sua ob scelera deprehensi, ferro, igni, suspendioque expensi sunt, gratum bonis civibus spectaculum exhibentes.

(A. C. 524.) *Ind.* II, *Justino Aug.* II *et Opilione coss.*

His consulibus inopia olei magnam penuriam in populum importavit.

(A. C. 525.) *Ind.* III, *Filoxeno et Probo coss.*

Joannes Romanæ Ecclesiæ papa LI anno a Petro apostolorum pontificumque præsule CCCCLXXV ses-

Digitized by Google

sionis ejus, Theoderico rege pro Arianorum suorum cæremoniis reparandis laborante, solus dumtaxat Romanorum sibimet decessorum,, urbe digressus Constantinopolim venit, miro honore susceptus est. Dexter dextrum ecclesiæ insedit solium, diemque Domini nostri resurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit.

(A. C. 526.) *Ind.* IV, *Olybrio solo cos.*

Totam quidem Antiochiam Syriæ civitatem repens inter prandendum terræ motus invasit : alioquin occiduam urbis magnam ejus partem, sinistris mox ventis undique flantibus, flammasque coquinarum pro tempore æstuantes ruentia in ædificia miscentibus, duplex torridumque exitium importavit. Eufrasium quoque totius urbis [*Onuph.* loci hujus urbis] episcopum, adempto ejus capite, combusto simul obruit sepulcro, obelisco circi inverso et humi defosso.

(A. C. 527.) *Ind.* V, *Mabortio* [Sive *Mavortio*] *solo cos.*

Anno regiæ Urbis conditæ CXCVII, Justinus imperator Justinianum ex sorore sua nepotem, jamdudum a se nobilissimum designatum, participem quoque regni sui successoremque creavit kal. Aprilis. Ipse vero quarto ab hoc mense vita decessit, anno imperii IX, mense II.

(A. C. 528.) *Ind.* VI, *Justiniano Aug. solo cos.*

Anno regiæ Urbis conditæ CXCVIII, regium vestibulum, priscumque in eo solium, ob aspicienda probandaque in circo certamina structum, victor Justinianus princeps, eminentius clariusque quam fuerat, et utramque senatorum ex more spectantium porticum solita magnanimitate redintegravit, bonis quidem agitatoribus præmium, ignavis autem severitatem innuens.

(A. C. 529.) *Ind.* VII, *Decio solo cos.*

Parthis bella moventibus arma Romanus paravit exercitus, finesque suos rebellans tutatus est. Hæc expeditio nostrorum pene per quinquennium tenuit, digressaque Oriente Africam petit, contra Wandalos feliciter dimicatura.

(A. C. 530.) *Ind.* VIII, *Lampadio et Oreste coss.*

Mundo Illyricianæ utriusque militiæ ductor, dudum Getis Illyricum discursantibus primus omnium Romanorum ducum incubuit, eosque haud paucis ipsorum interemptis fugavit. His autem deinde coss. idem dux audaciæ suæ secundus in Thraciam quoque advolans, prædantes eam Bulgares feliciore pugna cecidit, quingentis eorum in prælio trucidatis

(A. C. 531.) *Ind.* IX, *post consulatum Lampadii et Orestis.*

His coss. codex Justinianus [*Chiffl.* Justiniani] orbi promulgatus est.

(A. C. 532.) *Ind.* X, *item post consulatum Lampadii et Orestis.*

Hypatius, Pompeius et Probus genere consobrini, divique Anastasii nepotes, imperium quod sibi singuli indigna ambitione exoptabant, idibus Januariis, jam plerisque nobilium conjuratis, omnique seditiosorum turba armis donisque ministratis illecta, dolis invadere tentaverunt, atque per quinque continuos dies urbem regiam rapinis, ferro igneque per sceleratos cives, sine certo interrege discursantes, hostili impietate, ipsi se fideles reipublicæ in palatio dissimulantes, depopulati sunt. Quinta vero hujus infandi sceleris die, dum de foro Hypatius sceleratorum comitum manibus torque redimitus aureo, et Pompeius comes ejus sua sub veste loricatus, ad invadendum conscendunt palatium; uterque eorum ante fores palatii captus est, statimque piissimi principis nostri nutu catenatus trucidatusque pœnas luit, et ante imperium perdidit, quam haberet, innumeris passim in circo populis trucidatis, et tyrannorum sociis continuo proscriptis. Ecclesia tunc incensa mox cœpit ab eodem Augusto renovari.

(A. C. 533.) *Ind.* XI, *Justiniano Aug.* III *cos.*

Post diuturnum immanemque laborem contra Medos Romanis gestum sudoribus, tandem per Ruffinum patricium, perque Hermogenem magistrum officiorum, utrumque legatum a principe nostro missum, pax cum Parthis depacta est. Sponsionem percussi fœderis ab utroque imperatore invicem sibi munera in concordiam missa secuta sunt.

(A. C. 534.) *Ind.* XII, *Justiniano Aug.* IV *et Paulino coss.*

Provincia Africa quæ in divisione orbis terrarum a plerisque in parte tertia posita est, volente Deo vindicata est. Carthago quoque civitas ejus anno excidionis suæ XCVI, pulsis devictisque Wandalis, Galimero rege eorum capto, et Constantinopolim misso, quarto Justiniani principis consulatu ipsius moderatione recepta est, sua cum patria firmius quam dudum fuerat, redintegrata. Quo tempore Theodahadus rex Gothorum Amalasuentham reginam creatricem suam de regno pulsam in insula laci Bulsiniensis occidit. Cujus mortem imperator Justinianus ut doluit, sic est ultus [*Scal.* sic et ultus est]. [*Huc usque Marcellinus comes.*)

(A. C. 535.) *Ind.* XIII, *Belisario solo cos.*

Postquam Carthago Libyaque suo cum rege Selimero per Belisarium est subjugata, de Roma Italiaque deliberat imperator : iterumque expeditio, iterumque classis paratur, idemque ductor qui consul eligitur, rectoque navigio Siciliam properat, Catanam et Syracusas sine mora, immo omnem pervadit Trinacriam. Ibique comperiens quod in Africa civile bellum exoritur, et miles in proprium ducem insurgit, cum paucis ad Africam tendit, Solomoni qui præerat subvenit : exercitum vero partim blandiendo, partim ulciscendo, inimicum tyrannum effugando, reipublicæ consulit utilitati, remensoque navigio Trinacriam redit. Agapitus Romanæ urbis episcopus a Theodato rege Gothorum in legationem directus Constantinopolim venit. Tzitta patricius in Mysia cum hoste Bulgarum congrediens ad Jatrum

Digitized by Google

superior invenitur. Epiphanius episcopus regiæ urbis ante adventum Romani præsulis moritur : cujus episcopatum contra canones Anthimus Trapezuntena Ecclesia relicta invadit.

(A. C. 536.) *Ind.* XIV, *post consulatum Belisarii.*

Ebremud Theodati genere relicto exercitu regio in Brutiis, ad Belisarium in Siciliam convolavit. In Africa vero, Solomone itidem cum exercitu dissidente, Germanus succedit Solomonem remittens ad principem. Belisarius Campaniam transiens Neapolim vastat. Gothorum exercitus Theodahadum regem habens suspectum, Vitigem in regnum asciscit : qui mox in campo barbarico regnum pervasit. Expeditione soluta Romam ingreditur, ubi jam Agapito Constantinopoli defuncto, Theodahadus rex Silverium episcopatui subrogarat, ibique residens dirigit Ravennam, Theodatum occidit, in loco qui dicitur Quintus, juxta fluvium Santernum : et ipse subsequitur per Tusciam, omnes opes Theodati diripiens, quas in Insula, vel in Urbevetus congregaverat. Ravennamque ingressus Matesuentham neptem Theodorici sibi sociam in regno plus vi copulat, quam amore. Belisarius favente Domino ingreditur. Germanus in Africa feliciter administrat. Agapitus Constantinopolim, ut diximus, episcopus de Roma adveniens, Anthimum mox Ecclesia pellit, dicens eum juxta ecclesiasticam regulam adulterum, qui sua Ecclesia dimissa ambierat alienam : in cujus locum Mennam presbyterum episcopum ordinavit : et ipse extremum diem obiit in Domino : in nullo tamen, sicut ei a principe objiciebatur, sentiens contra fidem. Ipso namque anno ob nimiam siccitatem pastura in Perside denegata, circiter quindecim millia Saracenorum ab Alamundaro cum Chabo et Hezido phylarchis limites Euphratesiæ ingressa sunt. Ubi Batzas dux eos partim blanditiis, partim distractione [*Vel* districtione] pacifica fovit, et inhiantes bellare repressit.

(A. C. 537.) *Ind.* XV, *iterum post consulatum Belisarii.*

Vitiges tyrannus exercitu aggregato Romam obsidet, cui tunc faventem papam Silverium Belisarius ab episcopatu submovit, et loco ejus Vigilium diaconum ordinavit. Temporeque longo Romam obsidente Vitige, Belisarius intus inedia vigiliisque laborans, auxilium ab imperatore deposcit. Cui directi sunt Martinus et Valerianus, uterque magister militiæ : nec sic tamen Vitiges obsidionem reliquit. In Africa Germanus rebelliones milites cum Stotza tyranno inter Maurorum deserta bellando effugat. In Oriente quoque Joannes Cottistis arripiens tyrannidem, ante quam adversi aliquid tentaret, Daras exstinctus est. Ecclesia major Constantinopoli ab imperatore Justiniano singulariter in mundo constructa dedicatur die VI kal. Januarias.

(A. C. 538.) *Ind.* I, *Joanne solo* [Vel *Volusiano et Joanne*] *cos.*

Adhuc Vitige in obsidione Romæ morante, Joannes magister militum cum Batza, Conone, Paulo Remaque illustribus, magnoque exercitu apparato, ad Italiam properant, castraque ad portum Romanum collocant, laboranti Romæ subveniunt. Quorum adventum Vitiges cernens, trium mensium temporis cum Belisario pacta confirmat, suosque legatos ad imperatorem transmittit. In qua pace Belisarius Campaniam redit, annonæ copiam Romæ illaturus : reversusque Campania contrarium sibi de medio aufert Constantinum patricium. Joannes vero in portu quæ posuerat castra deserens, Samnitum regionem ingressus est, Aternoque oppido expugnato, Tremonem Gothorum ducem cum suis prosternit. Ortonam quoque similiter invadit : Picenum deprædans, Ariminum occupat. Quo audito Vitiges ab obsidione Urbis in qua adhuc post turbatam pacem consistebat, relicta Roma, per Clodiæ aggerem et annonariam Tusciam transit Apenninum, et in Rubiconis fluminis ripa castra metatus, Ariminum obsidet. Unde proturbatus a Narsete de Constantinopoli, et a Belisario de Roma venientibus, fugit Ravennam. Cujus nepos Oraio Mediolanum longa inedia deterit, Mundilam Paulumque duces ibi positos cum suo milite obsidens. Narsete vero Arimino residente, Belisarius accedens Romam ad exhiemandum, deditione suscipit Urbinum, et Urbemvetus, et insulam laci Bulsinensis.

(A. C. 539.) *Ind.* II, *Appione solo cos.*

Narses revertitur Constantinopolim. Belisarius obsidens Auximum septimo mense ingreditur, similiterque et Fesulam. Gothi Mediolanum ingressi muros diruunt, prædamque potiti, omnes Romanos interficiunt. Mundilam Paulumque duces abducunt Ravennam. Theudibertus Francorum rex cum magno exercitu adveniens, Liguriam totamque deprædat Æmiliam. Genuam oppidum in littore Tyrreni maris situm evertit ac prædat. Exercitu dehinc suo morbo laborante, ut subveniat paciscens cum Belisario, ad Gallias revertitur. Germanus de Africa Constantinopolim evocatur. Solomon ibi rursus dirigitur. Calluc magister militum cum Gepidis primum feliciter dimicans, secundo infeliciter ruit.

(A. C. 540.) *Ind.* III, *Justino jun. solo cos.*

Parthi in Syriam ingressi multas urbes subvertunt : contra quos Germanus arma arripiens, Justinum filium, eumdemque consulem, in ipsis fascibus secum ducit. Antiochia magna deprædata demolitur a Persis. Belisarius Ravennam ingreditur, regem Vitigem et reginam, cunctasque opes Gothosque nobiliores tollens secum, ad imperatorem revertitur, evocante se Marcello comite. Solomon in Africa feliciter dimicans rebelliones proturbat. Gothi trans Padum residentes, Oraio Vitigis nepote et Heldebado ductantibus, Vitigem regem cum regina opibusque palatii, nec non et Gothos audientes sedibus propriis pulsos, Orientemque per Belisarium abductos, rebellare disponunt, regem sibi statuentes Heldebadum : contra quem debellaturus Bessa patricius

Placentiam a Ravenna conscendit, Constantino Ravennam de Dalmatiis, ut præesset exercitui, ab imperatore directo.

(A. C. 541.) *Ind.* IV, *Basilio solo cos.*

Parthis persistentibus inimicis, Belisarius Orientis suscepit expeditionem, Germano regresso ad urbem regiam. Gothi Heldibado occiso Erarium sibi ordinant regem. Solomon in Africa interficitur : Sergius loco ejus dux successit belli, moderatorque provinciæ.

(A. C. 542.) *Ind.* V, *post consulatum Basilii.*

Milites clam Veronam ingressi, dum avaritia inhiante de præda concertant, a Gothis egredientibus de latebris cum suo dedecore civitate pelluntur. Gothi Erario rege occiso Totilam in regnum mancipарunt. Qui malo Italiæ mox Padum transit, et ad Faventiam Æmiliæ civitatem Romanorum exercitum superat, duces effugat, Cæsenam et Urbinum, Montemferetris et Petrapertusa occupat, huc illucque discurrens devastat Italiam. Rursus in annonaria Tuscia ad Mucellos per Ruderit, et Viliarid, Bledamque duces suos Romanum exercitum superat. Quo prælio Bessa patricius vulneratus evadit : cæteri vero fugientes per quaqua salvati sunt.

(A. C. 543.) *Ind.* VI, *post consulatum Basilii anno* II.

Totila devastat Campaniam, urbesque muratas evertens, per suos Tiburim obsidet. Mortalitas magna Italiæ solum devastat, Oriente jam et Illyrico peræque attritis. In Oriente Persis adhuc tenentibus conflictum cum nostris, Sergius in Africa inquietatur a rebellionibus cum Stotza et Mauris.

(A. C. 544.) *Ind.* VII, *post consulatum Basilii anno* III.

Totila obsidet Firmum et Asculum, invasamque Neapolim desolat et Tibur. Roma vero obsidetur a longe, in qua præerat Joannes magister militum. In Oriente Belisario constituto, exsulatur Joannes ex consule ordinario patricius atque præfectus prætorio, et domus ejus datur Belisario.

(A. C 545.) *Ind.* VIII, *post consulatum Basilii anno* IV.

Totila Firmum et Asculum sub juramento ingressus est : milite Romano cum rebus suis dimisso, crudelitatem suam in Romanos exercuit, eosque omnes nudat et necat. In Africa Joannes irruens super tyrannum Stotzam, interimit eum, et ipse ab ejus occiditur armigero. In qua tyrannide Joannes quidam electus Stotzas junior vocitatur. Belisarius de Oriente evocatus, in offensam periculumque incurrens grave, et invidiæ subjacens, rursus remittitur ad Italiam. Qui veniens, Romam dirigit Bessam, Joannem mittit ad imperatorem. Totila vastato Piceno, pugnamque ad Auximum vincit. Indeque discurrens per Tusciam, Spoletium destruit, et Asisium Clusiumque oppida tenuit, et obsidet Perusiam.

(A. C. 546.) *Ind.* IX, *post consulatum Basilii anno* V.

Vigilius papa LIX [*Forte* LX] ab apostolo Petro, evocatus ab imperatore Roma egreditur, et in Siciliam venit. Totila occupata Lucania et Brutiis Neapolim subvertit, Romam obsidet. De Africa Sergius A evocatur, et Areobindas, nepte imperatoris accepta, ibi judex dirigitur. In Oriente cum Parthis fœdus initur per Constantianum magistrum militiæ, et exercitus revertitur Constantinopolim.

(A. C. 547.) *Ind.* X, *post consulatum Basilii* VI.

Gothi legationem mittunt ad imperatorem per episcopum civitatis Asisinatium, nomine Aventium. Joannes magister militum ad Italiam properat. Belisarius a Ravenna egressus venit Dyrrachium : indeque directo Joanne Calabria, ipse per Siciliam Romam perrexit. Papa Vigilius ingressus est Constantinopolim VIII kal. Febr. Totila dolo Isaurorum ingreditur Romam die XVI kal. Januarias, ac evertit muros, domos aliquantas igni comburens, ac omnes Romanorum res in prædam accepit; hos ipsos Ro-B manos in Campaniam captivos abduxit. Post quam devastationem, XL aut amplius dies Roma fuit ita desolata, ut nemo ibi hominum nisi bestiæ morarentur. Hinc veniens Belisarius murorum partem restaurat, venienteque Totila ad pugnam resistit. Eodemque anno de Africa neptis imperatoris revertitur vidua, occiso Areobinda a Gunthario tyranno, qui cum Stotza juniore tractans eum occiderat. Sed Artabanes utrosque comprehensos Guntharium occidit, Joannem idem Stotzam juniorem vinctum transmittit ad principem. Post aliquantos dies mittitur in Africam Joannes, et Artabanes evocatus præsentale accepit magisterium.

(A. C. 548.) *Ind.* XI, *post consulatum Basilii* VII.

C Joannes magister militum in Campania prædans Gothos, nonnullos liberat senatores : qui postea patitur nocturnum Totilæ superventum Bulgarum suorum proditione.......

(A. C. 549.) *Ind.* XII, *post consulatum Basilii* VIII.

(A. C. 550.) *Ind.* XIII, *post consulatum Basilii* IX.

(A. C. 551.) *Ind.* XIV, *post consulatum Basilii* X.

His temporibus in Africa Mauri per Joannem patricium domiti sunt.

(A. C. 552.) *Ind.* XV, *post consulatum Basilii* XI.

Hoc tempore Justinianus Augustus Narsem eunuchum chartularium et cubicularium suum principem militiæ fecit, et in Italiam misit. Qui commissa pugna Dei gratia victor Totilam occidit, et gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in D Italia exterminavit. Per hæc tempora, cum Buccelinus comes cum sociis a Theodeberto rege Francorum dudum missus, per annos aliquot Italiam Siciliamque infestaret, et Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitus ejus profluvio ventris attritus, a Narse pugna victus et profligatus, ipse dux occisus est. Nec multo post socius ejus Omnirugus dux cum reliquis Gothorum quibus se junxit peremptus est.

(A. C. 553.) *Ind.* I, *post consulatum Basilii v. c.* XII.

Theodebaldus Francorum rex moritur, et regnum ejus uxoremque Vanderadam Hlotarius rex, patris ejus Theodeberti patruus, accepit, qui jam XLIV annis regnabat. Quo ipso anno Hlotarius ipse Saxones

Digitized by Google

rebellantes juxta Wiseram fluvium magna cæde Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem domuit, et Thuringiam pervasam devastavit.

(A. C. 554.) *Ind.* II, *post consulatum Basilii v. c.* XIII.

Vigilius papa, tandem ab imperatoribus Romanis et a Narse de exsilio relaxatus, cum Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit : moxque Romam perlatus, apud S. Marcellum in via Salaria sepultus est. Pro quo ordinatus Pelagius papa LXII [*Forte* LXI] sedit annis XI, mensibus X. Qui a populo Romano factionis contra Vigilium incusatus, celebratis una cum Narse litaniis, apud S. Petrum ambone ascenso, evangelioque super caput suum posito, juramento se crimine purgavit.

(A. C. 555.) *Ind.* III, *post consulatum Basilii v. c.* XIV.

Hoc tempore Saxones iterum Hlotario rebellantes, cum ab eo peterentur hostiliter, eique pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idque exercitus Francorum refutans eo invito pugnasset, magna ab eis cæde protritus, fugæ præsidium petiit.

(A. C. 556.) *Ind.* IV, *post consulatum Basilii v. c.* XV.

His diebus Hramnus patri suo Hlotario, annuente patruo Hildeberto rebellans, regnum Francorum seditione perturbat. Saxones factione Hildeberti in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur.

(A. C. 557.) *Ind.* V, *post consulatum Basilii v. c.* XVI.

In Britannia Bridus rex Pictorum efficitur. Hildebertus rex Francorum circa hæc tempora moritur, et Parisius in Basilica S. Vincentii a se constructa sepelitur, regnumque ejus frater Hlotarius assumens, totam paterni regni monarchiam obtinuit.

(A. C. 558.) *Ind.* VI, *post consulatum Basilii v. c.* XVII.

Hramnus patrem Hlotarium quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conoboro rege pugna victus et captus, cum uxore et filiabus vivus incensus est. Quo etiam tempore Turonis basilica S. Martini, rebellibus ad eam fugientibus, igne crematur.

(A. C. 559.) *Ind.* VII, *post consulatum Basilii v. c.* XVIII.

(A. C. 560.) *Ind.* VIII, *post consulatum Basilii v. c.* XIX.

(A. C. 561.) *Ind.* IX, *post consulatum Basilii v. c.* XX.

(A. C. 562.) *Ind.* X, *post consulatum Basilii v. c.* XXI.

(A. C. 563.) *Ind.* XI, *post consulatum Basilii v. c.* XXII.

(A. C. 564.) *Ind.* XII, *post consulatum Basilii v. c.* XXIII.

(A. C. 565.) *Ind.* XIII, *post consulatum Basilii v. c.* XXIV.

(A. C. 566.) *Ind.* XIV, *post consulatum Basilii v. c.* XXV.

# INDEX IN OPERA S. PROSPERI AQUITANI.

*Numeri respondent numeris in textu crassiori charactere impressis* *.

## A

AARON primus pontifex Hebræorum, 689.

ABEL justum cur Deus non servarit ab insidiis fratris, 799, *vers.* 317 *et seq.* Abel cur Deus occidi a fratre permiserit, 900.

ABIA rex, 691.

ABIATHAR pontifex, 691.

ABILIUS II Alexandriæ episcopus, 707.

ABIMELECH filius Gedeonis, 690.

ABRAHAM anno ætatis 75 e terra sua exire jussus, et promissionem accipit, 687. Nonagenarius generat Ismael, *ibid.* Abraham mandatum circumcisionis accipit, 687. Abraham anno ætatis c genuit Isaac ex libera, 887. Abraham moritur anno promissionis c, principatus Joseph XV, 688. Abrahæ facta promissio gratiæ signum luculentius, cum posteritas ejus stellis cœli et arenæ comparabatur, 901. Abraham laudabili fide credebat per germen unius filii (Christi) patrem se futurum totius mundi, 901. Abraham credentium pater in cunctis jam nationibus, 490. Omnibus beneficiis Dei erga Israelitas fidei Abrahæ meritum commendabatur, 597. Abraham olea cui inseritur oleaster, 41. Abrahæ promissi credunt et obediunt, 859.

Abundantia et prosperitas communis est et malis et bonis; sed a malis in dextera habetur, a bonis in sinistra reputatur, 517. Tam abundantia quam inopia materia peccati, 938.

ACHAZ rex, 692.

Achaia a Romanis subacta, 706.

ACHILLAS XVII episcopus Alexandrinus, 724.

Actuum apostolorum lectio celebris in Ecclesia, 25.

ADAM et patriarchæ quo anno ætatis genuerint, 685. Idque juxta LXX Interpretum editionem, non secundum Hebræum aut Vulgatam, *ibid. in not.* In Adam omnium hominum concreata natura, in eodem tota periit, 328, 329. Adæ lapsus et fidelium conversio quomodo opponantur, 575, 765. Adæ exemplum non imitandum, qui se a facie Domini mala conscientia conturbatus abscondit, 513. Magno peccato periit Adam, et in illo omnes perierunt, 249. Deus dicens : *Ecce Adam sicut unus ex nobis factus est*, significavit potius quid non fuerit assecutus, 530. Adam perdidit primitus fidem, quam omnes primam egemus accipere, 245. In Adæ posteros pœnam transisse et culpam, 520. Adamo post peccatum nihil remansit, nisi quod ad temporalem vitam pertinet, 329. Posteri Adæ omnia in Adamo perdiderunt, nec ipso timore reliquo, 329. Ab Adam totum genus humanum jugum subiit servitutis, 472. Adam quomodo forma futuri dicatur, 593. Comparatio primi Adam et secundi, *ibid.* Adam cœlestis terreni Adæ ruinam reparavit, 805 *vers.* 489 *et seq.* Ad Adam aut ad Christum omnes pertinere, 588.

Admiratio. Nulla admiratio sine quadam formidine, 400.

ADRIANUS XII regnat, 709. Unde natus, *ibid.* Adrianus tributa relaxat, 709. Judæos rebellantes capit, *ibid.* Contra Sarmatas bellum gerit, *ibid.* Adrianus moritur, 711.

Adulationis nocumentum, 561, 665, *epigr.* 88. Melior severa justi misericordia, quam blanda adulatio peccatoris, 507.

Adultera a Christo et veritate et gratia liberatur, 855. Adultera est anima, quæ superbit de Dei donis, 917.

Adversa et prospera hujus vitæ non carent tentatione, 500, 501.

Adversitas quomodo toleranda, 785, *vers.* 7 *et seq.* Adversitates patienter ferendæ, 569, 570. Justis petendum a Deo ne adversantibus tradantur, id est, ne ad facienda mala persequentibus cedant, 456.

Ægyptii interpretantur, afflictio populi Dei, 488.

ÆGYPTIUS pseudopropheta populum decipiens, et magna conatus a Felice opprimitur, de quo in Actibus *cap.* XXI, 85, 704.

Ægyptus idem quod terra Cham, 395. Ægyptus, afflictio, 488. Ægyptus sæpe figura seculi, 424. Ægyptus fit Romana provincia, 700.

ÆGYPTUS Sylvius Latinorum rex, 691.

ÆLIA condita ab Ælio Adriano, 711.

ÆMILIANUS tyrannus brevi occiditur, 719.

ÆMILIANUS Dorostori martyr, 730.

* Monitum Lectorem volumus, in hujus voluminis prima editione, imprudentis hominis oscitantia, cui tunc Patrologia typis paranda demandabatur, factum ut Index iste multa haberet ab his quæ in volumine continentur aliena. Nunc, cum ad editionem novam accingimur, redundantia loca ex stereotypicis tabulis resecanda erant; quo fit ut hic illic vacua spatia appareant.

Digitized by Google

Æneas Latinis regnat, 690.
Æneas Sylvius Latinorum rex, 690.
Æquitas omnis in Dei et proximi dilectione posita, 412.
Æquitas melior est quam sanitas, 566.
Æternitas. Vera æternitas et immortalitas in Deo solo, 578, 513, 617.
Æternæ hæreditatis immensitas, 571.
Aetius magister militum fit, 743. Aetius Felicem cum uxore et Grunnito interimit, 744 Aetius, deposita potestate insidias fugiens, ad Hunnos se confert, per quos amicitiam principum et potestatem recipit, 744. Aetius a Valentiniano percussus, a circumstantibus confectus, 752.
Affectibus ad Deum accedi, 578. Omnem rectum affectum, cogitatum et sermonem nostrum esse a Deo, 950. Non solum in tempore tribulationum, sed etiam in pace, *ibid.*
Affectionis humanæ diversitas, ex diversitate voluntatis, 564.
Afflictio malis pœna est criminis, bonis corona virtutis, 821, *vers.* 902 *et seq.* Conversis prodest afflictionis tolerantia, 823, *vers.* 946 *et seq.* Occultum formatur de bonorum et malorum permixtione, et omnibus afflictionibus vitæ temporalis, dum Christi differtur adventus, 502.
Africa inter Valentinianum et Geisericum divisa, 748.
Africana concilia contra Pelagianos a Zosimo approbata et confirmata, 362.
Agabi prophetia expletur, 704.
Agamemno, 690.
Agere. Male agit qui non in Dei gloriam agit, 852. Agi plus est quam regi, 590.
Aggæus propheta, 693. Aggæus et Zacharias in Babylonia cum populo suo capti, reparationem Jerusalem prædixerunt, 526. Aggæus et Zacharias post captivitatem prophetantes de relaxatione captivitatis et reparatione templi, quid præsignaverint, 420, 421.
S. Agilei Martyris cœmeterium Carthagini, 755.
Agricola Pelagiano errore Britannias inficit, 743, 744. A Germano Autissiodorensi debellatur, *ibid.*
Agrippinus IX Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus, 713.
Alba condita, 690.
Aletius episcopus concilio Arausicano II subscribit, 767.
Alexander nascitur, 694. Regnat, *ibid. et* 695. Moritur, *ibid.* Alexander regnum Persarum subvertit et Alexandriam condit, 694.
Alexander XXI regnat, 717. Occiditur, 719.
Alexander V Romæ episcopus, 709.
Alexander Jerosolymorum episcopus martyr moritur, 719.
Alexander martyr, 716.
Alexander XVIII Alexandriæ episcopus, 725.
Alexandra, quæ et Selina, Jerosolymis regnat, 698.
Algelmundus primus rex Longobardorum, 736.
Altare Dei duplex, visibile et invisibile, quomodo ad utrumque perveniatur, 570.
Amare est velle, odisse nolle, 849.
Amasias regnat, 692.
Amator Dei, amator est sui, et non diligens Deum, non diligit proximum, quia non diligit se ipsum, 599.
Ambrosii scripta multa, 734. Ambrosii testimonium de lapsu Adæ et totius humani generis, 329.
Amici quomodo diligendi, 563.
Ammon rex Juda, 692.
Amor et timor omne bonum aut malum producit, 578. Duo amores duas faciunt civitates, 574.
Amor Dei. Sine eo nihil ad beatitudinem prodest, nihil ad Deum refertur, 850. Sine eo corrumpuntur dona Dei, 851. Nihil amandum quam quod ex Deo est, et Deus amat, 917, 918. Amor bonus et malus. Utrumque in uno homine esse potest, sed bonum ut illo proficiente, iste deficiat, 562. Amor Dei non potest sine diaboli inimicitiis obtineri, 923.
Amor mundi charitati contrarius, 898. Amor sui quis bonus, 852. Amore sui aguntur, qui non amore Dei, 851. Amor istius vitæ laqueus venantium, 471. Perniciosum consilium quærentis quæ sua sunt, 402.
Amorrhæi, amaricantes, 493.
Amos propheta, 692.
Amphion Thebæorum rex, 689.
Amulius Sylvius rex Latinorum, 692
Anastasius XXXVII Romæ episcopus, 738.
Anatolius Laodicenus episcopus claret, 721.
Ancus Martius rex Roman. Ostiam condit, 693.
Androgei mors, 691.
Angelos esse spiritus invisibiles non dubitatur, 381. Angelus nomen est officii, Spiritus nomen est naturæ, *ibid.* Angelos Verbum non deseruit cum descendit ad nos, sed simul integer illis, integer nobis, illosque pascit per id quod Deus est, nos per id quod nos sumus admonet, 607.
Angeli duo unicuique adhærere ex Cassiano, 294.
Anianus Marco successor Alexandriæ, 704.
Anicetus X Ecclesiæ Romanæ episcopus, 712.
